
BENEDICTI
AVERANII
OPERA.


BENEDICTVS AVERANIVS FLORENTINVS ANNVM AGENS SEXAGESIMVM TERTIVM
D. Dandini P.

BENEDICTI
AVERANII
FLORENTINI
IN PISANO LYCEO
LITTERARUM HUMANIORUM PROFESSORIS
OPERA LATINA
REGIÆ CELSITUDINI
COSMI III.
MAGNI ETRURIÆ DUCIS
DICATA.



FLORENTIÆ MDCCXVII.

BENEDICTI
AVERANII
DISSERTATIONES
HABITÆ IN PISANA ACADEMIA
IN QUIBUS

Græcæ Eloquentiæ principes explicantur, & illuſtrantur

ANTHOLOGIA, THUCYDIDES, ET EURIPIDES

Opus Postumum

Græcâ, Latinaque omnis generis eruditione doctrinaque, & ornamentis eloquentiæ refertiſſimum.

TOMUS PRIMUS.

FLORENTIÆ MDCCXVII.
Typis Regiæ Celsitudinis
Sumptibus Cajetani Tartinii, & Sanctis Franchii.
SUPERIORIBUS PERMITTENTIBUS.

REGIA CELSITUDO

NON vereor, ne in hominum reprehenſionem incurram, quòd tam exiguum munus Regiæ Tuæ Magnitudini offerre audeam; nam, quantulumcumque illud eſt, Tuum eſt, quod

Tibi

Tibi libens meritò dono, ac dedico. Quemadmodum enim fructus, qui in fundo nostro nascuntur, nostraque industriâ, cultuque proveniunt, nostri sunt; sic Tui sunt fructus, quos Tui Civis ingenium protulit; ingenium, quod aluit, fovit, auxit Tua Regia Munificentia, & honorificis præmiis erexit ad laudem, & ad labores impigrè subeundos excitavit. Tuâ Auctoritate ad publicum docendi munus evocatus Tibi operam omnem navavit, Tibi studia omnia, Tibi omnes labores impendit, quos pro erudiendâ juventute suscepit. Quamobrem si Romanæ eloquentiæ pristinum decus restituit: si Græcas litteras jacentes erexit, & intermortuas, & exoletas in Patriam revocavit: si Græcæ, Latinæque eloquentiæ principes Scriptores eruditissimis Dissertationibus illustravit: si litterarum & Sapientiæ laudes disertissimis Orationibus ornavit, & amplificavit; id omne Tuo jure potes Tibi vindicare. Ergo non dubito Te benigno, serenoque vultu excepturum Munificentiæ Tuæ fructus jamdiu tibi debitos offerentem. Nam & Deus omnium conditor, & largitor, & dominus munusculis nostris delectaur. Te verò tum pietas, & religio, & conspiratio, consensusque virtutum Deo similem reddit: tum maximè obvia comitas, cunctisque exposita mansuetudo, atque clementia. Tu egenos, & miseros æquè, ac divites, & beatos; infimos æquè, ac summos; rudes, & rerum omnium ignaros æquè, ac doctos comiter excipis, eademque animi æquitate, & facilitate libenter audis; afflictos erigis, diffidentes confirmas, mærentes recreas, & consolaris.

Tu

Tu neminem despicis, neminem abigis, neminem aversaris; omnes, quibuscumque libuerit, pueros, senes, feminas, viros, plebejos, rusticos, difficiles, querulos aditu, conspectu, congressu, colloquio dignaris: omnium preces, querelas, expostulationes sine fastidio, sine satietate patienter exaudis, perfugium, portus, præsidium, levamen miserorum. Aliæ virtutes, quarum Te cunctis gentibus absolutum exemplar proposuit Deus, quandoque etiam in privatis elucent; hæc autem Te verè Principem ostentat, Pastorem populorum, publicæ salutis Auctorem, Deo simillimum; qui nullo ætatis, sexus, conditionis discrimine, præstò est omnibus divinam opem implorantibus. Hæc eapem tantum mihi fiduciæ, vel potiùs audaciæ dedit, ut hasce fratris mei pridem defuncti lucubrationes Regiæ Tuæ Celsitudini inscribere non verear; ut, & quòd Tuæ sunt, & quòd Tibi dicatæ, a Te ipso splendorem, auctoritatemque mutuentur.

Humillimus Servus, & Subditus
Josephus Averanius.

* JOSE-

JOSEPHUS AVERANIUS
ERUDITO LECTORI
Sal. Plur. Dic.

Habes hîc, erudite Lector, quæ tamdiu desideraſti, Benedicti Averanii opera omnia, quæcunque latinè ſcripſit; Diſſertationes, Orationes, Epiſtolas, Carmina. Quum Ann. ſal. MDCLXXVI. ad docendam linguam græcam, quam ipſe pridem Florentiæ intermortuam revocaverat, evocatus fuiſſet, de linguæ græcæ præſtantiâ in Piſano Athenæo orationem habuit copioſiſſimam, & ornatiſſimam; ac deinceps quotannis in ſolemni inſtauratione ſtudiorum eloquentiſſimis orationibus litterarum, & ſapientiæ laudes celebravit. In quotidianis autem ſermonibus, qui ex vetere inſtituto illius Academiæ publicè habentur a Profeſſoribus, primùm Anthologiæ epigrammata ſuſcepit explicanda; deinceps proximis annis Euripidem, ac denique Thucydidem aggreſſus eſt; ut deſiderium legendi græcos Scriptores incuteret auditoribus ſuis. Non multis poſt annis ad profitendam eloquentiam, & humaniores litteras evectus inſtituit explicare tres alios latinæ eloquentiæ principes; ex oratoribus M. Tullium, ex poëtis P. Vergilium, ex Hiſtoricis T. Livium. Diſſertationes, quibus hos diſertiſſimos Scriptores illuſtravit, iiſdem omnino verbis editæ ſunt, quibus ipſe e ſuggeſtu memoriter recitabat. Verùm quia ipſe plerumque conſultò omiſit Auctores, quos citare neque conjunctio, neque numerus orationis commodè patiebatur; e re viſum fuit eos magno ſtudio, & accuratiſſimâ diligentiâ quæſitos apponere in calce cujuslibet paginæ, indicando tum Auctorem, tum locum, unde veriſimile eſt ipſum deſumpſiſſe, quæ ſcripſit; qui verò effugerunt

diligentiam eorum, qui hæc ſolerter exquiſiverunt, in fine Operis adjecta ſunt. Id autem perfectum eſt operâ, & labore doctiſſimorum Virorum Antonii Mariæ Salvinii, Joannis Bottarii, & Nicolai Averanii fratris Auctoris; qui & Indicem copioſiſſimum omnium operum adjecit, & ſtudiosè, diligenterque curavit, ut ea quàm emendatiſſima prodirent.

In his Diſſertationibus nuſquam exilem, incultam, vulgarem, obſoletam orationem offendes; ſed ubique gravem, copioſam, ſplendidam ſuſpicies. Sermonis elegantiam illuſtriorem reddit ubertas ſententiarum, & doctrinæ copia, & affluens rerum cognitio, qua mirabiliter effloreſcit, & redundat oratio. Nam ut erat Auctor omnium magnarum rerum, atque artium ſcientiâ ornatus, & inſtructus, ex mathematicis, ex philoſophicis diſciplinis, ex poëtis, ex oratoribus, ex Hiſtoricis, ex monimentis antiquitatis illuſtria quæque, ac præclara decerpebat; quibus alliceret, & erudiret animos auditorum, & doctrinis omnibus inſtructiores dimitteret. Neque enim ille, ut erat ingenio profundo, vaſtoque animo exilia, minuta, arida, jejuna, ſpinoſa perſequebatur; ut non pauci faciunt hoc tempore, qui in verbi controverſiâ, & litteræ mutatione, vel trajectione ſyllabæ veram, germanamque ſapientiam putant eſſe collocatam. Quidam enim ubi veterem aliquem Scriptorem exſuccis quibusdam notis correxerint ne, an depravarint, nihil refert, & ſingulas ejus ſyllabas excuſſerint, & inanes verborum quæſtiunculas excitarint, ſeriò triumphant, & tumidi, faſtuque pleni ſe magnificè circumſpiciunt, & ſummum litteraturæ, doctrinæque apicem ſe putant attigiſſe. Neque verò eorum diligentiam, & induſtriam reprehendo, dum ipſi non contemnant eos, qui ſolidam doctrinam bene dicendi, recteque faciendi magiſtram conſectantur; & intelligant non huc pertinere ſtudia litterarum, ut in verbis aucupandis toti ſimus, eoque omnes curas, & cogitationes intendamus. Quotuſquiſque eſt, qui Platonem, & Ariſtotelem legat, ut ſapientiæ præceptis imbuatur, & ad veritatis contemplationem, & altiſſimarum rerum cognitionem evehatur? quis Demoſthenem, aut Ciceronem, quis Homerum, aut Vergilium legit, ut a puriſſimis fontibus hauriat eloquentiam, & animum ornet copiâ, & varietate doctrinæ? quis rerum geſtarum Scriptores, & monimenta

vetu-

vetustatis evolvit, ut historiâ duce, nuntiâ veritatis, & magistrâ vitæ prudentiam assequatur, vitamque dirigat ad normam, præscriptumque veteris disciplinæ?

...... nemo, hercule, nemo,

Vel duo, vel nemo........

Nemo veterum Præceptorum sententiam curat expiscari, exemplis illustrare, confirmare argumentis, oratione dilatare; plerique omnes verbis notandis, expungendis, corrigendis, pro arbitrio mutandis, ac sæpe pervertendis intenti semetipsos in salebras inducunt, & in captiones, quas explicare vix possunt; nonnulli etiam syllabas perscrutantur, & singulas litteras castigant, & magno studio, magnoque conatu meras nugas molientes plenis futilitatis, & inanissimis scientiæ notis miseros lectores enecant. Enimvero hi omnes in mustaceo laureolam quærunt; noster verò Auctor non vanam, fictamque imaginem scientiæ, sed eminentem sapientiæ effigiem in his Dissertationibus expressit, & ex veteribus Scriptoribus non frondes, sed flores, & poma decerpsit; itaque cultu orationis, & amœnitate delectat æquè, atque instruit animum multiplici rerum cognitione, & ubertate doctrinæ. Hîc veneranda antiquitatis monimenta: hîc poëtarum, & oratorum dicta præclara: hîc philosophorum cum veterum, tum recentium decreta, atque sententiæ: hîc res a Veteribus gestæ, & varii rerum eventus, & fortune ludus, & inconstantia: hîc egregia sapientissimorum hominum consilia, & fortissimorum virorum facta gloriosa: hîc illustria virtutum omnium exempla: hîc optima vitæ regendæ, & Reipublicæ administrandæ præcepta passim occurrent; atque hæc omnia electis verbis compositè, ornatè, distinctè, luculenter exposita, & gravissimorum Scriptorum auctoritate confirmata.

In Orationibus autem habes expletam, perfectamque formam eloquentiæ; nam si eloquens est, ut ait summus orator, qui humilia subtiliter, & magna graviter, & mediocria temperatè potest dicere; mehercle hic Auctor est longè eloquentissimus. Floruerunt quidem superiore sæculo multi diserti oratores, suaves in dicendo, & ornati; sed hic multo grandior, & excelsior est tum magnificentiâ verborum, tum argumentorum gravitate, & copiâ, tum ubertate sententiarum, quibus quasi

tor-

torrens oratio & implet aures auditorum, & animos rapit, & traducit ad admirationem. Quàm magnificus, quàm ſplendidus orationis apparatus! quanta vis argumentorum, quanta exemplorum copia, quanta dignitas! quantus verborum ſplendor, quanta concinnitas ſententiarum! quàm opportunè cadens numerus orationis! quæ lumina, quæ ornamenta, quæ formæ, figuræque dicendi! Verè dixit Cicero ab Oratore comprehendendam eſſe ſcientiam rerum plurimarum, ſine qua verborum volubilitas inanis, atque irridenda eſt : ac meâ quidem ſententiâ, *inquit*, nemo poterit eſſe omni laude cumulatus orator, niſi erit omnium rerum magnarum, atque artium ſcientiam conſequutus. *Ejuſmodi fuit noſter Auctor, qui quum eloquentiæ ſpecie magnopere raperetur, ne inanis eſſet elocutio, ac pæne puerilis, ſed ex rerum cognitione effloreſceret, in omnium rerum magnarum, atque artium ſcientiâ conſequendâ ſolerter elaboravit. Hinc ille tam lautam, tam luculentam, tam ſuperfluentem oratoriam ſupellectilem ſibi comparavit; ut tot diſertiſſimis orationibus litterarum laudes perſequi potuerit, & uno in argumento tot annis verſatus illud ipſum ſemper ornatè, ſemper copiosè, ſemper ſplendidè, ſemper magnificè tractarit; quod omnem modum admirationis excedit; ac ſi diutiſſimè vixiſſet, tamen, ut ipſe profitebatur, ſemper dicendi materies ſuperfuiſſet.*

In Carminibus idem eloquentiæ ſplendor elucet; in his ſuavitatem, nitorem, elegantiam, dignitatem Tibulliani Carminis expreſſit. Apage te, quicumque poëtas amas pingue quiddam ſonantes, ac peregrinum, & inflatis buccis, magnoque hiatu, & boante voce ructantes verſus inconditos, & Bacchantum more furentes: apage te etiam, quicumque pigmentis, fucoque puerili delectaris, & inſulſis ſalibus, & infacetiis, & inanibus argutiolis, quæ titillant aures imperitorum. Nihil hîc turgidum, & abſonum: nihil inſolens, & ineptum: nihil inſulsum, & infacetum: omnia eximiâ venuſtate, concinnitate, lepôre, feſtivitate conſperſa. Incorrupta latini ſermonis integritas, & numerosè cadens verſus leniter affluit ad aures eruditorum, & animum ſuavi jucunditate perfundit; munditia, & elegantia, & nativus, non fucatus eloquentiæ color allicit doctos homines, & intelligentes, & ad ſe attrahit matronali decore, non cultu, ornatuque meretricio. Ac

ſi Au-

si Auctor in hoc studio elaborasset impensiùs, facilè poterat ceteros omnes poëtas longè antecellere; sed studiis gravioribus abstractus pauca admodum adultâ ætate conscripsit; eaque nonnisi necessitate compulsus; pleraque in adolescentiâ, nec pauca in ætate puerili, qua ad humanitatem informabatur. Quid græcè posset, duæ cultissimæ elegiæ declarant, quarum alteram in itinere composuit; alteram latinis versibus reddidit. Quantum sublimitate heroici carminis assurgere, & se efferre potuerit, intelliges ex poëmate, quo Divæ Magdalenæ laudes concinuit, qua carminis elatione! qua verborum magnificentiâ! quo spiritu!

Atque ut haberes perfectum, & absolutum eloquentiæ opus, placuit addere Epistolas verbis electis compositè, ornateque dictatas, perpolitas, perelegantes, & verborum, sententiarumque floribus, & urbanitatis sale conspersas. Ex multis, quas scripsit, paucas colligere licuit, ab amicis enim, ad quos scriptæ erant, contrahendæ fuerunt, quum ipse, quidquid scriberet, numquam conficeret exemplar. In his autem contemplari licebit adumbratam Scriptoris imaginem, suavissimos mores, eximiam probitatem, ingenuitatem, facilitatem, propensam ad benefaciendum voluntatem, præclaram virtutis indolem, litterarum, & omnium disciplinarum amorem flagrantissimum; quanto amore complecteretur non solùm præsentes, sed etiam absentes amicos; quàm insignibus amoris notis eos alliceret ad benevolentiam; qua curâ, quo studio cultum bonarum artium promoveret; quibus stimulis ad virtutem, & sapientiam incitaret.

Habes igitur in his lucubrationibus, Erudite Lector, solidam, & expressam sapientiæ effigiem, & opulentissimum doctrinarum omnium thesaurum, unde possis cuncta depromere, sive te eloquentiæ splendor, sive antiquitatis cognitio, sive divinitatis, & rerum naturalium scientia, sive præcepta sapientiæ, & morum doctrina delectat. Vale.

A D

AD LECTOREM
Monitum.

CAve, Lector, ne putes integerrimum, ac religiosissimum hujus Operis Auctorem, dum exprimit quasdam formas, figurasque dicendi a Veteribus usurpatas; & dum veterum Scriptorum & philosophorum opiniones, & populares sententias refert, & explicat; quidquam aut a morum integritate, aut a puritate Religionis alienum approbasse; sed composite, ornateque eloqui, & variâ, ac multiplici eruditione, atque doctrinâ auditorum animos imbuere voluisse.

BENE-

BENEDICTI AVERANII
VITA.

BENEDICTUS Averanius Florentinus honestissimis parentibus natus est Florentiæ XIV. Kalend. Augusti anno Salut. MDCXLV. Mira in puero virtutis indoles, acre ingenium, incredibilis cupiditas cognitionis, & scientiæ. Non jocis, nugisque puerilibus, non anicularum lucubrationibus admodum delectari: nihil in eo scurrile, incompositum, leve, &, quæ pueris jucundissimæ solent esse, occupationes, ludere, exultare, gestire, sursum, deorsum, ultrò, citrò cursitare, nunquam ipsum implicatum tenuerunt. Nimirum jam inde a principio eminebat ingenii forma præclara, & præcox judicium; & multa acutè, salseque dicta, & arguta responsa, & crebræ de rebus seriis interrogationes magnam concitabant expectationem. Ut primùm litteras didicit, nullo suasore, atque impulsore poëtas epicos etruscæ eloquentiæ principes, nondum enim latinam linguam attigerat, assiduè cœpit lectitare. Sæpe etiam numerorum naturam, vim, proprietates secum ipse meditabatur; adeo erat etiam a parvulo impatiens inertis otii, ad agendum natus, & intelligendum. Abditas numerorum virtutes etiam provectâ ætate libentissimè perscrutabatur; & quum eas penitus introspexisset, dicere solebat, sapienter a Platone scriptum, hominem esse animal arithmeticum; quòd numerorum cognitio sit hominis propria, atque ejus animo tam penitus insita, ut etiam pueri nullo doctore possint numerorum vim, naturamque pernoscere. Scilicet suo modulo omnium hominum ingenia metiebatur; ipse enim pleraque suo marte didicit, sui ipsius doctor, atque discipulus, uno verbo αὐτοδίδακτος. Elementa Grammaticæ domi ferè didicit; in arte rhetoricâ Præceptorem habuit Vincentium Glariam e Societate Jesu, hominem apprime doctum, & ingenio amœno, promptoque præditum. Erat in eo singularis comitas, facilitas, humanitas, quibus devinctos auditorum animos incendebat amore litterarum. Poëticæ addictus oratoriam artem tractabat paulò negligentiùs. In eo studio maximè exercebat adolescentes, quorum carmina quum corrigebat, versus fundebat ex tempore. Quo factum fuit, ut hac quotidianâ consuetudine minùs accuratè, cogitateque scribere assueverit; nec, quæ primo impe-

tu fudiſſet, caſtigare, & politiùs limare curaret. Quamobrem multa in ejus verſibus horrida, aſpera, diſſoluta, fracta, conciſa, & ſolutæ orationi ſimillima. Fretus enim ingenii magnitudine, & alacritate quidquid in mentem veniebat, numeris adſtringere, & verſibus explicare tentabat; & Muſis imperare, quàm obtemperare malebat. Propterea a multis etiam obſcuritatis arguebatur; quam reprehenſionem joco excipiens admonebat eos, ut funalibus accenſis legerent, quæ ipſis obſcura viderentur. Longè aliam viam ingreſſus fuit hic adoleſcens ſui ipſe dux, & auctor, & magiſter; nihil enim durum, præfractum, inconditum, inemendatum ferre poterant ejus aures teretes, ac delicatæ; lenitatem, æquabilitatem, leporem, venuſtatem carminis jam tum ſtudiosè ſectabatur. Quod ut aſſequi poſſet, Vergilium, & reliquos veteres poëtas diurnâ, nocturnaque verſabat manu, eoſque ſibi proponebat ad imitandum. Nec minori contentione in eloquentiæ, & artis oratoriæ ſtudiis elaborabat, quà ſcriptioni, quà lectioni veterum eloquentiæ principum mirificè deditus. Itaque quum legendo, ſcribendoque, & quotidianis commentationibus vehementiſſimè ſe exerceret, tanto anteceſſit condiſcipulos, ut facilè intelligi poſſet pari modo omnes dicendi auctores procedente ætate ſuperaturum. Ipſe Magiſter, ut erat homo ingenuus, & candidus, & longè aberat ab invidiæ obtrectatione, tantos progreſſus, quos brevi fecerat, admiratus præceptorem ſuum ſolebat illum appellare; & reliquos diſcipulos, ut ab ipſo peterent exemplum eloquentiæ, identidem admonebat. A rhetorum ſpatiis ad philoſophorum campos traductus eandem tenens rationem ſtudiorum, in eodem induſtriæ curriculo verſatus eſt. Neque enim rivulos conſectabatur, ſed adibat ipſos doctrinarum omnium fontes Platonem, & Ariſtotelem, a quibus exundantem ſapientiæ copiam hauriebat. Veteres etiam Ariſtotelis interpretes avidè pervolutabat; quos & Græcæ linguæ intelligentes, & quamvis longo intervallo, proximos tamen Ariſtoteli, ejus mentem aſſequutos, & ad veritatem propiùs acceſſiſſe credebat. Inde conquiſitis rationibus, & argumentis pervagatas opiniones plerumque labefactabat; cunctiſque mirantibus, de omnibus rebus, quæcumque in controverſiam veniſſent, acutiſſimè diſputabat. Quamvis autem permagno æſtimaret Ariſtotelem, tamen Platonem ſemper in deliciis habuit; illum non ſolùm intelligendi, ſed etiam dicendi principem ſemper admiratus eſt. Ut erat ingenio profundo, & rerum omnium capaci, illâ ingenii magnitudine, gravitate ſententiarum, ubertate doctrinæ, rerum altiſſimarum contemplatione, qua Plato ſupra ceteros omnes excellit, maximè rapiebatur. Animadvertebat lectionem Platonis erigere animos, & explicare, & quaſi dilatare, & rerum occultarum, & admirabilium cognitione complere, celſoſque, & erectos præclarâ quadam luce circumfundere. Hinc dicere ſolebat, omnes, qui in aliquâ diſciplinâ principatum tenuerunt, Platonicos fuiſſe; in quorum numero præter alios recenſebat Vergilium poëtarum facilè principem, oratorum M. Tullium, SS. Patrum Divum Auguſtinum. Sanè Cicero de ſe ipſe teſtatur in Oratore:

fateor,

fateor me oratorem, si modò sim, aut etiam quicumque sim, non ex rhetorum officinis, sed ex Academiæ spatiis extitisse. Illa enim sunt curricula multiplicium, variorumque sermonum, in quibus Platonis primùm impressa sunt vestigia; sed & hujus, & aliorum philosophorum disputationibus & exagitatus maximè orator est, & adjutus. Omnis enim ubertas, & quasi silva dicendi ducta ab illis est. Ex his ipsis fontibus, quos suâ sibi industriâ, & ingenti labore recluserat, hausit noster Auctor illam, qua præstitit, magnificientiam, ubertatemque dicendi. Neque enim philosophiæ studiis addictus abjecit eloquentiæ curam; nam jussu patris poëma condidit in laudem Divi Thomæ Aquinatis trecentorum versuum elegans, numerosum, sublime, quod biduo perfecit. In abdita, ac retrusa Religionis nostræ mysteria, & inexplicabile Trinitatis arcanum adeo distinctè, atque illuminatè versibus explicavit; ut ne a summo quidem theologo magis perspicuè, & explicatè solutâ oratione describi potuisse insignes theologi judicaverint. Non dederat ille operam theologiæ, sed erat ingenio tam solerti, & acuto, ut quidlibet posset audere. Hoc poëma, ut multa alia periit Auctoris incuriâ; quædam tamtummodo membra lacera, ac discerpta supersunt. Quum enim non aucupandæ gloriæ, sed aut sui muneris implendi, aut exercendi ingenii gratiâ scriberet, res suas negligentiùs adservabat. Id temporis suscepto jam legum studio scripsit longissimam epistolam elegiaco carmine ad Antonium Rillium rusticantem, quæ postremo loco edita est; paulo post composuit aliam elegiam in amoris contemptum, qua nihil cultius, & elegantius fieri potest. In utraque profitetur se in naturæ meditatione versari, & astrorum scientiâ mirificè delectari; morum etiam disciplinæ, Platonis præceptis imbutum attentiùs incumbere; nam philosophiæ studium numquam intermisit. Confecto enim in scholis philosophiæ curriculo, in quo per biennium elaboravit, ad Pisanam Academiam a patre missus est, ut in jure civili erudiretur. Quamquam autem nihil ab eo prætermitteretur, quod a studiosâ legum juventute solet usurpari, tamen, quidquid supererat otii, philosophiæ, & eloquentiæ studiis impendebat. Supererat autem plurimum; nihil enim temporis voluptas, nihil inertia detrahebant; necessariam etiam quietem, ac remissionem animo plerumque subtrahebat. Severioribus studiis fatigatam mentem jucundioribus relaxabat; Jurisprudentiæ severitatem historiæ jucunditate, philosophiæ austeritatem Musarum amœnitate molliebat. Quidquid veteres philosophi omnium disciplinarum acutè disputarunt, quidquid recentiores superiore sæculo solerter invenerunt, diligenter investigabat; & quum mathematicas disciplinas, ut Xenocrates ajebat, ansas esse philosophiæ animadvertisset, his animum vehementer adjunxit. Geometriam, astronomiam, & quam Mechanicam appellant, ipse per se suopte ingenio, nullo auctore, nullo duce, aut præceptore celerrimè comprehendit. Tantam autem harum rerum scientiam est consequutus, ut elementa geometriæ cum fratribus suis, tum quibusdam amicis explicarit. Adeo omnia habebat in promptu, ut veritatem cujuslibet enunciati geometrici,

nullo sumpto ad cogitandum spatio, perspicuè demonstraret. Postremis vitæ annis, quamvis jamdiu ab his studiis abstractus, tamen studiosissimo equiti contubernali suo dictavit copiosam, ac disertam sphæræ cœlestis explanationem, & siderum, planetarumque motus implicatissimos explicavit.

Non minore curâ, atque animi contentione arripuit eam philosophiæ partem, quæ ad normam rationis hominum actiones, moresque conformat. Nec eam, ut plerique solent, leviter attigit, sed omnes philosophorum disciplinas, quæ ab illo capite, ac fonte Socrate profluxerunt, accuratè pervestigavit. Epicuri disciplinam sordidam, & voluptariam damnabat: Cynicorum sapientiam ferum quiddam, & agreste spirantem repudiabat; a Stoicis tamen viris fortibus, & solâ virtute contentis non valde diffidebat: Aristotelis Ethicam, tamquam humilem, & popularem, & indignam viro sapiente, non admodum probabat. Doctrinam Platonis maximè suspexit; cujus lectione adeo delectabatur, ut pridie, quàm doctor renunciaretur, in evolvendis ejus libris de legibus multas horas impenderit; quo die juvenes in concinnandâ legum interpretatione, quæ postridie memoriter ab ipsis est recitanda, solent esse occupatissimi; sed ipsius excellens ingenium, ac memoria tempus protrahebat, quod aliis videretur esse brevissimum. Platonicos etiam, Mercurium, Alcinoum, Chalcidium, & maximè Plotinum assiduè lectitabat. Pythagoricorum probitatem, prudentiam, sapientiam admirabatur; a quibus non pauca Platonem, pleraque verò in Physicis Aristotelem sumpsisse animadvertebat. Academicis etsi non assentiebatur, eorum tamen acumine, & subtilitate valde delectabatur, & Sextum Empiricum avidè legebat. Hac pulcherrimâ, non tam vitæ, quàm ingenii supellectile comparatâ uberior in dies, & ornatior in dicendo evadebat. Studiosorum conventibus frequens aderat; in quibus ferè semper aliquid recitabat, quod ingenii exercendi causâ elaboraverat. Apathistarum Princeps creatus de rebus gravissimis supra ætatem disseruit; & proposuit, ac solvit perdifficiles, ac perobscuras quæstiones vel a libris Platonis, vel ab ultimâ antiquitate repetitas. Quamobrem quamvis ipse domi lateret inclusus, nec se populo venditaret, tamen ejus ingenii, doctrinæque fama manabat. Itaque Serenissimus Leopoldus Cardinalis Mediceus Pisani Athenæi Patronus, & bonarum artium columen tam excellentis ingenii constanti omnium famâ commotus jam tum ipsi destinavit provinciam publicè profitendi studia humanitatis; qua de re illum jam inde certiorem fecit veritus, ne de curriculo litterarum deflecteret, totumque se dederet jurisprudentiæ. Hac spe erectus animus adolescentis in hæc studia totâ mente, omnique animi impetu incubuit. Postmodum in utroque jure Doctor renunciatus ita se litteris abdidit, ut non ludo, non conviviis, non spectaculis, non amicorum congressibus, non quacumque aliâ honestâ remissione posset avelli. Quum autem perspiceret omnem eruditionem mancam esse sine accessione græcarum litterarum, suo marte nullius præceptis instructus, sex mensium labore linguam græcam edidicit; eamque non paucos do-

cuit

cuit etiam, antequam eam profiteretur. Atque ut eam animo familiariùs affigeret, Sallustium, & Cornelium Celsum græcè vertit. In componendis etiam versibus se exercuit; græcam elegiam in puellæ laudem, ut Amico morem gereret, condidit, quam deinceps latinè vertit. Quum Pisis discedens Florentiam cum fratre commearet, in itinere desiderium amici cultissimis versibus expressit; atque hæ duæ elegiæ, quæ solæ ex græcis supersunt, editæ sunt. Quum Salvinium domi aliquando convenisset, & fortè Platonem sumpsisset in manus, & in fronte libri legisset adscripta nomina multorum, qui se ejus esse dominos adnotaverant, ex tempore fudit argutum hoc distichon, & in calce protinus inscripsit.

Ἡ γέγονεν πολλῶν, ἣν σφῶν κτῆμ' εὔχεται εἶναι,
Οὗτος ἀνὴρ, ὄντως οὐδενὸς ἐςὶ βίβλος.

Adeo autem percrebuerat nomen ejus, ut quum publico decreto exequiarum justa magnificè solvenda essent Claudiæ Augustæ, ac deinceps Leopoldo Cardinali Mediceo, ipsi soli admodum adolescenti munus injunctum fuerit scribendi versus, qui appendi debebant in templo ad memoriam, laudesque defunctorum Principum celebrandas. Eodem ferè tempore scripsit epigrammata, quæ inscripta fuerunt tabulis in celebri D. Mariæ Virginis templo appensis gloriosa D. Philippi Benitii facta repræsentantibus. Multa deinceps vitæ suæ decursu tum epigrammata, tum elogia scripsit, vel ut alicujus præclari funeris exequias cohonestaret; vel ut defunctorum memoriam posteritati commendaret; vel ut sanctissimorum virorum laudes efferret; vel ut Amicis obsequeretur; vel ut mandatis Principum obtemperaret.

Animadverterat plerosque omnes Ptolemæi almagestum attingere non conari reconditâ doctrinâ, & rerum altissimarum obscuritate deterritos; itaque Ptolemæi libros in latinum sermonem vertere constituerat, quòd minùs planè, ac perspicuè a Trapezuntio factum est propter imperitiam astronomiæ, tum autem luculentissimos Theonis commentarios, qui solùm græcè editi fuerunt a Bessarione. Extat in Bibliothecâ Mediceâ optimus, ac singularis codex Theonis; ex quo infinita propemodùm menda, quæ in codices editos irrepserunt, emendari potuissent, & non pauca suppleri; maximè verò quia in codice illo manuscripto extat tertius Theonis liber, qui in editis deest, & suppletur a quodam Nicolao Cabasillâ; item quinctus, ac sextus uterque integer a Pappo Alexandrino additus. Adjicere etiam destinaverat commentarios in finem decimi libri, in librum undecimum, & in principium duodecimi, qui temporis injuriâ perierunt. Ab hoc ingenti, & laborioso opere, quod alacri, & prompto animo fuerat aggressus, abduxit amici cujusdam inanis ostentatio. Fuit hic famâ, doctrinaque celeberrimus Mathematicus, cui Serenissimus Cardinalis Leopoldus quondam dono dederat Theonis commentarios latinè versos a quodam Theophilo Urbinate. Codicem illum, quem singularem putabat, veritus, ne oblivione obrueretur, si Theon tam accuratè latinè redditus, & amplificatus, & illustratus in lucem prodiret,

 amico

amico in Galliam revertenti tradidit, ut eum ederet. Noster Auctor tum amico subiratus, quòd secum parum amicè, ac benevolè egisset, tum maximè ne actum ageret, abstitit ab incœpto. Quocirca nec ipse, magno cum Reipublicæ litterariæ detrimento cœptum opus absolvit; nec Gallus ille acceptum ab amico codicem unquam pervulgavit. Ac si mea apud ipsum valuisset auctoritas, utique cœpta peregisset; nam nec omnes Theonis libros Theophilus vertit, nec admodum feliciter. Erat id temporis in Pisanâ Academiâ græcarum litterarum Professor, atque hæc succisivis operis commentabatur. Anno enim M. DCLXXVI. græcas litteras Pisis cœpit profiteri; quo anno luculentissimam de præstantiâ linguæ græcæ habuit orationem. Eodem anno cœpit explicare Anthologiam; cujus explicationem prosequutus est etiam anno subsequenti; scripsitque Dissertationes octoginta sex. Deinceps Euripidis tragœdias aggressus est explicare, ac postremò Thucydidem; in illum scripsit Dissertationes sex, & viginti, in hunc octo, & quinquaginta. Dicebat autem iisdem verbis, quibus scripserat, in magnâ auditorum frequentiâ tum discipulorum, tum Professorum, tum exterorum, & quum longiores ipsi videbantur, in plures dividebat. Nullus ferè dies erat, quin doctissimus Vir Enricus Norisius cum aliis, qui ad eum audiendum confluebant, aut scholam, aut domum ejus ventitaret. Nam & doctrinam ejus admirabatur, & qualis, quantusque futurus esset, jam tum animo præceperat; quod in suis Cenotaphiis Pisanis testatum reliquit: *Valerius Chimentellius in Pisano Lyceo eloquentiæ Professor insignis*; *cujus modò ibidem vestigia implet V. C. Averanius nitore latini sermonis, ac græcarum literarum peritiâ universæ Academiæ commendatus, ac brevi exteris, posterisque noscendus*. Paucis post annis Principis beneficentiâ ad altiorem gradum evectus humaniores litteras cœpit profiteri; & primum suscepit explicandum Titum Livium, mox Vergilium, ac denique Ciceronem de Oratore. In Livium unam, & triginta, in Vergilium quadragintaquinque, in Ciceronem duas supra nonaginta scripsit Dissertationes. Quotannis in solenni instauratione studiorum ad inflammandos amore sapientiæ animos adolescentium luculentissimam habebat orationem. In his omnes mirabantur vim, ubertatem, copiam, varietatem, eloquentiam oratoris toties eadem de re tam copiosè, tam graviter, tam ornatè, tam splendidè disserentis. Hæc publicè; privatim autem domi linguam græcam docebat; amicis autem, quidquid ab ipso flagitassent, extra ordinem explicabat, & quacumque de re disserebat. Scripsit & etrusco sermone decem dissertationes in quartum Petrarcæ etruscum epigramma; quas in Academiâ Etrusci sermonis moderatrice, ac custode recitavit, eloquentiæ luminibus, & reconditâ doctrinâ refertissimas. Condidit & versus etruscos, non multos quidem, sed concinnos, & elegantes; occasionem enim scribendi versus cum latinos, tum etruscos nec avidè arripiebat, nec oblatam præfractè repudiabat. Poëtis tamen apprime delectabatur; quum solus animi relaxandi gratiâ deambulabat, plerumque poëtarum carmina

mina, quæ memoriâ tenebat, secum ipse recolebat. Quum aliquando convenisset cum amicis ad audiendum quendam oratorem; isque adeo ineptè, insulseque diceret, ut ab aliis sine stomacho, fastidioque audiri non posset; ipse solus attentè, vultuque hilari, & delectationem præseferente orantem auscultare videbatur. Admiratione correptus amicus ejus proximè accessit; & audivit ipsum memoriter recitantem Homeri versus tantâ cum animi voluptate, ut foras in vultu emineret. Etenim quum solus erat, aut legebat aliquid, aut meditabatur, aut secum ipse mussitabat; & quum optimorum poëtarum versus recitabat, mirâ delectatione, ac suavitate perfundebatur; quam quum intus continere non posset, hilaritatem vultu, & gaudium oculis proferebat. Ex poëtis græcis Homerum, & Pindarum, ex Latinis Vergilium, & Tibullum præ ceteris adamavit. Horum carmina in ejus memoriâ penitus insederant; adeo ut si quis quemcumque versum recitasset, continuò cosequentes versus memoriter prosequeretur. Sed jam ingenii dotes, moresque, & vitæ disciplinam perquisitiùs, & accuratiùs exequamur. Ingenio erat acri, & solerti, magnoque, & sedato potiùs, quàm rapido, atque ferventi. Ne otium quidem ejus fuit unquam otiosum; quum affecto corpore, fessoque studiis animo domi desidere cogeretur, suadentibus Medicis, ut ab omni lectione prorsus abstineret, respondit animum suum cogitando magis, quàm legendo defatigari; vix enim umquam non in aliquâ gravi cogitatione defixus hærebat. Avidus erat, & capax omnium bonarum artium, earumque scientiam nullo doctore erat consequutus. Quamvis theologiæ accuratam operam non impendisset, tamen legendis Sanctis Patribus tantam rerum divinarum cognitionem nactus erat, ut cum summis theologis sæpissime de rebus gravissimis acutè disputaret. Nec ejus partis erat ignarus, quam, quòd arcana sit, & intelligentiæ vulgi subducta, mysticam vocant. Medicæ quoque artis, & anatomes non erat imperitus. Hippocratem enim, & Galenum lectitabat, & in altero excellentem doctrinam, in altero singularem eloquentiam admirabatur; Celsum græcè verterat; recentiores quoque scriptores non indiligenter evolverat. Minores quoque artes non neglexit, architecturam, sculpturam, picturam; & quamvis in ipsis non elaborasset, tamen excellentium artificum operibus mirificè delectabatur; & in hisce rebus intelligens erat, & de ipsis rectissimè poterat judicare. Nulla enim erat ars liberalis, & disciplina, quam non attigisset; nihil in his, quod non acri judicio perpenderet; expleverat enim illum doctrinæ orbem, quem Græci encyclopædiam vocant. Multos, qui eum probè noverant, sæpenumero dicere audivi; ipsum in tertiâ oratione, in qua describit sapientiæ formam, sui ipsius exemplar effinxisse. Et si esset in scribendo diliges, numquam tamen silvam rerum, ac sententiarum, antequam scriberet, comparabat; omnia enim erant in animo parata, & expedita; præmeditabatur quid scriberet; quod semel scripserat, numquam mutabat, aut corrigebat. Orationes accuratè, cogitateque, dissertationes, & epistolas promptâ, ac profluente verborum celeritate scribebat; versus

ali-

aliquando etiam fundebat ex tempore. Quum adolescens Salvinium adolescentulum Ciceronis orationes lectitantem offendisset, arrepto libro hosce versus in ejus fronte conscripsit:

Torrentem bibe lacteum suadæ;
Est infans tua lingua? Tullianæ
Uber si bibet elocutionis,
Periclis modo fulminabit ore.

Memoriâ fuit tantâ, ut quum nihil umquam ex scriptoribus, quos legerat, excerpsisset, & adnotasset, tamen veterum Auctorum testimonia, dicta, præcepta, quibus refertæ sunt dissertationes, & orationes, partim memoriter, partim nullo labore quæsita proferret. Quum de re aliquâ scriberet, numquam recentiores scriptores consulebat omnia ad eam rem pertinentia colligentes, & exponentes; sed ex ipsis fontibus hauriebat, & ex antiquis Auctoribus cuncta depromebat. In his enim adeo versatus erat, ut promptissimum ei esset quacumque de re luculenter, & copiosè scribere, & antiquitatis tenebras illustrare, nisi jam doctissimi viri præoccupassent. Quum aliquando in quodam etrusco sermone vetustissimorum temporum rationem, quibus clarissimi viri floruerunt, computare deberet, solâ veterum scriptorum auctoritate nixus, de rebus difficillimis, atque obscurissimis disseruit, & nihil quidquam ex libris, qui chroniei vocantur, excerpsit. Adeo nihil erat tam retrusum, tantaque obscuritate involutum, ad quod explicandum alienæ opis indigeret. Omnia enim legerat, & quæcumque legerat, in thesauro memorię asservabat; unde e re natâ, quidquid lubebat, excuderet; nam quod in eâ semel insedisset, ita hærebat, ut vix umquam excideret. Postremo vitæ suæ anno, quum ætate senescente memoria labat, longissimam elegiam, quam viginti annis ante composuerat, per indiligentiam amissam memoriter de integro scribere aggressus in uno tantùm versu hæsit.

Fuit in eo morum integritas, & innocentia singularis, æquabilis, & constans vitæ ratio uno tenore a puero ad extremum usque tempus usurpata. Nihil non compositum, grave, modestum in vultu: nihil non sedatum, & placidum in oculis: nihil non aptum, & temperatum in incessu, motuque membrorum. Eminebat ex ore severitas hilaritate temperata; sermo rarus, sed facetus, atque concinnus, omnique elegantiâ, & eruditione perfusus. Tranquillus, & intentus cogitatione animus, & amore scientiæ, & cognitionis abstractus ab omni voluptate. Acerrimus in disputando commovebatur aliquando vehementiùs, & excandescebat; sed ubi primus ille impetus deferbuisset, placidè, sedateque colloquebatur. Naturâ enim redundabat in eo bilis, & facilè æstuabat; quò fiebat, ut esset ad iram proclivior; sed eam subitò comprimebat, & animi moderatione, ac virtute temperabat. Constans, & propositi tenax numquam de gradu dejiciebatur; Stoicis addictus neque prosperis rebus efferebatur, neque deprimebatur adversis. Summam curam, ac diligentiam in coërcendis cupiditatibus, & sedandis animi perturbationibus adhibebat tranquillus, placidus, imperturbatus, solâ virtute contentus. Gloriando se numquam efferebat, nec auram popula-

rem

rem affectabat. Vix diuturnis, & quotidianis amicorum precibus, & expostulationibus propositum ejus potuit expugnari, & adduci ad edendum primum orationum librum. Editum nec ad exteras nationes mitti curavit, nec eloquentiæ suæ famam longè, lateque diffundi. Externorum litteratorum amicitias, quæ gloriam conciliant, & auctoritatem, numquam expetivit; nihilo tamen secius multi viri principes, & R. E. Cardinales cum eo amicitiam instituere sollicitè curarunt; quam nec fastiosè contempsit, nec studiosè coluit. Magnâ enim erat apud omnes dignitate, & existimatione non solùm vulgi opinione, sed etiam intelligentium probatissimus: nemo non ejus doctrinam, solidamque virtutem admirabatur constanti omnium sermone celebratas. Rarum id, & prope singulare, præsertim inter cives acris, & plus æquo fastidiosi judicii, & naturâ pronos ad æmulationem. Opes neque contempsit, neque studiosè quæsivit; & quas suo labore pepererat, omnes alienis calamitatibus sublevandis impendit. Si ad rem fuisset attentior, stipendiis, fortunisque auctior suis rationibus commodè prospexisset. Patriæ fuit amantissimus, suique Principis observantissimus. Quum Academiæ Patavinæ Moderatores mortuo doctissimo Ferrario ipsum ad profitendas litteras humanas accivissent, & honorificentissimis stipendiis sollicitassent; ac postmodum Pontifex Maximus Innocentius ejus nominis Undecimus Romam amplissimis præmiis invitasset; nec uberrimis promissis, nec maximâ spe propositâ potuit adduci, ut suo Principi exteros anteponeret. Ad lenitatem propensus hoc dissidio dissidebat a Stoicis, quòd misericordiâ maximè permovebatur, & miseris, & laborantibus, quacumque ope posset, subveniebat. Justitię amans, amantior æquitatis, rigidos, & acerbè severos aversabatur pronus ad ignoscendum cùm mansuetudine, tum facilitate naturæ; & quod ipse sibi non concessisset, aliis facilè indulgebat. Amicitias coluit stabiles, atque constantes; & amicos adeo amavit, ut omnes res præ ipsis postputaret; amicitiam enim conciliabat virtutis opinio. Itaque non contrahebat amicitiam, nisi cum litteratis viris excellenti doctrinâ præditis, aut præclaræ indolis, & summæ expectationis adolescentibus. Familiari amicorum sermone, & dulcissimæ consuetudinis suavitate jucundissimè fruebatur; atque hac unâ remissione fessum studiis animum relaxabat. Dolebat etiam nostrorum temporum calamitatem, quòd omnes conjunctioni sanguinis posthabeant amicitiæ necessitudinem; & facultates suas potiùs propinquis improbis, & immerentibus, quàm optimis, & benemeritis amicis relinquant. Ingratos enim perniciem, pestemque societatis humanæ insectabatur, & ingrati animi vitium adeo detestabatur, ut nihil supra; id malorum omnium fontem esse prædicabat. Quum autem illud Ciceronis teneret: *nullam in amicitiis pestem esse majorem, quàm adulationem, blanditias, assentationem;* ab hoc vitio maximè abhorrebat. Liberè sententiam suam aperiebat: liberè consilium dabat: liberè quacumque de re inter quoslibet judicabat. Numquam ad voluntatem loquebatur: numquam utilitatis causâ cuiquam blandiebatur: numquam assentatione gratiam alicujus aucupabatur. Nihil in eo tectum, aut simulatum: apertus, & candidus animus

mus mentiendi, fingendique, & fallendi ignarus: simplex, & non fucatus sermo: incorruptum, sincerumque judicium. Potentium gratiam non affectabat, ambitionis expers, vitamque solitariam, atque tranquillam præoptans populari, ac turbulentæ. Parcè, continenter, severè, sobriè semper vixit; vini parcissimus semper fuit, eoque prorsus abstinuit ampliùs viginti annos; quo tempore tuendæ valetudinis causâ vinum nunquam gustavit;

Pellebatque sitim simplicis humor aquæ.

Epularum apparatus neque sordidus, & illiberalis, neque splendidus, & delicatus; in vestitu paulo negligentior; ut homo studiis deditus, & in aliquâ semper cogitatione defixus, haud curabat ornatum, & elegantiam. Venereis voluptatibus perpetuò abstinuit; feminas numquam attigit; earum etiam conspectum, congressumque declinabat; domesticum autem usum, & familiaritatem vitabat cane pejus, & angue. Quocirca in amoris contemptum elegiam scripsit elegantissimam, & omnibus numeris absolutam; nec indignam, quæ cum electissimis veterum poëtarum monimentis comparetur. In eâ significat, quibus armis insidias amoris eluderet, nempe studiis litterarum; quibus animum dies noctesque vehementer intendebat. Sanè quum ad studia litterarum curas omnes, cogitationesque convertisset, gravissimis, ac jucundissimis occupationibus semper implicatum animum haud facilè poterant invadere cupiditates; nec ipse altissimarum rerum contemplationi assuetus abjicere se in res humiles, atque contemptas. Perturbationes etiam repente sedabat tum virtus longâ exercitatione corroborata, tum quæ ex cognitione, & scientiâ percipitur, summa jucunditas. Quum enim aut legebat, aut meditabatur, ita a se ipso quodammodo abalienabatur, ut non modò omnium rerum, sed etiam sui ipsius pæne oblivisceretur. Legebat autem, aut meditabatur assiduè; ac tantum temporis, atque operæ in evolvendis veterum libris impenderat, ut nihil ampliùs in legendo novum, aut incognitum, & non ante perspectum occurreret; quemadmodum aliquando communicavit amico suo conjunctissimo, non inani jactatione eruditionis, a qua erat alienissimus, sed in hunc sermonem fortuitò delapsus. Quamvis naturâ robustus esset, & corpore bene compacto, tamen assiduis laboribus, & acerrimâ contentione animi labefactatæ vires morbos frequentes, ac diuturnos magis, quàm graves, ac periculosos attulerunt. Ac primâ statim ætate tam molestâ capitis gravedine, tantaque imbecillitate conflictatus est; ut per annum nec legere quidquam, nec meditari, aut commentari potuerit. Ex hoc morbo numquam perfectè convaluit, neque exinde potuit eadem firmitate animi laboribus sufficere; itaque identidem studia intermittere, & moderato otio, atque honestâ animi remissione vires recreare cogebatur. Tandem Anno MDCCVII. Vere capitis, ac pectoris morbis diu conflictatus bis detracto sanguine, quum non bene cessisset curatio, numquam a morbo valetudinem confirmavit. Infractæ vires, macilentæ malæ, vultus insolitus pallor futuram mortem prænuntiabant. XVIII. Kalend. Septembr. quum in templo sacris cæremoniis interesset, apoplexiâ correptus est; quæ dextram tantùm genam occupavit. Atque hic morbus adeo pertinax fuit, ut

quum

quum omni ope, curaque præstantissimi Medici eniterentur ipsum depellere, nullâ arte, aut curatione levari potuerit. Nihilominus stato tempore Pisas concessit; ubi, quamvis domi se contineret, & tuendæ valetudini curam omnem adhiberet, XIII. Kal. Jan. levem febriculam tussis excitavit; morbusque paulatim pectus invasit, & in dies ingravescens ægrotum brevi in extremum vitæ discrimen adduxit. Ipse verò nihil tale suspicabatur; nam neque prostratæ vires, neque laterum dolor, neque difficilis, aut creber anhelitus, neque cibi fastidium, neque ardor febris mortem portendebant; tamen, antequam imminere periculum vitæ admoneretur, omnis ante actę vitæ culpas expiavit; animumque ab omni labe purgatum ipso natali die Domini Nostri cœlesti cibo pavit, & instauravit. Biduo post admonitus instare mortem iterum omnis culpæ vestigia expiavit, & vitæ æternæ viatico, atque omnibus aliis Ecclesiæ præsidiis, quibus pii, ac religiosi homines se ad extremum illud, ac periculosum discrimen accingunt, tempestivè præmunitus mortem interritus opperiebatur. Interea fide, spe, charitate mentem ad Deum frequenter evehebat, peccatorum veniam deprecabatur; Deum infinitè potentem, infinitè sapientem, infinitè bonum, largitorem bonorum omnium, nostræ salutis auctorem invocabat; ejusque opem, & misericordiam enixis precibus implorabat; & identidem iterabat verba illa solennia ἅγιος ὁ Θεός: ἅγιος ἰσχυρός: ἅγιος ἀθάνατος. His christianæ pietatis officiis occupatum oppressit

Dulcis, & alta quies, placidoque simillima somno

V. Kal. Januar. ad Solis occasum, agentem annum ætatis LXIII. Postero die elatum est cadaver magnâ populi celebritate ad cohonestandum funus convenientibus omnibus Academiæ Professoribus, & studiosâ juventute; maximaque hominum frequentiâ, & multitudine. Tumulatum est in magnificentissimo hujus urbis sepulcreto, quod *Campum Sanctum* vocant, in sepulcro familiæ Pontaderiæ, quod hereditario jure obvenit Clarissimo Equiti Vincentio Aullæ olim discipulo Auctoris amantissimo, & conjunctissimo. Hic proprio Sepulcro condi voluit benevolentissimum præceptorem, ne mors dirimeret arctissimam conjunctionem; quam benevolentia, & studiorum, morumque similitudo devinxerat, ut cum quo conjunctissimè vixerat, cum eo post mortem conquiesceret. Atque ut præceptoris memoriam coleret benevolentiâ sempiternâ, statuam ejus marmoream ibi collocavit, cui subjecit incisum hoc Epitaphium.

D. O. M.

BENEDICTO AVERANIO Florentino, ingenii, doctrinæ, eloquentiæ principi. Qui magnarum rerum, atque artium nihil ignoravit, nihil ab aliis didicit. Nullo doctore doctrinis omnibus instructissimus. In Patriâ græcas litteras adolescentulus ab interitu vindicavit. Latini sermonis integritatem, & Romanæ eloquentiæ majestatem restituit. Etruscæ linguæ splendorem, ac decus attulit. In geometriâ, astronomiâ, & omnium artium optimarum scientiâ planè perfectus. Cunctis philosophorum disciplinis eruditus in altissimam Platonis doctrinam profundâ mente se ingurgitavit. Divini Philosophi sapientiam

non

non tam intelligendi, quàm bene vivendi disciplinâ, & excellentiâ virtutis expressit. Graecas, latinasque litteras XXX. & ampliùs annos professus, summus orator, poëta summus. Pisanam Academiam ingenii luce, & nominis celebritate nobilitavit. Eloquentissimis orationibus, doctissimis praelectionibus, quibus Thucydidem, Euripidem, Anthologiam, Vergilium, Ciceronem, Livium illustravit, ejus dignitatem, & gloriam amplificavit. Eques Vincentius Aulla praeceptori optimo, & Amico incomparabili, quem excepit hereditario sepulcro maestissimus posuit. Obiit V. Kalend. Januar. Anno Salut. MDCCVII. Ætat. LXIII.

Non multo post Amici ejus in templo Divi Fridiani solemnes exequias magnifico apparatu, pompaque celebrarunt. Disertissimam de ejus laudibus orationem habuit Laurentius Giannius Patritius Florentinus studiosus inprimis, & eruditus adolescens. Elogium pro foribus templi appensum composuit eruditissimus, ac doctissimus Antonius Maria Salvinius, quòd hîc subjicere operae pretium esse duxi.

BENEDICTO AVERANIO Viro graecè, latineque doctissimo, summâ animi probitate, summâ sapientiâ, summâ eloquentiâ, qui Romanae facundiae fines stylo verè aureo, ac Augustaei illius aevi unicè amplificavit. In litteraturâ, geometriâ, philosophiâ sui ipsius discipulo, & magistro. Miro in litteras, & promovendi studia litterarum amore flagranti. Illibatâ vitâ, moribus antiquis, integerrimisque Amico incomparabili. Pisani Athenaei, in quo supra triginta annos mirifico omnium plausu eloquentiam, latinas, & graecas litteras professus est lumini eximio, & ornamento singulari Collegae, atque Amici Hominis eloquentiâ repente, & suavissimâ consuetudine orbati maestissimi parentant.

Funebris elegia, quam populo distribuerunt, edita est post Auctoris carmina. Subsequenti Autumno in Academiâ Etruscae linguae elegantissimam, & ornatissimam laudationem funebrem dixit idem Antonius Maria Salvinius; quae inter alias ejus Orationes, ac Dissertationes in eodem Conventu recitatas edita est. Multis quoque carminibus defuncti Academici laudes celebratae fuerunt ad recolendam nominis memoriam, litterisque consignandam. Atque ut eam aeternitati commendarent, ipsius Effigiem inter illustrium Academicorum imagines publicè expositam collocarunt. Conventus quoque Arcadum famae celebritate notissimus Romae ad memoriam immortalitatis insigne monimentum decrevit. Ad extremum Serenissimus Ferdinandus Etruriae Princeps ejus Imaginem excellentis pictoris manu depictam in splendidissimo Musaeo Mediceo inter viros in omni memoriâ celebratissimos ponendam mandavit.

BENE-

EPITOME
OMNIUM DISSERTATIONUM.

DISSERTATIO I.

Præfatio in Anthologiam.

CArmina floribus comparantur, & poëtæ apibus. Anthologia quasi *florilegium* dicitur; eam verò collegit Maximus Planudes. Pleræque librorum inscriptiones fallunt. Verborum studium puerile. Grammaticos poëta ἀκανθοβάτας, & ἀκανθολόγους, hoc est *incedentes per spinas, easque colligentes* appellat.

DISSERTATIO II.

In Epigramma I. Libri I Anthologiæ de Sacris Græcorum certaminibus.

DISSERTATIO PRIMA.

De Ludis Olympicis.

GRæcia Hellas dicitur ab Hellene; antiquitus autem Phthiotis dumtaxat sic nuncupabatur; hinc Homerus nunquam Græcos universos Hellenas appellat. Juppiter Ζὴν, & Ζεὺς dicitur ἀπὸ τῦ ζῆν scilicet *a vivendo*. Coronam victorum in Olympicis ludis alii ex oleastro, alii ex oleâ fuisse tradunt. An sacra certamina bello, aut aliter Reipublicæ utilia essent.

DISSERTATIO III.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO SECUNDA.

De Ludis Pythiis.

PYthium oraculum unde nuncupatum sit. Pythonem tyrannum fuisse, non serpentem ferunt. Pythios ludos a Diomede institutos Cælius Rhodiginus putat; alii sexcentis annis post bellum Trojanum, alii ab Apolline, alii a Phocensibus inventos tradunt; corona autem ex malo conficiebatur; ex lauro verò juxta alios.

DISSERTATIO IV.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO TERTIA.

De Ludis Isthmiis.

CLemens Alexandrinus in Olympicis ludis Pelopem, Pythonem in Pythiis coli putat; tamen in honorem Jovis, & Apollinis primùm fuit instituti. Pausanias testatur Isthmia, ex quo instituta fuerunt, nunquam esse intermissa, ne tum quidem, quum a Romanis excisa est Corinthus; licet Solinus regnante Cypselo tradat fuisse intermissa. Isthmios ludos alii tradunt instituisse Sisyphum in honorem Palæmonis, alii Theseum in honorem Neptuni.

DISSERTATIO V.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO QUARTA.

Eodem super Argumento.

APollonii Scholiastes scribit Isthmios ludos in honorem Neptuni institutos initio fuisse, & postea Manibus Melicertæ sacratos; sed hoc falsum evincitur; verius est igitur Neptuno, & Palæmoni sacros esse; sic enim & alii omnes ludi Dei cultum cum hominis honoribus conjunxerunt. Isthmiades tres annos continere probatur Pindari auctoritate; licet Solinus quinquennales fuisse tradat; anniversarios autem ludos vocet Suidas. Coronam Isthmiorum plerique ex pinu fuisse prodiderunt,

runt, aliqui tamen ex apio arido. Corona obsidionalis, & civica ex qua re confecta esset, & quibus daretur. Amasis, quum Partamidi Ægyptiorum Regi roseam coronam donasset, ipse Rex evasit.

DISSERTATIO VI.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO QUINTA.

De Ludis Nemeais.

FAbulis proditum est esse in Lunâ Selenitidas mulieres, quæ pariant ova; ex quibus nascantur homines quindecuplo majores terrestribus; & sic natam esse Helenam; leonemque Nemeæum e Lunâ cecidisse; quæ fabula ex eorum manavit opinione philosophorum, qui stellam esse Terram Lunæ persimilem volunt. Lemniæ mulieres conspirarunt, ut omnem sexum virilem tollerent; & Reginam Hypsipylen, quòd patrem Thoantem servasset, in exilium ejecerunt. Nemeadas aliqui ab Hercule tradunt institutas; plures tamen ab Argivis ad bellum Thebanum proficiscentibus. Corona erat ex apio viridi; quamquam Pindari Scholiastes oleâ coronari solitos tradat victores ante Medorum in Græciam adventum. Omnia certamina in Nemeæis committebantur; Pausanias tamen nullum nisi armatorum cursorum certamen agnoscere videtur. Nemeæa celebrari hieme Pausanias tradit; Interpres autem Pindari mense Panemo; quem Suidas & Rufinus esse Julium putant; alii verò Boëdromionem Atticorum; quem Theodorus Gaza esse Augustum docet; hunc autem Ἱερομηνίαν hoc est *sacrum mensem* appellari quidam volunt; alii diem dumtaxat celebritatis. Quot sumptuum esset Hippotrophia. Bucephalus Alexandri sedecim talentis constitit, & equus Sejanus centum sestertiûm millibus. Lacones, quorum res perditas volebant, equos alere optabant. Circensibus equis ætate confectis alimenta sunt publicè ab Imperatoribus constituta. Psammis dixit fieri non posse, quin cives civium gloriæ magis faverent, quàm exterorum. Pythagoras ex longitudine stadii Olympici staturam Herculis deprehendit. Certamina sacra in eo utilia erant Reipublicæ, quod ita fiebat, ut unius urbis cives Græci sibi quodammodo viderentur; sed labante paulatim disciplinâ nimium ludorum studium res funditus perdidit.

DISSERTATIO VII.

In Epigramma II. Libri I. Anthologiæ de Herculis, & Antæi Luctâ.

DISSERTATIO PRIMA.

IMmanes a poëtis finguntur filii Neptuni, Jovis verò benefici. Poëtæ ferunt Heben juventutis Deam Diis ad pocula ministrare, quia nunquam illi consenescant. Ætas triginta est annorum spatium; quare Nestor tres ætates vixisse fertur, quum nonaginta natus esset annos; alii tamen septem annorum intervallum ætatem vocant; Plutarchus verò annum, & sic Hesiodi carmen de ætatibus animalium interpretatur. Antæum fuisse cubitorum sexaginta Plutarchus tradit, Strabo verò ejus tibiam. Herculem duabus noctibus, alii tribus genitum ferunt. Plures Hercules fuerunt, & gesta ab omnibus Herculi Thebano tribuunt Græci; falsum itaque est ipsum Geryonis boves in Italiam egisse, quidquid Virgilius, & Propertius dicant. Insula, ex qua Hercules Geryonis armentum abduxit, Erythea dicitur, non, ut quidam legunt, Erythrea. Purpuram invenit Hercules Tyrius, quum os canis lanâ abstersisset, qui concham comederat; & Phœnici Tyri Regi dono dedit; inde institutum, ut Reges purpurâ induerentur. Herculem alii latronis, alii ducis invicti, alii famuli, alii Regis, alii hominis voluptati dediti, alii philosophi, alii rhetoris specie Orbem terrarum peragrantem inducunt.

DISSERTATIO VIII.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO SECUNDA.

MIlo Crotoniensis, quum Titormum pastorem deprehendisset se robustiorem, exclamavit: hic est Hercules alter; quod proverbii loco usurpatur. Hercules hominum vitia sapientiâ compressit, & eloquentiâ tyrannos immanes mollivit; ideo monstra domuisse dicitur; ejus autem sapientiam, & eloquentiam significat Herculis Gallici imago ætate senili, cujus ex ore aureæ catenulæ prodirent, quæ in aures hominum insertæ eos devinciebant. Tria mala tenere Hercules fingitur, quæ significant tres animi virtutes. Hydra fuit mulier, quæ sophisticam artem profitebatur. Idæi Dactyli principes fuerunt divina intelligendi; idcirco Jovis altores extitisse dicuntur; inter eos recensetur Hercules; quamquam aliter tradat Apollonii Scholiastes. Suppetias Jovi contra gigantes tulisse fertur Hercules; quia Deorum religionem

gionem gentibus impiis persuasit. Herculem alii Stoicum, Epicureum alii faciunt.

DISSERTATIO IX.

In idem Epigramma.

Dissertatio Tertia.

Extitit quispiam voluptatibus deditus, qui sibi nomen Herculis vindicavit; sed alii, qui sibi virtute hoc nomen quæsiverunt, vitiis caruerunt. Perperam Cedrenus Ægyptium Herculem cum Thebano unum esse tradit; quum Ægyptius tot sæculis ante natus sit, quàm Thebæ conderentur. Ceterùm Hercules idem est, ac Mars, & Sol; & nihil aliud significat, quàm *aëris decus*. Nonnulla de sacrificiis Herculis.

DISSERTATIO X.

In Epigramma III. & IV. Libri I.

Dissertatio Unica.

De Perseo, & de Spectaculis.

Galea ἄϊδος, quam Mercurius Perseo tradidit, dicta est *a non videndo*, quòd qui eam gestaret, conspici non posset; non autem, ut nonnulli interpretati sunt, ab Orco. Plurima Persei facinora. Tarsus urbs dicta est a planta pedis, & a Perseo condita; fed alii a Sardanapalo, alii ab Hercule, alii ab Argivis ædificatam ferunt. Aliqui unjus diei spectaculum, alii ludos, in quibus cicures, & exarmatæ feræ dumtaxat certent, μονημέριον interpretantur. Populus misericordiâ motus elephantorum, qui in spectaculo fortunam suam complorare videbantur, Pompejo diras imprecatus est. Calefieri, & cernere nihil aliud est, quàm lucis radiis feriri. Quomodo in corporibus opacis, & frigidis tanta via caloris, & lucis delitescat. Niobes filii septem, totidemque filiæ ab Apolline, & Dianâ interfecti dicuntur, quia morbo interierunt; ipsam verò in lapidem conversam fabulæ ferunt, quia effigiem suam e lapide sepulcro eorum imposuit. Lunæ, Solisque similitudo maxima, quum & maculæ nuper in Sole sint deprehensæ. Quare Apollo, & Diana venatores fingantur. Lucanorum lege puniebatur, qui noctu hospitem non recepisset. Juppiter Romanos in somnis monuit, ut panes in hostes jactarent; ideo Jovi Pistori aram dedicarunt. Plurima sunt Jovis nomina; nullum tamen illi magis convenit, quàm *Milichii*; immensa est enim illius clementia; quam oporteret Principes imitari. Titus deliciæ generis humani Pontificatum Maximum se accipere professus est, ut nullius cæde se contaminaret. Caligula optabat, ut populus Romanus unam cervicem haberet, ut uno ictu posset omnes trucidare.

DISSERTATIO XI.

In Epigramma V. Libri I. de Nicophonte pugili.

Dissertatio Prior.

De Pugilibus, & Athletis.

Atlas Sphæram invenit, & astrologiam; ideo in montem conversus fingitur; ita pariter Prometheus, quia Solis naturam est contemplatus, Caucaso dicitur affixus, & Endymion perpetuo somno consopitus; quia Lunæ naturam detexit. De comarum, & barbæ majestate, & religione. Proverbium, *parturiit mons, Juppiter autem timuit; ille verò murem peperit*, unde originem ducat.

DISSERTATIO XII.

In idem Epigramma.

Dissertatio Posterior.

De Cæstibus, & victu Athletarum.

Qui primi dimicarunt, fustibus contendebant. Pugil adeo deformatus erat, ut non agnitus a fratre paternis bonis fuerit privatus. Pythagoram Italicæ philosophiæ principem instituisse, ut athletæ carnem comederent, & librum de athletico victu conscripsisse tradit Phavorinus; sed Jamblichus, & Plinius id Pythagoræ illius auditori tribuunt; Dromeo autem Pausan as. Athletarum victum tanquam valetudini perniciosum Medici improbant, damnantque eorum pravos mores.

DISSERTATIO XIII.

In Anthologiæ X. Epigramma Libri I. De Uvâ acerbâ a viatore projectâ.

Dissertatio Prior.

De Vino.

Lycurgus Thraciæ Rex, quum vites succideret, sibi tibias amputavit. Vinum dici οἶνον ab Oeneo Nicander tradit; Plato autem, eo quod arroganti quadam opinione impleat mentem. Comœdia, & tragœdia vindemiæ tempore repertæ sunt. Bacchus in somnio Lysandrum admonuit, ut

Sophoclem suas delicias sepelirer. Bacchus, seu vinum, sicut etiam ira, & amor, poëticam facultatem promovent.

DISSERTATIO XIV.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO POSTERIOR.

Moderatus vini usus laudabilis; immoderatus reprehendendus.

ZEno rigidæ virtutis homo vino lenissimus omnium fiebat; ideo lupinis se comparabat; hac de causa etiam Cato vino indulgebat; immerito itaque a Cæsare reprehenditur. Seneca ait nonnunquam & usque ad ebrietatem veniendum. Multi vino prorsus abstinuerunt. Amphictyon primus vinum aquâ diluit; ideo ipsi ara dicata est. Socrates licet plurimum biberet, nunquam tamen ebrius conspiciebatur. Xenocrates philosophus in certamine bibendi victor extitit.

DISSERTATIO XV.

In Epigramma CXXIX. Libri I. Anthologiæ

DISSERTATIO UNICA.

Perniciosæ sunt mulieres.

COnjugium gravissimum esse fassus est Metellus etiam in oratione, qua matrimonia persuadebat. Bias ducendam non esse uxorem probabat, quum diceret: *si pulchram habueris, communem habebis; si turpem, pœnam*. Quæ sit forma ista, & uxoria. Euripides optabat, ut fine mulierum operâ homines procrearentur. Plato senex sacris quibusdam naturam placavit, quòd cœlebs vixisset. Aquila depascitur Promethei jecur, quia ipse sit providentia, quæ curis animum conficit. Pythagoras vetabat cor comedere, hoc est, animum curis macerare. Anulorum, & coronarum usus Prometheo debetur. Vetus est dictum: *insuperabilem exercitum fore, qui ex amatis, & amantibus constaret*. Milo Crotoniensis quum duobus digitis malum detineret, validissimi viri illud ei extorquere non potuerunt; quum autem idem puella, quam deperibat, eripere niteretur, retinere non potuit. Livius Drusus interrogatus, cur uxorem dimisisset, ostendit calceos, & aptos ad pedem videri affirmavit; & tamen, ubi se premerent, nemini apparere. Pythagoras utendum venere censebat, quum quis imbecillior esse vellet. Ætatis anno trigesimoquinto corporis vires augeri desinunt; ideo athletæ, si tunc nondum fuerant victoriam consequuti, desistebant. Intemperantia in adolescentiâ plurimos morbos affert. Ideo fabulæ ferunt Jovem e Cœlo Junonem dejecisse, & ex ea duas incudes suspendisse; quia Juppiter sit Æther, & Juno Aër; incudes autem significant terram, & aquam, quibus aër incumbit. Cambyses, quum audisset Ægyptias mulieres in venereo congressu excellere, missis legatis ab Amasi filiam ejus petivit. Poëtæ finxerunt Martem a Junone sine viri operâ esse procreatum; quia solæ mulieres plerumque afferant causas bellorum, & discordiarum. Quot bellorum causæ fuerint mulieres, & quot vires perdiderint.

DISSERTATIO XVI.

In Epigramma LXIX. Libri I. de Pylade Saltatore.

DISSERTATIO PRIMA.

De Pantomimis, & Saltatione.

COelum cur Olympus dicatur. Montes plurimi Olympi vocantur Pantomimi appellantur, quòd omnia imitentur. Barbarus quidam Legatus ad Neronem, petiit ab eo, ut sibi saltatorem daret, ut per eum Barbaris finitimis, qui fuæ gentis linguam non intelligerent, quæ vellet, significaret. Demetrius Cynicus, quum hanc artem semper contempsisset, tandem rogatus Pantomimum saltantem spectavit, & exclamavit: *audio, homo, quæ exprimis, non solùm video, planeque mihi videris manibus loqui*; & Lesbonax Pantomimos manibus Sapientes appellavit. Suidas emendandus est, dum Sicinnin tragicam esse saltationem dicit; quum sit satyrica. Casaubonus ita interpretatur Athenæum, ut Aristonicum de Saltatione Italicâ librum conscripsisse dicat; verùm Suidas apertè docet Pyladem hujusmodi librum edidisse. Errat Interpres Athenæi, qui vertit saltationem tragicam Athenæi tempore inolevisse. Casaubonus meritò refellit Lipsium, qui auctoritate Suidæ Augustum Italicæ saltationis inventorem facit; quum Pyladem illius auctorem fuisse ex ipso etiam Suidâ probetur.

DISSERTATIO XVII.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO SECUNDA.

De Origine Saltationis.

SPhæræ lusum invenisse Nausicaam Agallis Corcyræa tradit, alii Sicyonios, alii Lacedæmonios. Saltationis inventricem

Erato

Erato quidem faciunt; quidam verò hanc artem sic incepisse prodiderunt; quum Hiero cives inter se loqui prohiberet, cœperunt illi gestu, nutuque, & corporis motu significare, quæ vellent. Dabantur saltationes quædam sine saltu; & Pantomimi historias omnes, & fabulas repræsentabant. Roscius librum conscripsit, quo histrionem cum oratore comparabat. Varia Ægyptiorum hieroglyphica. Saltationem didicit Pythagoras, ut animum temperaret.

DISSERTATIO XVIII.

In idem Epigramma.

Dissertatio Tertia.

Græci Saltationis studium laudabant; improbabant Romani nimium studium.

APpio Claudio triumphali viro gloriæ fuit, quòd optimè saltitaret. Saltatores antiquitus appellabantur cynædi. Domitianus quæstorium virum senatu movit, quòd saltandi esset apprime studiosus. Epaminondas laudatur, quòd commodè saltaret. Orbium cœlestium motus quædam saltatio dicenda est. Dii sunt mentes, quæ cœlestes orbes contorquent.

DISSERTATIO XIX.

In Antipatri Epigramma Libri IV. Anthologiæ in Effigies Deorum, & Dearum. De Apellis Venere natâ recens e mari.

Dissertatio Prior.

De Venere, & Amore.

ANtipater poëta quotannis natali die febri laborabat. Plures fuerunt Veneres. Paris orationem composuit, in qua voluptates potentiæ, & sapientiæ antepofuit; inde fabula de ejus judicio fluxit. Poëtæ immites e mari natos faciunt; & Græci quum stolidum significare volunt, piscem appellant; ideo & Venerem e mari natam fingunt, quia immitis est, & stultitiæ mater.

DISSERTATIO XX.

In Antipatri Epigramma. De Apellis Venere e mari emergente.

Dissertatio Posterior.

Amor omnium auctor.

VEnus e Mari nata esse fertur, quia ex humido omnia constantur; quæ sententia nequaquam discrepat ab eorum opinione, qui putant Amorem e Chao genitum; quum Chaos idem sit, ac humida natura. Fabula de pudendis Cœli a Saturno exectis, & in Mare projectis quid significet.

DISSERTATIO XXI.

In Anthologiam Præfatio dicta, quum anno secunda Epigrammata Græca pergeret explicare.

ANthologiæ explicatio maximè utilis est, quia omnium rerum varietate abundat.

DISSERTATIO XXII.

In Anthologiæ Epigramma Libri I. in Misericordiam. De Bove aratore Jovi immolando.

Dissertatio Prior.

ANimalia etiam aliquâ commiseratione digna sunt, quorum pleraque homines dilexerunt. Boves præsertim aratores immolandi non essent. Pythagoras nihil Diis animatum sacrificasse fertur; alii tamen tradunt solùm gallos gallinaceos, hædos, & lactentia animalia mactari permisisse; Aristoxenus verò solum a bove aratore abstinendum præcepisse. Inverisimile est, quod Pythagoras, quum quid geometricum reperisset, bovem, aut Hecatomben mactaverit. Quidam a populo Romano damnatus fuit, quòd, ut concubino gratificaretur, bovem occidisset. Defenditur Virgilius, dum inducit Æneam mactantem Jovi taurum, contra Evangelum apud Macrobium; & ostenditur Boves Jovi mactari; hinc recensentur, quæ animalia Jovi sacrificarentur, & quæ non sacrificarentur; ex quo affirmatur mitiora animalia Diis gratiora fuisse. quidquid Julius Capitolinus tradat de Hecatombe Imperatorum Romanorum. Quod poëtæ unum pro alio accipiant; veluti flumen pro alio flumine, fratrem pro fratre, & feram pro aliâ ferâ.

DISSERTATIO XXIII.

In idem Anthologiæ Epigramma.

Dissertatio Posterior.

DE supplicibus, & præcipuè confugientibus ad aras, & templa Deorum, quos violare impium habebatur, & propter hujusmodi scelus Sybaris excisa ferebatur. De aliquibus animalibus, quæ Veteres non immolabant, & nullatenus occidebant, quòd eorum speciem aliquando Dii induissent

se dicerentur. Syri piscibus abstinebant, quia Venus pisce dicitur latuisse; vel quia, ut Bassus refert, Phacetis filia Veneris in piscem fuerit mutata; alii aliam causam afferunt. Cornelius Tacitus putat Judæos arietem immolasse in contemptum Jovis Hammonis. Juppiter fertur in taurum mutatus Europam rapuisse, quia navis, qua vecta est, Taurus vocaretur; & idem dicendum de Ariete, qui vexit Hellen, de Vaccâ, in quam mutata est Io, & de Aquilâ, quæ rapuit Ganymedem; mos enim erat naves ab animalibus denominare; quod multis exemplis ostenditur. Quod Cœlum sit idem, ac Juppiter, qui propterea meritò dicitur Cœlestis præter alios Deos.

DISSERTATIO XXIV.

In Epigramma Philippi Libri I. in Arbores. De lauro natâ ex arâ Cæsaris.

DISSERTATIO PRIOR.

IMperatores aris, templisque, & divinis honoribus viventes, & defuncti colebantur; nec solum ipsis, sed etiam eorum actis aræ, & templa constituebantur. Quinam Imperatores elephantis usi sint in triumphis. Falsò Tiraquellus Gordianum elephantis triumphasse refert; nam occisus a Philippo triumphum agere non potuit De consecratione Imperatorum, qui Successorem reliquerant, quæ Apotheosis dicebatur.

DISSERTATIO XXV.

In idem Anthologiæ Epigramma.

DISSERTATIO POSTERIOR.

BOni Principes debent maximam adhibere curam, ut soboles propagetur; quamobrem Augustus, & alii Principes multa privilegia maritis concesserunt, & illis, qui plures filios procreassent; hinc jus trium, vel quatuor Liberorum, & jus maritorum; quidam verò Viri principes, & populi cælibes puniebant.

DISSFRTATIO XXVI.

In Epigramma Apollonidæ ex Libro I. in Aves. De Ostento Tiberii Cæsaris.

DISSERTATIO UNICA.

TIberius offensus uxoris impudicitiâ invito Augusto vitrico, & matre Liviâ Rhodum concessit; & post annos octo impensissimis Liviæ matris precibus reditum impetravit. De Insulâ Rhodo, & quare sacra Soli feratur. Alia aliis locis animalia gignuntur. Ursos in Africâ non generari Plinius falsò affirmat. De aquilis, quòd nunquam in Rhodo Insulâ conspectæ fuerint, & quòd fausta auguria portenderent; & ideo essent signa exercituum apud multas gentes, & unde id originem duxerit. Romani Imperatores Joves a poëtis appellabantur.

DISSERTATIO XXVII.

In Epigramma Antipatri de Ajace ex Libro III. Anthologiæ in Heroas.

DISSERTATIO PRIOR.

DE Ajace. De Sordidatis. De more tondendi crines ad sepulcra, qui duxit originem ex commento poëtarum, qui fabulantur Proserpinam morituris crinem abscindere; hinc refellitur Petri Victorii interpretatio Euripidis in Oreste.

DISSERTATIO XXVIII.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO POSTERIOR.

INgenium, & prudentia viribus præferenda sunt etiam in bello; quod Sallustii, & Homeri auctoritate confirmatur, contra sententiam omnium ferè poëtarum improbantium Græcorum judicium, qui arma Achillis non Ajaci fortissimo, sed Ulyssi sapientissimo adjudicarunt.

DISSERTATIO XXIX.

In Epigramma Germanici Cæsaris de Themistocle ex Libro III. in Fortes.

DISSERTATIO PRIMA.

DE magnis Viris, qui sepulcro caruerunt. De Germanico, qui Augusti jussu a Tiberio adoptatus fuit; & deinde ab eodem veneno sublatus, ministerio Pisonis, quem licet acerbissimum inimicum in tempestate servaverat. Refellitur Petrus Crinitus, qui putat Quintilianum collocare Germanicum inter epicos poëtas, & multis rationibus ostenditur Quintilianum loqui de Domitiano, qui in adolescentiâ poëticæ studium simulavit; & hujus cognominis maximè cupidus fuit; & ideo passim a poëtis Germanicus vocabatur. De voce δόρυ, & aliis verbis. De utraque Salamine.

§§§§§§§

DIS-

DISSERTATIO XXX.

In idem Epigramma.

Dissertatio Secunda.

Themistocles vitiis in adolescentiâ laboravit; tamen Plutarchus falsum putat, quod a patre exheredatus fuerit; deinde verò adeo gloriæ cupidus fuit, ut noctu somnum capere non posset, quum, ut ipse dicebat, Miltiadis tropheo excitaretur; qua cupiditate ductus victoriam ad Salamina strategemate usus consequutus est contra Xerxem, qui ad ostentandam potentiam navibus terram pertransivit, & pedibus maria peragravit; & quum innumerabiles copias coëgisset, quomodo eas numeraverit; quas alii quinquagies centena millia fuisse tradunt; decies septies Herodotus, Justinus decies millia; undecies Cornelius Nepos. Navium autem decem millia enumerat Justinus; Cornelius verò Nepos mille, & ducentas longas naves, & duo millia onerariarum. De pluribus inscriptionibus sepulcrorum, scilicet Ennii, Africani, Virginii Rufi, Nævii, Plauti, & Sardanapali.

DISSERTATIO XXXI.

In idem Epigramma.

Dissertatio Tertia.

De Sepulcrorum magnificentiâ. De Epulis, quæ dono afferebantur defunctis. Opinio Festi de Silicernio approbatur, & reprobatur Nonii Marcelli opinio. De Religione Veterum, ne funebres cæremoniæ cum Deorum cultu miscerentur.

DISSERTATIO XXXII.

In idem Epigramma.

Dissertatio Quarta.

Cur Sepulcris afferrentur sanguis, lac, mel, vinum, & flores, & cupressus imponerentur; tum de aliis, quæ sepulcris imponebantur, veluti de columnis, statuis, Hermis, vasis ad excipiendas lacrymas, de Lucernis, quarum lumen nunquam deficere falsò credidit Licetus, & de unguentis, & auro, quæ cum cadavere condebantur. De Nummo, qui in os mortuorum conjiciebatur, ut naulum Charonti persolverent.

DISSERTATIO XXXIII.

In Epigramma ex Libro II. Anthologiæ in convivalibus Jocis.

Dissertatio Prima.

Plutus Deus divitiarum fingitur cæcus, & claudus, quòd opes indignis largiatur; dignos autem prætereat. De Asiâ, & ejus magnitudine, qua Europam, & Africam simul superat. Pollinctor quid sit. Quantum capiat, & pendat Cotyla mensuræ genus. Poëtæ, & vulgus ad hilaritatem se se invitabant ob vitæ brevitatem; adeout in conviviis larva, aut cadaver circumferretur; quum tamen ea nos excitare deberet ad immortalitatem animi spectandam ex Aristotelis sententiâ juxta interpretationem Ciceronis, non Sallustii. De divitiis Regum Lydorum, & Persarum, & de statuis aureis, & argenteis, quas præter aliam vim ingentem auri, & argenti Gyges, & Crœsus in templo Apollinis Delphici dedicarunt.

DISSERTATIO XXXIV.

In idem Epigramma.

Dissertatio Secunda.

De Unguentis.

Quo tempore, & a quibus unguenta reperta fuerint, quum Homerus nomen ignoraret. Initio quidem valetudinis gratiâ utebantur unguentis Veteres; postmodum autem voluptatis causâ in conviviis; adeout vinum unguento permixtum biberent, & coronas perfunderent; unguentorum etiam maximus usus erat in balneis, & in funeribus. Quantum conferat ad valetudinem oleum.

DISSERTATIO XXXV.

In idem Epigramma.

Dissertatio Tertia.

De Coronis.

Coronas in conviviis adhibere ceperunt Veteres ad minuendos capitis dolores, qui intemperantius bibentibus oborirentur; Æschylus tamen narrat a Prometheo usum fluxisse coronarum. Verisimilior autem hujusmodi usus ea est origo, quòd corona plenitudinem quandam, perfectionemque significat; ideo antiquitus sacrificabant coronati; quum autem Veteres nunquam

quam carnes comederent, aut vinum biberent, nisi ea Diis priùs sacrificassent, atque libassent, ex quo factum, ut carnes & animalia *ἱερεῖα* dicerentur, quæ vox sacrificium sonat; & quòd execrabilis haberetur, qui carnes animalium, quæ non sacrificasset, ederet; unde manavit proverbium de Impio; *carnes edit non sacrificatas*; mansit itaque mos cor nandi se, etiam postquam convivia a sacrificiis sepa ari ceperunt. Coronas autem initio Veteres ex lanâ conficiebant, alii ex arundine, alii ex vimine, alii ex fæno; postea verò ex flo.ibus, & præcipuè ex rosis contexi solebant; aureæ etiam coronæ in usu fuerunt; Bacchus tamen medicinæ peritus censetur; quia ex hederâ coronam primus invenerit.

DISSERTATIO XXXVI.

In Ip gramma XXII. Libri I. Anthologiæ de Mysteriis Cereris Eleusiniæ.

Dissertatio Prima.

DE significatione vocis *σκίπων* latinè *Scipio*; unde Cornelius appellatus est Scipio, quòd parentem cæcum scipionis vice regeret. Athenæus *τέλος* vult esse *sacrificium*; sed ab eo dissentit Casaubonus, qui *sumptum* significare tradit. De vocibus *τελετὴ*, *ἥλιος*, & quæ ab hac derivantur; veluti, Heliades, heliæa, heliasticon, heliocaminus; & unde mysteria dicta sint. Ceres est e dem, ac Luna, seu Terra, inter quas maxima est similitudo; nam utraque tenebrosa est, & lumen a Sole mutuatur, & illum Luna in Terram regerit, & vicissim Terra refundit in Lunam; & sicut Terra, ita pariter & Luna montes habet. Ceres itaque eadem est, ac Terra; ideo Cereris Eleusiniæ sacra occulta, & nocturna erant, quum Terra maximè tenebrosa sit. Lunæ numine juxta Stoicos omnes Deæ continentur; quemadmodum etiam Solis numine omnes Dii.

DISSERTATIO XXXVII.

In idem Epigramma.

Dissertatio Secunda.

VUlcanus in insulâ Lemno arcania quibusdam sacris colebatur, quia est hic ignis terrestris, non ille cœlestis, qui maximè occultus est; nam magna vis ignium in Terræ visceribus latet, & nulla est res tam frigida, aut obscura, in qua ignis non occultetur; itaut Stoici, & Cicero velint esse Mundi animum, quo nihil occultius; & olim futurum tempus, quo Mundus incendatur; & Cleanthes affirmarit Deos omnes præter ignem esse mortales; Heraclitus verò omnia ex igne constare. Significatio fabulæ, qua dicitur Vulcanus a Jove in terram dejectus crus infregisse.

DISSERTATIO XXXVIII.

De Sacris Cereris Eleusiniæ.

Dissertatio Tertia.

DIi Samothraces colebantur occultis sacris, quia terrestres erant; & quibus nominibus appellarentur. Bona Dea, & Vesta idem numen habebatur, ac Terra; adeo ut Plotinus Vestam esse animam Telluris tradat; idcirco ipsis arcana sacra fiebant, a quibus arcebantur profani; neque mares interesse poterant Bonæ Deæ sacris, alioquin oculorum lumen amittebant. Cereris arcana qui vulgasset, detestabilis habebatur, quamobrem Æschylus quum imprudens ea aperuisset, parum abfuit, quin capitis damnaretur; & Numenius philosophus, & Pausanias somniis deterriti sunt, ne ea vulgarent. Sacrificabatur Porcus Cereri Eleusiniæ, Telluri, Bonæ Deæ, & Majæ. An vestem, in qua initiabantur, in templo dedicarent; & quare proverbium haberetur: *vestis initiatorum*, quod usurpatur de veste maximè lacerâ.

DISSERTATIO XXXIX.

In idem Epigramma.

Dissertatio Quarta.

SAcra Ce eris Eleusiniæ quàm simillima e ant Isidis Ægyptiæ sacris; quum utraque occulta essent, & occultissimæ res philosophiæ exprimerentur; & qui ipsis operabantur venere abstinebant; quare mulieres in sacris Cereris agnum herbam dormituræ substernebant, quòd ea libidinis ardorem extinguere existimatur; & sicut cum Cerere conjunctus credebatur mysticus Jacchus; sic in sacris Ægyptiæ Isidis colebatur Osiris, qui est idem, ac Bacchus. Eupolis mordacissimum carmen composuit, quod Baptas a sacerdotibus Cotyttus Deæ impudentiæ nuncupavit. Veteres existimabat initiatos nihil a Diis petere, quod non consequerentur; & post mortem honoratiorem locum apud Inferos obtinere; quod etiam Plato affirmat, verùm intelligit de initiatis in philosophiâ. Error Scaligeri detegitur, qui putavit mysteria quinto quoque anno celebrari. Quinque partes, seu gradus mysteriorum erant; quorum singulorum nomina recensentur.

DIS-

DISSERTATIO XL.

In Epigramma ex Libro III. Anthologiæ in Viros non insignes.

DISSERTATIO UNICA.

QUi philosophi lascivos versus factitarint. Platonis ne sint carmina, quæ sub illius nomine circumferuntur, an verò Aristippi, qui primus ea evulgavit. Multis locis poëtarum probatur, quod Amantes fieri se optant ea, quibus utuntur ii, quos diligunt. Poëtæ, & philosopi stellas Cœli oculos appellant, quin & cetera membra Cœlo tribuunt; id autem ex eo duxit originem, quod aliqui philosophi Mundum esse animal, immo Deum crediderunt, & quibus id argumentis probare conarentur. Quid significet fabula, qua proditur Mercurium interfecisse Argum.

DISSERTATIO XLI.

In Epigramma ex Libro I. Anthologiæ de Votis.

DISSERTATIO UNICA.

REcensentur plurimæ poëtarum sententiæ maxmè affines philosophorum præceptis. Valetudo, vires, pulchritudo, divitiæ, honores, gloria plurimis nocuerunt, ut exemplis clarissimorum virorum ostenditur; ideo minimè hæc a Deo petenda sunt, sed generatim bona.

DISSERTATIO XLII.

In Epigramma CXCV. Libri I.

DISSERTATIO UNICA.

PUeri comam alebant, ideo Cirrati, & Capillati dicebantur; antiquitus verò etiam viri barbam, & comam nutriebant; hinc barbatus, & capillatus accipitur pro antiquo; quare differitur, quando institutum, ut tonderentur, & quando radi ceperint, & quo tempore tonsores e Siciliâ in Italiam venerint. Eodem quidem die comam, & barbam ponebant, quem insigni lætitiâ celebrabant, & plerumque comam alicui Deo vovebant, sed præcipuè fluminibus; nequaquam verò eodem die tondebantur, quo togam virilem sumebant, & prætextam deponebant. Lanugo adolescentium plerumque ab Auctoribus flos appellatur, sed ab hoc Poëtâ dicitur messis; quia seriùs adolescentes barbam ponebant; hinc de ætate, qua multi barbam posuerunt, disseritur. Quatuor anni tempestates, quatuor hominis vitæ partibus respondent. Elegia inventa est ad mærorem, luctumque declarandum, & unde hoc nomen deducatur.

DISSERTATIO XLIII.

In Epigramma XI. Libri III. Anthologiæ.

DISSERTATIO UNICA.

TErra est omnium parens; ideo appellatur Mater, & omniparens; ipsamque & marem, & feminam esse prodiderunt; quare a vi femininâ dicta est Tellus, Tellumo verò a vi masculinâ. Est autem eadem ac Rhea, seu Opis, & Vesta, atque Venus. Terram Mortuis injiciebant Veteres, ne cinis ventis dissiaretur, sed eam ipsis levem esse precabantur; arbitrabantur enim aliquid incommodi accessurum Defunctis, si terrâ vehementiùs premerentur; quin etiam animum utpote igneâ naturâ constantem ruinæ impetu dissipari posse putabant.

DISSERTATIO XLIV.

In Epigramma in Statuam Bacchi proximam Statuæ Palladis, ex libro quarto capite: in Deorum Statuas.

DISSERTATIO PRIMA.

De Baccho.

COnviviorum tria genera sunt. Pallas unde ità appellata sit. Quid significet Dæmon; quod nomen tributum est Aristoteli, sicut divinus dictus est Plato. Dii, qui similitudine aliquâ conjuncti videbantur; etiam statuis, & templis conjungebantur; quum itaque Bacchus, & Pallas inter se maximè dissideant, ineptum videtur eorum statuas conjunxisse; nihilo tamen secius non omnino hoc est improbandum; nam Bacchus ferox quoque fingitur, & a quibusdam tauro comparatur, fortè quia taurus sit animal maximè iracundum, & vinum largius haustum iracundos faciat. Verumenimvero poetæ Bacchum modò mollem, modò bellicosum inducunt, quia vini potus initio jucundus; intemperanter verò utentes, licet lenissimos, ad arma sæpe compellat. Ceterùm fabulosum esse censendum est, quod aliqui tradiderunt, Bacchum continuis choreis operam dantem incautos Orientis populos oppressisse.

***

DISSERTATIO XLV.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO SECUNDA.

De Baccho.

QUemadmodum Hercules in Occidente præcipuè facinora edidit, & nihilominus etiam quædam in Oriente gessit; sic & Bacchus triumphavit quidem in Oriente, sed tamen in Occidente Tyrrhenos, & Lusitaniam subegit; quæ a lusu Liberi Patris nomen accepit; fuit enim Bacchus Rex, cujus dux Pan, ex cujus stratagemate Timores Panici appellati sunt; plura autem facinora memorantur Herculis, quàm Bacchi. Cicero quidem affirmat quinque fuisse Bacchos, & quibus quisque parentibus ortus esset, tradit; verùm quamplures alii sibi nomen Bacchi asciverunt, qui recensentur; ideo apud diversos populos diversis nominibus appellatur Bacchus; quæ autem ea sint, Ausonius tradit.

DISSERTATIO XLVI.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO TERTIA.

De Baccho.

ALia ab aliis Bacchi Patria statuitur; sicut etiam disceptatur de inventione vitis; hinc proditum est canem peperisse ramum, qui consitus uvas protulerit. Illud autem constat ante Bacchum Semeles filium vinum repertum fuisse, quum Amphictyon filius Deucalionis diluere vinum aquâ docuerit. Sed non unus apud Scriptores profanos vini repertor habetur; ideo plures Bacchi fuisse feruntur; tot nimirum, quot apud diversas nationes vitis inventores extiterunt. Ceterùm credibile non est Bacchum universum terrarum Orbem victoriis peragrasse; nulli enim ex his, qui plurimas victorias obtinuerunt, istud contigit, quod singulis recensendis patet; nec ipsi Herculi, sed quidquid gloriosum ubique terrarum gestum est, Herculi tribuerunt, præsertim quum ludo Bacchum gentes domuisse fabulentur; qui cujusmodi esset, narratur. Verumenimvero quum tradunt Bacchum totum Orbem domuisse, significare volunt, quod omnes gentes vino, aut aliâ simili potione utuntur; quare Diodorus Siculus tradit Osirin docuisse Germanos potionem ex hordeo conficere; quia qui primus eam potionem monstravit illis, Osiris cœpit appellari. Bacchus, & Osiris idem numen est, ut colligitur ex actionibus omnibus, quæ utrique communes sunt.

DISSERTATIO XLVII.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO QUARTA.

De Baccho.

TRes fuerunt apud Veteres de Diis opiniones; una populi, alia poëtarum, tertia philosophorum; non enim sapientissimi viri, quæ de Diis apud vulgus invaluerant, credebant, neque Mortales ullos adorabant; verùm sub nominibus commentitiorum Deorum cunctaregentem Deum colebant. Bacchum itaque esse Solem censebant; ideo universum terrarum Orbem peragrasse affirmabant, quia nulla Terræ pars est, quæ Solis radiis non illustretur, & Bacchi Sacerdotes in Liberalibus puniceo peplo, & maculosâ pelle, ac zonâ aureâ utebantur, quæ mirificè Soli convenire declaratur. Ostenditur etiam, quod Bacchus, & Apollo idem numen esset, quia utrique Parnassus, laurus, & hedera dicata erant; quin etiam vaticinium utriusque proprium habebatur, licet aliter sentire Tibullus videatur; præterea & Bacchus leonis effigie denotabatur, & Solis leonem esse symbolum constat. Bacchum ad Oceanum confugisse fingi tradit Athenæus, quia mustum aquâ marinâ misceatur; verùm id interpretari possumus; Solis radiis in humidam naturam demissis perfici vinum. Quare quum Orpheus commentus est Bacchum singulis Cœli orbibus præesse, nihil aliud significare voluit, quàm Solis vim omnibus globis cœlestibus, Universoque dominari. Nisi fortè dicatur hujusmodi commentum significare Bacchum in mentibus illis divinis, quibus Pythagorici tradunt stellas animari, esse æternum illud gaudium, quo inebriantur mentes beatæ.

DISSERTATIO XLVIII.

In idem Epigramma Anthologiæ.

DISSERTATIO QUINTA.

De Baccho.

BAcchus quatenus idem, ac Juppiter, & Sol habebatur, præerat ebrietati, qua perfundi animas ex contemplatione divinæ pulchritudinis tradit Musæus; quatenus verò Pluto dicebatur, præerat illi ebrietati, qua captas animas Plato affirmat in corpus descendere; quod earum carcerem, & sepulcrum, immo Inferos esse sapientissimi Viri

Viri prodiderunt. Quamobrem jure Orpheus Orgia Baccho instituit, in quibus Bacchantes insanis motibus, & jactationibus perturbationes animorum, qui in corpus descenderunt, referebant. Præerat itaque Bacchus generationi, & proinde humidæ naturæ, quæ ejus fons est, & causa; quum Ægyptii ex Aquâ cuncta constare dixerint, & Homerus Oceanum patrem Deorum, & Thetin rerum primordium appellet. Homerus, Empedocles, Plato, & Heraclitus quum de commentitiis illis antris tam multa verba faciunt, intelligunt de Mundo, cujus simulacra sunt speluncæ, & ideo Dionyso dicatæ sunt. Quoniam verò Bacchus idem est, ac Osiris, ideo Typhoni, qui igneam vim significat, quæ fecunditati infestissima est Osirin maximè inimicum finxerunt; ita pariter quia Bacchus generationi præest, eundem esse, ac Priapum prodiderunt; & in Pamyliorum festo simulacrum quoddam Priapi triplici membro virili instructum circumferebant; quia Aqua tribus elementis generatis omnia produxisse videatur, quæ Thaletis Milesii sententiæ consonant.

DISSERTATIO XLIX.

In Epigramma VI. Libri I. Anthologiæ.

Dissertatio Prima.

In qua de Lycurgo Spartanorum Legumlatore disseritur.

PEloponesum in tres partes diviserunt Herculis Posteri, quarum unam Messenii, aliam Argivi, tertiam Lacedæmonii tenuerunt, & Messena obtigit Cresphonti dolo ipsius. Lycurgus bellicæ tantùm virtutis curam habuit, ceteras autem licet præferendas neglexit, in quo a Platone, & Aristotele reprehenditur; sed ignoscendum Lycurgo ob temporum illorum conditionem; quoniam tunc verissimum accidebat illud, quod Plato refert nonnullos opinari inane Pacis nomen esse; omnibus autem urbibus adversùs omnes perpetuum bellum, & inexpiabile semper esse. Quare Græci ἀπαοπολίαν injustitiam appellent. Lacedæmonii pecuniâ hostes primi corruperunt.

DISSERTATIO L.

In idem Epigramma.

Dissertatio Secunda.

Pergit agere de Lycurgo, & Lacedæmoniorum legibus.

VEtustissimis temporibus tantum quisque possidebat, quantum armis obtinere poterat; ideo fortitudinem omnibus aliis virtutibus anteponebant; adeout quidam nullos alios Deos præter arma haberent. Ideirco Lycurgus in legibus condendis bellicam præcipuè virtutem spectavit, & ab instituendâ juventute orsus est; idque adeo est consequutus, ut Spartani adolescentes eâ modestiâ essent, ut pudorem virginum longè superarent, eâ verò fortitudinis gloriâ inclaruerint, ut etiam philosophi ab ipsis exempla fortitudinis peterent. Quo tempore floruerit Lycurgus. Duo fuerunt Lycurgi.

DISSERTATIO LI.

De Legibus, institutisque Spartanorum.

Dissertatio Tertia.

Ubi aliud Anthologiæ Epigramma ex Libro I. in Fortes proponitur, & de Spartanis præcipuè feminis agitur.

VIrtutes in feminis, ac in viris an sint eædem, dissentiunt inter se Plato, & Aristoteles. Gymnosophistæ, & gymnasia unde ita appellentur; phthongi quid, & quot sint; vox κόρακες, & aliæ quid significent. Feminæ Spartanæ venatione, & cursu non secus, ac viri exercebantur; quin etiam nudæ in palæstris decertabant; quod institutum licet Aristoteles damnet, Plato tamen comprobat eâ ratione, quia quemadmodum utiliores sunt milites, qui tam dextrâ, quàm sinistrâ uti possint; sic etiam civitates, quæ feminis pariter, ac viris ad Rempublicam administrandam uti valeant.

DISSERTATIO LII.

De Republicâ Spartanorum.

Dissertatio Quarta.

EX plurimis dictis, & factis Spartanarum mulierum constat illas non fuisse luxu, & libidine dissolutas; verùm fortitudine æquasse, aut etiam superasse fortissimos viros, & in philosophiâ principes; licet extarent nonnullæ leges, quæ aliquam licentiam dare feminis viderentur. Quæ privilegia concessa essent tam apud Lacedæmonios, quàm apud Romanos iis, qui Liberos suscepissent, & quid esset jus trium, vel quatuor Liberorum.

DISSERTATIO LIII.

De Republicâ Spartanorum.

Dissertatio Quincta.

LYcurgus maximè est celebrandus, quòd quum leges omnium severissimas tulerit,

lerit, illis nec Reges ipsi parere detrectaverint; & quòd Lacedæmonios ex pessimis Græcorum optimos fecerit, quod & ex poëtis, & ex historicis constat; quare meritò Xenophon eum sapientem inprimis, ac pæne divinum prædicat; nec enim audiendus Aristoteles, qui facilè fuisse leges Spartanis condere affirmat, quòd eo tempore grave, perdiuturnumque bellum gererent adversus Messenios, & Argivos; difficiliùs enim legibus obsequuntur bello assueti.

DISSERTATIO LIV.

De Republicâ Spartanorum.

Dissertatio Sexta.

Cives ad mores Principum civitatis conformantur; quare Lycurgus maximo Lacedæmoniis incitamento fuit ad virtutem, quum eximiæ lenitatis, & justitiæ exempla ediderit. Profuit etiam magnopere ad parsimoniam, quod omnes publicè vescerentur, & nummi ferrei, sive e corio; quibus addebantur continuæ adolescentium exercitationes, in quibus Lacedæmonii Romanos superarunt. Quid essent Phiditia, seu Philitia.

DISSERTATIO LV.

In Epigramma Platonis Libri I. in minas.

Dissertatio Prima.

Venus Cypris passim dicitur a poëtis, quòd in Cypro plurima loca Veneri sacra habebantur; immo tota Cyprus; plures autem hujus rei causæ ab Auctoribus afferuntur. Paphi colebatur Venus cœlestis, quam Uraniam vocant, & eadem est, ac Juno, Luna, Dictynna, & Diana; pertinet etiam Veneris numen ad Tellurem, ita ut superior pars Orbis terrarum Venus, inferior Proserpina habeatur. Quin etiam ipsa anima, qua Mundum regi omnes ferè philosophi prisci sunt arbitrati, his exceptis, qui Divinam Providentiam sustulerunt, quatenus in generationem descendit, Venus est habita. Hinc Pausanias quum tres Parcas enumeret; nimirum Venerem, Fortunam, & Fatum, seu Mortem, meritò vetustissimam Parcarum Venerem appellat.

DISSERTATIO LVI.

In idem Epigramma Platonis.

Dissertatio Secunda.

Musæ appellantur quasi indagatrices, vel a voce מוסר, *Mussàr*, quæ apud Hebræos significat disciplinam, vel demum ab instituendis doctrinâ hominibus. Vox κόρη significat *puellam*, & *pupillam oculi*; sicut apud Latinos *pupilla*, *pupa*, & *pupula* significat puellulam: qua in re Xenophontis dictum defenditur, licet illud reprehendat Longinus. Variæ autem a diversis Auctoribus rationes afferuntur, cur eodem nomine *pupilla*, & *puella* denotentur. Κόρη, & *puella*, quin & *virgo*, seu *Virago* appellatur interdum etiam ea, quæ virum passa est. Amor cur cæcus fingatur, & cur Venus Ἀφροδίτη, & Mars Ἄρης dicantur.

DISSERTATIO LVII.

In idem Epigramma.

Dissertatio Tertia.

Homines libidini dediti existimant castos esse stultos; nec Regum, aut etiam Deorum vitam sine Veneris deliciis expetendam. Musas Virgines esse prodiderunt, quia Venus non est apta studiis, quum ingenium hebetet; ceterùm poetæ omnes Deas, quæ in aliquâ arte occupatæ sunt, Virgines esse tradiderunt; quia animus, qui seriò incumbit in disciplinas, minimè impuro amore incenditur; etenim otium est esca voluptatum. Dii, qui homines aliquando fuerunt, vitiis obnoxii sunt; qui verò nunquam inter Mortales ætatem exegerunt, & ex hominum studiis nati sunt, vitiis caruerunt. Fortuna quot locis, & quot nominibus coleretur. Musæ tres dumtaxat primitus fuerunt, & quomodo novem factæ, & singulis ab Hesiodo nomina indita sint.

DISSERTATIO LVIII.

In idem Epigramma.

Dissertatio Quarta.

Apes Musarum Volucres habentur multis de causis, sed præcipuè, quia cum Musæ, tum Apes non lacessitæ, jucundissimæ sunt; irritatæ verò acerbissimè lædunt irritantes. Alia ab aliis affertur interpretatio fabulæ de Adulterio Martis cum Venere. Viri, & populi bellicosissimi, effusissimi etiam sunt in Venerem. Auctores plerique, ut significent Fortunam, Victoriam, aut Amorem perpetuò apud aliquos permanere, alas ipsis adimunt; non tamen reprehendendus est Plato, qui Amorem negat alas habere, ut indicet Musas nunquam amore captas fuisse.

DIS-

DISSERTATIO LIX.

In Epigramma Libri I. in Tibicines, & Saltatores: de Glaphyrâ Tibicine.

DISSERTATIO PRIMA.

Tibiæ ex loto conficiebantur, præsertim eæ, quibus in nuptiis canebatur; aut saltem quum primùm inventæ sunt; & quot formania Tibiæ haberent. Diligentissimè describitur lotos arbor, & ejus fructus, & quot lotorum genera sint.

DISSERTATIO LX.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO SECUNDA.

EX diversis rebus conficiebantur Tibiæ. In quo differrent Tibiæ pares, & impares; dextræ, & sinistræ. Quædam Tibiæ dicebantur Vascæ aliæ Pueriles, aliæ Viriles; erant & Tibiæ Gingrinæ, Tityrinæ, & Spondauli, & aliæ quamplures. Utebantur autem Tibiis in sacrificiis, ludis, & funeribus, necnon in nuptiis, & conviviis & quidam etiam in bello. Ovantes Tibias adhibebant, Triumphantes verò Tubas.

DISSERTATIO LXI.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO TERTIA.

MInerva, ut est in fabulis, Tibias invenit; sed eas quum inflaret irrisa à Ve. ere, & Junone propter oris deformitatem, abjecit, quibus repertis Marsyas Apo linem ad certamen provocavit, & ab eo victus, detractâ cute est interfectus. Salmasius aptissimè explicat, quid sit versare citharam apud Hyginum. Cur Tibia a poëtis dicatur Berecynthia. Romæ in foro, & in templo concordiæ visebatur Marsyas ad deterrendos a calumniâ litigantes.

DISSERTATIO LXII.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO QUARTA.

QUas quisque Tibias invenerit, quum eæ multæ sint, ac variæ. Cur Ardalides Musæ vocarentur, quas Trœzenii colebant. Quisnam fuerit pater Marsyæ.

DISSERTATIO LXIII.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO QUINCTA.

VIctoria Apollinis adversùs Marsyam significat præferendam esse Citharam Tibiæ; hinc Aristoteles negat idoneam esse Tibiam ad mores componendos, quum potiùs ad furorem incitet; quare summâ ratione sacris omnibus adhibebatur, quum animus extra se positus in Divinorum contemplatione versetur; virtuti verò utilem non esse Tibiam, Tibicinum mores ostendunt. Contra Polybius putat Arcades, quòd Musicæ operam darent, & præcipuè Tibiis, mitissimos esse; quum tamen ob frigorum magnitudinem consentaneum sit, eos futuros fuisse asperos; Cynæthenses verò immanissimos, quòd Arcadum morem neglexissent.

DISSERTATIO LXIV.

In Epigramma Libri I. in Senectutem.

DISSERTATIO UNICA.

HOmines aptissimè vino comparantur; nam sicut vinum aliud alio citius maturescit, & fugit, ut singulis vini generibus recensendis patet; adeout Opimianum vinum, Plinio teste, usque ad ducentos ferè annos duraverit, licet Vellejus aliter tra lat; ita homines alii aliis maturiùs ingenium, atque vigorem assequuntur, amittuntque, quod multis exemplis ostenditur; & sicut vinum longo tempore acescit, sic homines in senectute iracundi fiunt.

DISSERTATIO LXV.

In Antipatri Epigramma, quod in secundo Anthologiæ libro est inter convivales jocos: In memores compotores.

DISSERTATIO UNICA.

HYades ἀπὸ τοῦ ὕειν hoc est *a pluendo* appellatæ sunt, non verò ἀπὸ τῶν ὑῶν idest *a suibus*, ut Veteres crediderunt; qui ideo Suculas nominarunt. Plejades, seu Virgiliæ unde dicantur. Cur quidam decepti tradiderint columbas Jovi ambrosiam ferre; quum juxta interpretationem Athenæi ipsam portare Plejadas Homerus dicat. Quid sit siderum matutinus, ac vespertinus ortus, & occasus. Antiqui naufragio perire maximè horrebant propter sepulcri jacturam, & quia multi animam, utpote igneâ naturâ præditam, aquâ extingui arbitraban-

bantur; quare Virgilius, quum inducit Æneam timentem mortem in mari, satis superque defenditur a nonnullorum calumniis. Tempestas, & fulmen omnium terribilissima sunt. Exempla multorum, quibus dicta, aut facta in conviviis nocuerunt; hinc natum est proverbium: *odi memores compotores*. Græci largiùs bibebant; ideo *pergræcari* significat *liberaliùs potare*. Ebrietas omnia simul vitia ebriosis ingenerat; quum tamen alia vitia quorundam vitiorum affinitate non attingantur.

DISSERTATIO LXVI.

In Epigramma Getulii ex Libro III. in naufragos de Astydamantis Cydonii naufragi Cenotaphio.

Dissertatio Prima.

MAre inter Maleam, & Cretam interjectum, quum frequentibus flexibus, & cæcis speluncis abundet, adeo naufragiis infame erat, ut aliquando ea navigatio omissa fuerit; quod ad Corinthi incrementum plurimum contulit. Malea secundâ syllabâ correptâ, vel productâ pronunciatur. Cenotaphia constituebantur etiam sepultis; quum initio templa nihil aliud fuerint, quàm sepulcra; ideo ex sepulcro colligi non potest, ubi quis obierit.

DISSERTATIO LXVII.

In idem Epigramma.

Dissertatio Secunda.

CRetenses licet optimis legibus regerentur, tamen habentur mendaces; quia, quum a Minoë omnium ferè Legumlatorum vetustissimè primi leges acceperint, a legibus etiam primi desciverunt; alii tamen arbitrantur, quòd sicut omnes Thessali habiti sunt fraudulenti ob unius Jasonis in Medeam perfidiam; ita Cretenses mendaces propter Idomeneum, qui æs bello captum injustè Græcia distribuit; vel quia Medea hujus famæ auctrix fuerit, quum de formâ cum Thetide contendens Idomeneo Judice succubuit. Joves duo Cretenses fuerunt, atque per totum Orbem terrarum res præclarissimas gesserunt, & in Cretâ sepulti sunt.

DISSERTATIO LXVIII.

In idem Epigramma.

Dissertatio Tertia.

MUlti appellati sunt Joves; adeout Varro trecentos fuisse prodiderit; eorum vetustissimus floruit Abrahæ tempore. Stoici putarunt Jovem esse Ignem, seu Ætherem, qui ab ardore, Aristotele repugnante, dicitur; idem senserunt Persæ, atque Empedocles; Platonici autem Jovem esse Mundi animam opinati sunt, alii Solem; Romani verò, Grajique Aërem; hinc Juppiter Hyetius, & Ombrius a pluviâ dictus colebatur; hinc etiam ventus Juppiter est appellatus; sed omnium congruentissimè Æschylus Jovem esse omnia dixit. Juppiter latinè, & græcè Ζεὺς unde dicatur. Astrologi omnia ferè, quæ Jovi tribuuntur, ad stellam Jovis pertinere demonstrant. Prometheus vinculis adstrictus fingitur, & ab aquilâ depasci, quia providentia humana angustiis sanè finibus coërcetur, & multis curis est obnoxia.

DISSERTATIO LXIX.

In Epigramma Dioscoridis, quod est in Libro III. Anthologiæ in Servos.

Dissertatio Prima.

ATheniensea in Prytaneo Ignem sempiternum custodiebant; inde proverbium: *Lucerna in Prytaneo*, quod de re, quæ nunquam deficit, usurpatur; Persæ autem, & Assyrii tanquam Deum colebant; hinc supplices facem tenebant, & nisi impetrassent, se in aquam projecturos minabantur; his quidem nihil denegebatur, sed tamen plectebantur, quòd habuissent ignis extinguendi voluntatem; hinc etiam Persæ cadavera non concremabant; nam Deo cadaver hominis tradere impium putabant; Ægyptii verò quum Ignem esse quandam feram opinarentur, non comburebant; quia inhumanum sit dare feris mortuos devorandos.

DISSERTATIO LXX.

In idem Epigramma.

Dissertatio Secunda.

MAxima est inter Auctores dissensio, an Persæ terræ cadavera mandarent, quum Terram colerent; sed verius est corpora mortuorum cerâ illita sepelisse, ne eorum attactu Terra contaminaretur. Græci, & Romani cadavera abluebant; secus Persæ, quum Aquam, & præcipuè fluvios venerarentur, quibus equos immolabant; sicut etiam Soli.

DIS-

DISSERTATIO LXXI.

In idem Epigramma.

Dissertatio Tertia.

PHilosophorum alii Aquam, alii Ignem, alii Terram, & Ignem rerum primordia censuerunt; nequaquam verò Deos hæc esse existimarunt, ut falsò affirmat Clemens Alexandrinus. Persæ autem Stoicos sequuti Mundum esse Deum sunt opinati, & Jovem; Aquam verò, Ignem, ac Terram, tanquam Mundi partes coluerunt; adorabant etiam Aërem, quum Ventum coluisse constet, qui nihil aliud est, quàm *aër fluens in unam partem;* necnon Cœlum, Lunam, & Solem, quem Mithram nuncupabant; licet Herodotus Mithram esse Venerem asseveret.

DISSERTATIO LXXII.

In idem Epigramma.

Dissertatio Quarta.

DEos Græci Θεοὺς a *currendo* appellarunt. Maximus Tyrius existimat Persas Ignem coluisse, tanquam Solis, & stellarum simulacrum; sed multis argumentis probatur ipsum Ignem adorasse, ut Lucianus tradit; quum existimarent Mundum esse animatum, & Ignem illius animam; sicut plerique philosophi animum igneum esse censuerunt. Ignis omnibus rebus inest; nam in Cœlo, & in Aëre, Terraque, & in ipsis Aquis reperitur.

DISSERTATIO LXXIII.

In Epigramma Antipatri, quod est in Libro III. Anthologiæ in poëtas: De Orpheo celeberrimo Vate.

Dissertatio Prima.

MUltis in locis montes extant Olympi nomine appellati, sed in Thraciâ nullus hujusmodi reperitur. Thracia antiquitus latiùs patebat; nam ad Phocidem usque protendebatur; immo Thraces ipsam Atticam occuparant. Plerique poëtæ Orpheum Calliopes filium faciunt; alii tamen Polyhymniæ, alii Clius filium tradunt; patrem pariter illius alii Oeagrum, alii Apollinem perhibent. Duos Orpheos fuisse tradit Herodotus; Aristoteles nullum extitisse affirmat, & carmina esse cujusdam Cercopis Pythagorici.

DISSERTATIO LXXIV.

In idem Epigramma.

Dissertatio Secunda.

SOlas Quercus Orphei cantu ductas fuisse, non alias arbores fabulis proditum est. Quercus appellatæ sunt fagi a *comedendo*. Lyra, non cithara propria est Orphei, ut multis locis poëtarum constat; licet Virgilius, & Dio Chrysostomus tribuant illi citharam, & Ovidius modò lyram, modò citharam.

DISSERTATIO LXXV.

In idem Epigramma.

Dissertatio Tertia.

ORpheus homines efferatos, quales omnes antiquitus erant, mansuefecit; ideo dicitur duxisse cantu feras, & saxa; Orgia etiam Bacchi ab Ægyptiis accepit, quibus Osiris apud eos colebatur. Heroici carminis auctorem quidam Olenem faciunt, alii Phemonoën, alii Phanotheam, Themidem alii, quæ ante Apollinem oraculum Delphicum tenuit, quod heroicis versibus responsa dabat; itaut nonnulli opinati sint, responsum, quo Socrates sapientissimus judicatus est, non fuisse Apollinis; sed falluntur, quia constat aliquando eo genere carminis usum Apollinem; nihilominus Scaliger immerito Vidam redarguit, quòd hexametrum oraculorum esse proprium affirmarit.

DISSERTATIO LXXVI.

In Antiphili Epigramma Libri I. in navigationem. De Nautarum audaciâ.

Dissertatio Unica.

VEteres arboribus cavatis primùm navigarunt; deinde Rex Erythras trabes inter se colligavit, quæ rates dicuntur; Danaus autem primus navem fabricavit, & in Græciam venit. Avaritia fuit causa navigationis, & navigatio avaritiæ; Deus autem, qui perversa hominum consilia vertit in bonum, multa Mortalibus commoda peperit ex navigatione. Præcipua aurei sæculi felicitas in eo posita erat, quod non erat in usu navigatio, qua mores corrumpuntur. Inferos, licet Platonici, qui ad veritatem propiùs accedunt, Elysium in sphærâ stellarum inerrantium collocent, esse in Mari, fabulis proditum est; nam & insulas beatorum in Oceano esse constat, & forte eas-

easdem, ac insulas Fortunatas; ideo in monumentis antiquis Tritones, & Conchæ cernuntur; & ad loca sceleraturum supplicits destinata per Oceanum perveniri Plato, aliique tradiderunt.

DISSERTATIO LXXVII.

In Epigramma Libri I. Anthologiæ in Insulas. De Insulâ Delo.

DISSERTATIO UNICA.

DElos appellata est, quasi *manifesta*; ea rarò terræ motibus laboravit; adeout habitum prodigii loco Callisthenes tradat, quod concussa fuerit; quin etiam Macrobius affirmat nunquam movisse, & Epaphum, & Thucydidem citat; qui tamen asserit paulò ante Peloponesiacum bellum movisse, quum antea nunquam movisset; licet Brodæus neget Thucydidem mentionem fecisse de motu Deli, & Senecam reprehendat, qui id asseverat; contra verò Herodotus refert, eo tempore, quo Datis erat Græcis bellum illaturus, movisse. Oraculum Hammonis, ut etiam alia ferè omnia suo tempore defecisse testatur Plutarchus; licet Juvenalis adhuc illud consuli dicat. Atheniensium lege sancitum erat, nequis in Delo nasceretur, aut moreretur. Hyperburei quotannis ad Apollinem Delium primitias mittebant, quas initio tulisse Virgines dicuntur; postea verò cœperunt deferre ad finitimos, qui ad alios deferebant, qui rursus ad alios, donec ad Apollinem pervenirent; sed dissentiunt Pausanias, & Herodotus, dum tradunt, quæ virgines primæ detulerint primitias, & quo itinere eæ perferrentur. Hyperboreos Diodorus Siculus sub ipso Mundi cardine collocat, ubi in tantam altitudinem tellus attollatur, ut montes, & valles Lunæ cernantur; at Pomponius Mela statuit eos in Asiâ; in Europâ verò Solinus. Verisimile autem est Hyperboreos non alios fuisse, quàm Seres; nam utrique ad longissima vitæ spatia pervenire dicuntur, & maximâ Cœli temperie uti; nec justitia, quæ prædicatur Hyperboreorum, discrepat a Serum moribus, qui merces cum exteris tantâ justitiâ commutabant, ut ne verbis quidem opus esset. Delii, Ephesii, ac Tegyrei Apollinis, & Dianæ natalibus gloriabantur. Tegyræ sunt duo fontes, quorum alter Palma, alter Olea vocaretur; in quorum medio Latona enixa est; ideo proditum Latonam palmæ, vel oleæ innixam peperisse.

DISSERTATIO LXXVIII.

In Agathiæ Scholastici Epigramma Libri I. in Fortunam.

DISSERTATIO PRIMA.

De Inconstantiâ Fortunæ.

POtentiam, & felicitatem consequuti insolentiâ nimis efferuntur; & præcipuè humili loco nati, cujus rei multa exempla suppetunt.

DISSERTATIO LXXIX.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO SECUNDA.

POtentiam nacti veteres Amicos repudiant; quare nullos habent; nam illi, quos de novo acquirunt, non sunt veri Amici; idcirco ii laudandi, qui veteribus Amicis gratias retulerunt, eusque imitandos proponere nobis debemus.

DISSERTATIO LXXX.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO TERTIA.

JOcus in verbis, in rebus ludus cernitur. Vita hominum ludo pilæ simillima ob Fortunæ inconstantiam; quam non animadvertere eos, qui prosperâ semper fortunâ usi sunt, tolerabile foret; illud autem nequaquam ferendum, oblivisci levitatis fortunæ eos, qui ex angustiis ad felicitatem emerserunt; quum cogitare deberent, quibus gradibus ad id fastigium ascenderint, iisdem se posse rursus descendere. Democritus, & Epicurus omnia casu ferri voluerunt; Aristoteles verò cœlestia quidem ratione gubernari; quidquid autem Cœlo est subjectum, Fortunæ censuit provinciam; at ceteri omnes philosophi Fortunam esse divinæ providentiæ partem sunt arbitrati; quare Homerus Fortunam non agnovit, & Romani ab ipsis pæne Urbis incunabulis Fortunæ templa condiderunt; & serò admodum Virtuti, quæ mentis est nostræ.

DISSERTATIO LXXXI.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO QUARTA.

FOrtunæ maxima inconstantia est; ideo rotundo lapidi, vel rotæ, quæ pro mutatio-

tatione accipitur, insistere fingitur; & interdum etiam navim, vel gubernaculum ipsi tribuerunt, ut in antiquis numismatis cernitur; contra verò Mercurius quadrato lapidi insistit propter stabilitatem mentis, & rationis.

DISSERTATIO LXXXII.

In Epigramma Libri III. Anthologiæ in Philosophos, in quo inducitur Diogenes Cynicus mortuus alloquens Charontem.

Dissertatio Prima.

CHarontis nomen a glaucis oculis nonnulli deducunt; alii a verbo χαίρειν, *gaudere*; Eustathius tamen, & Lilius Gyraldus ab eodem verbo per antiphrasin; sed verius est ab Ægyptiorum linguâ derivari, qua *Charon* significat *portitorem*; ceterùm a gaudio vix potest habere originem, quum extet proverbium: *Charon risit*, quod usurpatur de homine austero, qui quandoque tristitiam deposuerit.

DISSERTATIO LXXXIII.

In idem Antipatri Epigramma.

Dissertatio Secunda.

PLato quatuor flumina ex Inferis manare tradit; Oceanum, Acherontem, Phlegethontem, seu Pyriphlegethontem, & Cocytum; quæ poetæ, & alii scriptores cum Stygiâ palude confundunt; singula autem a rebus tristibus nomen acceperunt; porro Plato Phlegethontis rivos esse flammeos amnes, qui ex Ætnâ, aliisque montibus ardentibus evomuntur, asseverat. Commentum, quo feruntur animæ ad sedes destinatas vectari, Orpheus ab Ægyptiis desumpsit, qui cadavera in insulâ quadam sepeliebant, quæ palude cingebatur; & navicula, qua vehebantur, Baris vocabatur; Charon autem naviculator. Dii per Stygem jurabant, & si pejerassent, integrum annum, & aliquot dies nectare, & ambrosiâ carebant; solus Ovidius affirmat Jovem amore captum hoc jusjurandum contempsisse; quia amantium perjuria a poëtis creduntur irrita. Revera autem Styx est fons prope Pheneum Arcadiæ, vel Nonacrin urbem, cujus aqua corrumpit omnia; cornu solùm ei resistere tradit Antigonus Carystius; ungulam muli Vitruvius, & Plinius; equi Pausanias; asini Plutarchus. Hoc veneno extinctum ferunt Alexandrum consilio Aristotelis; sed non satis id certum arbitrantur Plutarchus, & Pausanias. Est etiam Styx in Italiâ; Acheron quoque, & Lethe multis in locis reperiuntur, & in Thesprotiâ Cocytus. Homerus omnia, quæ viderat, ad fabulas transferebat. Quum animi non intereant, etiam ortu carere quidam sunt arbitrati, & eos fuisse, antequam in corpus descenderent; veruntamen quum nulla memoria sit eorum, quæ acciderunt, antequam nasceremur, poëtæ finxerunt Lethen, quam potantes animi omnium obliviscerentur; quæ nihil aliud est, quàm materia; qua oblivionem ingenerari nil mirum, quum & ægri interdum, quæ sani gesserunt, non meminerint, & convalescentes, quæ ægris acciderunt; & nemo unquam meminerit, quæ infans aspexit.

DISSERTATIO LXXXIV.

In idem Epigramma.

Dissertatio Tertia.

MAnes Græci dicunt Idola; Latini autem imagines, vel umbras, vel simulacra; inde umbræ accipiuntur etiam pro Inferis. Cur Hercules in Cœlo, umbra verò ipsius apud Inferos versari dicatur, explicat Plotinus. Canis nomen convenit philosopho, cui Plato comparat canem; sed præcipuè convenit Diogeni, ejusque sectatoribus. Cynicos a Cynosarge dictos putant Hesychius, & Suidas; sed verius est ita appellatos, quia obvios increparent, & quia nullo pudore coërcerentur; sicut canis, qui omnium animalium est impudentissimus, quod causa fuit Zenoni, ut novam sectam conderet; hinc Juvenalis dicit Stoicos a Cynicis tunicâ tantùm differre; quum Cynici solo pallio uterentur; quo etiam utebantur Christiani, qui ideo Græculi impostores vocabantur; quum pallium esset proprium Græcorum, sicut Romanorum toga. Peram dici a *ferendo* vel *ferendo* tradunt Eustathius, & Etymologicum magnum; Vossius tamen a verbo πάομαι, quod est *edo* deducit; utebantur autem eâ pastores, & mendici; erat & mensuræ genus, quâ aratores semina condebant; quapropter Apulejus uterum puellæ, quæ viri semen susceperit, perulam vocat. Quum Antiqui quotidie exercerentur in campo, vel palæstris, balnearum usus frequentissimus erat, & olei, quo ungebantur.

DISSERTATIO LXXXV.

In Epigramma XXIX. Libri I.

Dissertatio Prior.

GErmanorum fortitudinem, ac multitudinem maximè horrebant Romani; quoniam eos, licet innumerabiles copias

deleviſſent, nunquam debellaverant; hi tamen Germanici virtute perculſi ſunt.

DISSERTATIO LXXXVI.

In idem Epigramma.

Dissertatio Posterior.

IMperium Romanum virtute partum eſt; Macedonum verò fortunâ, contra Plutarchi ſententiam. Romana Reſpublica ſemper cladibus crevit. Varro tradit quoſdam ex duodecim avibus, quas Romulus vidit, conjectaſſe rem Romanam mille ducentosque annos ſtaturam; quod eventum comprobaſſe affirmat Petrus Crinitus.

Finis Epitomes Diſſertationum in Anthologiam.

EPITOME DISSERTATIONUM IN THUCYDIDEM.

DISSERTATIO I.

Optimum eſt conſilium ſuis operibus nomen inſcribere.

THucydides Hecatæum Mileſium, & Herodotum ſublimitate ſuperat. Sublimitas oritur non ſolùm ex rerum ſplendore, ſed etiam ex vocalium concurſu, & longitudine periodi. Conſueverunt Auctores operibus nomen ſuum inſerere, qui mos etiam a veteribus prophetis uſurpatur. Primos Æneidos Virgilii verſus tollendos non eſſe Pierius Valerianus, & Julius Scaliger exiſtimant adversùs alios Criticos; quum etiam picto es, & ceteri artifices nomen ſuis operibus inſcribere conſueverint. Orpheus an extiterit, ignoratur; Onomacriti autem dicuntur eſſe carmina. Muſæi non ſunt verſus, qui illius eſſe feruntur; ſicut etiam ſibyllini ſunt ignoti Auctoris; alia etiam aliis fuerunt attributa, quæ non ſunt illorum.

DISSERTATIO II.

Antiquorum bellorum maximum fuit Peloponeſiacum.

EXordia hiſtoriarum, utpote demonſtrativi generis, attentionem lectoris, & docilitatem conciliare oportet. Hiſtorici res geſtas ab initiis exordiuntur, & cauſas explicant, atque ordinem ſervant; poëtæ verò initiis prætermiſſis media narrant, deinde ordine inverſo principia exequuntur; licet multi poëtæ id non obſervarint. Pecuniarum maxima erat apud Græcos penuria; ut quum Philippus aureum poculum haberet, pulvino ſemper ſubjiceret. Terrarum magna pars incognita erat tempore belli Peloponeſiaci.

DISSERTATIO III.

Peloponeſiaci Belli magnitudo improbabilis non eſt, quum Græcorum opes crevisſent, licet antea tenues eſſent.

HIſtorici initio amplificant res geſtas, quas narraturi ſunt. Antiqui inter ſe commerciis non miſcebantur; ideo etiam proximas regiones ignorabant, ut ex eorum multis erroribus conſtat; quare meritò Livius veriſimile non putat Numam ad audiendum Pythagoram peregrinatum eſſe, contra Glareani ſententiam. Empedocles affirmat res amicitiâ conjungi, diſcordiâ verò diſſolvi; ſed in humanâ ſocietate id falſiſſimum; nam bellis ea contracta eſt.

DISSERTATIO IV.

Athenienſes in unam urbem a Theſeo collecti ad luxum ſeſe converterunt.

ATHenis pleraque ad vitam neceſſaria primùm inventa ſunt. Crinium complicatio in acutum deſinens, quæ in viris dicitur Crobylus; Corymbus appellatus in mulieribus; in pueris verò Scorpius. Luxus Athenienſium, quos Athenæus uſos fuiſſe verſicoloribus veſtibus tradit; lineis verò Thucydides, quæ etiam molles haban-

bantur, & feminis conveniebant; Clemens tamen Alexandrinus redarguit vestes talares Atheniensium. Cur Athenienses cicadas aureas crinibus illigarent; hoc tamen ornamento magistratus tantummodo usos fuisse tradit Clemens Alexandrinus. Plurimi populi sese Autochthonas, seu Aborigines esse gloriantur, & quid hoc nomine significetur. Pueri duo ita educati, ut neminem loquentem audirent, quum adolevissent, *beccos* petiverunt, quæ vox apud Phrygios *panem* significat; quod interpretati sunt Phrygas primos Mortalium fuisse. Anaximander ex aquâ, terraque calefactis pisciculos putat extitisse, ex iisque conceptos homines; Epicurus verò e terrâ natos uteros, ex quibus fuerint homines propagati; alii alia de hominum procreatione prodiderunt.

DISSERTATIO V.

De pluribus vetustissimis Regnis.

PRincipatus omnium Reipublicæ formarum antiquissimus, & optimus est. Nullum Regem fuisse antiquiorem Belo, qui in Sacris Litteris Nembroth appellatur, ejusque filio Nino, qui post diluvium centumquinquagintaduos annos regnare cœpit, recensendis pluribus antiquissimis regnis patet. Ogygium diluvium vetustissimum censebatur; inde omnia antiqua ogygia nuncupabantur. Quodnam discrimen sit inter Tyrannum, & Regem. Anaxilaus filiorum tutelam servo commisit; cui tamen populi memoriâ defuncti Regis parere non detrectarunt. Ephori Spartanorum Reges multos mulctarunt, inter quos Archidamum, quòd exiguæ staturæ uxorem duxisset, veriti, ne Regulos pro Regibus procrearet. Judices antiquitus erant Reges, & certam, ac definitam potestatem habebant; quare Homerus non aberrat a decoro, quum Achillem, & Thersiten inducit in Agamemnonem jurgia impunè jactantes; nec Euripides, dum tradit Agamemnonem non potuisse a morte Polyxenam liberare; aberrat verò Seneca, qui totius rei arbitrium in Agamemnone situm confirmat. Æsymnetæ erant Reges, qui filiis regnum non relinquebant.

DISSERTATIO VI.

De utilitate, quæ percipitur ex Historiæ lectione.

HOmines magnam medicinæ partem ab animalibus dedicerunt; sicut alias plerasque artes; multas etiam a casu edocti sunt. Lucullus quum rei militaris esset imperitus, librorum lectione magnus evasit imperator. Quantum multi exemplis ab historiâ petitis profecerint.

DISSERTATIO VII.

Qua de nomine belli, quod Thucydides narrat, ejusque caussis disceptatur.

PRoverbium *Isthmum perfodere* ex eo profluxit, quod multi Imperatores illum perfodere frustra tentarunt. Peloponesus olim Apia ab Apio Phoronei juxta Didymum, & juxta Athenæum a pyrorum copiâ est appellata; necnon etiam aliis multis nominibus. Asia divitiis abundabat, & præcipuè Phrygia; hinc fabula manavit, quidquid Midas attingeret, in aurum verti. Midas album, & nigrum plumbum invenit. Tarquinius Priscus opibus, & largitionibus Romæ regnum est assequutus; quemadmodum etiam quamplures in Græciâ. Caussæ belli civilis inter Cæsarem, & Pompejum. Rebus publicis nihil magis formidolosius, quàm finitimorum potentia, ut multa etiam exempla declarant.

DISSERTATIO VIII.

Qua Thucydides defenditur, & quinam populi barbari, quique Græci haberentur, ostenditur.

DUpliciter *Barbari* nomen accipitur; nam & eos omnes, qui non sunt Græci, inter quos Romani ipsi recensentur, significat; & illos, qui inscitè loquuntur; unde *Barbarismus* inscita loquutio; licet Gellius neget hanc vocem in usu esse apud optimos Auctores. Thucydides autem non negat Homerum hoc nomen usurpasse; sed solum in eo significatu, quo omnes gentes diversæ a Græcia accipiuntur; quare immerito reprehenditur a Strabone; sicut etiam, dum asserit Homerum nunquam Græciam universam Helladem appellasse. Quamplures colonias deduxerunt Græci. Quodnam discrimen sit inter Italos, & Italiotas, inter Siculos, & Siceliotas apud grammaticos.

DISSERTATIO IX.

Qua Barbaros non omnino fuisse rudes bonarum artium probatur, & de Homeri Ætate nonnulla delibantur.

PHilosophiam, & ceteras disciplinas Barbari invenerunt, & didicerunt ab ipsis Græci; verùm quia eloquentiâ Græci præstiterunt, sapientiores Barbaris habentur. Homerum tempore belli Trojani extitisse

quidam tradunt; alii ducentis annis post excidium Trojæ floruisse; alii demum centum triginta annis ante Olympiadas natum censent, & æqualem Lycurgo faciunt. Duo Lycurgi fuerunt.

DISSERTATIO X.

De Eclipsibus.

SOlis defectus magnopere horrebant Veteres; quamquam Plutarchus affirmat Lunæ, non Solis deliquia terrorem antiquitus incussisse. Interfecto Cæsare Sol per annum caliginosus fuit. Aganice prævidens futuram eclipsem magicum murmur inchoare simulavit, quo persuasit se de Cœlo Lunam deducere; hinc poëtæ illam deduci magicis carminibus fabulati sunt; & in Lunæ defectione æra pulsabantur, ne veneficorum carmina exaudiret. Nicias Lunæ eclipsi deterritus exercitum perdidit; alii verò quamplures imperatores rationem injerunt, qua futurus Lunæ defectus milites non perterrefaceret.

DISSERTATIO XI.

Eclipses terrebant antiquitus, quia de causâ adhuc a philosophis disceptabatur, & quæ philosophi vulgabant, ambagibus occultabant.

TEmpore belli Peloponesiaci quamplures philosophi floruerant, & adhuc florebant Diversæ fuerunt philosophorum sententiæ de eclipsibus cum Solis, tum Lunæ. Lunam proprio lumine non carere multi existimarunt; quinimo injuriam huic facturi sibi videbantur, si eam propriâ luce spoliarent. Socrates accusatus est, quòd Lunam terram esse existimaret. Multis philosophis pœnæ irrogatæ fuerunt. Veteres philosophi, & præcipuè Pythagorici res philosophicas ambagibus occultabant. Obscurum quid quum significare volumus, obscurius Numero Platonis dicimus. Eclipsis nomen Thucydides usurpat, secus Herodotus, qui noctem pro die esse factam dicit, quum vult eclipsem significare.

DISSERTATIO XII.

Quæ cum Septima est conjungenda, qua de belli, quod Thucydides narrat, nomine, ejusque causis disceptatur.

OMnes ferè, qui Respublicas evertերunt, aut ære alieno oppressi, aut magnis sceleribus inquinati erant; quapropter etiam Periclem quidam tradunt Peloponesiacum bellum excitasse, ne sumptuum rationem reddere cogeretur; sed profectò falluntur. Nulla res magis in officio continet imperia, quàm metus hostium; eo autem sublato dissolvitur disciplina, & inde bella civilia oriuntur; itaque longè prudentior fuit Scipio Nasica, qui auctor semper servandæ Carthaginis fuit, quàm Cato, qui excindendam censuit.

DISSERTATIO XIII.

De Pausania morum mutatione, perfidiâ, supplicioque.

PRoverbium *Staterii paries* significat, ne tacenda proloquamur. Peregrinarum vestium usus maximè offendebat Veteres; necnon siquis molliore cultu incederet. Discincta vita pro solutâ sæpissimè accipitur. Voluptates insolitæ magis animum labefactant, ut multis Lacedæmoniorum exemplis evincitur.

DISSERTATIO XIV.

De Cylone Atheniensi, ejusque cæde; De Epimenide, qui Athenas lustravit.

EPimenides ab aliquibus inter septem Sapientes collocatur, excluso Periandro, utpote tyranno; sed Plato Mysonem inter eos statuit, alii Anacharsin, alii alios. Epimenides quinquaginta septē annos dormivit, & sapientiam suscepit; inde ad centesimum quinquagesimum ætatis annum pervenit; vocatur Græcorum propheta a Divo Paulo, & ejus versus citatur. Extant exempla multorum, qui pestem, aut grandinem avertisse dicuntur; necnon ventos evocarunt, aut prohibuerunt; Æacus verò pluviam impetravit. Expiationibus adhibebantur oleæ rami, aqua, sulphur, ovs, sal, & laurus.

DISSERTATIO XV.

De Athletarum, qui in sacris certaminibus vicerant, gloriâ; de Athletis etiam plusculu adnectuntur.

GRæci majoribus præmiis affecerunt ludicras artes, quàm doctos viros, imperatoresque summos; quos etiam aut exilio, aut morte mulctarunt; nec minùs Romani corruptâ disciplinâ leves artes opibus, & honoribus cumularunt; inopes autem neglexerunt viros ingenio præstantes, & aurigarum studio insaniverunt. Sortitio Athletarum quomodo fieret. Pueri, qui in sacris

sacris certaminibus decertabant; erant planè impuberes, non imberbes adolescentes, ut docet Faber. Græci veteres in certaminibus genitalia præcingebant; primus autem Acanthus Lacedæmonius nudus in stadio decucurrit; mox verò etiam virgines nudas Lacedæmonii decertare coëgerunt. Dionysius Halicarnasseus non rectè arguit Romanos a Græcis originem ducere, quia subligaculis uterentur; quum etiam Barbari omnes pudenda velarent. Athletæ dicebantur victi aut animo, aut corpore.

DISSERTATIO XVI.

De Palæstris.

BEllo utiliores erant exercitationes Romanorum, quàm Græcorum Palæstræ. Ungebantur Veteres ceromate in Palæstris, quod ξηραλοιφεῖν dicebatur, ut distingueretur ab unctione, qua in balneis utebantur; hinc multorum Auctorum interpretatio habetur. Unde *in arenam descendere* originem duxerit, & pulvis pro labore accipiatur. Lacedæmonii primi hostium duces pretio eorruperunt. Cur Palæstræ non solum Herculi, sed etiam Apollini, & Mercurio dedicatæ essent.

DISSERTATIO XVII.

De iisdem Palæstris.

LAmpadum ludus quomodo peragere-tur, ex quo plurium Auctorum loca explicantur; & apparet Vulcanium sæpiùs malè interpretatum esse Arrianum. Nihil egregium sine amore effici potest; ideo in Palæstris, & in ipsâ Academiâ Amoris simulacrum eollocatum erat; quare non omnino justè in hoc reprehenduntur Antiqui a Lactantio, & Salviano; quum in Academiâ ridere effusiùs non liceret, & in Palæstris Gymnasiarchi obscenitates coërcerent. Solon sanxit, ut, siquis, qui ex ephebis excessisset, in scholis versaretur, capite plecteretur.

DISSERTATIO XVIII.

Quænam Deæ Σεμναὶ vocarentur, & de Furiis multa.

EPidamnus Dyrrhachium appellatum est, quia Veteres ea, quæ infaustum nomen haberent, nominare verebantur; sicut etiam, quæ sacra haberentur; hinc Apollodorus negat ab Antiquis cerebrum unquam nominari; sed hoc ex Homero falsum evincitur. Sternutamenta tanquam sacra adorabant, & ex ipsis omina captabant. Deæ Semnæ sunt eædem, ac Furiæ; licet Philemon diversas putet; duas Phylarchus recenset; plerique tamen tres esse tradunt; appellatæ autem sunt Eumenides ab Oreste, quia ipsi benevolæ fuissent; quare falsò putavit Scaliger per antiphrasin appellari. Furiæ sunt tres animi perturbationes, scilicet ira, cupiditas, libido. Proverbium *alia apud alios pulchra* unde fluxerit. Antiqui tam bona, quàm mala, immo etiam vitia, & res obscenas Deorum nominibus, ac templis colebant.

DISSERTATIO XIX.

De duobus principiis boni, & mali, quæ nonnulli posuerunt, & de Furiis.

PLato, atque alii philosophi Deum nullius auctorem mali esse existimarunt; quam sententiam malè aliqui interpretati Deum omnium esse auctorem negarunt; & Gnostici animas a contemplatione summi boni prolapsas Mundum fabricasse dixerunt; alii verò duos Mundi conditores ponebant, alterum bonorum, alterum malorum auctorem; & hunc quidem Ægyptii Typhonis, illum Osiridis nomine exprimebant; hinc Maniehæi stultissimè multa sunt fabulati de duobus principiis boni, & mali. Furias esse animi cupiditates Lactantius docet; alii tamen esse pœnas a scelerum conscientiâ profectas, quas Deus in impios constituit, & nemo effugit, ut multis exemplis patet.

DISSERTATIO XX.

De Hilotis Lacedæmoniorum Servis, & de Servis multa.

ROmani Brutiis pro Servis utebantur; sic etiam Thessali Bœotis, quum Patriam relinquere noluissent, & Menestæ a manendo fuerunt appellati; postea verò Penestæ; Mariandyni verò quum se regere non possent, se tanquam servos Heracleotis dediderunt; alii pariter alios pro servis habuerunt. Ephori quum magistratum inirent, bellum servis indicebant. Cato reprehendebatur, quòd mancipia ætate confecta venderet. Servi multos potentissimos populos, ipsos etiam Romanos prœliis afflixerunt; Ephesum condiderunt. Multitudo servorum apud Antiquos. Ovinius martyr quinque millia servorum manumisit; & octo millia Melania.

DIS-

DISSERTATIO XXI.

In qua de Servis, ut in Superiore agitur.

HEroicis temporibus homines paucis contenti erant; ideo nec Servis indigebant; itaut Reges sibi ipsis dapes appararent, & hospitibus ministrarent; quare ineptè quidam Homerum reprehendunt; in quo si Virgilius illum non est imitatus, ad magnificentiam sui sæculi respexit. Servi a servando appellati. Lacedæmonii servitium invenisse dicuntur; primi autem Chii pretio mancipia compararunt; quæ eorum pretia essent. Artificia omnia servorum operâ expediebantur; & quidem notarii erant, & grammaticam docebant, & medicinam faciebant; educabant etiam pueros, & pædagogi vocabantur; quin & aliqui philosophi extiterunt. Musicam verò maximè exercebant; hinc in conviviis servorum usus maximus; quum etiam essent, qui *ad pedes*, seu *circum pedes* appellabantur; alii autem a curâ catellæ erant, alii a cunis movendis.

DISSERTATIO XXII.

In qua de funeribus Antiquorum disceptatur.

DEfunctorum laudationes quis instituerit. Curules magistratus adepti imagines Majorum consequi dicebantur. Alexander Severus Ciceronis, Virgilii, Achillis, & aliorum heroum imagines habebat in Larario secundo; Alexandri verò Magni simulacrum inter Divos collocarat. Antonini Philosophi imagines qui non haberet, quum posset, sacrilegus habebatur. Προτίθεμαι significat *proponere*, & est proprium funerum; cui simile est verbum *producere*. Augustus auditâ clade Varianâ caput foribus illidebat. Præficarum munus. Næniæ quid esset, & quis ejus auctor? Mulieres effusissimè in lacrimas. Quid esset tacitum funus.

DISSERTATIO XXIII.

De iisdem Funeribus in eundem Thucydidis locum.

SOlon, & Epicurus ipse, qui nullum post mortem sensum superesse hominibus credidit, memoriam sui defunctorum celebrari præceperunt; quare verissimum est Pyrrhonis dictum, *hominem exuere difficillimum*. Galli servos, clientesque cum dominis concremabant; alii maximè dilectam defuncto uxorem immolabant; alii verò cum Rege defuncto præcipuam concubinam sepeliebant. Cupressus quare funeribus dicata esset.

DISSERTATIO XXIV.

In qua de Funeribus disputatur, ut in Superioribus.

IMaginarium funus quid esset, & quid cenotaphium. Manes insepultorum Antiqui errare credebant. In Urbe sepeliri mortuos prohibitum erat; Imperatoribus verò, ac triumphalibus viris, Vestalibusque concessum; sed nullus, præter Trajanum, ad invidiam declinandam sepultus est. Porta Libitinensis dicebatur ea, qua efferebantur cadavera. Flamini Diali neque fabam tangere, neque nominare licebat. An concremarentur cadavera.

DISSERTATIO XXV.

De Supplicibus.

QUamplures licet gravia passi Supplicibus pepercerunt. Vestam veluti Universi Larem, seu focum censebant; & tanquam antiquissimam adorabant; ideo Vestæ ante omnes in sacrificiis libabant. Asylorum origo, & auctores, qui fuerint. Quæ templa Asylorum jus habuerint. Hujusmodi honor non solùm Deorum, sed etiam Principum statuis habebatur. Pindarus Ephesi tyrannus, quum urbis portas templo alligasset, ab obsidione Crœsi se liberavit. Omnes, qui templa violarunt, miserrimè perierunt.

DISSERTATIO XXVI.

De Supplicibus, & supplicandi ritibus.

VOx γενεῖον potiùs *barbam*, quàm *mentum* significat. Numa instituit, ut Fidei sacrum fieret dexterâ usque ad digitos involutâ, ut significaret fidem tutandam, ejusque sedem in dextris esse. Scytharum, & Regum Orientis mos, qui sanguine inviolabile fœdus inibant. Aræ antiquitus appellabantur ansæ, quia Supplices eas apprehendebant. Hominem, quum multis periculis obnoxius sit, multis etiam sese ultro offerat, natura voluit plura habere instrumenta auxilii implorandi; hinc etiam, quibus imbecillis sexus, vel ætas, lacrimæ datæ faciliores.

DIS-

DISSERTATIO XXVII.

In qua duæ clarissimæ Civitates Athenæ, & Lacedæmon comparantur.

ATheneniensium civitas vitiis omnibus, omnibusque virtutibus abundabat; quod Parrhasius picturâ exprimere ausus est. Lacedæmonii lege caverant, ne quis nauticam exerceret. Lex erat Athenis, quæ permittebat filiis non alere parentes, si ipsi non curassent, ut aliquam artem filii condiscerent. Areopagitæ puniebant eos, qui nullam artem facerent; itaque Herondas quendam otii damnatum dixit pœnas ferre libertatis. Spartanus nullus orator fuit, aut philosophus, aut poeta. Lacedæmones Archilochum ex urbe ejecerunt, quia scripsisset in bello satiùs esse clypeum abjicere, quàm vitam profundere; & Ctesiphontem, quòd se jactasset de qualibet re propositâ posse dicendo diem consumere. Isocrates Athenas nobili scorto comparabat; quod sicut multi ad illud libidinis explendæ causâ commeant, nemo tamen velit matrimonio copulari; ita Athenas animi causâ multos convenire, sed neminem sibi eam Patriam optare. Advenæ Lacedæmone pellebantur, & vetitum erat cives in externâ regione diutiùs sine causâ versari. Terpandrum Lacedæmonii mulctarunt, quòd octavam chordam in citharâ invenisset. Populus Atheniensis respuit Themistoclis consilium licet utilissimum, quòd esset injustum.

DISSERTATIO XXVIII.

De quibusdam ritibus Nuptiarum.

NUptiæ imaginem quandam belli præseferebant. Spartanorum imperatores, antequam prœlium inirent, Musis sacrificabant. Reges quarumdam nationum ex peculiaribus fluminibus dumtaxat aquam bibebant; hinc etiam sacrificantes certis tantùm fontibus utebantur. Novæ Nuptæ, & sacrificaturi, ut puri essent, abluebantur; non eodem tamen modo, quum superis, & quum Infernis Diis rem divinam faciebant. Faces novæ Nuptæ præferebant pueri matrimi, patrimique a Græcis daduchi appellati, quos a Latinis lautos nominatos Muretus putat; his autem facibus extinctis ad struendum rogum uti, vel sub lecto eas condere ominosum ducebatur; porro eæ quinque erant, quòd is numerus ex primo pari, & primo impari, tanquam feminâ, & viro constet; vel quòd plures fetus procreari non possint, ut auctor est Aristoteles; quanquam Plinius septenos genitos prodiderit; & ex albâ spina conficiebantur; hinc rectè Parthenius in Catulli versu *spineam* pro *pineam* reposuit. Aqua, & ignis in limine novæ Nuptæ apponebatur, quia his hominum vita continetur; vel quia alter formæ, altera materiæ speciem præseferat; & altera feminæ, alter mari similis videatur.

DISSERTATIO XXIX.

De Nuptiis.

PRonuba a Græcis promnestria dicitur. Quinque Dii in Nuptiis invocabantur; ideo etiam quinque faces adhiberi quidam autumant. Cujus filius fuerit Hymenæus, & quare in Nuptiis invocaretur; sicut etiam unde ita sit appellatus, alii aliter tradunt. Anatomici negant ullam esse membranam in naturâ muliebri, ex qua nomen accipere potuerit Hymenæus. Nec minùs controversum est, cur a Romanis Thalassius invocaretur, & unde hoc nomen originem duxerit. Obscena carmina, quæ in Nuptiis canebantur, Fescennina a Fescennio Campaniæ oppido dicebantur, non a fascino, ut quibusdam visum est. Nupta verba obscena dicuntur. Pertunda erat Dea, quæ maritis virginalem scrobem effodientibus præstò erat. Futinus, seu Mutinus Deus idem, ac Priapus. Ritus planè absurdi in contrahendis matrimoniis diversarum gentium.

DISSERTATIO XXX.

In qua de iisdem Nuptiis agitur.

APud Babylonios, Assyriosque ditissimi pulcherrimas sibi uxores ingenti pretio coëmebant; hæc autem pecuniæ summa in deformium dotem cedebat, quas inopes ducebant; apud alios alii etiam Nuptiarum ritus absurdi habebantur. Contrahebatur matrimonium usu, quod injustum appellatur, & inde uxor usuraria dicitur; farre, & coëmptione, quod justum nominatur. Primus Nuptiarum dies Proaulia dicebatur, Apaulia secundus, tertius Epaulia, latinè Repotia. Funera nono die absolvebant, tribus diebus Nuptias, quia breviorem luctu voluptatem esse oportet. Risus ante quadragesimum diem infantibus non contingit; solus Zoroaster natus est ridens. Caranus in filii Nuptiis viginti convivis adeo pretiosa munera dedit, ut singuli domos, & agros emerint. Scaliger existimat virgines semper uti solitas cingulo, licet alii dubitent, an die Nuptiarum dumtaxat uterentur. Nuces spargebat Sponsus, ut ostenderet se nugas reliquisse, quum nuces pro nugis accipiantur; quam causam

affert

affert Scaliger, sed alias alii afferunt. Viri Genios, Junones autem sibi mulieres adoptabant.

DISSERTATIO XXXI.

De Nuptiis Antiquorum.

Cornices quum societatem coiverint, mirâ concordiâ vivunt, neque inter se temerè, licenterque miscentur, & alterâ extinctâ superstes vidua degit; ideo in Nuptiis optimum augurium habentur; hinc etiam Angelus Politianus locum Juvenalis de cornice intelligit, quem alii de ciconiâ accipiunt. Contra fulmen infaustum est augurium; quamobrem reprehendendus est Claudianus, qui in Nuptiis Plutonis, & Proserpinæ fulmen adhibet; nec rectè Virgilium imitatur. Quare sponsus Cajus, Caja sponsa diceretur. In coëmptionis contractu omnes feminæ Cajæ vocabantur. Controversum est utrum nova Nupta flammeo pudoris, an ominis ergo velaretur; ab eo Nuptiæ sunt appellatæ; nam verbum *nubo* Antiquis *tegere* significabat; idcirco Neptunus a *nubendo* dictus; & meritò Cicero deridet eos, qui a *nando* deducunt; quare frustra Vossius censet in eo loco pro *nando* legendum esse *nubendo*. Stoicorum etymologiæ duriusculæ erant. Veneris, Mavortis, Minervæ, & Saturni, atque fidei nomen unde deducatur. Munera, quæ sponsæ dabantur, anacalypteria, & parapherna nuncupabantur; hinc Diodorus Siculus tradit Proserpinam pro anacalypteriis accepisse Siciliam. Pronubus vocabatur anulus ferreus sine gemmâ; quem accipiebat sponsa. Mundum muliebrem qui ferebat, Camillus appellabatur. Affinis, qui eodem curru cum sponso, & sponsâ vehebatur, parochus, seu paranymphus dicebatur. Axis currus, quo vecta erat uxor mariti domum, incendebatur, ut ea intelligerèt, perpetuò ibi manendum.

DISSERTATIO XXXII.

De diverso more Persarum, & Thraciæ Regum in Muneribus.

Thracum Reges munera accipiebant; largiebantur autem Persarum Reges. Xenophon a Seuthe convivio exceptus, quum alii quique ingentia dona afferrent, se se, & milites suos Regi obtulit; sic Æschines Socrati se totum dedidit. Cyrus Amicis pecuniâ se indigere scripsit, quum autem quisque ingentes opes pollicitus fuisset; hos esse suos thesauros Crœso dixit, quos fidelioribus committeret custodibus, suis nempe Amicis; quàm si in arce quantumvis munitâ conderet. Rex Artaxerxes Themistocli quinque urbes ad vinum, panem, opsonium, stragula, & vestes comparanda largitus est. Cyrus pariter Pytharcho septem donavit urbes. Rex Persarum cuidam Rustico, qui pomum ingens ei donaverat, urbem dono dedit dicens eum posse urbem etiam ex parvâ magnam efficere. Qui bonum attulisset consilium, aureo quidem latere apud Persas donabatur; sed flagris cædebatur, si consilium contra sententiam Regis esset. Dionysius senior filium regno indignum censuit, quòd tantis opibus nullum sibi Amicum parasset. Non qui multa possidet, sed qui paucis indiget, dives est; quod exemplo confirmatur aliquorum, quibus, quum nihil ferè possiderent, nihil defuit; quum tamen multi Romani Imperatores in egestate summâ vixerint.

DISSERTATIO XXXIII.

In qua de Siciliæ descriptione Thucydideâ disseritur.

Sicilia ingeniorum proventu, atque omnium rerum affluentiâ beatissima fuit; adeout cella penaria a Catone appelletur. Convenientius Cicero Siculos acutos dicit, quàm Plutarchus Timæum adipe Siculo conditum. Circa Ætnam canes propter odoris copiam ferarum vestigia non sentiunt. Siculæ mensæ celebratissimæ. Syracusæ vigintiduo millia passuum ambitu complectebantur, cui par hodie nulla est urbs in Europâ. Historici, qui sua scripta ad vulgi captum accommodant, ex ambitu regionum magnitudinem colligunt: sic Thucydides Thraciæ, & Siciliæ magnitudinem definit; ceterum hæc ratio metiendi regiones maximè fallax, ut constat ex Pappo Alexandrino; hinc licet India multo major sit Arabiâ, Arabiæ maritima non esse minora Indicis tradit Arrianus, quem Intepres non bene vertit. Certior itaque ratio metiendi Siciliam, quum ejus forma triangula sit, fuerit, si statuatur longitudo cujusque lateris; nam tribus trianguli lateribus cognitis, & areæ magnitudo cognoscitur; sed horum longitudinem alii aliam tradunt; Thucydides, & Plinius dissentiunt in statuendâ Siciliæ ab Italiâ distantiâ. Tempestatis violentiâ Sicilia ab Italiâ divisa est; & hinc Rhegium fuit appellatum; idem & aliis insulis accidit; aliæ verò eadem violentiâ terris adhæserunt.

DIS-

DISSERTATIO XXXIV.

In Thucydidis locum, ubi Siciliam describit.

QUamplures insulæ repente e mari emerserunt; contra aliæ fluctuum violentiâ absorptæ sunt. Mediterraneum ipsum Pelagus Oceano irrumpente olim extitisse Plato prodidit. Deucalionem, & Pyrrham genus humanum reparasse in Ætnâ tradit Hyginus, alii in Acdo Phrygiæ Petrâ, alii in Parnasso. Ex eo quòd poetæ animi vitia ad corpus transferant, Cyclopes unum tantùm oculum habere fingebantur, quia nullas leges noverant; ceterùm ærariam invenerunt, & turres primi construxerunt; hinc artificiosa ædificia dicuntur opera Cyclopum; quod multis Auctoribus lumen adhibere possit. Nulli alii Cyclopes, quàm Siculi extiterunt; quidquid aliqui Cyclopum genera distinguant. Læstrigones etiam immanes populi fuerunt, & Leontinos esse Strabo tradit; nonnulli tamen habitasse Formiis putant.

DISSERTATIO XXXV.

In eundem Thucydidis locum, ubi de Siciliæ incolis agitur.

HOmerus quum finxit Jovem duo habere dolia, ex altero quorum bona, ex altero mala proficiscantur, nihil aliud significare voluit, quàm Deum nullum sincerum bonum tribuere Mortalibus, sed omnia malis permiscere; quod evenit, quia quæ bona, aut mala judicantur, non sint hujusmodi; Deus enim justa Platonem nullius auctor mali est. Provinciæ quo magis copiis affluunt, eo frequentioribus cladibus confligantur, ut Italiæ, & Siciliæ accidit; ideo Tacitus Germaniam semper ab iisdem habitatam censet. Sicani se ex eadem terrâ editos, quam habitarent, prædicabant; constat tamen ex Hispaniâ advenisse; & appellatos a flumine Thucydides putat; Martianus autem Capella ab eorum Rege. Siciliam a tribus promontoriis Trinacriam appellant Græci, Latini autem Triquetram. Post exeidium Trojæ plurimæ urbes conditæ sunt; Deus enim hominum consilia in melius convertit. Siculos in Italiam venisse trecentis annis ante conditas Syracusas, quæ Romuli ætate ædificatæ sunt, refert Thucydides; Dionysius autem Halicarnasseus tribus ætatibus, hoc est centum ferè annis ante exeidium Trojæ, quod quadringentis triginta duobus annis ante conditam Romam aceidit; ducentorum itaque annorum extat inter eos diserimen.

DISSERTATIO XXXVI.

In eundem Thucydidis locum de Siciliæ, Italiæque incolis.

SIculi fuerunt Ligures, & ab Opicis Italiâ pulsi Siciliæ, quam oceuparunt, nomen dederunt. Opicos a serpentibus appellatos Stephanus putat; quamquam Vossius reprehendit illum, necnon & Servium, qui dixit Campanos Opicos, vel Oscos a serpentium copiâ nuncupari; Scaliger autem Opicos ab Ope nominatos censet. *Opicus* apud Latinos idem sonat, quod apud Græcos *barbarus*. Olci in campaniâ habitabant, & ab his *obsceni* nomen Festus derivat; veriùs tamen fortasse Varro a scenâ deducit. Plurimi Reges regionibus nomen indiderunt; sic Italiæ Italus; alii tamen, quòd eximiæ magnitudinis boves gignat, ita dictam putant; quum taurum *italum* Tyrrheni vocarent. Oenotriæ verò nomen Italiæ inditum ab Oenotro Dionysius Halicarnasseus tradit; Servius autem ab excellentis copiâ vini; qui pariter Hesperiam ab Hespero Atlantis fratre nuncupatam arbitratur; verisimiliùs tamen Macrobius Græcos hujus nominis auctores facit; quòd Italia, si e Græciâ spectetur, ad Occidentem pertinere videatur. Archilochus, qui junior est Eumelo poëtâ, floruit Olimpiade vigesimâ; hoc est post conditam Urbem annis ferè sexaginta. Archias Syracusas condens petiit divitias; sanitatem verò Miscellus Crotonis conditor; quæ utérque suæ civitati obtinuit. Leontinorum urbs quinque annis post Syracusas condita est.

DISSERTATIO XXXVII.

De duorum Ducum Atheniensium Niciæ, & Alcibiadis ingeniis diversis; & de Hippotrophiâ.

IN ducibus multæ, ac diversæ virtutes requiruntur; ideo optimum est consilium conjungere imperatores diversorum morum; quod perpetuò observarunt Romani; & si quando secus censuerunt, ipsis malè cessit. Liberis civitatibus nihil magis suspectum, quàm fastus; quem non in civibus tantùm, sed in externis etiam Regibus oderunt. Alcibiades quum peregrinaretur, quatuor urbibus tanquam famulis, abutebatur. Thucydides, & Plutarchus tradunt Alcibiadem in ludis olympicis primam, secundam, & quartam palmam reportasse; quapropter Casaubonus putat Euripidem tertiam loco quartæ posuisse; sed fallitur fortasse, quia Isocrates etiam tertiam recenset.

§§§§ DIS-

DISSERTATIO XXXVIII.

De oraculi responso, quo Lacedæmoniis Apollo promisit se ipsis affuturum; & cur ad pestem id pertinere homines ejus ætatis censuerint.

ATheniensis Æginetis omnibus pollices abscíderunt, ut remos ferre possent, non possent hastam. Hippocratem nonnulli ferunt artem medicam compilasse ex tabellis, in quibus ægroti, qui in templis somnia captabant, perscripserant, quod medicamentum cuique morbo esset adhibendum. Quid quisque Æsculapius in medicinâ repererit. Hyginus refert Æsculapium clinicen exeogitasse; Hippocratem Plinius. Apollinem Veteres dextrâ Gratias gerentem, sagittas lævâ fingebant; ut significarent eum & sanitatis, & morborum auctorem. Apollinis nomen alii *a perdendo*, alii ab *abigendo morbos* deducunt. Ægyptii Solem accipitris formâ exprimebant. Lucis, & sagittarum maxima similitudo. Quare animantes prius pestem sentiant.

DISSERTATIO XXXIX.

Qua de insulâ Delo, quam Thucydides ab Atheniensibus purgatam esse memorat, multa disseruntur.

QUi natus est, aliquando non fuit; qui verò aliquando non fuit, potest etiam aliquando non esse, & proinde mortalis est; quamobrem si Deus fuisset natus, ut opinabantur Veteres, mori potuisset; immerito tamen Vellejus apud Ciceronem Platonem reprehendit, quòd quum Mundum genitum esse confirmarit, futurum dixerit sempiternum; nec enim est absurdum, quòd Deus, qui Mundum condidit, illum etiam conservet. Lege sancitum fuit, ne quis in insulâ Delo aut nasceretur, aut moreretur. Historicis licet ad historiam illustrandam fabulis abuti. Delus quasi *manifesta* dicta est; multis autem aliis nominibus appellata fuit. Apollinem Delium nuncupatum a Delo quidam putant; Ponticus autem Heraclides a claritate. Poëtæ tradunt Latonam peperisse innixam palmæ, alii olivæ, alii utrique; sed Plutarchus refert prope duos fontes, quorum alter Palma, alter Olea vocaretur, Latonam edidisse Apollinem, & Dianam; Ephesii etiam illos apud se natos gloriabantur. Apollines quatuor fuerunt.

DISSERTATIO XL.

De religione insulæ Deli.

NIhil superbius est homine. In insulâ Delo erat ara ex sinistris cervorum cornibus compacta; quò pertinere Martialis carmen putat Angelus Politianus; licet perperam alii de Jovis Hammonis arâ intelligant. Vocabantur Theori, qui ad rem divinam Apollini faciendam mittebantur; hinc explicatur Plutarchi locus. Faba ad mortuos pertinere putabatur. Si fortè Vestalis incidisset in eum, qui ad mortem duceretur, ille statim liberabatur. Vitam hominum esse mortem censuit Thales; & Pythagorei existimarunt animal quidem mori, quum animus a corpore separatur; animam autem, quum in lucem edimur. Veteres quum quid slicui Numini dicare volebant, id ejus templo alligabant; idcirco Pindarus Ephesum Dianæ Ephesinæ templo reste conjunxit, & ab obsidione Crœsi urbem liberavit.

DISSERTATIO XLI.

Qua ostenditur ea, quæ cupiunt homines, solere sperare.

SPes in adversis quidem solatio est, sed in prosperis nimis nobis blanditur, & adulatur; ut anceps admodum sit, boni plus, an mali pariat. A spe oritur cupiditas, & vicissim spem cupiditas gignit. Multi Reges, & etiam privati se Deos credi voluerunt; quinimmo se esse aliqui opinati sunt. Alexander venereà voluptate, & somno se admoneri suæ mortalitatis ajebat. Justinianus se se in Cœlum viventem translatum iri persuaserat. Adulatoribus quàm stultè multi crediderint, & speraverint divitias. Cæsellius Bassus somnio delusus credidit se in agro suo habere Didonis thesauros, idque Neroni persuasit; his autem non repertis sibi mortem conscivit. Auri conficiendi libido quàm sit inania.

DISSERTATIO XLII.

Super eodem argumento.

NIhil molestiùs ferunt homines, quàm servitutem; quare nihil etiam magis concupiscunt, quàm Regnum; quod Livius esse rem inter Deos, hominesque pulcherrimam dixit. Servus Othone, & Vitellio de Imperio certantibus in spem Regni erectus est; quia quandam Neronis præseferret similitudinem; Augusto etiam Telephus servus Imperium eripere tentavit. Quot virorum insi-

insidiis Augustus petitus fuerit. Plurima divinandi genera excogitarunt homines. Spes esse vigilantium somnia, dixerunt Plato, & Aristoteles. Odatis Zariadren, & Zariadres Odatin in somnis visam adamavit.

DISSERTATIO XLIII.

Qua Thucydidis illustratur sententia affirmantis eas Civitates esse mutationibus obnoxias, ubi fame laboratur.

INfimæ plebis homines nihil, præter alimenta, desiderant; hæc autem assequuti optant opes, tum honores, inde etiam principatum; quibus potiti divinitatem quamdam affectant; hinc superbissima illa nomina Deorum propria ab hominibus usurpata, quæ tamen Tiberius contempsit. Alexander moribundus in Euphratem præcipitare se voluit, ut in Cœlum translatus videretur.

DISSERTATIO XLIV.

De Atheniensium temeritate, qua Peloponesiaco bello impediti bellum Siculum susceperant.

CArthaginienses longè potentiores erant qualibet Græcâ Republicâ. Italia quingentos annos Romanis restitit: Respublicæ, quum a populo reguntur, inconsultè multa decernunt. Romani, Philippus, & Alexander caverunt maximè, ne cum pluribus hostibus pugnare cogerentur; secus Athenienses; ideoque reprehendendi. Ineptè Fabius Maximus Scipionem dissuadebat a transferendo in Africam bello; Cyri etiam clades ipsius incuriâ contigit, non quòd in alienâ regione decertaverit.

DISSERTATIO XLV.

Qua ostenditur bellum in hostilem regionem inferre, quàm illatum repellere magis expedire.

HAnnibali capiendæ Romæ magis defuit voluntas, quàm facultas. Amilcar Hannibali comparandus erat. Illyriorum Regem Gentium Octavius intra quindecim dies Regno deturbavit. Qui in externâ regione bellum gerunt, alunt exercitum sumptibus hostium. Alexander, quum trajecit Hellespontum Persarum imperium eversurus, septuaginta dumtaxat talenta habebat. Alexandri exercitus e sertatoribus, non e militibus constare videbatur. Scauri autem exercitus, quum arborem pomiferam castris esset complexus discedens intactam reliquit. Philippus plures urbes sociorum excidit, quàm hostium Romani.

DISSERTATIO XLVI.

De Hermis, quibus caput amputasse Alcibiades accusatus in exilium abivit.

PArmeniscus quum in antrum Trophonii descendisset, tantâ tristitiâ affectus est, ut amplius ridere non posset; verùm quum in Delo informe lignum pro Latonæ simulacro conspexisset, effusus in risum, & ægritudine liberatus est. Cybele a cubo dicta est. Mercurius cubi formâ fingebatur, quia nihil aliud sit, quàm sermo, & ratio; non verò, quia quatuor artes invenerit, sicut Homeri Interpres censet. Varia est quadratæ statuæ significatio; præcipuè verò dicitur, quæ manibus, & pedibus caret; quam significationem Petavius in interpretatione Themistii non intellexit. Hermam Sidonius Apollinaris pro stolido accipit. Mercurius lucro præest; ideo Antiqui illum cum erumenâ finxerunt; quemadmodum Phœnices ceteros etiam Deos conformarunt; quia omnia nobis a Deo tribuantur.

DISSERTATIO XLVII.

Qua exponitur, quo pacto Solon Atheniensium civitatem diviserit.

SErvius Rex primus Romæ nummos cudit; in Græciâ Æginetæ; in Italiâ Janus; unde in aliquibus numismatis Jani bifrontis effigies cernitur. Aristophanis Interpres, & eum sequutus Cælius Rhodiginus errat, quum tradit populum Atheniensem in tres classes fuisse distributum; nam Solon eum distinxit in pentacosiomedimnos, equites, zeugitas, ac thetas, qui responderit proletariis Romanorum; errat etiam, quum medimnum esse terræ mensuram censet. Quot libras continerent medimnus, modius, amphora, chœnix, & sextarius. Unde medimnus appellatus sit. Georgius Agricola arbitratur medimnum sex modios continere, unum sextarium, & quatuor uncias; Pancirolus autem sex dumtaxat modiorum fuisse capacem. Isocrates quum magnas opes cumulasset, coactus est triremem suo sumptu conducere, quum bis id munus recusasset. Socrates hominis opulenti sortem tanquam pauperis miserabatur.

DISSERTATIO XLVIII.

De Terræmotibus.

TErræmotus initio rerum agendarum contingens rem susceptam dirimebat. Thales existimavit terram tanquam navigium Oceano vehi, eo autem fluctuante Terræmotum existere; alii terram esse animal sunt opinati, & Terræmotum esse horrorem, qui animantibus in febribus contingere solet. Anaxagoram credidisse causam Terræmotus esse æthérem, qui incurrat in terræ partem nostris vestigiis oppositam, & impetu feratur usque ad terræ, quam incolimus, superficiem tradit Aristoteles; qui absurdas philosophis tribuere solet sententias, ut quum facilè eas convellerit, victor omnium videatur; alii alias causas Terræmotus finxerunt. Fundamenta Neptuno consecrata erant. Sub terrâ esse ingentes fluvios, & lacus poëtæ prodiderunt. Seneca negat ullum motum ultra ducenta millia passuum pertingere. Terræmotus totum Orbem concussit; navigia supra muros urbis, atque alius supra montes stadia centum distantes sustulit. In Asiâ unâ nocte duodecim urbes, totidemque in campaniâ Terræmotu concidisse; & montes duos inter se concurisse ferunt. Urbes cum mœnibus intactas e montibus in plana deduxit Terræmotus; & Ossam ab Olympo, Abylam a Calpe, Siciliam ab Italiâ diremit. Eustathius tria genera Terræmotuum recenset; & ideo Neptuno tridentem vult attributum; alii verò plura enumerant; & suo unumquodque nomine appellant. Pherecydes Pythagoræ doctor hauftâ e puteo aquâ Terræmotum prædixit. Plurima signa futuri Terræmotus. Sub terrâ sunt pestilentes spiritus, qui erumpunt in Terræmotibus; ideoque interdum greges ovium exanimati sunt; aliquando etiam angina, aliquando pestis miserandam hominum stragem edidit. Pausanias tradit in Terræmotibus columnas, & parietes ad solum præcipites ferri, ac deinde in pristinum restitui locum; Seneca pariter diduci parietum angulos, iterumque conjungi, trabiumque capita a parietibus recedere, & sine ruinâ in locum suum referri. Omnia loca, regionesque Terræmotibus obnoxiæ sunt; licet de aliquibus id quidam negent. Romani, Pœnique quum inter se dimicarent, non sensere Terræmotum, qui urbes evertit. Nequaquam verum videtur, quod Seneca tradit, primos Terræmotuum impetus esse violentissimos; posteriores verò infirmiores. Ædificiorum fornices, & parietum anguli tutissimi sunt in Terræmotibus; lateritii quoque parietes tutiores sunt, quàm cæmentitii, aut quadrato lapide constructi. Ctesiphon architectus Ephesinæ Dianæ templum, ne Terræmotibus everteretur, in palustri loco condidit, ac ne labaret, calcatos substravit carbones velleribus lanæ superinjectis.

DISSERTATIO IL.

Ignem attritu arborum interdum accendi.

PHoroneum primum ignem elicuisse quidam tradunt; plerique verò Prometheum; sed Homerus ignis inventorem Mercurium facit. Ignem e silice excussit Pyrodes; nam priùs (licet Plinius aliter sentiat) e lignis attritis ignem exterebant; ad id autem aptissimas esse laurum, & athragenen Theophrastus tradit; at Plinius, & Seneca pro athragene hederam laudant. Chalybem Chalybes, aut Idæi Dactyli, aut Cyclopes invenerunt. Seneca, & Stoici nubium attritu fulmina gigni censent.

DISSERTATIO L.

In qua agitur de Proditoribus.

PLerique omnes proditionem amant; odio verò habent proditores; & proinde qui a sociis desciscunt, summâ ope niti debent, ut omnem infidelitatis opinionem removeant. Sylla servum, qui dominum sibi prodiderat, libertate quidem donavit; at præcipitem deinde e saxo dejecit. Fabricius medicum hostis Pyrrhi, qui eum se veneno sublaturum pollicitus fuerat, Pyrrho indicavit. Zeno Imperator Armatium, qui prodito Basilisco se cum ipso conjunxerat, e medio sustulit.

DISSERTATIO LI.

Super eodem Argumento.

POlybius Demosthenem reprehendit, quòd omnes, qui suæ Patriæ rem ad Philippum, vel Alexandrum inclinarunt, proditores appellet. Libertatis nimio studio libertas perit. Species est libertatis velle, quod jubearis. Lastheni, quum apud Philippum quereretur, cui Olinthum prodiderat, quòd se proditorem appellarent, respondit Philippus, Macedones esse subrusticos, *scapham* quippe *scapham* nominare. Proditores sunt, qui lucri causâ, aut aliâ cupiditate ducti Patriam produnt, quales multi recensentur; contra verò nonnulli Patriæ saluti, aut suæ prospicientes proditores habendi non sunt. Theramenes cothurnus est appellatus, quia ad omnem Reipublicæ statum se se conformaret; Cice-

Ciceronem etiam duabus sedere sellis cavillabantur invidi. Proditoribus fidendum, quum non habent, ad quem deficiant, & salutem desperant; exemplo fuerunt Campani, & Brutii, qui quum a Romanis defecissent, Pœnos nunquam deseruerunt; idcirco seditionis auctores ad ea facinora populum solent impellere, quorum veniam sperare non possint.

DISSERTATIO LII.

De Atheniensium imprudentiâ in inchoando bello Syracusano.

EOs, qui in alienas regiones bellum intulerunt, celeritate præstare oportet; contra qui in suâ regione se defendunt, cunctando plerumque bene rem gerunt; utrumque satis multis exemplis confirmatur, & rationibus. Alexander, qui tot, ac magna bella confecit, viginti natus annos imperium suscepit, trigesimotertio ætatis anno fato concessit. Hannibal nondum exacto triennio quatuor Romanorum exercitus fuderat, & principio belli nullam urbem obsedit. Scipio uno die novam Carthaginem inexpugnabile propemodum oppidum expugnavit. Arabes, & Scythæ fuere semper indomabiles, quia nullam certam sedem haberent.

DISSERTATIO LIII.

De Exercitibus recensendis, atque lustrandis, & de lustris, & lustrationibus.

XErxes loco, qui Doriscus appellabatur, & decem millia hominum capiebat, innumerabiles suas copias recensuit. Darius Charidemum hospitem, quòd utile, sed non gratum consilium dederat, interfici jussit. Utilissimum est exercitum recensere [licet id Syphaci exitio fuerit] propterea nulli ferè duces, aut poëtæ id omiserunt. Pythius, quum multos dies Xerxis exercitum aluisset, Regem rogavit, ut ex quatuor Liberis uni militiæ vacationem concederet; ille verò juvenem in duas partes dissecari jussit, & inter eas exercitum transire. Curtius pompam exercitus Persarum tanquam ad bellum proficiscentis describit; sed ea est exercitus lustratio. Sacro, quod suovetaurilia dicebatur, quia suem, ovem, taurum immolarent, exercitum Romani lustrabant, ut habetur ex Livio; Dionysius Halicarnasseus tamen prodidit arietem, taurum, & hircum in lustris mactari. Lustrum, & Olympiades quinctо quoque anno celebrabantur; ideo pro quinquennio a poëtis accipiuntur; sed quatuor dumtaxat annos continebant. Lustrum Censorinus appellat annum magnum; alii aliud temporis spatium hoc nomine accipiunt; hujus anni brumam esse diluvium, æstatem Mundi incendium nonnulli prodiderunt. Apollonius Thyaneus, quum Ephesus peste laboraret, persuasit populo, ut hominem mendicanti similem lapidibus obrueret, & id quasi piaculum pestilentiæ ad Inferos mitteret; causabatur enim ipsum esse Dæmonem, qui civitatem eâ clade vastaret. Romani quum tres Vestales corruptæ fuissent libris sibyllinis moniti duos Gallos, & duas Græcas mulieres vivas sub terrâ defoderunt. In sacro ambarvali hostiæ a duobus fratribus immolabantur; unde illud appellatum sit. Rustici in Galliâ, etiam quum Christiana religio per totum Orbem invaluisset, agros lustrabant. Oscilla sunt funes, quibus ad arborem, aut trabem alligatis asser suspenditur, cui insidet ludens, & huc, illuc asserem movet, ac movetur, exprimitque imaginem vitæ, in qua simili modo a fortunâ jactamur. Lustrationes aut aquâ fiebant, aut igne, quum in Palilibus flammas transilirent, aut aëre, ut in Oscillorum ludo; quia animus his tribus elementis purgatur. *Ceritus* apud Plautum *insanum* significat, & *circumferri, lustrari*. Sacres porci dicuntur, qui ab ubere depulsi sunt; & mysticæ hostiæ appellantur a Tibullo, quia Cereris victimæ sunt. Dies, quo lustrabantur infantes, dicebatur lustricus; & quia eodem etiam nomina maribus quidem tria, feminis verò duo imponebant, nominalia Tertullianus appellat. Superstitio veterum Christianorum imponendi nomen ex cereo, qui tardius extingueretur, ut puer diutiùs viveret. Feminæ priùs, quàm mares perficiuntur. Septimo die plerisque infantibus solvitur umbilicus. Par numerus feminæ, mari impar comparatur. Octonarius numerus, quum sit primus cubus, congruit feminæ, quam domi manere, nec mutare viros decet. Luto volutabantur superstitiosi, ut animi labem deponerent; luto etiam salivâ confecto feminæ lustrabant infantes; hinc Persii locus explicatur. Verba, quibus omnia fausta pueris ominabantur, ipsorum fata appellabant; ex quo habetur Ausonii interpretatio.

DISSERTATIO LIV.

De Siciliæ incolis ad Thucydidis locum, ubi describit Siciliam.

QUi singularum Siciliæ urbium conditores fuerint. Amphinomo, & Anapio fratribus parentes asportantibus Ætnæ incendia viam dederunt. Gela a fluvio, an a risu nuncupata sit. Messana dicta est Zancle

ele a Zanclo Terræ filio, vel à Saturni falce, seu veriùs à litoris figurâ in modum falcis curvati. Proverbium *ne moveas Camarinam* unde fluxerit. Emendatur Polybii locus. Equis victoribus in sacris certaminibus Agrigentini magnifica monumenta extruxerunt.

DISSERTATIO LV.

De iisdem Siciliæ incolis.

Continens citiùs, serius insulæ habitatoribus frequentari cœperunt. Motyen Stephanus ab Hercule conditam existimat; à Phœnicibus verò Thucydides. Pelorus vel à magnitudine, vel à monstris est appellatus; fallitur autem Pomponius Mela, qui à Peloro navis gubernatore Hannibalis dictum putat. Athenienses, quum triremes trecentas haberent, irrito conatu Siciliam invaserunt; Romani autem, quum nullam haberent classem, tantam brevi adornarunt, ut non semel quinqueremibus propè quadringentis dimicarent; & septingentis navibus amissis, Siciliâ nihilosecius sunt potiti, quam Carthaginienses tuebantur; quibus cum nulla gens aut scientiâ rerum maritimarum, aut potentiâ poterat comparari. Populis Europæ, vel Africæ Orbis terrarum imperium affectantibus Siciliæ possessio est necessaria.

DISSERTATIO LVI.

Expenditur orationis artificium, quo apud Thucydidem utuntur Corinthiorum Legati.

Qui ad judices verba faciunt, caveant; oportet, ne quid eos offendat; secus est in orationibus deliberativi generis, quæ apud Senatum habentur; sic etiam Amicis vitia sunt exprobranda, & vitanda assentatio; ita tamen ut exprobratio jucundis temperetur. Antisthenes ajebat ad salutem opus esse vel Amicis veris, vel acribus Inimicis; & Cato, meliùs de quibusdam mereri Inimicos, quàm Amicos. Æmulatio civitatum disciplinam conservat; veruntamen omnes populi finitimorum virtuti, & potentiæ invident; eosque pessumdatos volunt; ut documento sunt innumera, quæ afferuntur, exempla. Romani Carthaginem, & Corinthum diruerunt, everteruntque; quia solæ Orbis terrarum imperium possent affectare.

DISSERTATIO LVII.

Spartani tibiis in prœlio utebantur.

Pompejum libenter carpit Cæsar, utpote æmulum suæ gloriæ militaris. Theutones vincebantur ab omnibus, quia nimiâ ferociâ efferebantur. Turcæ, antequàm prœlium ineant, potionem sumunt, ut periculorum obliviscantur. Remos ad numerum agitabant remiges; Rustici etiam Musicâ solabantur labores. Homerus verbum μέλπεσθαι, quod *canere* significat, accipit pro *prœliari*. Heroum ne solus Achilles citharâ canens inducatur ab Homero; an etiam Paris; & an legendum sit apud Homerum κίθαρις pro κίδαρις, quam lectionem nonnullos agnoscere tradit Eustathius. Clemens Alexandrinus, & Plutarchus prodiderunt Cretenses lyrâ usos in bello; citharâ autem Martianus Capella, & alii. Tyrrhenos tubam invenisse, & cornua Athenæus tradit; & Plinius Pisæum quendam tubæ repertorem facit. Tubarum sex genera. Homerus potiùs approbat morem militum sedatè euntium in hostes, quàm eorum, qui strepitu prœlium ineunt.

DISSERTATIO LVIII.

Vicissitudines laboris, & quietis natura desiderat.

Augustus interdum cum pueris ludere solebat nucibus ocellatis; Agesilaus, & Socrates equitare in arundine; Scipio, & Lælius conchis legendis repuerascere feruntur; Scævolam Jurisconsultum pilâ lusitasse tradunt.

Finis Epitomes Dissertationum in Thucydidem.

EPI-

EPITOME DISSERTATIONUM IN EURIPIDEM.

DISSERTATIO I.

Philosophiæ maximè affinis est Poëtica.

Virgilius præstantissimus est poëta, & philosophus doctissimus, Platonisque sectator. Agamemnon Clytemnæstræ poëtam reliquit, qui ejus mores componeret; quo vivo nihil deliquit, interfecto autem multa peccavit. Sapientes, & poëtæ iidem erant antiquitus. Philosophi multi versus factitarunt. Socrates Euripidis tragœdiis delectabatur. Providentiam divinam qui tollit, tollit causam effectricem, & virtutes omnes. Lactantius Aristotelem Deum non coluisse dicit. Expedit Reipublicæ cives esse neque nimis opulentos, neque inopes nimis.

DISSERTATIO II.

De Euripidis Vitâ.

Matrem Euripidis holera vendidisse plerique tradunt; Philochorus tamen, & alii summo loco natam prodiderunt. Euripides picturæ operam dedit, & juxta aliquos pugilatui, & pancratio; sicut etiam Plato athletarum exercitationibus incubuit. Tantalo silicem imminere fabulæ ferunt, quòd Solis naturam sit contemplatus, quem Anaxagoras ignitum esse lapidem putabat. Euripides, & Socrates optabant Bonos a Malis aliquâ notâ dignosci. Tragœdias Euripides juxta aliquos septuaginta quinque scripsit, juxta alios nonaginta duas; & decies quinquies in certamine poëtico coronatus est, vel, ut Suidæ placet, quinquies. Euripides instituit, ut argumentum fabulæ præponeretur. Virgilius Sophoclem admiratur. Aristophanes Euripidi Æschylum anteponit.

DISSERTATIO III.

De eadem Euripidis Vitâ.

Quorundam scripta sæpe improbantur ob morum dissimilitudinem. Demosthenem ejus ætatis oratores irridebant; & Pytheas ajebat Demosthenis verba lucernam redolere. Plautum Horatius deridet ob morum dissimilitudinem. Euripidem Sophocles dicebat esse feminarum osorem in tragœdiis, non in lecto. Euripides dixit pulchrorum non solum ver, sed etiam autumnum esse pulchrum. Salmasius Solinum redarguit, quòd Archelaum tertium Macedoniæ Regem dixerit; quum tamen octo Reges ante ipsum fuerint; sed Solinus intelligit fuisse tertium regio fastigio dignum. Poëtæ multi Regum familiaritate floruerunt. Euripidem canes lacerasse quidam tradunt, alii a mulieribus, quas odio habebat, discerptum. Sepulcrum fulmine ictum argumentum erat divinitatis. Athenienses missis legatis Euripidis cadaver petierunt, nec obtinuerunt a Macedonibus.

DISSERTATIO IV.

De eadem Euripidis Vitâ nonnulla delibantur.

Euripi multi vocantur. Euripus Euboicus æstum septies quot diebus, noctibusque reciprocare a multis dicitur; sed Livius scribit non septies, sed quotiescumque ventorum impetus cogit; cujus rationem reddere conatur Tanaquil Faber; falsum itaque est Aristotelem se in illum conjecisse. Euripides duodeviginti natus annos tragœdias conscribere est aggressus. Musæ finguntur in silvis, & montibus habitare; quia poëtæ solitudinem amant. Æschylus semper pæne ebrius ad carmina facienda accessit. Anacreon dixit suos Deos esse formosos. Multorum celebres bibliothecæ. Impunita scelera mali sunt exempli in tragœdiis, non quæ suppliciis afficiantur.

DISSERTATIO V.

De Tragœdiâ.

Heraclitus actiones omnes hominum lacrimis dignas existimavit; risu verò Democritus. Augustus animam agens Amicis dixit: *nunquid videor mimum vitæ commodè transegisse?* Vita hominum similitudinem quidem habet cum tragœdiâ, & comœdiâ; sed potentium similior est tragœdiæ, humiliorum comœdiæ; ideo Socrates dicebat nunquam in tragœdiâ fuem se vidisse mactari, sed Reges. Τραγῳδεῖν significat *magnificè loqui*; & tam apud Græcos, quàm apud

apud Latinos tragœdia pro re mirificâ, & magnâ accipitur.

DISSERTATIO VI.

Agitur de Tragœdiâ.

Iliadem esse tragœdiam, comœdiam verò Odysseam aliqui putant; sed ab his jure dissentit Scaliger, & Aristoteles, qui utramque tragœdiæ comparat, comœdiæ verò Margitem Homeri. Minos ideo immanis existimatur, quia bellum intulit Atheniensibus; & ob id poëtæ tanquam tyrannum semper induxerunt. Tragœdiæ inventorem Suidas tradit fuisse Epigenem; quare neque Thespi, neque Phrynicho, neque Homero, ut quidam volunt, ejus inventio tribuenda est. Tragœdiam repertam in Peloponeso tradunt Aristoteles, & Themistius; Plato autem, & Athenæus in Atticâ. Ab hirco dicta est tragœdia, licet aliqui deducant id nomen a vindemiâ, seu a fæcibus. Perperam Acron Thespin vexisse plaustris poëmata dici putat, quia multa scripserit. Æschylus personam invenit. Palla muliebris est vestis; sed eâ utebantur etiam tragœdi; & quia longior erat, ac per humum trahebatur, dicebatur etiam Syrma. Cothurni tragici a venatoriis differunt, quòd sint altiores.

DISSERTATIONIS SEXTÆ PARS ALTERA.

De Habitu Tragœdorum.

Vetus est opinio homines in dies procreari breviores; & filios ferè semper esse patribus minores. Cadaver Orestis erat sexdecim cubitorum, & quadraginta Orionis, vel Oti; Pallantis autem cadaver mœnia Romæ excedebat. Hiatus, & vocalium concursus addit orationi majestatem; jure itaque Isocrates, & Claudianus reprehenduntur, quod vocalium concursum nimis vitaverint; contra immerito Homeri carmina, tanquam nimia hiantia a Scaligero, & Grammaticis reprehenduntur. Hians oratio pro magnificâ accipitur. Reges diadema, & sceptrum gestabant, Regum filii diadema tantùm. Merces histrionum lucar dicebatur; quinque autem denarios fuisse tradit Seneca; Lucianus autem septem, & Julius Capitolinus quinque aureos.

DISSERTATIO VII.

Primi versus Hecubæ illustrantur.

Plato poëtas reprehendit, quòd mortem terroribus Inferorum fecerint horribiliorem, & infirmiores homines ad subeunda pro Patriâ pericula; præcipuè autem Homerus accusatur, quòd Achillem induxerit dicentem se malle cuilibet vivo servire, quàm omnibus apud Inferos imperare. Virgilii versus, quorum sententia ex Platonis Phædone desumpta est. Validiùs homines voluntate detinentur, quàm vi; & proinde, quum nullus ab Inferis discedat, existimavit Plato animas ibi sponte manere; & idcirco Inferos Ἅδης dici ἀπὸ τοῦ ἁδεῖν hoc est *placere*; a nonnullis tamen quasi ἀηδὴς, idest *injucundus* dicitur. Hecubam alii Cissei, alii Dymantis, alii Sangarii fluminis filiam fuisse tradunt. Pluto Inferis imperare dicitur, quia exequiarum cæremonias invenerit.

DISSERTATIO VIII.

In Euripidis Hecubam, ubi de Inferis agitur.

Fabulas de Inferis nec etiam vulgus credebat. Theognis dixit optimum fuisse non nasci; natum vero quàm citissimè extingui. Nonnulli existimant animum, quum Deo frueretur, in corpus descendisse; & hac de causâ cupiditatibus plecti; & nihil aliud esse Inferos. Libitinam esse eandem, ac Venerem aliqui tradiderunt. Plutus an sit idem, ac Pluto. Fabula Midæ, qui, quum in aurum verteretur, quidquid attingeret, pæne enectus est, significat aurum non esse veras divitias. Terræ semidiameter quot stadia sit. Christiani veteres existimarunt flammas ex aliquibus montibus erumpentes ab Inferis manare.

DISSERTATIO IX.

Eodem super Argumento.

Socrates mori maluit, quàm videri legibus non paruisse, & alios exemplo suo ad peccandum invitare; & venenum hausturus de animi immortalitate disputavit; Theramenes pariter venenum bibiturus Critiæ tyranno insultavit dicens se ei propinare. Solon, quum animam ageret, disputantes Amicos audire se velle dixit, & mori discentem aliquid. Voluptatibus dediti nimis mortem exhorruerunt. Ex eo, quod in sepulcris mortuorum umbræ appareant, Xenophon arguit animæ immortalitatem. Domus erat Athenis, in qua spectra quædam cernebantur, & audiebatur catenarum strepitus. Stoici animos e sideribus decerptos, & quidem voluptatibus deditorum etiam post mortem contagione terreni corporis deprimi existimant; & in infimâ aëris regione versari;

fari; contra verò Sapientum animos, quum igneâ naturâ constent, aërem perrumpere, & in viciniâ siderum consistere.

DISSERTATIO X.

De eadem re.

VArro prodit nullum fuisse tam absurdum somniantium visum, quod non aliquis philosophus pro verò affirmarit. Nonnulli Stoicorum putaverunt stellas errantes, quum ad puncta Cancri, & Capricorni pervenerint, retrocedere; quia Oceanus latiùs non diffunderetur, & aliter alimentum habere non possent; quum Stoici existimarent stellas Maris, & fluminum ali vaporibus; & id significare Homerum dicebant, dum tradit Jovem, & alios Deos ad Æthiopum mensas accedere; animas etiam post mortem iisdem ali vaporibus censebant; quin & stultorum animos erudiri ab animis Sapientum. Ignis noster cur pabulo indigeat. Nutritio quomodo fiat. Plato existimavit Justos in Cœlum ascendere post mortem; scelestorum verò alios, qui insanabile quid perpetrarunt, sempiternis affici suppliciis; alios autem, qui minora peccaverint, exerceri pœnis aliquando desituris, quibus expientur, & inde ad felicitatem possint pervenire. Leges punire solent, vel ut alios à peccando deterreant, vel ut delinquentes corrigantur. Inferos aliqui putaverunt esse australe Mundi hemisphærium. Non satis percipitur, cur Virgilius Tartari profunditatem duplo majorem altitudine Cœli esse dixerit. Adonidis fabula significat Solis ad hiemales partes accessum.

DISSERTATIO XI.

In Versus Euripidis, qui consequuntur.

POëtæ omnes Polydorum a Polymnestore interfectum perhibent; sed Hyginus tradit Polymnestorem dolo uxoris filium Deiphilum pro Polydoro interfecisse. Thracia in plerisque locis sterilis; aliquæ tamen illius partes sunt fertiles, & præcipuè Chersonus; adeo ut Thraciæ multa vina laudata recenseantur. Respublicas felices efficere virorum virtutem, non agrorum ubertatem multorum populorum exemplis confirmatur. Thraces funera læti celebrabant; natales autem fletu. Thracia equitibus abundabat. Quæ ætas militiæ esset apud diversos populos. Strabo militarem ætatem fuisse vigesimum annum apud Persas tradit; & licet aliqui affirment idem etiam tradere Xenophontem; tamen ex eo probatur potiùs fuisse decimum septimum, Alexander sexdecim natus annos dux electus a Philippo hostes profligavit.

DISSERTATIO XII.

In sequentes Euripidis Versus.

DIomedes pugnam cum Glauco hoste detrectavit propter jus hospitii; Crispinus etiam a Badio hoste ad singulare certamen provocatus nonnisi eo hospitium renunciante manum conserere voluit. Jus nunquam violandum; tamen ex gravissimâ causâ fit scelus tolerabilius. Mortem in Mari horrebant Veteres, quia corpus conquiescere non posset; non autem, quia vererentur, ne anima, utpote ignea, extingueretur. Simulacrum Jovis Hercei tribus oculis præditum significabat, tribus Regnis illum imperare. Magnitudo Imperii Priami. Bellum Trojanum neque contemnendum fuit; in quo centum millia Græcorum, & quinquaginta millia Trojanorum decertarunt; neque tantum fuit, quantum prædicant non solùm poetæ, sed etiam alii Scriptores veritatem professi. Alexander Achilli se comparabat; & qui Pompejum admirabantur, Agamemnonem appellabant; quum tamen nullatenus essent conferendi. Plurimi navium inventores dicuntur. Navis, quæ Argonautas vexit, vix quinquaginta viros capiebat.

DISSERTATIO XIII.

De Magnitudine antiquarum Navium.

PIctores antiquitus suis operibus adscribebant, quid ea essent. Artes omnes rudes initio fuerunt. Multi poëtæ extiterunt ante Homerum; quare audiendus non est Vellejus Paterculus, qui tradit Homerum simul inventorem, perfectoremque sui operis extitisse. Homerus nonnulla a Phemonoë heroum carminum Inventrice mutuatus est, & ab Helenâ poëtriâ trojani belli argumentum. Poësis, ars dicendi, pictura, & sculptura citissimè perfectionem acceperunt. Græcorum ad Trojam proficiscentium maximæ naves centum viginti dumtaxat viros capiebant. Plinius auctoritate Thucydidis affirmat Aminoclem triremium fuisse inventorem; verùm Thucydides solùm Corinthios primos triremes habuisse prodidit.

DISSERTATIO XIV.

De Navium antiquarum Magnitudine.

ANtiquæ naves minores nostris haudquaquam erant; quod recensendis vectoribus patet; hinc de Ptolemæi Thalamego

agitur, quæ per Nilum vehebatur, & de alia navi, quam ad navigandum per Mare fabricaverat; agitur etiam de Hieronis navi, quam solus Archimedes in Mare deduxit; de navibus Demetrii, quæ quindecim, aut sexdecim remorum ordinibus agebatur; de eâ, quæ Obeliscum Romam advexit; & de Myriagogo, quæ decem millia hominum vehebantur. Romani trium mensium spatio ducentas viginti quinqueremes ædificarunt. Vocem Βρεττανίαν Delecampius interpretatur Britanniam, sed rectiùs Salmasius pro *Bratiâ* usurpari docet. *Sacer* significat *magnum*. Legio quot milites contineret.

DISSERTATIO XV.

De Bello Trojano.

QUot bella mulierum causâ extiterint. Homo licet cupiat aliis imperare, pulchritudini tamen libentissimè servit; ideo Æthiopes pulcherrimos creabant Reges; nihilominus verisimile est, bellum Trojanum gestum fuisse non propter Helenæ raptum, sed propter ingentes divitias, quas Paris rapuerat, quæ vehementiùs, quàm pulchritudo, homines alliciunt.

DISSERTATIO XVI.

De Helenâ, belloque Trojano.

VUlgò traditur Helenam natam esse ex Ledâ, & Jove in cycnum converso; sed Apollodorus tradit ex Nemesi in anserem conversâ, quæ quum ovum peperisset, & Mercurius Ledæ tulisset, ex eo Helenam exclusam pro suâ Leda aluerit; nec dissentit Cyprianum Auctor carminum, nisi quod Jovem non in cycnum, sed in piscem mutatum esse prodit; Lactantius autem Ledam post mortem Nemesin vocatam dicit; Isocrates tamen Ledam a Nemesi distinguit; Hyginus verò Helenam ex Pyrrhe, & Jove natam scripsit; alii autem ferunt ovum, ex quo illa edita fuit, e Lunâ decidisse. Nata autem ex ovo Helena dicitur; quia in illis ædium partibus educata fuerit, quæ ὠὰ Veteres nuncupabant; quæ vox etiam *ova* significat; nisi fortè poëtæ hoc commento innuere voluerunt, omnes homines ex ovis nasci. Herodotus tradit Paridem cum Helenâ in Ægyptum tempestate delatum, & a Proteo Rege coactum eam dimittere; Stesichorus autem Helenæ simulacrum Paridem Trojam advexisse; quod significat voluptatibus deditos umbram voluptatis, non ipsam voluptatem consequi. Thucydides, & Plutarchus tradunt decem annos Græcos Trojam obsedisse; Heraclides autem Ponticus novem annos consumpsisse in capiendis urbibus, quæ Trojanis parebant; & decimo demum anno regiam urbem oppugnasse, & expugnasse. Equus Trojanus fuit machina quatiendis mœnibus apta. Dio Chrysostomus tradit Tyndareum Paridi Helenam in matrimonium collocasse; quum universâ Asiâ usque ad Indos potiretur; non autem raptam fuisse; quod vix fieri poterat; Agamemnonem autem, qui verebatur, ne Paris Peloponesum occuparet, bellum Trojanis intulisse, in quo victores Trojanos extitisse; quæ omnia multis argumentis nihil prope dubii relinquentibus confirmat.

DISSERTATIO XVII.

De Sacrificio Polyxenæ.

EXecrabilis est mos Diis, & mortuorum umbris immolandi humanas hostias, qui non solùm apud Barbaros, sed etiam apud Græcos, Latinos, & Romanos invaluit; nec minùs execrabilis habendus est mos exhibendi gladiatores in funeribus; itaque quum ad hunc morem Virgilius respexerit immerito reprehenditur a Lactantio.

DISSERTATIO XVIII.

Nemesis, seu Adrastea non patitur homines insolentiùs efferri.

VEteres pro diversis Dei operibus, diversa etiam Deorum nomina excogitarunt. Paulus Æmylius Perse devicto Deos orasse dicitur, ut, si cui Deorum sua felicitas nimia videretur, is ipsum defungi suâ potiùs, quàm Reipublicæ clade pateretur. Philippus tribus eodem die lætissimis nunciis acceptis Deos precatus esse fertur, ut tantis bonis aliquid mali immiscerent. Polycrates de consilio Amasis amici sui, qui Polycratis nimiam felicitatem suspectam habebat, gemmam pretiosissimam in Mare projecit; quum autem in pisce Polycrati donato ea reperta esset, Amasis missis legatis ejus amicitiam renunciavit; & mox Polycrates Regno spoliatus cruci est affixus Nemesin, quum sit divina Providentia, Nocte procreatam Hyginus prodit; quòd Dei consilia nullus possit comprehendere; sic & alii Necessitatis filiam esse tradiderunt, quia fato inevitabili Stoicis auctoribus omnia administrentur; fatum autem sit Dei providentia. Agoracritus de sculpturâ cum Alcamene contendens, & iniquis Atheniensium sententiis victus, statuam suam vendidit eâ lege, ne Athenis esset. Perperam Statius, & Politianus Nemesin maleficum numen inducunt. Græci Persis devi-

devictis e marmore, quod illi, ut trophæum statuerent, attulerant, Nemesis simulacrum effinxerunt.

DISSERTATIO XIX.

De Somniis.

PHilosophi ferè omnes, etiam qui reliqua divinandi genera sustulerunt, divinationem, quæ contingit in somniis comprobarunt; & quibus rationibus moverentur. Somniorum quinque genera sunt, & qui Dii ea mittere putarentur. Interpretatio illorum inventa est a Telmissensibus, & spectabat ad vates, eique præerat Dea Brizo. Expiatio somniorum quomodo, & quibus rebus fieret. Pythagoreos a fabis nonnulli abstinuisse dixerunt, quia inflationem efficiant; alii tamen putaverunt ipsos hoc pacto præcipere temperantiam; alii verò ambitionem prohibere. Cæsari somnium, quo sibi visus est cum matre corpus miscere, Imperium Orbis terrarum portendit; alii thesaurum indicavit ovum e fasciâ lecti suspensum. Interpretatio cujusdam loci Persii allata a Cælio Rhodigino rejicitur, & approbatur Casaubonus.

DISSERTATIO XX.

Rerumpublicarum pernicies est, si Malis Boni melioris non sint conditionis.

AD civitatum felicitatem necesse est virtute præstantes viros præmiis affici. Pauci admodum virtutem ipsius amore consectantur; & si qui sint, nullus illorum fructus habetur, nisi in administratione Reipublicæ præferantur aliis. Cicero leges annales improbat; quæ minorem quadraginta tribus annis Consulem creari vetabant; reliquos verò magistratus non multo junioribus demandabant. Alexander decem annis junior ætate consulari decessit. Romani diversos honores omnibus, & cuique singillatim, qui Reipublicæ profuissent, statuerunt. Uni post homines natos Ciceroni togato supplicatio decreta est. Scipio Africanus primus a domitis nationibus nomen traxit, seu potiùs Marcius Coriolanus. Consul unicus creatus est Pompejus. Senatus Neroni propter interfectam matrem insufitatos honores decrevit. Apud Romanos, qui virtutem majoribus præmiis, & honoribus affecerunt, major etiam præstantium virorum copia extitit, quàm apud Græcos; qui parcissimi fuerunt in honoribus tribuendis; & si quæ præmia tribuerunt fortissimis viris, aut doctissimis; tamen ea non sunt comparanda cum pœnis, quas inflixerunt. Miltiadi, qui infinitas Persarum copias deleverat, concessum est, ut in Porticu Pœcile pingeretur; Themistoclem verò oleaginâ coronâ donaverunt. Græci splendidè milites, duces verò parcè honorabant. Cimon eodem die & classem, & copias terrestres delevit. Alcibiades secum victoriam circumferre visus est. Athenienses sub Regibus, aut tyrannis non excelluerunt; postea verò floruerunt quidem litteris, & belli studiis, sed brevi. Orbem terrarum dicebant Soles duos ferre posse; non posse Græciam duos Alcibiades. Aristoteles respondit se urbe excedere, ne iterum in philosophiam delinquerent Athenienses. Accusatores Socratis partim exilio, partim morte mulctarunt Athenienses. Lycurgum Spartani lapidibus sæpe sunt insectati, & quispiam oculum illi effodit. Ephesii nullum utilem in Republicâ civem esse voluerunt.

DISSERTATIO XXI.

De Cernendi sensu.

LUx pro vitâ accipitur, & *cernere* pro *vivere*. Siculus quidam e Lilybæo Siciliæ promontorio exeuntem e portu classem Carthaginiensium pervidebat. Quidam Homeri Iliadem in membranâ a se descriptam conclusit in nuce. Myrmecides quadrigas ex ebore fecit adeo exiguas, ut alâ muscæ operirentur. Qui ad Nili catadupa habitant, horrendum Nili fragrorem non audiunt. Pythagoras existimavit cœlestium orbium concentum non percipi propter assuetudinem. Oculos ante mortem claudebant Antiqui. Turpe est Amicos defunctos negligere. Multorum canum, & equorum fides erga dominos fuit insignis. Hominum amicitia etiam post mortem ad longum intervallum durat, secus ceterarum animantium; quin etiam quorundam amicitia in Posteros derivata est. Antinoum Hadrianus inter astra retulit. De Mausoleo. Artemisia mariti defuncti cineres absorbuit. Persæ homines naso adunco diligebant, quia talis fuisse Cyrus ferebatur; Ægyptii autem propter Osiridis memoriam nigris homines capillis probabant; rufos irridebant, quòd rufus fuisset Typhon Osiridis inimicus.

DISSERTATIO XXII.

De supplicum sanctitate, & variis apud Antiquos ritibus supplicandi.

CRœsus Adrasto, qui filium ei interfecerat, supplicanti pepercit. Dextera pro fide accipitur. Verbum γουνοῦμαι, &

γουνάζομαι significat *supplicare*. Syllam, quòd Aristionem in templo Minervæ interfecisset, Pausanias tradit pediculari morbo esse consumptum. Hicesium, & Xenium Jovem eundem esse putat Eustathius; distinguit autem Apollonius.

DISSERTATIO XXIII.

Miseremur virtute præstantium virorum, & præcipuè eorum, qui dum gravia patiuntur, magno animo perferunt.

MUltas finxerunt Antiqui Mortuorum nuptias. Misericordiæ definitio juxta Aristotelem. Phocion, quum ad mortem duceretur, filium monuit, ut oblivisceretur injuriarum; & magistratum pariter admonuit, ut coërceret cujusdam petulantiam, qui in ipsius faciem inspuerat. Auctores Phocionis cædis Athenienses exilio, aut morte mulctarunt.

DISSERTATIO XXIV.

Mærentes, & morituri caput obtegebant.

CÆsar desperatâ salute, ut auctor est Suetonius, togam capiti circumdedit, quidquid Plutarchus tradat ipsum caput operuisse, ne Brutum sibi necem inferentem videret. Antigonum ferunt execratum Alcyoneum filium, qui Pyrrhi hostis caput, tanquam jucundissimum spectaculum, sibi attulisset.

DISSERTATIO XXV.

De Minervæ, aliisque Peplis.

NOnnulli existimant apud Virgilium legendum: *tuque o, cui prima frementem Fudit aquam tellus magno percussa tridente* quum Varro, & Pausanias tradant Neptunum, quum tridente percussit terram, produxisse aquam; sed nihil immutandum, quidquid enim sit in certamine Neptuni cum Minervâ, in aliâ certè occasione terra a Neptuno percussa equum produxit. Mythologi Titanea a Gigantibus distinguunt, secus poetæ. Aristoteles libellum, quo heroum tumulos epigrammatis decorabat, Peplum inscripsit; quem nonnulli negant fuisse Aristotelem Stagiritam; Peplus etiam inter opera Orphei circumfertur; sed Brontini fuisse Clemens Alexandrinus asseverat. Purpura, & Coccus parum differunt; idcirco vestem, qua Judæi Dominum nostrum induerunt, alii purpuream, alii coccineam fuisse tradunt. Salmasius fallitur, qui Chalcanthum dictum putat ἀπὸ τῆς κάλχης, quæ est purpuræ genus; quare Plinium immerito reprehendit, quòd cognationem quandam inter æs, & Chalchanthum dixerit intercedere. Ἄνθος idest *flos* significat *colorem*, & ἀνθηρὸς idest *floridus coloratum*. Ruber color verus color propter excellentiam dicitur. Vocabulum *Pannus* unde deducatur. Græcorum decem millia trecenta millia Persarum deleverunt. Tam Græci, quàm Latini *variatum* pro *picto* accipiunt. Vestes pictæ Diis tantùm conveniebant; Romani tamen eas etiam triumphantibus tribuerunt, qui Diis æquabantur.

DISSERTATIO XXVI.

Misericordiâ excitatur pulchritudine; & quum quis bonis omnino caruit, vel magnâ felicitate spoliatus est.

FLetus magis est hominis proprius, quàm risus. Ridens natus est Zoroaster. Multi perpetuò fletu contabuerunt. Omnis mulierum felicitas in nuptiis posita est. Valerianum Imperatorem captum a Persarum Rege Sapore filius redimere neglexit. In os mortui Crassi liquefactum aurum Parthi infuderunt avaritiam ipsi exprobrantes. Pompejus ab Ægypti Rege, cujus tutelam gerebat, obtruncatus est. Hyperides Phrynen defendens, quum parum proficeret, nudavit illius pectus, quo judices moti eam absolverunt. Maximini interfecti pulchritudo populum Romanum ad misericordiam commovit.

Finis Epitomes Dissertationum in Euripidem.

EPI-

EPITOME
DISSERTATIONUM IN LIVIUM.

DISSERTATIO I.

Oftenditur Romanam Rempublicam magnitudine suâ laboraße.

Rebus adversis confirmatur virtus, prosperâ autem fortunâ conciditur; idque non solùm in Rebuspublicis, sed etiam in singulis hominibus accidit. Dionysii imperium Adamante vinciri dicebatur. Tiberius, quum continentiæ, fortitudinis, parsimoniæ exemplum extitisset, vi summæ fortunæ in omne flagitium erupit. Constantius Gallo e medio sublato æternum se esse jactavit. Scytharum feminæ finitimorum uxoribus corpora subulis compungebant. Plato Cyrenenses dixit nullam servaturos legem, quum nimis essent felices. Augustus, & Adrianus multarum imperium nationum recusarunt, immo dimiserunt; nec id invidiâ, quemadmodum Tacitus criminatur Augustum.

DISSERTATIO II.

Magnificentia publica Romanorum in privatorum luxum degeneravit.

Romani primùm, quæ laudanda erant ubique imitati sunt; mox etiam omnium gentium vitia sunt amplexati. Fabius Maximus Tarento capto, quum interrogaretur, quid fieri juberet de simulacris Deorum eximiâ arte factis, respondit: relinquamus Tarentinis Deos iratos. Mummius in tantâ paupertate decessit, ut filiæ dotem non reliquerit. Cloacas ædificasse Tarquinium Priscum Plinius, & Dionysius Halicarnasseus prodiderunt; Livius autem Tarquinium Superbum. Scauri villâ ab iratis servis incensâ vicies quinquies, vel quinquagies centena millia nostrorum coronatorum conflagrarunt. Mamurra primus Romæ parietes domus marmoris crustâ operuit.

DISSERTATIO III.

De Romanorum luxu in conviviis.

Thermæ Antonianæ mille sexcenta solia habuerunt, & duplicem eorum numerum Diocletianæ. Naumachiam Claudius edidit, in qua triremes, quadriremesque commisit; & undeviginti hominum millia pugnantia exhibuit. Trajani in reditu per centum viginti tres dies ludi sunt celebrati tantâ copiâ, ut uno die decem millia ferarum conficerentur. Porcus Trojanus dicebatur, quòd plenus aliis animalibus mensis inferretur. Manium Curium fortissimum imperatorem Samnitium legati rapum torrentem invenerunt. Leges Orchia, Fannia, Didia, & Licinia convivarum numerum, & sumptum conviviorum statuebant. Serranus a serendo dictus. Pisces quibusdam nomen dederunt, quòd iis ipsi delectarentur. Crassus orator murænam mortuam atratus luxit. Luculli in Apolline cenæ quinquaginta millibus drachmarum parabantur. Celer mullum centum septuaginta quinque aureis emit. Caligula ducenta quinquaginta millia coronatorum unâ cenâ prodegit. Vitellius non minoris, quàm decem millibus coronatorum cenavit; & novies millies paucis mensibus profudit. Apicius, quum comperisset centies sestertiûm sibi superesse, inediâ vitam finivit. Etiam gladiatores in conviviis adhibebantur.

DISSERTATIO IV.

Respublica Romana omnibus virtutibus abundavit, dum tenues opes erant, his auctis omnibus vitiis scatere cœpit.

Plebs Romana, licet plurimas excitarit seditiones; tamen per annos plusquam sexcentos manibus temperavit. Mulieres, quum Reipublicæ auro opus esset, ornamenta sua non semel in publicum contulerunt. Cæsar, quum largitionibus sufficere non posset privatis opibus, ad arma civilia compulsus est; & eos libentissimè sibi aggregabat, qui ære alieno obruti rebus novandis opportuni videbantur. Quum longinqua bella susciperentur, prorogatio imperii necessaria erat, quæ maximè perniciosa erat Reipublicæ.

DISSERTATIO V.

De calamitatibus propter civiles Romanorum discordias.

QUintus Arbelius, quum se proscriptum reperisset, exclamavit: *heu prædium in Albano meum me persequitur*, & sic vociferans interfectus fuit. Sylla uno die novem millia hominum interfici jussit.

DISSERTATIO VI.

De loco, ubi Livius sic ait: omnis expers curæ, quæ scribentis animum etsi non flectere a vero, sollicitum tamen efficere possit.

HIstoriam sui temporis conscribere periculosum maximè est. Historici ferè omnes neque odio, neque metu cujusquam, aut gratiâ se a veritate aberraturos pollicerі solent. Augustus Livium Pompejanum vocabat. Caligulæ amatorium potionem Cæsonia uxor præbuit, qua in insaniam incidit. Caligula Lunam assiduò ad concubitum invitabat; Senecam esse arenam sine calce dicebat. Refellitur Johannes Annius, qui Livium tanquam mendacem carpit; Itinerarium Antonini Philosophi confictum est a Johanne Annio.

DISSERTATIO VII.

Qua nonnullæ Henrici Glareani adversùs Livium calumniæ diluuntur.

NAtionis cujusque propria sunt aliqua vitia. Cambysem septem annos regnasse tradit Herodotus; unde viginti autem Clemens Alexandrinus. Darius triginta septem annos regnasse fertur; sed Clemens Alexandrinus tradit sex, & quadraginta. Decem millia Græcorum duodecies centena millia Persarum devicerunt. Nationum mores sæpe mutantur; quin & ipsæ regiones maximas interdum suscipiunt mutationes. Hispaniam ab inopiâ dictam aliqui falsò putant. Romani nationibus omnibus humanitatis auctores extiterunt.

DISSERTATIO VIII.

De Historiæ laudibus.

GRæcos pueros appellat Plato, quòd paucorum sæculorum historiam haberent. Reipublicæ administrandæ prudentia exemplis acquiritur, nec dissentire Plato dici potest. Cicero Atheniensium, ceterorumque Græcorum jus civile præ duodecim tabulis contemnit.

DISSERTATIO IX.

De Historiæ utilitate.

QUamplures longissimè vixisse feruntur. Omnes, qui Historicorum præceptis non paruerunt in maximas inciderunt calamitates; nullos autem obtemperasse pænituit. Spumam equi Nealces pictor casu, quam arte non potuerat, expressit. Panisci effigies casu effracto lapide extitit. Philippus Macedonicam phalangem ab Homero sumpsit. Cadmus primus Asylum aperuit; & quum eâ ratione ingentem convenarum turbam collegisset, sibi e terrâ editam stirpem est ementitus; & inde originem duxit fabula, satos e serpentis dentibus armatos viros Thebarum mœnia condidisse. Numa Ægeriam, Minos Jovem, Apollinem Lycurgus suarum legum auctores simularunt. Servius, quum Dianæ templum Romæ constituit, quod communiter a populis Latinis coleretur, expressit Latinis Romam caput esse; de quo toties armis certatum fuerat. Epaminondas, & Scipio Africanus commemoratione rerum a se gestarum accusatores eluserunt. Romanum Imperium omnibus aliis præstitit; nulla enim est gens, quam expedierit vincere, quæ a Romanis non fuerit victa. Quos Imperii fines esse voluerint Augustus, & alii Imperatores. Italia mille centum urbes olim continebat, nunc trecentas tantùm, easque exiguas. Ex Ægypto Romani annuo reditu viginti tria millia talentorum capiebant. Carthago, postquam multis cladibus diminuta fuerat, tamen, quum caperetur, octingenta hominum millis fertur habuisse.

DISSERTATIO X.

Quæ laudes Historiæ Livianæ complectitur.

CYri majora facinora ab Herodoto, & Xenophonte, quàm a Ctesia, prædicantur; ut dubitandum sit, utrum tantus fuerit, quantus a Græcis dicitur. Cæsar Alexandro Magno est præferendus. Romanorum disciplina diutiùs incorrupta mansit, quàm Lacedæmonum. Respublica Romana ex regiâ potestate, Optimatum dominatu, & potentiâ populi composita erat; quidquid Cornelius Tacitus affirmet Rempublicam ex his tribus constantem non posse existere, aut esse diuturnam.

⁂

DIS-

DISSERTATIO XI.

De quibusdam Livii locis, quæ proœmio continentur.

QUinam ante Livium res Romanas perſcripſerint, & qui condiderint primi hiſtorias. Cicero de hiſtoriâ ſcribendâ cogitavit. Verba *ante condendam urbem* ſignificant proximum tempus, non remotum.

DISSERTATIO XII.

Quomodo Romanorum mores paulatim degeneraverint, & deinde præcipites ire cœperint.

PLato animum a Deo genitum affirmavit, corpus verò a Diis minoribus. Camillus quòd albis equis triumphaſſet, ſeque Romulo æquaſſet, in exilium ejectus eſt; Valerius Publicola, qui Patriam a regio dominatu liberaverat, ædificium in eminenti loco demoliri coactus eſt; alii etiam quamplures, licet maximis populum Romanum beneficiis affeciſſent, mulctati fuerunt, eo quod regnum affectaſſe viderentur.

DISSERTATIO XIII.

In qua agitur de Urbis origine ad illa Livii verba: Primùm omnium ſatis conſtat &c.

ÆGyptii annorum quadragintaocto millium memoriam publicis monumentis habere perſcriptam affirmabant. Neapolim a Cumanis conditam Vellejus Paterculus aſſeverat; Diodorus, & Oppianus ab Hercule, a Phalereo Tzetzes. Romam alii Pelaſgos condidiſſe, & appellaſſe a robore affirmant; alii Trojanos, & a Româ muliere, quæ eorum naves incenderat, dixiſſe; ſunt & qui tradant filium Creuſæ filiæ Erecthei Regis Athenienſium Jsniculum condidiſſe, unde originem habuit Roma; Xenagoras tamen auctor eſt ex Ulyſſe, & Circe Romum, Antiam, & Ardeam procreatos; a quibus tres urbes cognomines fuerint ædificatæ; ſed alii Romum Æneæ filium faciunt, alii Aſcanii, alii Itali, Æmathionis alii; Livius autem ſequitur eorum ſententiam, qui Romulum, ac Remum Romæ fuiſſe conditores tradunt. Dionyſius Halicarnaſſeus tres Romas enumerat.

DISSERTATIO XIV.

Eadem Livii verba pergit explicare.

DIo Chryſoſtomus refert hiſtoriâ Ægyptiorum tradi, quod Achilles ab Hectore fuerit interfectus. Ælianus prodidit Græcos, quum Trojam cepiſſent, permiſiſſe Trojanis, ut quiſque rem, quam vellet, ſecum auferret; quare Æneas Penates comportabat; proinde ipſi conceſſerunt, ut ſecum ferret et aliam rem, quam ſibi cariſſimam duceret; ille autem patrem ſuſtulit; tum verò ipſi permiſſum, ut res ſuas omnes haberet. Æneas Trojâ captâ arcem occupavit; deinde in Idæ montem ſe contulit; ibique quum ſe diutiùs defendiſſet, cum Græcis convenit, ut cum rebus ſuis diſcederet.

DISSERTATIO XV.

In eundem Livii locum de Antenore Patavii conditore, & Æneæ erroribus.

LIvius Cornelium Nepotem, & Sophoclem ſequutus tradit Venetos ab Henetis originem duxiſſe, quare veriſimile eſt *Henetos* cum aſpiratione ſcribendos; id tamen Suidas negat; quin etiam Strabo putat Venetos eſſe dictos non ab Henetis Paphlagoniæ populis ſed ab Enetis Galliæ. Patavium appellatum eſt ab avium volatu, vel a Pado, ut Servius prodit. Æneam non veniſſe in Italiam perhibent nonnulli; quorum aliqui volunt Æneæ Regiam Sceptim fuiſſe, ibique poſt Trojam captam manſiſſe, & imperaſſe Trojanis; alii Aſcanium cum Hectoris filiis Scepſi regnaſſe prodiderunt; quin etiam Antandrum appellatam putant, quòd quum Aſcanius a Pelaſgis fuiſſet captus, pretium ſui capitis urbem ipſis dederit; alii verò in Cruſæâ terrâ Æneam urbem condidiſſe tradunt, quæ priùs Ænea, deinde Ænos fuerit appellata; finitimos autem populos ipſi Regnum detuliſſe. Anchiſem in Phrygiâ mortuum nonnulli ferunt, Pauſanias in Laconicâ, Virgilius in Siciliâ; ſed Cato in Italiam perveniſſe refert. Dionyſius Halicarnaſſeus Trojanos cum Ænea in inſulam Cythera advectos templum Veneri ædificaſſe tradit, at Herodotus Phœnices. Promontorium Athenæum dicebatur antiquitus, quod nunc portus Veneris. Trojani quum apium cibis ſubſtratum juxta Dionyſium Halicarnaſſeum; juxta verò alios cruſtula panis comediſſent, oraculum impleviſſe cenſuerunt; quod ipſis reſponderat errores finituros, quum menſas conſumpſiſſent. Æneas nunquam Libyam attigit, nec Didonis hoſpes fuit, quæ trecentis annis poſt excidium Trojæ Carthaginem condidit; cæterùm Dido non amore capta, ſed pudicitiæ ſervandæ causâ ſibi mortem conſcivit. Turnus Mezentium ad ferendam ſibi opem vini mercede fertur illexiſſe. Opes maximæ Etruſcorum, qui totam ferè Italiam occuparant.

DIS-

DISSERTATIO XVI.

In illa Livii verba: Ænea, Antenoreque & vetusti jure hospitii &c.

Legati Romanorum, qui Hannibalem petebant a Prusia, justam ejus excusationem censuerunt, ne se hospitii jus violare cogerent. Piso, quum contra Neronem conjurasset, nullo pacto induci potuit, ut in villâ suâ ipsum interficeret. Antenorem, quia Græcorum legatos a Trojanorum furore defenderat, incolumem Græci dimiserunt, non quia Trojam ipsis prodiderit, ut quidam suspicantur. Proxeni dicuntur hospites publici; & hinc fortè proxenetæ, qui latinè pararii dicuntur; & proxenetria, quæ nuptias conciliat; hinc etiam Virgilius Thraciam Trojæ hospitium appellat. Coloniæ populos, a quibus deductæ fuerant, vocabant patres; ideo Virgilius Albanos patres dixit.

DISSERTATIO XVII.

De Romuli origine.

Aborigines e truncis, & roboribus natos fama est propter vitæ duritiam; licet autem Græci Italorum loxum reprehendant, de eâ Italiæ parte, quæ Magna Græcia appellatur, id est accipiendum. Plerique philosophi veteres existimabant esse quasdam sempiternas mentes corporis omnino expertes, & summi Dei administras, quas pariter Deos nuncupabant, & pro diversitate munerum diversis nominibus distinguebant; nam eam, quæ Terram administrat, Rheam seu Vestam nominabant; quæ Mare, Neptunum, & sic deinceps. His subjectos esse genios ferebant, & nomine eorum Numinum, quibus subjiciebantur, nuncupari; quorum triginta millia Terris oberrare tradit Hesiodus. Hos corpus habere quidem, sed subtile, & nonnisi, quum ipsi volunt, aspectabile opinabantur; adeo ut cum feminis miscerentur, & eorum alios esse immortales, alios mortales, auditamque vocem ferebant nunciantem mortuum esse Pana. Ex his genitos semideos, & heroas, aliosque virtute præcellentes viros arbitrabantur, & præcipuè urbium, gentiumque auctores; hinc heroës ab amore Numinum diei Plato existimat. Nostri etiam Patres admiserunt Dæmones, quos vocant Incubos, & Succubos; nonnulli etiam tradiderunt, mentes illas Summi Numinis administras, quæ ab Auctore suo defecerunt, gigantes procreasse, quod Sacris Litteris indicari voluerunt. Nec defuerunt, qui putarent Angelos habere quoddam corpus æthereum, quale etiam animæ tribuunt sectatores Platonis; quin etiam Tertullianus ipsum Deum corpus esse existimavit. Alii verò philosophi absurdum existimarunt, ex homine, Deoque heroas genitos; esse tamen quandam Numinum benevolentiam erga homines virtute præstantes dixerunt, eorumque curam gerere, quam patria nomine volunt significatam; & hac ratione Romulus ex Marte procreatus dicebatur, & quamplures alii ab aliis Diis. Socratem Deus a fugiendis deterrebat; quod etiam contigisse ferunt Plotino, & superiore sæculo epico Poëtæ precellentissimo.

DISSERTATIO XVIII.

De Romulo a Lupâ nutrito.

Apollo Lycios, & λύκιος a luce dictus est, quæ antiquitus λύκη dicebatur, non quòd ei sacer esset lupus; Marti enim consecratus erat; Argivi tamen lupum numismatia imprimebant. Multi a feris nutriti dicuntur; verisimilius autem est, nominis ambiguitatem locum fabulis fecisse, ut multis exemplis docemur. Animalia quædam inter se societatem ineunt. Portenta indicarunt, quales futuri essent multi infantes. Meretrices a Latinis lupæ dicebantur; inde lupanar. Olympiadem cum milite, qui Draco dicebatur, corpus miscoisse ferunt, hinc fabula manavit, eam cum Jove concubuisse.

DISSERTATIO XIX.

In ea Livii verba: Palatinum Romulus, Remus Aventinum ad inaugurandum templa capiunt &c.

Templa a tuendo dicta sunt; erant autem loca, quæ augures animo designabant. Primi Phoroneus, & Merops templa, & aras extruxerunt; antiquitus enim sepulcra pro templis colebantur; postea verò heroibus foci; Manibus, & subterraneis Numinibus fossæ, & megara idest ædes, attributa sunt; hinc explicatur Homerus. Mos sepeliendi Mortuos in templis ab ultimâ origine repetitus est. Germani, & Persæ nefas arbitrabantur parietibus Deos cohibere, quum Deus hunc Mundum sibi pro templo ædificarit. Lævam partem Plinius ex augurum disciplinâ censet Orientem; Septemtrionem verò Livius, & Dionysius Halicarnasseus respectu orantium, qui Orientem spectabant; sed Ægyptii, Homerus, & Aristoteles Lævam partem esse Occidentem putabant; ideo lyricus chorus, qui quum strophas caneret, motum inerrantium stellarum ab Oriente in Occiden-

tem

tem repræsentabat, movebatur a dextrâ in finistram; quum autem antistrophas, a finistrâ in dexteram, quia errantium siderum motum ab Occidente in Orientem imitabatur; demum quum epodos canetet, consistebat Terræ stabilitatem significans; Auctor autem libri de Mundo lævam esse Meridiem probat; ex qua sententiâ facilis est Lucani interpretatio; & ex his intelligitur, quæ sint partes anticæ, & posticæ. Fulgura, & tonitrua a lævâ parte auspicatissima. Quæ nam essent Numina læva. Dionysius Halicarnasseus tradit Romulo, quum regnum esset suscepturus, auspicium fuisse fulgur a lævâ; duodecim verò vultures Livius. Augures avium alias dicebant Oscines; Alites alias, quæ dividebantur in Præpetes, & Inebras. De augurum dignitate, & numero.

DISSERTATIO XX.

De Insignibus, quibus Romulus regiam majestatem augustiorem fecit.

REctiùs omnino sensisse Livium conjectare licet, qui Romulum, dum Regni Insignia, fascesque, & lictores assumpsit, prudentissimè egisse censet, quàm Plutarchum, qui superbiâ elatum fecisse existimat. Vononem Parthi, quòd fastu, sed obviâ in omnes comitate uteretur, regno privarunt. Tigranes administris Regibus utebatur, & quatuor ex eis servientium habitu ipsi jus dicenti astabant.

DISSERTATIO XXI.

De consilio Romuli, quo sumptis Insignibus Regni auxit regiam majestatem.

ROmulus primus in Europâ regiam auxit majestatem. Ante Perdiccam Regum uxores panem conficiebant. Cella erat super caput Regis Persarum, in qua quinque millia aureorum talentorum recondebantur, & Cervical Regis dicebatur; sub pedibus verò tria millia asservabantur, & Scabellum vocabatur; crater etiam aureus erat, ex quo solus Rex, ejusque filius natu maximus bibebat. Crœsum Cambyses, & Demaratum Darius interfici jusserunt ob consilium salutare quidem, sed abhorrens ab eorum voluntate. Tachos Ægyptiorum Rex Agesilaum claudum, & exiguâ staturâ derisit; quare ab eo regno spoliatus est, qui opem ei laturus advenerat. Ptolemæus Cerauni cognomine gloriabatur. Sapor Lunæ, Solisque fratrem se appellabat.

DISSERTATIO XXII.

De Insignibus Regum Romanorum, Consulum, Cæsarum in eundem Livii locum.

TUnica palmata, & toga picta triumphantium vestes erant. Romulum illis usum non fuisse vetius est, licet Propertius contrarium innuere videatur. Lictores a ligando appellatos Agellius, Pompejus Festus, & Nonius Marcellus tradunt; Tiro Tullius a lino, vel a licio; Plutarchus autem a voce græcâ λαὸς, vel λῄιτος. Titus Lartius primus Dictator creatus est. Secures Romæ Consules non habebant, sed tantùm in provinciis. Decipi videtur Valerius Maximus, qui vigintiquatuor fasces duobus tribuit Consulibus, quum Livius id apertè neget. Fabius Ambustus legem tulit, ut alter Consul e plebe crearetur, ut filiam, quæ plebejo nupta erat, consolaretur. Pompejus Posidonio id honoris tribuit, ut, quum ad eum veniret, fores fascibus pulsari vetuerit. Fasces, secures, sella curulis, lictores, purpura, & conchylia pro honoribus, & magistratibus accipiuntur; ebur autem pro sellâ curuli, quæ videtur esse eadem, ac ἀνάκλιτος θρόνος, quo Plutarchus Romulum usum esse tradit, nil refragante Dionysio Halicarnasseo, qui Tarquinio missam esse ab Etruscis sellam curulem affirmat. Dictum Romanarum matronarum habetur: *margaritas esse feminis pro lictoribus*. Ædiles curules Varrone teste apud Gellium neque vocare, neque prehendere poterant; ideoque nec lictores, nec Viatores videntur habuisse, licet aliter sentiat Panvinius. Quodnam esset munus Accensi, Viatorum, & Celerum; & unde appellati fuerint. Tunica cur Palmata diceretur. Salmasius tradit Consules diebus dumtaxat festis, & in triumphis gessisse Scipionem eburneum; sed adversari videtur Dionysio Halicarnasseo. Consul gerebat calceos auratos, Principes purpureos, Senatores verò sericeos. An Diocletianus calceos gemmatos primus habuerit, ut Eusebius asserit. Aurelianus primus diadema sumpsit; quidquid tradat de Caligulâ Aurelius Victor.

DISSERTATIO XXIII.

De tempore, quo Urbs condita est, deque ejus incrementis, & magnitudine.

ROma ædificata est Olympiadis sextæ anno tertio, aut quarto, & decimooctavo, vel decimonono ætatis Romuli; quum Senacherib Assyriis, Candaules Lydis imperarent; & quidem mense Aprili, quo-

§§§§§§ niam

niam Plutarchus diem Romæ natalem fuisse XII. ante Calendas Majas tradit; Tarrutius verò, quum arte Chaldæorum Urbis natalem indagare juberetur, V. Idus Apriles pronunciavit; verum qui siderum positum prodiderunt, quem ipse Natali Romæ attribuit, decipiuntur, quum scribant Venerem signorum sex intervallo a Sole absuisse, quum ipsa non longiùs quadraginta sex gradibus abscedat; alii tamen Autumno ædificatam tradunt. Cinctus Gabinus quid sit, & unde originem duxerit; ex eo prœliaturi dicuntur in procinctu esse; & Veteres cinctuti appellati sunt. Urbes ab urbo curvaturâ aratri dictæ sunt, & in quo differant ab oppidis. Ambitus Urbis quantus initio, & consequutis temporibus fuerit. Quot cives Romæ ætate Romuli, necnon aliis sæculis censerentur. Unde Pomœrium sit appellatum. Quos quisque colles Romæ adjecerit.

DISSERTATIO XXIV.

De Romuli Triumpho, Triumphisque Romanorum.

TRophæa e quercu suspendebantur; quia ea Jovi sacra erant; conficiebantur autem plerumque ex ligno; ne inimicitiarum memoria esset perpetua; ea tamen tollere nefas habebatur, quia adorabantur; Macedones verò inhumanum putabant per trophæa hostibus insultare. Unde tropheum dictum sit. Falsum est id, quod Lucius Florus tradit, Domitium Ænobarbum, & Fabium Maximum primos Romanorum trophæa constituisse. Romulum, quum triumphavit, curru in Urbem invectum auctor est Dionysius Halicarnasseus, cui astipulatur Propertius, Plutarchus tamen putat pedibus incessisse. Ovatio unde dicta sit, dissentiunt inter se Plutarchus, Festus, & alii. An verum sit, quod Valerius Maximus tradit, oportuisse triumphaturos aliquid adjecisse imperio.

DISSERTATIO XXV.

De Romanorum Triumphis.

VAlerius Maximus Marcellum captis Syracusis non triumphasse tradit, quòd nullum magistratum gereret; aliam tamen affert causam Livius, & aliam Plutarchus. Supplicatio ad omnia Deorum pulvinaria triumpho prælu debat; quot autem dierum decerneretur. Tiberio ob peregrinationem suburbanam Senatores quidam triumphum censuerunt, quem Tiberius increpitis auctoribus recusavit. Caligula, quum ducto adversus Oceanum exercitu nihil aliud militibus imperasset, quàm ut conchas legerent, triumphum adornabat. Nero musico certamine victor triumphavit; & Domitianus pluribus cladibus a Decebalo acceptis. Principes censent, quidquid est excelsum, gloriosum, ad suum dumtaxat fastigium pertinere; ideo in liberis civitatibus major existit copia excellentium virorum. Ornamentis triumphalibus primum Agrippam fuisse insignitum Dio tradit; Suetonius verò Tiberium, alii Masinissam. Galbineum colorem Salmasius aureum interpretatur.

DISSERTATIO XXVI.

Ubi describitur triumphi pompa.

COnstantius Imperator Romã dixit Deorum domicilium; mirumque esse urbis Cœlo æmulæ cives mori. Uniones duo Cleopatræ plusquam sexcenties sestertiûm æstimati sunt. Quantum prædæ in triumpho duxerint Æmylius devicto Perse, Augustus Cleopatrâ; Lucullus, & Pompejus, Mithridate, & Tigrane debellatis.

DISSERTATIO XXVII.

Quæ pergit Triumphi Pompam describere.

POmpejus in Hispaniâ octingentis urbibus, in Ponto nongentis potitus est. Cæsar quadragies novies cum hostibus signis collatis prospere dimicavit. Simulacra arcium, fluminum, montium, urbium, & provinciarum subactarum ex ebore, aut argento in triumphis ducebantur.

DISSERTATIO XXVIII.

Currus, corona, & vestis Triumphantium describitur.

ARrogantiæ summæ argumentum reputatum est, quod Hieronymus Syracusarum Rex alborum equorum quadrigis e Regiâ procederet. Exæneto Olympiæ victori trecentis alborum equorum bigis Agrigentini occurrerunt. Sunt, qui existiment post Camillum omnes albis equis triumphasse; sed veriùs id Plutarchus negat. Quatuor elephantis vehebatur Pompejus in triumpho Africano, licet Plinius neget. Alexander Severus triumphans elephantos curru junxit; ipse autem, ne modum excederet, pedes incessit; M. Antonius leones jugo subjunxit. Heliogabalus modò canes, modò leones, modò tigres, modò cervos ad currum jungebat. Aurelianus cervis in Urbem triumphans est invectus. Ex antiquis nummis colligitur trium-

triumphantium currum turris faciem præferre. Servus Triumphantem admonebat, ut se esse hominem meminisset; quod etiam Philippus Macedoniæ Rex puero demandaverat. Unde appellata sit toga picta. Pompejus in chlamyde Alexandri Magni triumphavit. Amuleta contra invidiam gestabant triumphantes. Damnati, quum ad mortem ducerentur, nolam gestabant, quæ sono obvios, ut decederent, admoneret, ne quis inscius eorum contactu contaminaretur; ideo ex Triumphantium curru flagellum, & nola pendebat, ut intelligerent posse cædi, aut capitali supplicio affici. In media triumphi pompa quidam ornatus incedebat, agebatque ad risum excitandum varios gestus.

DISSERTATIO XXIX.

In qua pergit explicare quomodo apud Romanos Triumphi ducerentur.

QUi tempestatem effugerant, caput radebant; ideo & qui a servitute, quasi tempestate liberati fuerant, radebantur, & pileum accipiebant; quapropter Brutus, & Cassius, quum interfecto Cæsare populum libertate donassent, nummos cudendos curarunt, in quibus pileus cum duobus pugionibus visebatur. Triumphantes porta Capena, quæ fortè antiquitus Camœna dicebatur a Camœnis, & Fontinalis ab earum fonte, Urbem ingrediebantur; ideo etiam triumphalis est appellata. Via Sacra unde nomen acceperit. Triumphans Consules ad convivium invitabat, & ne venirent, rogabat. Convivium exhibebatur in Capitolio, licet Athenæus velit in Herculis templo. Triumphos tercentum viginti duxerant Romani usque ad Vespasianum.

DISSERTATIO XXX.

De Anno, quem Numa ordinavit, ac de Annis nonnulla.

PErperam Ovidius tradit, ideo Romulum Annum decem mensium statuisse; quia hoc temporis spatio feminæ partum gestent, quia hi menses sunt lunares; atque adeo breviores iis, quibus nunc utimur; at menses Romuli iisdem longiores erant; adeout aliqui menses triginta quinque dies, aliqui plures comprehenderent, & annus tercentum sexaginta dies contineret. Nec desunt, qui asserant, Romulum quoque duodecim menses constituisse; eos autem, qui volunt decem tantùm menses statuisse, deceptos ex eo, quod ad decem tantùm menses numero notati sint. Plinius tradit quandam mulierem decimotertio mense peperisse. Impar numerus cur a philosophis pari præferatur. Græci excellentiam, & magnitudinem imparis appellatione significant. Intercalares dies quomodo Græci, & quomodo Numa, ac Julius Cæsar addiderint. Cur Nonæ existant die quinto, vel septimo mensis; & Idus decimotertio, vel decimoquinto. Quibus Diis Annus, Menses, Calendæ, & Idus dicarentur. Qui dies atri essent, & cur ita dicerentur, in quo Plutarchus a Livio, Ovidio, & Macrobio dissentit. Feriis nemini vim inferre licebat; ideo virgines non nubebant, secus viduæ. Epilepsia, quæ dicitur morbus major, herculeus, & sacer, cur etiam appelletur comitialis. Quæ Festa continerent singuli menses; & unde originem habuerint eorum nomina. Aprilem a spuma, ex qua nata est Venus, Ovidius dictum putat; id negant Cincius, & Varro, & asserunt ab aperiendo nuncupatum, quibus etiam assentitur Ovidius; verùm Scaliger ab apro contendit esse appellatum. Cur mense Majo nubere non satis auspicatum censeretur. Calendis Juniis exacti fuit Reges. Matronæ servis epulas exhibebant, & famulorum ministerio fungebantur Calendis Martiis; Saturnalibus verò Domini, ut memoria aurei sæculi excitaretur. Quæ rationes Romulum movenint, ut Martium anni principium faceret; quæque moverint Numam, ut principium anni Januarium statueret. Qualis fuerit Janus, & cur bifrons, & alicubi quadriceps fingeretur. Palmæ fructus, caricæ, & mella libabantur Calendis Januariis, ut omen essent anni, qui nihil amari haberet; ita pariter quamvis ab omni opere cessaretur; omnia tamen opera aliquatenus exercebantur, ne auspicium esset anni penitus otiosi. Quot annorum genera essent non solùm apud diversas nationes, sed etiam apud ipsos Ægyptios. Annus Magnus quod temporis spatium continere a philosophis dicatur. Phœnix quot annos vivat.

DISSERTATIO XXXI.

De Virginibus Vestalibus.

VIrgines quamplurimis in locis Deorum sacerdotes erant. Dionysius Halicarnasseus satis probat, Numam instituisse Virgines Vestales; ut etiam Livius tradit; non autem Romulum, ut quidam falsò opinantur; ideo Tarpeja, quæ Capitolium Sabinis prodidit, non fuit Vestalis, licet Propertius id affirmarit. Vestales, quum eliguntur, maximè omnium propriè capi dicuntur, non tamen solæ, quidquid aliqui

sint arbitrati; nam Gellius tradit, quod Flamines quoque Augures, & Salii capi dicebantur. Ignem Vestales concavo vase ad Solis radios exposito accendisse videtur indicare Plutarchus; Lipsius tamen Festi auctoritate ductus affirmat, attritu duorum lignorum excitari solere. Carpentum, & pilentum idem esse vehiculum suspicatur Lipsius; sed verius est ea fuisse diversa, ut colligitur ex Livio, & Festo. Senarius numerus, quum ex suis partibus constet, perfectus est, & a Pythagora nuptiæ appellabatur. Utrum Vesta sit Terra juxta Platonis, Plotini, ac Dionysii Halicarnassei sententiam, an juxta Ovidii, & Albrici opinionem Ignis, qui omnibus rebus, etiam aquis inest. Vesta, quum homines in speluncis habitarent, princeps dicitur domos construxisse. Aspiratio Græcorum frequenter in V. consonum vertitur a Latinis, ut ex multis vocibus constat.

Finis Epitomes Dissertationum in Livium.

EPITOME
DISSERTATIONUM IN VIRGILIUM.

DISSERTATIO I.

An tollendi sint primi quatuor Æneidos versus.

HOmerus in tot millibus versuum nunquam sui mentionem, Patria que fecit; ceteri autem poëtæ ferè omnes de se aliquid, nec sine quadam jactantiâ, loquuti sunt.

DISSERTATIO II.

De propositione totius operis.

MIra brevitas est Virgilii. Bella quidem narrantur etiam in prioribus Æneidos libris; Vir autem perfectus in posterioribus describitur; in prioribus verò proficiens. Quatuor juxta Plotinum sunt virtutes; purgantes scilicet, animi jam purgati, civiles, & exemplares.

DISSERTATIO III.

De eadem re,

ÆNeas, quum Trojam, idest vitam voluptatibus refertam relinquit, purgantes virtutes exercet; hinc ad virtutes animi jam purgati gradum facit, quod significat descensus ad Inferos; qui nihil est aliud, quàm decantata illa a Platone meditatio mortis; mox perfectas, & exemplares virtutes adipiscitur. Donatus confutatur, dum *arma* interpretatur *scutum* a Vulcano Æneæ fabricatum. Arma pro bello passim accipiuntur. Athenæus dicit: nisi Grammatici extitissent, nemo stultior Medicis fuisset.

DISSERTATIO IV.

Cur Virgilius dicat Æneam in Italiam venisse primum.

TYrrhenos aliqui indigenas esse putant; dictosque a *turribus*, quas principes excogitarunt. Italiæ pars, quæ Gallia Cisalpina vocabatur, longè post Æneæ in Italiam adventum hoc nomen accepit; siquidem Tarquinio Prisco imperante Galli eam Italiæ partem tenuerunt depulsis Etruscis, qui eam occupaverant, ut probabilius est, post excidium Trojæ; verùm quidquid sit, certum est illam partem nunquam Italiæ nomen amisisse; quare Servius audiendus non est, quum dicit Antenorem in Italiam non venisse; quia in Galliâ Cisalpinâ consederit. Virgilius Mantuanos, & Ligures inter Etruscos recenset.

DISSERTATIO V.

In eundem Virgilii locum.

QUamplures in Italiam ante Æneam venerunt; quare appositè Aurelius Victor *primum* accipit pro *principe*, ut sæpe accipitur apud Virgilium, & alios Auctores;

res; ficut viciffim *princeps* pro *primo*. Eroftratus nominis affequendi cupiditate Dianæ Ephefinæ templum incendit; idcireo, ne quis eum nominaret, Ephefii decreverunt. Decipitur Conradus, dum Homerum Ulyffis nomen tacuiffe putat, quia fcelestus fuerit; & Virgilium Æneæ nomen omififfe, quia Patriæ proditor effet; hoc enim falsum eft; nulla namque eft auctoritas Dictys Cretenfis, aut Phrygii Daretis. Quæ fubdolè in hoftes geruntur, vitio verti non debent.

DISSERTATIO VI.

In eundem Virgilii locum.

MUltos poëtæ infamiâ notarunt immerentes; ut ex Minoë, Didone, & Medeâ conftat. Ex Penelopes adulterio natum Pana ferunt. Ex Antiquis folus Menecrates Xanthius tradit proditam ab Ænea Trojam.

DISSERTATIO VII.

In eundem Virgilii locum.

ÆNeæ nomen a laude originem ducit. Granditatem addit orationi Periphrafis; ideo poëtæ ferè omnes eâ in principio utuntur. Exilium apud Antiquos probrofum erat; propterea *ἄοικος*, hoc eft *lare carens* pro *injuſto* accipitur.

DISSERTATIO VIII.

In illud Virgilii: Italiam fato profugus, &c.

MInus culpæ eft, quum aliquid vi cogente peccatur. Catena, qua Juppiter apud Homerum terram, & Deos ipfos attracturum minatur, eft Fatum, cui omnes Dii parent. Fatum eft ipfe Deus. Deo fervire libertas eft; & ei omnes indignitates perferre gloria eft.

DISSERTATIO IX.

In eundem Virgilii locum, ubi agitur de Fato.

PRæmiis Boni, Mali pœnis afficiendi effent, etiamfi ftellis cogentibus agerent. Fatum quid fit ex fententiâ Chaldæorum, aftrologorum, Stoicorum, & aliorum Sapientum. Perperam Plinius Stoicorum fententiam de Fato eum Chaldæorum confundit.

DISSERTATIO X.

In eundem Virgilii locum: cur vulgò fit creditum Fatum non poſſe vitari, explicatur.

EXtant quamplura exempla eorum, qui eo ipfo, quod Fata vitare quæfiverunt, in ipfa inciderunt; hinc dictum profluxit: *fugiendo Fata in ipſa Fata ruitur*. Cambyfes Fatum effe credidit, ut Smerdis Perfarum Imperium occuparet; ideo fratrem, qui eo nomine vocabatur, interfici juffit; eâ occafione fumptâ Smerdis alius extincto fimillimus formâ quum Smerdim vivere divulgaffet, aliquandiu imperavit. Quum Meffenam capi Fatum effet, Ariftodemus filiam virginem obtulit immolandam; amator autem puellæ, ne facrificaretur, eam ex fe fe gravidam affirmavit; quamobrem pater filiam jugulavit, ut diffecto ventre oftenderet non effe prægnantem; ita puellam non immolavit, fed occidit; quare Fatum non impedivit.

DISSERTATIO XI.

De Fato, in eundem Virgilii locum.

MUnera fingularum Parcarum, & unde earum nomina deducantur. Chalcidii etymologia de Lachefi improbatur. Quomodo Stoici Fati neceffitatem cum libertate voluntatis noftræ conjunxerint; quod explicant fimilitudine cylindri per declive devoluti, & fluminis cuncta fecum auferentis; a quorum fententiâ non diferepat Plato. Servus Zenonis, quum plecteretur, quòd herum fciebat, cuncta Fato fieri exiftimare, dixit: Fatum fuit, ut peccarem; Zeno autem refpondit, Fatum etiam fuiffe, ut plecteretur.

DISSERTATIO XII.

De Fato, in eundem Virgilii locum.

FAtum eft Dei lex, & a fando dicitur, quum fit id, quod Deus fatur; ideo, quum omnibus mors a Deo decreta fit, ea Fatum appellatur; verùm violenta præter Fatum dicitur; quamobrem reprobatur Julius Scaliger, qui in hoc Virgilium reprehendit. Anacreon obiit acino uvæ paffæ fuffocatus; Æfchylus ab aquilâ, dejectâ in ejus caput teftudine; gaudio Sophocles, Philippides, Chilon, & Dionyfius.

DIS-

DISSERTATIO XIII.

De Fato, & Fortunâ; in eundem Virgilii locum.

VOluntas Dei est Providentia, Fatum, & Fortunâ; minorum etiam Deorum voluntas appellabatur Fatum; sed huic resisti poterat; Fati autem legibus, quod est summi Dei voluntas, Deum ipsum teneri Stoici voluerunt. Ineptè Macrobius Virgilium reprehendit, quòd Fortunam omnipotentem appellet. Homines medium Fortunæ numen invenerunt, ne quum eam conviciis proscindunt, Providentiam Dei accusare videantur. Cur Homerus Fortunam nunquam nominet.

DISSERTATIO XIV.

In ea verba, quæ consequuntur: Lavinaque venit &c.

MUlti Hercules ante Herculem Amphitryonis filium floruerant; & proinde juramentum per Herculem apud Plautum in Amphitryone, non usurpatur per figuram prolepsin, ut Vir quidam doctus existimavit. Servium, dum putat Lavinium, Lavinum, & Laurentum eandem esse urbem, errare evincitur ex Dionysio Halicarnasseo, & Strabone. Elisio litteræ M. exprimit difficultatem; & repetitio copulæ *Et* auget orationis granditatem.

DISSERTATIO XV.

Ubi de illo Virgilii loco agitur: multa quoque &c.

QUamplures fuerunt in Pace fortes, qui in bello nullam virtutem præstulerunt. Demosthenes in prœlio clypeum dicitur abjecisse, fugæque se mandavisse. Fortitudo vera non tam in strenuè rebus gerendis cernitur, quàm in causis, propter quas res geruntur. Litterâ P. nondum repertâ *Penas* dicebatur *Denas*. Palladium, & Penates Dardanus accepit in dotem a Chryse; & quum Arcades ex Peloponneso propter imbrium magnitudinem decessissent, translata sunt in Samothraciam, deinde Ilium, & eo capto Romam; nam verum Palladium Diomedes, & Ulysses minimè abstulerunt, sed effictum ad illius similitudinem; sicut Mamurius jussu Numæ fabricavit multa ancilia illi, quod Cœlo ceciderat, & vates cecinerant, imperium Terrarum futurum, ubi illud servaretur.

DISSERTATIO XVI.

De Palladio, & de Diis Penatibus.

PAlladium ex ossibus Pelopis nonnulli factum prodiderunt; plerique tamen e Cœlo delapsum tradunt; & Ilo Regi datum Apollodorus refert. Penates esse Neptunum, & Apollinem quidam putaverunt; alii Jovem, quem interpretantur medium Æthera; Junonem, quam imum Aëra cum Terrâ; & Minervam, quam summum Ætheris cacumen; alii Fortunam, Cererem, Geniumque Jovialem, ac Palem, non illam, quæ pastorale numen habetur, sed Jovis ministrum, Penates esse existimant; alii denique Cœlum, & Tellurem. Dicuntur autem Penates a penu, & Samothraces ab Hebraico verbo, quod est occultare; Etrusci autem illos appellabant Consentes. Latium ex eo est appellatum, quod Saturnus ibi latuerit.

DISSERTATIO XVII.

In illum Virgilii locum: genus unde Latinum &c.

FRanci deletis Gallis regionem a se denominarunt. Æneas Lavinium condidit, Lavinienses autem Albam; ex qua triginta coloniæ Latinæ deductæ fuerunt; ideo Æneas Latini generis auctor dicitur a Virgilio; non verò quia Latinos debellaverit; ut docto Interpreti placet. Parti magnæ imperans universæ regioni imperare dicitur. Ædificia Romanorum immensæ altitudinis erant; adeo ut legibus statuenda fuerit eorum altitudo; quamobrem non fine causâ alta a Virgilio Roma vocatur.

DISSERTATIO XVIII.

In illum Virgilii locum: Musa, mihi causas memora.

VEteres initio rerum agendarum, vel dicendarum Diis preces adhibebant; adeout etiam orationum exordia a precibus in Deos auspicarentur; poëtæ verò ut plurimum Musas invocabant; sed Lucanus solum Neronem invocavit, & Apollinis auxilium sprevit; hinc quibusdam ejus carmina Nerone, quàm Apolline digniora videntur. Democritus negat quemquam sine furore divino ad excellentem Poëticæ gloriam posse pervenire; quod & Plato comprobat. Apelles dicebat se venustate omnes superasse. Cur Virgilii propriam Musam esse Erato Marsilius Ficinus autumet.

DIS-

DISSERTATIO XIX.

In eundem Virgilii locum, & versus, qui consequuntur.

CAlliope a pulchritudine vocis est appellata. Platonici quum singulis orbibus cœlestibus suam Musam tribuant, quæ eos animet, Calliopen Universo tribuunt. Musæ antiquitus fuere tres tantum; alii tamen duas fuisse tradunt; alii quinque; Mnaseas tamen quatuor esse voluit; septem Myrsilus, & Crates octo; ceterum quisque eum Musarum numerum esse statuebat, in quem disciplinas dividebat. Socrates ajebat ea petenda esse a Deo, quæ per nos consequi non possumus. Causæ rerum latent, non ipsæ res. Pietas est omnium virtutum fundamentum. Ira est animi imbecillis, nec in Deum cadit ex Stoicorum sententiâ; licet id improbet Lactantius; nam quum scelera Deus ulciscitur, non utitur irâ, sed justitiâ. Deorum iras dici numero dumtaxat multitudinis; nonnulli viri eruditi voluerunt; verùm poëtas id non observasse, multa exempla docent.

DISSERTATIO XX.

In Virgilii carmina, quibus explicat caussas odii Junonis in Trojanos.

COrnelius Fronto docet antiquum esse, quod patrum memoriam excedit. Quo tempore Carthago condita fuerit, & cur antiqua dicatur a Virgilio, magna est inter Auctores dissensio. Cambyses bellum inferre Carthaginiensibus non potuit renuentibus Tyriis militare contra suos colonos, quos Liberorum loco habere debebant; quam justam caussam detrectandæ militiæ Cambyses reputavit.

DISSERTATIO XXI.

Ubi agitur de Carthaginis ortu, & nomine; & de quibusdam Virgilii locis.

CArthago, quum ipsam Romani excindendam decreverunt, trecentis urbibus imperabat; & in eâ septingenta hominum millia censebantur; ejus autem ambitus vigintitria millia passuum colligebat; quum verò incensa fuit, dies omnino septemdecim conflagravit. Byrsa dicta est arx Carthaginis a corio; alii tamen Bysram dictam putant, quæ vox Phœnicum linguâ significat locum munitum. Dido, quum frater Pygmalion Sichæum ejus virum, & avunculum interfecisset, in Africam venit, & Carthaginem condidit; alii tamen tradunt Phorum, & Carchedonem Carthaginem coloniam deduxisse; ideo a Græcis dicitur Carchedon a conditore; Carthago autem dicitur, quasi nova urbs; dicta est etiam Caccabe, quia, quum fundamenta jacerentur, inventum fuerit caput equi. Multæ extant ubique urbes Neapolis nomine appellatæ. Virtus virorum sine pecuniâ non sufficit ad comparandam magnam potentiam bello, ut exemplo Lacedæmoniorum docemur; contra verò nec opes prosunt sine virtute, quod Arabum imbecillitas demonstravit; quorum decem millia cecidit Ælius Gallus duobus dumtaxat militibus amissis; & nisi perfidia Sylæi impedimento fuisset, universam Arabiam paucis mensibus subegisset; quin etiam quum urbes obsedisset, ac expugnasset, & manus cum hostibus contulisset, in eo bello universo septem Romani tantummodo ferro cæsi fuerunt. Quinctus Flaminius dicebat Philopœmenem egregium ducem carere ventre, quum pecuniâ destitueretur. Byzacii ager centuplicem frugem reddebat. Licet Polybius, & Livius prodiderint, quod Pœni ex plebe exercitus non conscriberent; tamen initio plebem quoque bellicosam fuisse certum est; nec admittenda est docti viri interpretatio, qui putat Virgilium dixisse Carthaginem belli studiis asperrimam, quia esset belli cupida, non quia scientiâ rei militaris præstaret. Hostis victi virtus gloria est victoris; ideo Alexander Pori Regis, & Indorum virtute gavisus esse fertur. Regna Junonis dona sunt; ideo Juno Regina, & regia vocatur; quin, & pro regno interdum accipitur; dicitur autem Saturnia, quum ejus sævitia est exprimenda; quemadmodum Trojanos quum impios, & perjuros significare vult Virgilius, laomedonteos nuncupat.

DISSERTATIO XXII.

De quibusdam aliis Virgilii locis.

CArthagine devictâ Romani Imperium per totum Orbem terrarum extenderunt, & de Regum controversiis cognoscebant; quin & innumeris gentibus Reges dederunt; Legatus autem populi Romani potentissimum Asiæ Regem virgâ ausus est circumscribere additâ voce: *hic stans delibera*. *Venire* interdum significat *fieri*, *evadere*. Parthi defuncto Rege successorem Româ petebant; eorumque Reges filios obsides Romam mittebant. Indorum Rex, qui sexcentis Regibus imperabat, Augusti amicitiam per legatos petiit.

DISSERTATIO XXIII.

In illud Virgilii: quam Juno &c.

DEos quasi custodes urbibus, regnisque, & singulis hominibus, & quibuscumque aliis rebus tribuebant Antiqui, quos genios appellabant. Juno priusquam Jovi nuberet, cum ipso clam concubuisse fertur, vel cum Eurymedonte; ideo Samiorum virgines, antequam legitimis nuptiis viro jungerentur, clandestino coitu cum Sponso, vel cum alio copulabantur. Truncus pro simulacro Junonis Thespiis colebatur, & in insulâ Samo tabula sine ullâ imagine. Dii, quos quæque natio veneraretur.

DISSERTATIO XXIV.

De propriis locorum Diis, quos Indigenas appellabant.

ZAmolxin Getæ tanquam Deum coluerunt, qui Pythagoræ servus, & ab eo libertate donatus fuerat. Euthymus pugil, quia semper Olympia vicisset, nunquam, nisi semel, esset victus, oraculi jussu vivus tanquam Deus habitus est. Conditores suos, & legumlatores, aliosque urbes quæque tanquam Deos colebant, itemque singulorum locorum genios, qui dracone exprimebantur; hos autem omnes Deos indigenas vocabant; qui quum urbs aliqua obsideretur, evocabantur; ideo Romæ tutelare Numen, nomenque ejus, & Urbis occultabatur; tamen quidam Lunam Romæ tutelam gerere dixerunt; alii Jovem, alii Angeronam silentii Deam, alii Opem Consiviam. Valerius Soranus, qui nomen Urbis enunciavit, supplicium non effugit. Heroibus dicati erant angues; hinc Persii locus explicatur.

DISSERTATIO XXV.

De armis, quæ Junoni tribuebantur.

DEos habere maris, & feminæ naturam quidam tradiderunt; quia Dii Gentium nihil aliud sint, quàm Mundi partes, & elementa, quæ vim masculinam, & feminam habent; hinc Orpheus Jovem Sponsam nuncupavit; & Veteres Lunam, & Lunum Deum agnoverunt; Cyprii etiam simulacrum Veneris barbatum cum veste muliebri adorarunt; ideo Calvus poëta, & Virgilius Venerem Deum vocant. Junoni, & omnibus aliis Diis hasta, & arma tribuebantur, quum antiquitus hasta pro Deo coleretur; hinc Reges, quum semper divinitatem quandam affectaverint, hastas sumpserunt, qui sceptra vocantur.

DISSERTATIO XXVI.

De Curru Junonis, & aliorum Deorum, & cur Diis currus tribueretur.

JUno, quia Veneris mater est, nuptiis præest; & armis, quia Martem genuit; tum etiam quia Aër est, & aëre sereno nihil jucundius; nihil verò terribilius eo perturbato. Horatius Platonem sequutus volucrem currum Jovis appellavit. Panyasis Solem poculo vehi prodidit. Quisque Deorum quibusdam peculiaribus animalibus vehebatur. Platonici tribuunt animis, ac Diis corpus quoddam æthereum, quo corpus cum animo conjungatur, & vehiculum appellant; hinc poetæ curru vehi Deos finxerunt.

DISSERTATIO XXVII.

De Causis odii Junonis in Trojanos.

PAridis fabula, qui rapuit Helenam, nec tranquillè eam possedit, significat omnes homines, & præcipuè Principes, qui se voluptati dediderunt, nec potentiam tueri, nec virtutem, sed libidine pessundari regna; puramque voluptatem nonnisi ejus contemptoribus contingere. Ganymedes ab aquilâ raptus dicitur, quia signum ejus legionis, quæ illum rapuit, esset aquila; ejus nomen gaudium mentis sonat; quare in Cœlum translatus fingitur, quia is, cui gaudio mentis frui contigit, inter homines non versatur; nec absurda erit interpretatio, si quis dicat eum miscere Superis ambrosiam, quòd omnis Deorum felicitas gaudio mentis terminetur.

DISSERTATIO XXVIII.

Qua Macrobii judicium reprehenditur.

HOmerus frequentiores, & magis indecoras Diis narrat fabulas, quàm Virgilius, ut recensendis illis patet; nec tamen Homerus reprehendendus; Macrobius verò audiendus non est, qui Virgilium reprehendit.

DISSERTATIO XXIX.

De Poëtarum Allegoriis.

PLerique omnes philosophi licet Aristarchus, Lucianus, & Scaliger dissentiant, existimant poëtas fabulis, & allegoriis res philosophicas explicare; qui mos fuit etiam divinorum prophetarum.

DIS-

DISSERTATIO XXX.

De iisdem Allegoriis.

HEraclitus ob operum obscuritatem dictus est σκοτεινὸς, idest *tenebrosus*. Sapientum vetustissimum genus fuerunt apud Græcos poëtæ; vetustissimi autem sapientes allegoriis utebantur, ut ex sacris litteris constat; consentaneum est igitur etiam poëtas usos; præsertim quum etiam philosophi recentiores, & qui a studiis litterarum abhorrent, iisdem usi fuerint.

DISSERTATIO XXXI.

Quàm piè de Deo senserint philosophi; quàm impiè de Diis vulgus.

GAlli simulacra e viminibus contexta hominibus implebant, eaque in honorem Deorum succendebant. Herculi Lindio conviciis sacrificabatur. Mulieres in Capitolio comptæ sedere solabant, quia se a Jove amari in animum induxissent.

DISSERTATIO XXXII.

Quæ fuerint populi opiniones de naturâ Deorum.

MUlti etiam post heroica tempora Deorum filii existimati sunt; licet Clemens Alexandrinus aliter sentiat; ex quo constat vulgus credidisse Deos libidine incitari, & nullam turpitudinem ab ipsis abhorrere; sicut fabulæ turpissimæ, quæ de Diis narrantur, ostendunt.

DISSERTATIO XXXIII.

Non a fabulis poëtarum natas vulgi de Diis opiniones, sed contra.

ELeusinia sacra sive a Melampo, ut Clemens Alexandrinus tradit, sive, ut Diodorus Siculus censet, ab Atheniensibus instituta sint, longè antiquiora sunt omnibus poëtis. Homerus enim vetustissimus fuit poëtarum juxta Herodotum, & Vellejum Paterculum, qui quadringentis annis post Herculem floruit; & si qui ante Homerum poëtæ vixerunt juxta alios, non tamen Hercule fuerunt antiquiores; quemadmodum sunt vetustiora Hercule Eleusinia sacra; idemque dicendum de aliis mysteriis; quum autem in his turpissimæ Deorum actiones repræsentarentur, evincitur opinionem populi de Diis fuisse poëtarum fabulis vetustiorem.

DISSERTATIO XXXIV.

Qua artis leges non egredi poëtas ostenditur, quum Deos faciunt vitiis, & perturbationibus humanis obnoxios.

HOmerum Plato ab eâ, quàm instituit, Republicâ multo verborum honore compellatum, coronatumque, & unguentis delibutum dimittit; præcipuè quia multa de Diis finxerit, quæ ipsos dedeceant; quamobrem Beatus Augustinus Platonem, quatenus piè potest, inter Deos Gentium putat esse referendum. Poëtæ vetustissimi suis fabulis pessimè Reipublicæ, & moribus consuluerunt; verùm ipsi opinionem vulgi potiùs, quàm veritatem sequuntur; sic Medeam filiorum cæde maculatam traducunt; quum tamen Corinthii id facinus perpetrarint; sic impudicam Helenam, imbellem Paridem, Minoëm immanissimum fingunt, quum verius sit contrarium.

DISSERTATIO XXXV.

Qua poëtas etiam auctoritate philosophorum defendi contendimus.

PHilosophi adduci non potuerunt, ut crederent immensum illud intervallum inter Cœlum, Terramque vacare animantibus; ita pariter sibi persuadere non potuerunt, inter Deos, hominesque nullam esse naturam, quæ cum utrisque conveniret; ideo arbitrati sunt quoddam genus, quod immortalitate cum Diis conveniat, cum hominibus, quod non sit expers affectuum; id genus Græci Dæmonas appellant, Cicero Lares, nec absurdè Genios dixeris; horum aliqui sunt pravæ naturæ, quos Divinæ justitiæ, & ultionis administros Plato existimat; nec defuerunt, qui bonorum animos, quum e corpore evolaverunt, bonos Genios evadere; malorum verò malos.

DISSERTATIO XXXVI.

Qua de Naturâ Geniorum differitur.

NYmphas, & Genios vivere circiter annorum decem millia Hesiodus tradit. Hamadryades appellatæ sunt, quia exigant vitam æqualem ævo, quo quercus durant. Quidquid homine potentius, & præstantius est, Veteres Deum vocabant. Genios cum mulieribus coire nonnulli etiam Christiani Patres crediderunt.

§§§§§§§ DIS-

DISSERTATIO XXXVII.

Aliter narrare poëtas, aliter Historicos.

POëmata non sunt ab initio rerum gestarum inchoanda, ut unitas fabulæ constet, & ut ab historiis, & orationibus differant; plerique tamen poëtæ id non observarunt.

DISSERTATIO XXXVIII.

In illud Virgilii; Vix e conspectu &c.

UNitas fabulæ, quam Aristoteles in Odyssea tantopere commendat, in Æneide maximè elucet; quum hæc duo poëmata in hoc sint simillima. Quod Plato docet singulas litteras suo sono varias res exprimere, id Virgilius in suis carminibus mirificè consequitur. Monosyllaba in fine versus aliquando parvitatem rerum, aliquando magnitudinem exprimunt.

DISSERTATIO XXXIX.

De Junonis oratione.

ORationum exordia concitata, & vehementibus referta figuris esse non debent. Quum Ajax Cassandram a templo Minervæ abstraxisset, & constuprasset, vel ut alii tradunt, in templo vitiasset, Minerva Græcis irata tempestatem immisit; hinc Nauplius, ut filii Palamedis mortem ulcisceretur, ignem e Caphareis scopulis suspendit, quibus allisi Græci omnes perierunt.

DISSERTATIO XL.

In eundem Virgilii locum.

JUnonis nutrices Asterionis fluminis filiæ extiterunt, licet alii ab Horia nutritam ferant. Argivi annos Junonis sacerdotum nominibus notabant, & omnes, qui huic sacerdotio præfuerant, statuis honorabant; adeout etiam ipsam Chrysidem, cujus incuriâ templum conflagraverat, eodem honore prosequuti sint, licet ea, ne supplicio afficeretur, aufugisset. Fulmen esse proprium Jovis Virgilius indicare videtur; sed multa quoque aliis Diis tribuitur. Elicius dicitur Juppiter, quòd ab eo fulmen eliciatur. Summanus nocturna, & maximè dira fulmina jaculatur. Ægidem Juppiter, & Pallas habet; sed Minervæ Ægidem alii pectoris tegmen; alii clypeum faciunt.

DISSERTATIO XLI.

In illud carmen: Præterea, aut supplex aris imponat honores.

SAcrificia ab Auctoribus dicuntur Deorum honores; quomodo ea peragerentur. Exta dicuntur ab *execando*, vel, ut Festo placet, ab *excando*; quid eorum nomine comprehenderetur. Lances a latitudine nuncupatæ sunt. Acerra erat arcula, qua tus recondebatur, & etiam ara, quæ ante Mortuos poni solebat. Persii locus explicatur aliter, quàm Casaubonus interpretetur. Costum, ac tus sola ex odoribus Diis grata. Verbenam Servius putat fuisse rorem marinum; Donatus omnem herbam; alii alia. Focus lanâ circumdari consuevisse videtur ex Propertio, quod Scaliger negat. Mola salsa, quàm ὐλοχύτας Græci dicunt, conficiebatur ex tosto farre, & sale hornis; apud Græcos autem e sale, & hordeo neque tosto, neque molito. Κρίθη, hoc est *hordeum* unde dicatur. Romani trecentis annis farre victitarunt. Fibræ quid sint. Holocaustum unde dicatur. Persæ solâ victimæ animâ contentum esse Deum opinabantur. Dii aliqui nullâ victimâ colebantur.

DISSERTATIO XLII.

Ubi de Sacrificiis agitur.

SAcrificantes puros esse corpore, mente, ac veste oportebat; ideo vasa erant in templis ad lavandum, quæ Perirrhanteria nuncupabantur; & a sacris arcebantur venereâ voluptate impuri; vestis autem pura dicebatur, quæ nec obsita, nec fulgurita esset. Vestibus, quibus in funere usi fuerant, Θ inscribebant, quæ verò fulmine tactæ fuerant, K; quibus litteris mortem, & fulmen significabant. Color albus Deo gratissimus; hinc Romani in spectaculis candidâ veste utebantur. Hostiarum aliæ dicebantur animales, injuges aliæ, aliæ bidentes; quibus continentur, ut Nigidius affirmat, hostiæ omnes bimæ; licet quidam sint arbitrati oves tantùm significari; præcipuè tamen hoc vocabulum ovibus convenit; & ita appellatæ sunt quasi biennes.

DISSERTATIO XLIII.

Qua de Sacrificiis agitur.

QUæ desiderarentur in hostiis. Clitumnus fluvius Faliscorum faciebat plerumque candidos boves. Victimæ albæ Diis acceptiores. In quo differet victima ab hostiâ. Victima appellata est, quòd ob victos hostes immoletur. Maxima victima taurus est.

est, & ovis propter mansuetudinem. Quæ essent hostiæ majores.

DISSERTATIO XLIV.

In qua de Sacrificiis disseritur.

C*Oronare* significat *implere*. Quum in sacrificiis jubebantur favere linguis, silentium imperari tradunt Seneca, Donatus, Festus, & Euripides; vel jubebantur, ut boni ominis verba dicerent, sicut Servius, Acron, & Porphyrion putant, quod etiam ex Ovidio colligitur. Ex quibus rebus conficeretur mola salsa.

DISSERTATIO XLV.

Quæ de Sacrificiis est quinta.

POpæ, sacrificuli, victimarii, & cultrarii iidem erant; alii tamen victimarios distinguunt a cultrariis. Cultrum, quo victimæ jugulum fodiebatur, nonnulli secespitam dictum tradiderunt; Paulus tamen tradit usos ad secandum libum, quod secium vocabatur; sed ait alios arbitrari secespitam esse securim, alios cultellum, alios dolabram. Ex multis Auctoribus jugulari consuevisse victimas constat; & etiam securi, vel malleo percuti; quare probabile videtur, hostias majores prius percuti, deinde jugulari solere.

Finis Epitomes Dissertationum in Virgilium.

E P I T O M E
DISSERTATIONUM IN CICERONEM.

DISSERTATIO I.

Otium omnes desiderant.

AUgustus imperii resignandi consilium sæpe cepit; Diocletianus autem, & Maximianus resignarunt; Sylla quoque dictaturâ se se abdicavit. Pontes erant mensæ, quibus suffragiorum cistæ imponebantur; aliis tamen videntur fuisse viæ quædam angustæ, per quas centuriæ in septa, & ovile introducebantur. Ætatis anno sexagesimo Romani omni publico munere solvebantur; hinc depontani senes dicebantur; ex quo fabula nata est, quòd antiquitus Romani sexagenarios e ponte in Tiberim dejicerent. Hyperborei senes ætate confectos ex altissimâ rupe in Mare præcipites dabant. Cato ajebat magnorum virorum non solùm negotii, sed & otii rationem extare oportere.

DISSERTATIO II.

Quot quàtisque procellis ætate Ciceronis Respublica, necnon & ipse conflictati fuerint.

MIthridatis Imperium quadragies centenis millibus passuum patebat. Si quos Marius non resalutasset, si quibus manus osculandas non præbuisset, ii tanquam inimici ab ejus satellitibus obtruncabantur. Sylla quindecim hostium ducibus cum totidem exercitibus fusis, fugatisque Româ potitus est; Dictaturam perpetuam invasit, quæ potestas centum viginti annis ante Syllam desita fuerat usurpari; non quadringentis, ut errore manifesto tradit Appianus Alexandrinus; judicia ab equitibus ad Senatum transtulit, & induxit in civitatem proscriptionem; & quò militibus ad quodlibet scelus perpetrandum promptioribus uteretur; præter æquum ipsis indulsit, & disciplinam militarem corrupit. Cicero annum vigesimum tertium agens juxta Cornelium Nepotem, vigesimum verò sextum juxta Fenestellam, vel vigesimum septimum juxta Agellium Roscium Amerinum defendit. Catilina filiam virginem constupravit; cum conjuratis fœdus humano sanguine sancivit. Fulvia, quum audisset a Quincto Spurio, qui cum eâ consueverat, conjurationem Catilinæ patefecit; legati autem Allobrogum detexerunt Ciceroni fraudem Catilinæ, qui in Urbe reliquerat Lentulum, & Cethegum, ut Ciceronem, quum ad eum specie salutandi venissent, interficerent.

DISSERTATIO III.

Qua quaeritur, an libri ad Herennium sint Ciceronis.

AUctores multi multa ab aliis desumpsêrunt, nec eos quidem laudarunt. Plinius ipse, qui Auctores, ex quibus aliquid hausit, omnes diligentissimè nominat, multa a Dioscoride mutuatus est, nec unquam ejus mentionem facit. Adulator quidam Antonium objurgabat, quòd Cleopatram parum diligeret; & quidam Tiberium objurgabat, quòd amore Reipublicæ nimiis curis se ipsum maceraret. Extant aliquæ conjecturæ, quòd libri ad Herennium sint Cornificii; licet Priscianus eos tanquam Ciceronis agnoscat.

DISSERTATIO IV.

De artis oratoriæ difficultate, & oratorum paucitate.

SOcrates ajebat omnes in iis, quæ planè sciunt, satis esse eloquentes. Philippus dicebat se Atheniensium felicitatem admirari, qui singulis bellis decem duces præficere possent; quum ipse unum ducem Parmenionem reperiret. Ars imperatoris, & Reipublicæ administrandæ, necnon philosophia difficillimæ sunt propter multitudinem eorum, quæ scire oportet. Posidonium immerito reprehendit Seneca, quòd etiam ignobiles artes a philosophiâ repertas arbitratur.

DISSERTATIO V.

Qua ostenditur philosophiam esse procreatricem, & parentem artium reliquarum, & de oratorum paucitate disseritur.

FErri fabricam invenerunt Dactyli Idæi Celmis, & Damnaneus. Venationem a philosopho abhorrere cur Seneca dicat, non satis percipitur. Belluarum multarum solertia. Atlas navem princeps dicitur compegisse. Tylen, qua bajuli ad onera ferenda utuntur, Protagoras invenit. Moses Ægyptiorum litteris, & sapientiæ præceptis institutus est. Pythagoras in vocibus proportionem sesquialteram, sesquitertiam, & duplam primus ostendit, quas διὰ πέντε, διὰ τεσσάρων, διὰ πασῶν appellavit.

DISSERTATIO VI.

Quam sit difficilis ars Grammatica.

QUæ sit differentia inter Grammaticam, & Grammatisticam. Grammatici etiam philologi sunt appellati. Aristarchus grammaticus nothos Homeri versus a legitimis secrevit; & supra nongentos libros edidit. Rhemnius Palæmon secum natas & perituras litteras jactitabat; & Virgilium in Bucolicis præsagisse judicem se futurum omnium poëtarum, & Scriptorum. Alexarchus grammaticus Solem se esse mentiebatur. Didymus, qui Chalcenterus, hoc est *aheneis visceribus præditus* propter assiduum studium appellabatur, tria millia librorum conscripsit.

DISSERTATIO VII.

Quam sint reconditæ, multiplices, & subtiles mathematicæ disciplinæ.

QUot Mathematicorum opera intericrint. Disciplinæ mathematicæ μαθήματα ἀπὸ τοῦ μανθάνειν hoc est *a discendo* appellatæ sunt; alii autem ex eo dictas putant, quod solæ sine doctore comprehendi non possint.

DISSERTATIO VIII.

Qua, quum paucissimi poëtæ fuerint, pauciores fuisse oratores ostenditur.

VErsus extat, qui Consules fieri quotannis, non fieri quotannis poëtas affirmat. Multa opera vetustissimorum poëtarum circumferuntur, quæ dubitatur, an sint illorum. Apollodorus primus grammaticus fuit; alii Eratosthenem dicunt; Praxiphanes autem primus Grammatici nomen est assequutus. Alcmæon primus de Rerum Naturâ librum edidit, juxta alios Anaximander. Virgilius Augusto scripsit se se ad Æneidos opus multo potiora studia, quàm poëtices impertiri. Poëtæ Grammaticis, philosophis, geometris, atque Historicis sunt vetustiores.

DISSERTATIO IX.

Qua quædam adnotantur, quæ propria fuerunt oratoriæ facultatis.

CÆsar seditionem sedavit milites Quirites appellando. Apud Græcos nullus orator extitit ante Periclem; apud Romanos verò ante Catonem, qui octoginta annis ante Ciceronem Consulem obiit. Hesiodus

siodus in poëtico certamine Homerum superasse fertur. Verum non videtur, quod quidam tradunt Archilochum, & Simonidem eodem tempore vixisse. Poëtæ ante oratores multis ætatibus extiterunt, & semper aliqui floruerunt. In unaquaque facultate excellentes viri ubique ferè gentium recensentur, oratores verò Athenis, & Romæ dumtaxat. Asiatici rhetores, & Rhodii non sunt cum Atticis comparandi. Petronius Arbiter queritur parentes præ nimiâ festinatione filiorum studia corrumpere. Quibus præmiis antiquitus afficerentur philosophi. Aurigæ ministerium Platoni præbuit Dionysius tyrannus. Empedocli Regnum ultro oblatum fuit. Antigonus Rex frequenter Athenas commeabat, ut Zenonem audiret, nec impetrare potuit, ut ad se veniret. Xenocratem Alexander Magnus missis legatis, & quinquaginta talentis coluit, Seneca ter millies sestertiûm ex liberalitate Neronis possedit.

DISSERTATIO X.

De Præmiis Oratorum.

PLinius artem Medicorum ipsis Imperatoribus imperare dixit. Chœrilus pro singulis versibus singulis aureis nummis philippeis ab Alexandro donatus est. Pindari ædibus Alexander, quum Thebas everteret, pepercit. Virgilius liberalitate Amicorum centies sestertiûm possedit; & ejus carminibus in theatro lectis populus Romanus universus assurrexit; quæcumque autem ab Augusto peteret, impetrabat. Isocratis oratio panegyrica Philippum, & Alexandrum ad evertendum Persarum imperium concitavit. Dio Chrysostomus, & Trajanus Imperator eodem plerumque curru per Urbem vehebantur.

DISSERTATIO XI.

Eodem super argumento.

PHilippus Æschinem sibi muneribus conciliavit, ut Demostheni opponeret, qui contra ipsum tantam belli molem conciverat, ut Philippus Demosthenem etiam victor exhorruerit; quare Persarum Rex ingentem pecuniæ vim Demostheni misit, ut Philippum Asiæ bellum inferre meditantem in Europâ detineret; & Alexander antequam ad bellum Persicum proficisceretur, sibi Demosthenem dedi postulavit, nec ab Atheniensibus obtinuit.

DISSERTATIO XII.

Eodem super argumento.

POmpeii magnitudinem auxit Cicero, & Augustum ad summam potentiam evexit. Principibus suspecta est eloquentia; idcirco Cæsares auctoritatem oratoribus ademerunt, & Jurisconsultis addidere. Eprius Marcellus, & Vibius Crispus eloquentiâ termillies sestertiûm, hoc est septuagies quinquies centena millia nostratium aureorum compararunt; Cnæus Lentulus, quum Augusti amicitiâ quater millies sestertiûm possedisset, querebatur se eloquentiæ studio plura consequi potuisse.

DISSERTATIO XIII.

Qua idem argumentum continetur; & an verè Athenæ omnium artium inventrices dicantur a Cicerone, dubitatur.

ÆSopus histrio in unâ patinâ sexcenta absumpsit, & ducenties sestertiûm moriens filio reliquit. Druydæ philosophi Gallorum animas immortales affirmarunt. Ægyptii Vulcanum principem Mortalibus philosophiam ostendisse ferunt; & inter eum, & Alexandrum Macedonem annorum quadragintaocto millia numerari fabulantur; quibus defecisse trecenties septuagies ter Solem; Lunam autem octingenties tricies ter asserunt.

DISSERTATIO XIV.

Qua quæritur, an omnium disciplinarum inventrices Athenæ sint appellandæ.

MOyses antiquior habetur non solùm omnibus philosophis, sed etiam Diis Gentium; & Grammaticam docuit Hebræos. Aristoteles familiaritate cujusdam Judæi profecit in philosophiâ. Persarum Reges Ægyptios Medicos omnibus anteponebant, postea Crotonienses Ægyptiis prætulerunt.

DISSERTATIO XV.

Qua demonstratur verè dici omnium doctrinarum inventrices Athenas.

IMprobatur Diodorus Siculus, qui philosophiam Barbarorum laudat, quòd nunquam mutetur; ex hoc enim arguitur eorum philosophiam esse imperfectam. Apud Ægyptios alius oculis, alius pedibus, pectori

ctori alius, vel alteri parti medebatur. Græci ab Ægyptiis non geometriam, sed geometricas figuras acceperunt; nec astronomiam, sed longi temporis observationes. Asinius Pollio carmen in mortem Ciceronis audire noluit. Eumarus primus feminam, maremque picturâ distinxit.

DISSERTATIO XVI.

De Personis hujus Dialogi.

Crassus orator domum sexagies emptam habitabat, cujus in porticu Hymettiæ columnæ erant centum millibus emptæ; is constituit, ut eloquentiæ doctores Græco sermone docerent; facetiis interdum causas obtinuit; quum autem invectus esset in Philippum Consulem, ob vehementiam orationis lateris dolore correptus obiit.

DISSERTATIO XVII.

De reliquis personis dialogi, & occasione ejusdem.

Mucius Scævola Jurisconsultis omnibus, præterquam Servio Sulpicio, a Cicerone anteponitur; tantâ justitiâ Asiam rexit, ut Senatus ituris in provincias magistratibus exemplum Scævolæ proponeret; Asiaque dies festos in ejus honorem instituerit, & ab eo Mucia appellarit; is quum in reum testimonium dixisset, adjecit, ita sibi demum credi oportere, si & alii idem affirmassent. Cajus Fimbria vulneravit Scævolam, & quum convaluisset, in judicium eum vocavit, & interrogatus, quid esset in Scævolâ accusaturus, quem nemo laudare satis pro dignitate posset, respondit, quod non totum telum corpore recepisset. Marcus Antonius orator jus civile contempsit; & ut haberetur indoctior doctrinæ studia dissimulavit; eloquentiâ suâ milites ad se interficiendum missos a cæde deterruit.

DISSERTATIO XVIII.

De Ludis Romanis.

Ludi Romani, qui etiam Magni, & Circenses appellabantur, a Romulo sunt instituti, non, ut quidam putant, a Tarquinio Prisco; nec id ex Livio probant; erant autem, ut ex Cicerone constat, consecrati Jovi, Junoni, & Minervæ, qui Macrobio teste erant Penates; & Magni dicebantur; ideo etiam ludi Magni appellabantur; Festus tamen Jovi dedicatos autumat; nec verò iidem erant, ac Plebeii, ut credit Interpres Virgilii, quum Livius disertè eos distinguat.

DISSERTATIO XIX.

De iisdem Ludis Romanis.

Bulengerus, dum Ludos Romanos duobus diebus absolvi censet, refellitur Ciceronis auctoritate; ex quo colligi videtur tredecim dies celebrari; alii tamen novem dies Ludis Romanis tribuunt. Tyrrheni maximè voluptatibus dediti erant; & a Lydis originem ducebant, qui ludos invenerant; quare ludos a Lydis dictos nonnulli tradunt.

DISSERTATIO XX.

In qua de Circo nonnulla delibantur.

Tres Romæ Circi fuerunt; Maximus, Apollinaris, & Circus Neronis; alii tamen plures numerant. In Circo Maximo Cæsaris erant ducentorum sexaginta millium hominum sedes. Servius, & Cassiodorus refelluntur, quòd Ludos dictos putant Circenses, quasi *circum enses*. Circum Varro dictum putat, quòd circum spectaculis ædificatis sit clausus, vel quòd circum metas pompa ferretur; Cassiodorus autem a circuitu, vel quòd sit quasi quidam circulus. Circuli antiquitus a Græco sermone circi dicebantur. Differentia inter carcerem numero singulari, & carceres numero multitudinis a poëtis saltem non observatur. Obelisci duo erant in Circo; Philander autem, & Tertullianus unum dumtaxat nominant. Alba linea, quæ a Græcis *balbis* dicebatur, cui extenderetur. Phalæ erant turres in Circo; Spina autem spatium inter metas; Tensæ vehicula, quibus Deorum simulacra portabantur. Mappa cur signum esset certaminis.

DISSERTATIO XXI.

De delectatione Ludorum nonnulla, & de loco, ubi habitus est de ratione dicendi sermo.

Augustus ludis oblectari fatebatur; Tiberius autem nec ipse spectacula edidit, nec ab aliis editis, nisi rarissimè, interfuit; in quo reprehendebatur a populo; sicut etiam Cæsar, quòd inter spectandum epistolis, & libellis legendis, rescribendisque vacaret. Signinum opus ex testis contritis, & calce factum est. Ambulationes dicebantur etiam Xysta, in quibus quum exercerentur athletæ, Xystici appellabantur; sicut etiam indocti homines.

DIS-

DISSERTATIO XXII.

Adduntur quædam de Ambulationibus; & de studio, quo Veteres platanos, & amænas arbores colebant, disputatur.

AMbulationum aliæ Hypæthræ, aliæ Hypogææ, seu Crytoporticus; & unde sic appellarentur. Gestationes Ambulationibus similes erant. Xerxes amore platani captus pretiosas vestes, aureas armillas, & gemmata monilia ex eâ suspendi jussit, & hominem, qui curaret, & milites, qui defenderent ipsam, reliquit; eodem amore capti sunt Paulus Passienus bis Consul, & Hortensius orator. Adolescentulus, quum a Senatu simulacrum Bonæ Fortunæ, cujus amore captus erat, non impetrasset, seipsum interemit; quidam etiam, quum Gnidiam Praxitelis Venerem deperiret, eam incestavit. Animalia multa homines dilexerunt. Platani vino irrigabantur.

DISSERTATIO XXIII.

De Studio, quo Veteres tenebantur, arborum amœnarum.

APicius lacte lactucas irrigabat, hinc gloriabatur sibi placentas humo nasci. Platanus duodeviginti convivis umbram præbebat; fuerunt & aliæ, quæ quemlibet convivarum numerum reciperent. In Cretâ extabat Platanus, quæ folia nunquam amittebat; unde Græci mentiuntur Jovem sub eâ stuprum Europæ intulisse. Pausanias laudat Menelaidem Platanum ab ipso Menelao consitam. Italia voluptariis nemoribus consita alimenta Incolis sufficere nun poterat. Domus aurea Neronis. Myrtus, & buxus in ferarum formas figurabantur; quod opus topiarium est appellatum. Platanus a latitudine ramorum, foliorumque dicta est, unde Græci loca latè patentia πλατανιστὰς appellabant.

DISSERTATIO XXIV.

De Calceorum luxu; & de Pulvinis, & sedibus, quas in Ambulationibus habebant.

SCipioni Africano vitio datum est, quod crepidatus gymnasia Græcorum frequentaret. Feminæ imagines lascivarum voluptatum expressas auro pedibus gestabant. Diocletianus instituit calceos gemmatos inter cetera esse principatus insignia. Octophorus erat lectica, quam octo servi portabant.

DISSERTATIO XXV.

De Oratione Crassi.

IN quocunque genere causæ docilitas, & attentio auditorum conciliandâ est; benevolentia autem non semper. Poetæ invocatione Musarum attentionem potius aucupantur, quam benevolentiam, licet Quintilianus repugnet. Reginam Mortalium Euripides eloquentiam dixit. Eloquentiæ laudes.

DISSERTATIO XXVI.

De Jurejurando Judicum.

ANtiquitus Judices erant Reges; sed Principum socordiâ, & legum multitudine, atque discrepantiâ factum est, ut privati judicent. Anicula a Philippo dormiente ad vigilantem appellavit. Judices, & Arbitri in leges jurabant; scilicet se a legibus non recessuros; sicut se rata, & firma Cæsaris acta habituros jusjurandum præstabant, qui in acta Cæsaris jurabant. Tiberius, quominus in acta sua juraretur, intercessit. Divinatio est causæ genus, qua quæritur, quis accusator sit futurus. Lege Juliâ cautum est, ne quis viginti annis minor esset Judex.

DISSERTATIO XXVII.

De Facetiis oratorum.

LAurea Tullius libertus tres libros de Ciceronis facetiis conscripsit. Licet Demostheni sales defuisse tradant, illius multa salsissima celebrantur. *Facetus* interdum pro *eleganti*, & *scito* accipitur. Athenis fuit locus, in quem sexaginta scurræ conveniebant; quorum facetias ad se perscribendas quotidie curavit Philippus. Lamia, & Gnathæna meretrices facetiis præstiterunt.

DISSERTATIO XXVIII.

In eundem Ciceronis locum.

QUi alicujus disciplinæ perfectam scientiam vult comparare, universas possidere eum oportet. Initio rhetores de quacumque re propositâ se posse dicere profitebantur; postea hanc laudem philosophi sibi vindicarunt; hinc nonnulli apicularum laudationes instituerunt, falsi, mortis, febris, & aliarum hujusmodi rerum. Carneadem, quum ab Atheniensibus Romam legatus missus esset, cogere, non persuadere Romani dictitabant. Hippias Eleus non

non solùm omnium rerum scientiam se tenere gloriabatur, sed etiam omnes artes; adeout anulum, vestem, & calceos, quos gestabat, suis manibus confecisse dicatur.

DISSERTATIO XXIX.

De Rostris, Foro, Subselliis, & Curiâ.

FOra septemdecim Romæ recenset Publius Victor; Panvinius autem novemdecim. Area fori Cæsaris millies ducenties, hoc est tricies centena millia nostrorum aureorum. Fori Trajani magnificentia, in cujus medio extabat columna altitudine centumviginti trium pedum. Subsellia unde appellata sint. Fregisse subsellia diei poëtas, qui non placuerunt, putant Eruditi; sed ex Juvenale id neutiquam deduci potest; certè Sidonius Apollinaris, & Savaro ejus interpres frangere sedilia dixerunt eum, qui tantos plausus excitaret, ut sedilia frangerentur; nec ineptum est dicere Juvenalem idem voluisse significare, ac Virgilius, quum dixit arbusta a cicadis rumpi, & voce columnas idem Juvenalis alibi. Curia pro senatu accipitur, unde sit appellata. Curiones quid essent. Curiæ a Sabinis virginibus nomen accepisse dicuntur, quamquam id Plutarchus negat. Curia Calabra a calatione nuncupata est.

DISSERTATIO XXX.

Homines dicendi vi ab agresti, feraque vitâ revocatos.

VEteres existimarunt homines vel casu ex humo editos, vel decidentibus ex Æthere seminibus. Mulieres antiquitus in excisis arboribus partum edebant; ideirco proditum priscos homines ex arboribus esse natos. Thucydides notat antiquitus non fuisse dedecus latrocinari. In conviviis cædes frequentissimè fiebant apud Veteres. Cecrops primus matrimonia instituit. Saturnus Italis terræ colendæ rationem ostendit; Siculis verò, & Atheniensibus Ceres. Ichthyophagi piscibus, locustis Acridophagi victitarunt. Apud quosdam siquis uxori Regis fucum fecisset, paucorum pecorum mulctâ plectebatur. Hominum antiquorum feritatem sustulisse agriculturam Libanius, & Xenophon tradunt; Vitruvius verò architecturam.

DISSERTATIO XXXI.

De eadem re.

M. Antonius orator prodit disertos multos, neminem autem vidisse eloquentem. Antipho, qui Socratis ætate floruit, princeps orationes suas edidit, & dicendi præcepta conscripsit; quam tamen laudem alii Tisiæ, & Coraci tribuunt.

DISSERTATIO XXXII.

Ejusdem argumenti.

REfellitur Quintilianus, dum reprehendit Ciceronem, qui eloquentes fuisse urbium conditores affirmat. Plerique legumlatores se Dei alicujus consilio leges ferre simularunt. Orpheus feras lenisse, extruxisse Amphion lyræ cantu Thebarum muros dicuntur, quia eloquentiâ homines agrestes ad mansuetudinem revocarunt, persuaseruntque urbes condere.

DISSERTATIO XXXIII.

Qua ostenditur urbibus constitutis oratorum eloquentiam saluti fuisse Rebuspublicis.

ORatorem perfectum bonum virum esse oportet; & si multi oratores Reipublicæ nocuerunt, perfecti oratoris munus non sunt exequuti. Xenocratem, quum testimonium dixisset, populus jurare noluit. Lacedæmonii, quum improbus quidam utile Reipublicæ consilium attulisset, eandem illam sententiam virum bonum dicere coëgerunt.

DISSERTATIO XXXIV.

De eodem dicto Ciceronis.

OMnia, quæ ad salutem inventa sunt, vitio hominum in perniciem convertuntur; sic medicinâ, religione, ceterisque bonis abutuntur homines. Plato dicendi facultatem arti culinariæ comparavit, quæ non quod saluberrimum, sed, quod jucundissimum, parat.

DISSERTATIO XXXV.

Qua Ciceronis idem dictum defenditur.

ORator est in civitate, sicut in animo mens, & ratio. Quamquam Gracchi nimis fortasse pervicaces fuerunt in Optimatum causâ oppugnandâ; eorum tamen inceptum a boni civis officio non abhorrebat.

rebat. Consilium Nestoris tanti fecit Agamemnon, ut si alios decem ei similes haberet, se facilè Trojam confideret eversurum. Ulyssem solum urbium populatorem Homerus appellat, quia magis ejus sapientiâ, quàm aliorum armis urbes caperentur. Pericles quum Athenas ditissimas effecisset, ne nummo quidem auxit rem familiarem; & quum totum diem conviciatorem patientissimè pertulisset, noctu famulum misit, qui cum lumine domum eum reduceret. Phocionem orationum suarum securim Demosthenes dicebat.

DISSERTATIO XXXVI.

De utilitate, quam Rebuspublicis oratores attulerunt.

Solon insaniam simulavit, & elegiacum carmen recitavit, quo Athenienses impulit ad abrogandam legem, qua sanciebatur, ut si quis bellum pro Salamine recuperandâ suaderet, capite plecteretur; eâ verò abrogatâ Salaminem recuperavit. Themistocles ligneum murum, quo se includi Atheniensibus præceperat oraculum, naves interpretatus est. Romulum, utpote qui inter pastores adoleverit, omnium disciplinarum expertem quidam tradiderunt; sed Plutarchus refert eum Gabiis avi Numitoris curâ bonis artibus institutum.

DISSERTATIO XXXVII.

Cur Cicero dicat homines oratione maximè præstare ceteris animantibus.

Philippides biduo mille centum sexaginta stadia conficiebat; & centum-quinquaginta millia passuum uno die Philonides. Milo Crotoniensis humeris taurum ferebat. Athanatus quidam thorace plumbeo quingenario indutus, cothurnisque pondo quingentorum calceatus per scenam incedebat; verùm velocitate, & viribus, sicut etiam ceteris omnibus homines ab animalibus longè superantur.

DISSERTATIO XXXVIII.

Animalia destitui omnino ratione volunt aliqui philosophi, alii negant; nulli autem sermonem illis tribuunt.

Melampodem intellexisse avium linguam dum fabulæ ferunt, summum augurem fuisse significant. Testudines marinæ in terrâ ova occultant, & quum discesserint, completis quadraginta diebus, quibus pulli excluduntur, reversæ secum pullos adducunt. Multorum animalium mira sagacitas.

DISSERTATIO XXXIX.

De mutarum animantium solertiâ.

Apes sexangulas cellas efficiunt, propterea quod hæc maxima figurarum, quæ totum circum locum complent, ut ostendit Pappus Alexandrinus. Canis, qui insequens feram ad trivium venisset, duasque vias explorasset, tertiam statim odore non captato ingressus est. Mulus, quum sale onustus in flumen fortè decidisset, sponte aliàs se dejiciebat; quare spongiis, & lanâ oneratus destitit. Omnium maximè elephanti solertiâ præstant.

DISSERTATIO XL.

In orationem Scævolæ.

Jurisconsulti secundum post oratores dignitatis gradum obtinebant. Regna dicebantur Villæ, & ea omnia, in quibus quisque dominabatur. Iis, qui publicè preces Deo fundebant, verba de scripto recitabat aliquis, qui præire verba dicebatur; idem & in jurejurando, & in litibus observabatur. Præesse privatis judices dicuntur, quum jus dicunt. Manum conserere litigantes quid significet. Sacramentum dicebatur pecunia, quam ad Pontem deponebant litigantes.

DISSERTATIO XLI.

De Eloquentiâ Philosophorum.

Platonis ore Jovem, si loqui vellet, locuturum Veteres affirmarunt. Platonis copiam æquare se posse Cicero diffidebat. Aristoteles æmulatione Isocratis ad rhetoricam docendam se contulit. Theophrastus, quum antea Tyrtamus appellaretur, ab eloquii divinitate nomen invenit; eum successorem designavit Aristoteles postposito Menedemo, quum vinum lesbium rhodio prætulisset. Xenophontis ore Musas loquutas quidam affirmarunt. Epimenides expeditionem Jasonis versuum sex millibus quingentis est exequutus; & de Minoë, & Rhadamanto quatuor millia carminum scripsit.

DISSERTATIO XLII.

Eodem super Argumento.

Quamplures philosophi de rhetoricâ scripserunt; & poëmata, atque tra-

§§§§§§§§ gœdias

tragœdias composuerunt. Callisthenes quum Macedonum res gestas laudibus extulisset, omnes admiratione macedonicæ virtutis implevit; quum autem easdem postridie elevare dicendo contendisset, Macedonas ad id sermonis genus compulisse Philosophum pænituit. Diogenem, Critolaum, & Carneadem legatos Romam miserunt Athenienses, ut mulcta sibi remitteretur anteponendus.

DISSERTATIO XLIII.

De scientiæ copiâ, quâ veteres philosophi redundarunt.

PYthagoras stellam Veneris Solem consequi occidentem, orientemque prægredi primus invenit. Pythagorici Terram moveri, stare Solem censuerunt. Democritus centum talenta, quæ ipsi ex hereditate patris obvenerant, in peregrinationes consumpsit. Quas gentes, & quos præceptores discendi causâ adiverint Pythagoras, & Democritus.

DISSERTATIO XLIV.

Eodem super Argumento.

VArroni, qui doctissimus Romanorum est appellatus, omnium soli imago in bibliothecâ publicâ viventi posita est. Xenocrates adolescentem cupientem philosophiæ operam dare rejecit dicens non habere ansas philosophiæ, quum liberalibus disciplinis esset destitutus. Plato vetabat quemquam geometriæ expertem Academiam adire. Aristophanes Socratem irridet, quòd pulicum saltus metiretur, & quæreret, unde vocem culices emitterent. Annicerin reprehendit Plato, quòd mirabili artificio currum agitasset; quasi non posset in magnis eminere, qui in exiguis tantum studii posuerit. In quo differant ab oratoribus philosophi.

DISSERTATIO XLV.

Cur Cicero Pythagoreos, & Democriticos physicos appellet.

SUidas tradit Pythagoram scripsisse de Institutione, & de Administrandâ Republicâ. Dictum illud: *omnia communia Amicorum* a Pythagora emanavit. Socrates quum dixit: *quæ supra nos, nihil ad nos*, non significavit negligendum divini Numinis cultum, ut Lactantius criminatur. Dialectice a Zenone Eleate inventa est. In quo felicitatem, seu summum bonum statuerint diversi philosophi.

DISSERTATIO XLVI.

De Ciceronis libris de Oratore.

LOnginum animatam bibliothecam appellabant. Nullorum scripta cum Ciceronis libris de Oratore conferenda sunt. Multi feruntur ejus artis, quam tradiderunt, imperiti; sed vix id est admittendum. Dioscorides Plinio in simplicium medicamentorū naturis exponendis anteponendus.

DISSERTATIO XLVII.

De Ciceronis excellentiâ.

THeognis dixit; neminem omnibus placere, nec ipsum Jovem, quum pluviam, aut serenitatem Mortalibus largitur. Thucydidem Demosthenes octies exscripsit. Concio tota orante Cicerone propter voluptatem furere cœpit. Cæsar invitus ad ignoscendum Quincto Ligario a Cicerone permotus est. Zeuxidis picturâ deceptæ sunt aves, Zeuxis autem ipse Parrhasii picturâ; sed & Apellis equo picto equi admoti adhinniverunt. Quintilianus dixit, illum multum profecisse, cui Cicero valde placeat. Apollonius Molo fassus est Ciceronem translaturum a Græciâ in Latium eloquentiæ gloriam.

DISSERTATIO XLVIII.

De eadem Ciceronis præstantiâ.

POëticæ laude floruit Cicero; quare immerito Juvenalis ridenda Ciceronis carmina dicit. Plurimi pictores, & sculptores in pretio haberi desierunt, quum alii egregii pictores, & sculptores floruerunt.

DISSERTATIO IL.

Quanti fecerit doctissimus quisque Ciceronem.

ASinius Pollio licet infestus gloriæ Ciceronis æterna ejus opera futura affirmat; Seneca verò Ciceronis ingenium Romano imperio par appellat. Divus Augustinus Hortensio Ciceronis commotus ad divinæ sapientiæ studium se contulit.

DISSERTATIO L.

Ejusdem Argumenti.

LItteræ latinæ Petrarchâ auctore, & Mediceæ gentis liberalitate renatæ sunt. Plinius se Ciceronis imitatorem esse profite-

fitetur; hinc ei superbia exprobrata est, quòd Ciceronem æmularetur.

DISSERTATIO LI.

De Ciceronis præstantiâ.

OMnes artes paulatim perfectæ sunt, deinde quum ad summum pervenissent, retro referri cœperunt. Quid quisque in picturâ invenerit.

DISSERTATIO LII.

De Ciceronis Eloquentiâ.

VIrgilii poëma rerum naturæ ob varietatem comparat Macrobius; sed hac laude præstat etiam Cicero, licet aliter sentiat idem Macrobius.

DISSERTATIO LIII.

De Philosophiâ Ciceronis.

ORatores, & philosophi iidem erant antiquitus; postea verò eorum inertiâ segregati sunt.

DISSERTATIO LIV.

Cur philosophiæ caput, & fons appelletur a Cicerone Socrates.

PRæcipuæ philosophorum sententiæ ab Homero profluxerunt. Pythagoras sapientis nomen; quo antiquitus insigniebantur philosophi, quum Deo solùm convenire censeret, repudiavit; & se philosophum, hoc est sapientiæ studiosum nominavit. Hellanicus, & Acusilaus, aliique Historici Herodoto vetustiores fuerunt. Thucydides adolescentulus, quum audisset Herodorum historiam suam recitantem illacrimatus est. Christianæ sapientiæ proceres Socratem inter insignes sanctitate viros recensendum judicarunt. Socrates, quum in mercatu res venales vidisset, dixit, quàm multa non desidero! Socrates fortis fuit in bello, & civicam meruit Xenophonte servato, & alia præmia fortitudinis suæ accepit; quæ Alcibiadi concessit.

DISSERTATIO LV.

De eodem loco Ciceronis.

SOcrates in majore esse malo censebat inferentes injuriam, quàm accipientes; hos enim incommodo corporis, illos verò injustitiâ laborare. Discrepantes, inter seque pugnantes fuerunt plurimorum philosophorum sententiæ; tamen omnes a Socrate profluxerunt; & qua de causâ id acciderit.

DISSERTATIO LVI.

De eodem loco Ciceronis.

BOëthius, quum philosophiam veste lacerâ inducit, significare vult Socratis, & Platonis auditores pugnantibus inter se sententiis philosophiam dilacerasse. Socraticus pro philosophico usurpatur; hinc lucem accipiunt multi Auctores.

DISSERTATIO LVII.

De Academicis, & Pyrrhone.

PLato existimabat animos, antequam in corpus descenderent, nihil ignorasse. Pyrrho neque currus concitatos in viâ declinabat, neque ulla pericula. Perperam Plinius Heraclitum, & Diogenem cynicum inter eos, quos Græci ἀπαθεῖς vocant, collocat; nam Stoici arbitrabantur Sapientem affectus quidem sentire, sed non illis assentiri; Stoici autem a Cynicis non discrepabant.

DISESRTATIO LVIII.

Ejusdem Argumenti.

CArneades Romanos ad philosophiæ studium commovit. Peripatetici ab *ambulando* nomen acceperunt. Lyceum quidam a Pisistrato, alii a Pericle conditum tradunt. Cynosarges erat gymnasium, in quo nothi exercebantur, quia Herculi esset consecratum; qui, quum immortali patre, matre autem mortali esset procreatus, nothus quodammodo videbatur; in eo gymnasio Themistocles exercebatur, quòd Thraciâ matre natus nothus habebatur.

DISSERTATIO LIX.

De Stoicorum Dialecticâ.

CArneades adversus Chrysippum, & Stoicos dispututurus Helleborum sumpsisse fertur, ut mentis aciem acueret. Seneca se verbis usurum negat, si aliter animi sensa proferre posset. Chrysippus septingentos libros, & ex his trecentos undecim dialecticos conscripsit. Deos, si Dialecticâ uterentur, Chrysippeâ uti quidam dixerunt.

DISSERTATIO LX.

Eodem super Argumento.

CHrysippus, & Stoici varia Syllogismorum genera excogitarunt; multa etiam ad fallendum argumenta invenerunt. Veteres Chrysippum Aristoteli anteposuerunt in Dialecticâ; in aliquibus tamen Stoici a Peripateticis vincuntur.

DISSERTATIO LXI.

Qua referuntur ea, quæ Scævola Crassus respondet.

ETiamsi orator sit, qui in judiciis, & apud populum, & in senatu dumtaxat copiosè loquatur; tamen ei multarum rerum cognitione opus est; sin autem his terminis non circumscribatur, omnium rerum scientia in eo requiritur. Si Alpes humanâ ope transcendi non potuissent, Hannibal non fortis, sed temerarius fuisset.

DISSERTATIO LXII.

Ejusdem Argumenti.

VItruvius omnium artium, & disciplinarum scientiam in architecto requirit; quare multo magis in oratore necessaria erit; etiamsi forum non egrediatur. Geometria, & dialetice, quæ videntur a Rhetoricâ maximè alienæ, maximè tamen ei utiles sunt.

DISSERTATIO LXIII.

Qua oratio Crassi illustratur, & de Carneade agitur.

POenæ nomine servi in pistrinum detrudebantur, ut ex quamplurimis Auctoribus constat. Carneades tanto studio fuisse fertur, ut neque ungues amputaret, neque barbam, aut comam tonderet, ne tempus tereret.

DISSERTATIO LXIV.

De Clitomacho, Æschine, & Metrodoro.

VEteres ætatem impedimanto esse perdiscendis disciplinis non putabant. Clitomachus quadraginta natus annos, quum Carthagine philosophiam profiteretur, Athenas ad audiendum Carneadem profectus est, quum fortè Romani Carthaginem obsiderent. Caro Græcas litteras senex didicit. Socrates in senectute Musicæ, & saltandi magistris operam dedit. Seneca jam grandior natu se totum philosophiæ dedidit. Æschines, quum licentiâ nimiâ in Pompejum uteretur, exulare coactus est. Mithridates Metrodoro magistratum demandavit, a quo nemo posset ad Regem appellare. Apud Reges nunquam tuta fuit philosophia, ut multis exemplis docemur; quare melius sibi consuluerunt plurimi philosophi, qui a Regibus accersiti ad eos proficisci noluerunt. Sopater, quum Constantinus jura populis reddebat, in eodem solio dexteram partem occupabat; deinde tamen indictâ causâ jussu Imperatoris trucidatus est.

DISSERTATIO LXV.

De Mnesarcho, Panætio, & Critolao.

DIogenes Laërtius Zenonis Eleatæ peculiare fuisse tradit, quòd raro Athenas commigrarit. *Ille* excellentiam notat, ut multis Auctorum locis ostenditur. Cicero imitatus est Panætii libros de Officiis. Venerem ab Apelle inchoatam nemo absolvere est ausus. Panætius censuit cometarum non esse verum ignem.

DISSERTATIO LXVI.

De Diodoro, & Asclepiade medico.

DIodorus dialecticus pudore non solutæ protinus quæstionis interiit; quo argumento motum negaret. Asclepiades sponsionem cum fortunâ fecit, se omnis expertem morbi victurum; omnium Medicorum placita repudiavit; ambulationes, gestationesque, & corporis frictiones in morbis approbavit; suspendit lectulos, quorum jactatu somnos ægrotis alliceret; damnavit medicatas potiones, & vomitiones, quibus tunc frequenter utebantur.

DISSERTATIO LXVII.

De quibusdam ætatibus, quæ ingeniorum proventu floruerunt.

FAlsum est Mundum continuò in deterius ferri; licet hæc sit vetus opinio. Eadem ferè ætate innumeri philosophi, & poetæ floruerunt. Omnes Historici celebres in Latio intra octoginta annos extiterunt; sicut Ciceronis ævo omnes oratores. Post Augusti imperium tam Romæ, quàm in Græciâ litteræ obsoleverunt. Xenophanem olympiade quadragesimâ natum usque ad Darii, & Cyri tempora vitam produxisse refert Clemens Alexandrinus; sed

veriùs Diogenes Laërtius, & Eusebius circa olympiadem sexagesimam volunt floruisse.

DISSERTATIO LXVIII.

Qua quæritur, cur aliis ætatibus fuerit summa paucitas hominum doctorum, aliis autem summa multitudo.

MAnilius Senator cūctis disciplinis nullo doctore nobilis extitit. Hipparchus vernum æquinoctium anno ab Urbe conditâ sexcentesimo vigesimo sexto observavit. Tiberii, Cajique Claudii, ac Neronis ætate litteræ pæne extinctæ sunt; Trajano verò, & Antoninis imperantibus revixerunt; diversitatis autem causa fuit Principum in litteras amor, vel odium. Caligula de abolendis Homeri carminibus, & Virgilii, & Livii imaginibus tollendis cogitavit. Nero Lucanum, & Senecam extinxit, & Petronium Arbitrum ad necem sibi consciscendam impulit.

DISSERTATIO LXIX.

Eodem super Argumento.

LUxus, & voluptates litterarum studia perimunt. Mæcenatem, & Petronium Arbitrum insigni viros ingenio voluptates corruperunt. Hortensius oratorum amisit principatum propter deliciarum studium. Servitus etiam officit ingeniis; quæ contra in libertate florescunt; satietate quoque interdum doctrinæ studia deferuntur.

DISSERTATIO LXX.

Qua quæritur, an Aratus astrologiæ fuerit imperitus.

FAlsum est Harmodium, & Aristogitonem Hippiam tyrannum interfecisse; nam Hipparchum ipsius fratrem trucidarunt; nec minùs falsum quotannis ab Hyperboreis missas virgines, quæ ad Apollinem Delium primitias frugum ferrent; quum Hyperboreos, quos supra Mæotin paludem collocabant, in eâ regione constet non fuisse; ita pariter Thalestrin Amazonem ad Alexandrum venisse, ut ex eo Liberos susciperet, fabulosum est, quum Amazones eâ tempestate nullæ fuerint. Macedones Paropamisum montem appellarunt Caucasum, ut Alexander ad Caucasum pervenisse videretur; sed id a veritate maximè abhorret; sicut etiam quod Democritus sibi oculos eruerit. Aratus non fuit astrologiæ imperitus, licet docti viri id crediderint. Defenditur Lucanus multis in locis contra Scaligerum, & alios.

DISSERTATIO LXXI.

Cujus idem, ac superioris est argumentum.

DOcti omnes viri aliquando errarunt; qua occasione sumptâ Critici illos ignaros ejus, quod tractabant, dixerunt; sic Manilium, & Julium Firmicum astrologiæ prorsus imperitos censuit Scaliger. Ciceronem græcas litteras apprime calluisse ex Auctoribus, quos in latinum vertit sermonem, constat; licet Critici illum redarguant, quod quum Aristoteles animam ἐντελεχέιαν appellarit, quòd sit perfectio corporis, ipse ἐνδελεχέιαν, hoc est *continuatam motionem* legerit; item quòd dixerit apud Græcos non esse vocem, quæ *inepto* respondeat. Livius classes interdum a Scriptoribus priscis appellari terrestres copias ignoravit. Plato existimavit per asperam arteriam in pulmonem rectâ ferri potionem. Nervorum principium non ex capite oriri, sed ex corde affirmavit Aristoteles. Aristoxenus Musicorum princeps hemitonium dimidium esse toni prodidit. Collocavit Nicomachus Mercurium supra Venerem; alii denique in alios errores inciderunt. Interdum Critici, siquid in Auctoribus non intelligant, ipsos reprehendunt; sic Scaliger Homerum redarguit, quòd induxerit Jovem, quum ningeret, tonantem; Horatium, quòd Africum præcipitem dixerit; & quendam poëtam, quòd vacuum admiserit. Nec minore inscitiâ aliqui Virgilium de Ætnâ loquentem improbant; & Aristotelem, quòd in Pirenæis jugis Danubii fontes collocarit; quum constet Alpium partem, ex qua Danubius oritur, Pirenen appellatam.

DISSERTATIO LXXII.

De Arato poëtâ.

OPeris Aratæi principium admirandum prædicat Suidas, & ad Homeri gloriam accessisse existimat. Divus Paulus Arati hemistichium citat; cujus honoris etiam participes fuerunt Epimenides, & Menander. Zenonem Rex Antigonus invisebat, & ut ad se veniret, invitavit.

DISSERTATIO LXXIII.

De Nicandro Colophonio.

POëtæ multi, & philosophi belli, & pacis artes præclarissimè tradiderunt, licet a bello, & administrandâ Republicâ abstinuerint. Plato ad Rempublicam admini-

niſtrandam non acceſſit, quia ad extrema remedia veniendum videbat; putabat autem in Patriam, ſicut in matrem animadverti non oportere. Cicero nullius rhetoricos libros libris Ariſtotelis de oratoriâ facultate anteponit.

DISSERTATIO LXXIV.

De eodem Nicandro.

PHormionem philoſophum irriſit Hannibal, quia ſe præſente militiæ præcepta traderet. Xenophon librorum lectione dux egregius evaſit; qui Cyro defuncto decem millia Græcorum, quum immenſis difficultatibus urgeretur, in Græciam reduxerit; quod factum admiratus eſſe fertur Antonius, quum in iisdem regionibus cum exercitu verſaretur.

DISSERTATIO LXXV.

Ubi de Nicandro, & Hyperide nonnulla differuntur.

PAtria Nicandri fuit Colophon, tamen Dionyſius Phaſelites, & alii in Ætoliâ natum tradunt. Septem urbes civem Homerum ſibi vindicant. Auctor quidam putat opus, quod Ætolica inſcriptum erat, fuiſſe hujus Nicandri; at Macrobius diverſum fuiſſe innuere videtur. Attalus populum Romanum heredem reliquit. Hyperides omnes omnium oratorum virtutes complexus eſt.

DISSERTATIO LXXVI.

De Hyperide ſummo oratore.

QUædam facta præſtantium virorum ſunt clariora; quædam, licet non minore gloriâ digna, in ſummâ obſcuritate verſantur. Hyperides Demoſtheni a quibusdam anteponitur. Suidas Hyperidem quinquaginta ſex orationes ſcriptas reliquiſſe tradit, Photius autem quinquaginta duas. Hyperides triremem ſuis ſumptibus conducere coactus eſt. Inſida eſt inter eos, qui Rempublicam adminiſtrant, ſocietas. Leges interdum turbidis Reipublicæ temporibus non ſunt obſervandæ; nam aliæ tranquillo Re publicæ ſtatu, aliæ alio tempore deſiderantur. Salus populi ſuprema lex eſſe debet.

DISSERTATIO LXXVII.

De Hyperide, Lycurgo, & Solone, & duodecim tabulis.

HYperides, ne Patriæ arcana proderet, linguam deglutivit; plura ſcorta habuit. Plutarchus docet eos, qui ad voluntatem multitudinis loquuntur, aſotos eſſe. Phryne meretrix Thebas ab Alexandro dirutas reſtituturam ſe pollicita eſt, ſi id mœnibus inſcriberetur. Hyperides duas triremes ſuis impenſis comparavit. Quomodo conditæ ſint leges duodecim tabularum.

DISSERTATIO LXXVIII.

An oratori omnium diſciplinarum ſit neceſſaria cognitio.

ERatoſthenes *Beta* eſt appellatus, quòd in omnibus artibus proximum a primo locum occuparet. Epiphani divini honores decreti ſunt; quòd quum ſepremdecim natus annos deceſſerit Encyclopædiam didicerat. Iſocrates pudore impeditus nunquam in publicum ad dicendum prodiit, Philippus Iſocratem athletæ, Demoſthenem bellatori comparavit.

DISSERTATIO LXXIX.

Qua quæritur, an ulla ſit ars oratoris.

STоici rhetoricen eſſe ſcientiam exiſtimarunt, alii artem, alii nec etiam artem eſſe. Præcepta dicendi aliqui tradiderunt, qui eloquentes non erant. Demades, quum remex eſſet, Æſchines autem hiſtrio ſecundarum partium, ſimulatque forum attigerunt, cum principibus oratorum ſunt comparati. Lacedæmonii adoleſcentem, qui rhetoricen didicerat, condemnarunt; legatum re non impetratâ dimiſerunt, quòd longam orationem habuiſſet; alteri verò frumentû dederunt, quòd inanem arculam oſtendiſſet, ac dixiſſet farinam deeſſe; nihilominus tanquam nimis garrulum reprehenderunt. Barbari, & Lacedæmonii, qui in pretio oratores non habebant, immo eos ejecerunt, leges nunquam mutabant; ſecus Athenienſes.

DISSERTATIO LXXX.

Qua ſuperiora argumenta refelluntur.

ARtes liberales univerſas Sceptici ſuſtulerunt; inutiles vitæ pronunciarunt Epicurus, Ariſto Chius, Ariſtippus, Cyrenaici, & Diogenes, ejuſque ſectatores; & phi-

& philosophiam solam, quæ spectat ad mores, relinquendam putarunt. Multi in unaquaque arte sine præceptis excelluerunt. Cleanthes, quum irrigandis hortis victum quæreret, & Simo exerceret artem sutoriam, philosophiæ operam dabant. Lysippus ex fabro ferrario insignis pictor evasit. Aristoteles putat casu natam Poëticam, quum quidam inconsultò versus effudissent.

DISSERTATIO LXXXI.

Qua alia argumenta refelluntur.

NUllæ ferè artes solis præceptis cognitis percipiuntur. Erigonus ex tritore colorum insignis extitit pictor. Artes quascumque aliquæ gentes contempserunt; ab ipsâ etiam agriculturâ plures populi abstinuerunt, & diversis rebus singuli victitarunt. Areas Rex hinnientem equum Ismeniæ tibicini præcellenti anteposuit. Romani quingentos triginta quinque annos Medicis caruerunt.

DISSERTATIO LXXXII.

Pergit Adversariorum argumenta refellere.

RHetorice oratori minimè nocet. Apud Thurios lex erat, ut qui novam legem suadere vellet, laqueo collum insereret, & si lex non placeret, strangularetur; quare post annos ducentos quinquaginta primùm quidam, cui oculus, quem unicum habebat, effossus fuerat, legem tulit, ut effossori uterque oculus erueretur, quum jam lex esset, ut effodiens oculum oculo privaretur. Mutationes ad artes perficiendas, augendamque rerum scientiam plurimum prosunt; nocent autem Reipublicæ administrationi. Respublicas melius gubernare ingenia tardiora, quàm acutissima Thucydides censuit.

DISSERTATIO LXXXIII.

Eodem super Argumento.

CIcero plerumque persuasit, quæ voluit. Finis oratoris est appositè dicere ad persuadendum, non autem persuadere. Hannibal, & alii summi duces incepto sæpe frustrati sunt; immo quidam mutato hoste mutaverunt fortunam. Quum Hannibal ad Urbem obsidendam esset profectus, Romani Capuam oppugnabant; & quum portis assideret, legiones in supplementum Hispaniensium exercituum miserunt; & ager in quo Hannibal castra posuerat, non diminuto pretio Romæ venditus est. Diogenes Babylonius dolore victus a Stoicis ad Epicurum transfugit. Thessalus omnia veterum Medicorum placita delevit; ideo se Jatronicen, hoc est *Medicorum victorem* appellavit. Aristoteles calidum esse Solem negavit: Anaxagoras nigram nivem esse dixit. Zeno Eleates, & Diodorus morum e rerum naturâ sustulerunt. Epicurus bipedalem Solem affirmavit.

DISSERTATIO LXXXIV.

De Exercitationibus dicendi, quibus Veteres utebantur.

NArrationea oratorum breves quidem esse oportet; sed non ut Historicorum. Quid sit apud rhetores *catasceve*, & *aposceve*. Speculo naves an Archimedes combusserit. Artifex vitrum ductile confecisse dicitur, quem Tiberius, ne aurum, & gemmæ vilescerent, e medio sustulit. Loci communes, & theses quid sint.

DISSERTATIO LXXXV.

De iisdem Exercitationibus.

DEmosthenes partem capitis radebat, ut domi se cotineret, & exerceret ad dicendum. Hortensius non respondit expectationi, quia æmulum non habebat. Declamationes, quæ a Græcis dicuntur *μελέται*, corruperunt eloquentiam; a quo, & quando inventæ sint. Porcius Latro a solœcismo orationem incepit.

DISSERTATIO LXXXVI.

Eodem super Argumento.

OPtimorum Auctorum versionem Cicero maximè probat. Plinius cum Amico questus est, quod propter ejus interpellationem decem versuum lectionem perdidisset. Quid sint Epichiremata.

DISSERTATIO LXXXVII.

De Actionis, & memoriæ exercitationibus, quibus Veteres utebantur.

ORatores, & Musici ad vocem aptè formandam phonascis utebantur; comœdis verò ad gestum componendum; malè autem primam syllabam in *phonasco* corripit Sidonius Apollinaris. Demosthenes, quum in primâ causâ actionis vitio fuisset sibilis explosus, quomodo actionem emendarit, & linguæ vitium, quum litteram

ram R pronunciare non posset. Artem memoriæ Simonides invenisse dicitur; & qua ratione ea excoleretur. Seneca duo millia nominum semel audita eodem, quo recitata fuerant, ordine reddebat. Cyneas postero die, quo Romam venit, Senatum, & plebem universam suis nominibus persalutavit. Adolescens tria millia nominum semel recitata vel eo ordine, quo acceperat, vel inverso referebat. Mithridates viginti duarum nationum, quibus imperabat, linguam cognovit. Plurimi etiam alii immane quantum excolendâ memoriâ profecerint.

DISSERTATIO LXXXVIII.

De Ambitione, & blanditiis Candidatorum.

Cognomine aliquem appellare honori ducitur. Nomenclatores, etiam Nomenculatores, licet reluctetur Verrius Flaccus, appellabantur; & a calando nomen acceperunt; a Græcis ὀνοματοκλήτορες, & ὀνομαστόλογοι; Fartores autem a Festo Pompejo dicuntur. Crassus, quum populum esset prensaturus, a se Scævolam dimittebat dicens velle se ineptire. Ambitio dicitur ex eo, quod qui Magistratus petebant, forum circumirent; quòd *Am* priscâ linguâ significat *circum*; quid ea ab ambitu differat.

DISSERTATIO LXXXIX.

De Candidatis.

Romani togis candidis induebantur; cretâ verò illitis Candidati ad significandam vitæ innocentiam; & sine tunicâ prensabant; licet Alexander ab Alexandro sine togâ fuisse ex Plutarcho affirmet; sed ex eo habetur, tunicam non gestasse. Tubero in petitione Præturæ repulsam tulit; quòd in munere lectulos punicanos hædinis pellibus stravisset, & exposuisset vasa Samia. Candidatus Augusti dicebatur, qui Principis orationes recitabat; is autem Constantini tempore Quæstor sacri Palatii nuncupabatur.

DISSERTATIO XC.

De quibusdam Ciceronis locis.

Quicumque in aliquâ arte excelleret, Roscius dicebatur. *Roscius est in scenâ*: proverbium, quod usurpatur, quum quid perfectè agitur. Roscius cum Cicerone certabat, quis eandem sententiam pluribus modis exprimeret, gestu, an verbis. Roscii merces diurna mille denarii. Veteres quidquid homine melius esset, Deum nominabant, fœnum verò quidquid contemnendum.

DISSERTATIO XCI.

Qua, quæ dicit Cicero locis superiùs explicatis, quàm brevissimè recensentur.

Ingenium, an ars plus ad eloquentiam conferat. Cur mediocres oratores, & causidici audiantur; non verò poëtæ. Oratores magni initio pudore, ac timore corripiuntur. Cyrus non ad ea, quæ didicerat, sed ad ea, quæ non didicerat, æquales provocabat.

DISSERTATIO XCII.

Amore opus est iis, qui ad eloquentiam, & ceteras disciplinas niti concupiscunt.

Archimedes, quum deprehendisset, quantum materiæ vilioris in aureâ coronâ Hieronis artifex immiscuisset, nudus e balneo exiluit; & formis describendis intentus est interemptus. Protogenes septem annos, quibus Jalysum pinxit, lupinis victitavit. Chrysippus veritatis studio cibi, & potionis obliviscebatur; adeo ut familiares cogerentur ingesto in os alimento viri vitam sustentare. Origenes Adamantii cognomen est adeptus ob studiorum assiduitatem.

Finis Epitomes omnium Dissertationum.

A U-

AUCTORES,

Qui sparsim in hoc opere explicantur, aut emendantur, aut reprobantur.

diß.

BENEDICTI AVERANII IN ANTHOLOGIAM DISSERTATIONES OCTOGINTASEX.

DISSERTATIO I.

Præfatio in Anthologiam.

De Anthologia, & quis eam collegerit. Carmina floribus comparantur, & Poëtæ Apibus.

POëtæ deliciæ generis humani, qui per florentissimos, & jucunditatis uberrimæ plenos Veneris, & Gratiarum hortos vagantes amœnissima quæque delibant, atque decerpunt; Ingenii sui fætus præstantissimos, & immortales libenter solent floribus comparare. Sic apud Græcos ille Lyricorum Poëtarum facile princeps [a] ὕμνων ἄνθεα hoc est: *Hymnorum, carminumque flores* poëmata recenter edita appellavit: & Sappho decima Musarum in mellitissimis illis versibus, quos in feminam indoctam composuit, carmina faventibus musis condita Heliconis rosas non dubitat appellare; [b] *κατθανοῖσα δὲ* inquit *κείσεαι, ὐδέποτε μναμοσύνα σέθεν ἔσσετ', ὐδέποκ' ὕστερον. ὐγὰρ μετέχεις ῥόδων τῶν ἐκ πιερίας*, quam sententiam nos utcunque conjecimus in hos versus:

Olim jacebis mortua, & invidæ
Oblivionis fluctibus obruta;
Nam particeps non es rosarum,
Quas juga Pieridum tulerunt;

eodem loquendi genere utitur Euripides in Hippolyto [c] & alii passim Græci carminum scriptores. Sed & apud Latinos Poëtas hæc non minus frequens est, & usitata translatio; hinc Horatius Romanus Pindarus dixit: [d] 1

o quæ fontibus integris
Gaudes, apricos necte flores,
Necte meo Lamiæ coronam,
Pimplea dulcis;

& alio in loco studium suum apum studio aptissime comparat, quarum opus nihil aliud est, quam ex floribus ipsum dulcedinis florem delibare:

ego, inquit [e] *Apis Matinæ*
More, modoque
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum circa nemus, uvidique
Tyburis ripas operosa parvus
Carmina fingo.

Quam ille comparationem fortasse mutuatus est a Lucretio, qui sic ait? [f]

Floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea, perpetua semper dignissima vita.

Vereor, Auditores, ne dum locos colligo poëtarum, in quibus carmina floribus compararunt, flores tantummodo pueriliter legere, inanemque voluptatem consectari, & instituti operis vobis oblitus esse videar; quod haudquaquam ita est; nam ut a floribus, apibusque, quorum mentionem fecimus,

[a] Pind. Olymp. Od. 6. Od. 9. [b] Apud Stobaeum cap. de imprudentia, & Plutarch. l. 3. quæst. 1. Sympos.

[c] Paullo post Prologum. [d] Carm. l. I. Ode XXVI. [e] Libr. IV. Ode II. in Pindarum. [f] Libr. III. paulo ab initio.

cimus, non discedamus, quemadmodum
opifices illæ mellis, dum per amœna hor-
torum videntur temere volitare, & volu-
ptatis tantummodo causa flosculis insidere,
tum præcipuam, ac maxime necessariam
operis partem exequuntur; & succum illum
suavissimum, utilissimumque colligunt; ea-
dem ratione & nos, dum via longissime de-
flectere, & inutiles amœnitates, & floscu-
los videmur consectari, opus ipsum tracta-
mus, viamque patefacimus ad id, quod ini-
tio nobis aggrediendum esse duximus. Qu-
um enim quæreremus quem potissimum au-
ctorem explicandum aggrederemur, ut pu-
blico muneri Græcas litteras profitendi pro
virili parte satisfaceremus, amœnissimum, &
floridum verè volumen suscepimus expo-
nendum, quod omnia fere Græcorum epi-
grammata, quæ sparsa circumferebantur o-
lim, aliqua laude digna complectitur. Id
2 autem Anthologiam, hoc est si verbum ver-
bo reddas, *florilegium* vir eruditus, qui col-
legit hæc, Maximus Planudes appellavit.
Ut autem tituli adeo speciosi rationem red-
deremus, ostendimus poëtarum carmina
frequentissime flores appellari, sicut Pla-
nudes Maximus a se collecta epigrammata
in hujus libri titulo nuncupavit, quem e-
go cum speciosissimum, tum materiæ, quam
continet liber, convenientissimum duco;
neque ex eo genere volumen hoc esse ju-
dico, quod Plinius in epistola ad Impe-
ratorem Vespasianum [a] reprehendit; nam
quum inscriptiones præferant, *propter quas
vadimonium deseri possit*, nihil habent præ-
terea, cur digna suis titulis judicentur.
Multi nimirum Græcorum dum allicere stu-
dent speciosis inscriptionibus lectores ipsos
fefellerunt; quare [b] & *κηρίον* idest *favum*,
& Ἀμαλθείας κέρας *amalthee cornu*, & Λειμῶνας
idest *pratum*, & Pandectas quasi *omnia conti-
nentes*, aliaque nomina fecere libris, qui ve-
rę eruditionis inanissimi reperti sunt, & in-
dicibus suis haudquaquam responderunt; a
quorum ineptiis longissime abfuit, qui Græ-
corum Epigrammatum librum Anthologiam
inscripsit. Nam & vox hæc Anthologia aptis-
simè componitur ex voce *ἄνθος* & *λέγω* ut
3 significetur *florum collectio*, & a magnis au-
ctoribus est usurpata; nam utitur ea Lucia-
nus, & Clemens Alexandrinus; quamquam
Clemens Alexandrinus numero multitudi-
nis, neutroque genere *anthologia* dixit in
Protreptico *βούλει καὶ τὰ Περσεφάττης ἀνθολόγια
διηγήσομαι*; sed melius noster auctor singulari
numero Anthologiam dixit eo modo, quo
Galenus [c] *καρφολογίαν festucarum collectio-
nem* vocavit; & Theophrastus in Characte-
ribus: *καρφολογῆσαι*. [d] Nec est novus is titulus,
quũ Plinio teste [e] nonnulli Latini Scriptores
Ἀνθολογικῶν libros composuerint, & Harpo-
cration teste Suida [f] *ἀνθηρῶν συναγωγὴν* qui
titulus parum discrepat a nostro. Et quod
ad rem maxime pertinet, iis quæ con-
tinet liber, titulus aptissimè, plenissi-
meque respondet; nihil enim aliud habet,
quàm suavissimos, lectissimosque præstan-
tium ingeniorum flores, & meras delicias,
& amœnitates; quæ causa fuit, Auditores,
ut ex infinita propemodum librorum co-
pia hunc potissimum eligeremus. Quum
enim nihil magis esset in votis, quàm
ut vobis noster labor probaretur, & hæ
commentationes in Græcos auctores non
injucundæ viderentur, illum nobis aucto-
rem duximus explicandum, qui & erudi-
tioni vestræ esset aptissimus, & ingeniis
maxime accommodatus; ingeniis porro
vestris amœnissimis, atque florentissimis
nihil magis convenire, quàm hos poëta-
rum flores existimavi; quos ego si diurna,
nocturnaque manu versarem, & omni ope
illustrare conarer, speravi fore, ut aliquid
possem decerpere, quo mentes allicerem
vestras, benevolentiamque mihi concilia-
rem. Qua quidem in re mihi videor imi-
tatus homines illos elegantes, & urbanos, 4
quorum meminit Athenæus libro duode-
cimo dipnosophistarum; nam quemadmo-
dum illi semper habebant præ manibus
flores, ut eo quasi lenocinio Formosorum
colloquia, & amicitiam aucuparentur; sic
ego hos Musarum flores præ manibus ha-
bendos, diligenterque tractandos esse du-
xi, ut nonnullam a vobis inirem gratiam,
& mentes mihi vestras benevolentia de-
vincirem. Sed illi flores caducos, & cito
marcescentes largiebantur; ego vobis nun-
quam marcentes, & immortales; quos no-
lite, quæso, ingeniosi Adolescentes, con-
temnere; nam ex his floribus variæ, &
multiplicis eruditionis fructus uberrimos
percipietis. Quum enim epigrammatum
elegantissimorum multa millia continean-
tur hoc volumine, in tam multiplici Silva
carminum de variis rebus ab antiquissimis
poëtis compositorum multa reperiantur,
necesse est, quibus omnis antiquitas illu-
stretur; cui præcipue rei ego ipse diligen-
ter operam dabo, & quantum potero con-
tendam, ut aliquid afferam, quod non ita
pervulgatum, contritumque esse videatur.
Neque enim mihi consilium est in verbis
explicandis diutiùs, quàm necessitas postu-
lat, immorari, sed rebus ipsis lucem affer-
re, quam desiderant; ne ex his floribus 5
poëtarum spinas tantummodo colligam, &
ex

a Epist. Historiæ nat. Præfixa. b Aul. Gell. l. XX. cap. ult. c Gal. in Progn. Hipp. Comm. primo. Ex gesticulatione manuum. d Charact de assentatione.

e Plin. l. 21. cap. 3. f Voc. Ἁρποκρατίων.

ex hoc latissimo, amœnissimoque Musarum campo in sentes, & dumeta correpam. Scio enim verborum studium quibusdam puerile, & inamœnum videri, & Grammaticos a Poëta Græco [a] *ἀκανθοβάτας*, & *ἀκανθολόγους* [b] hoc est *incedentes per spinas, easque studiose colligentes* appellari. Quapropter hanc omnem insuavitatem Grammaticorum suavissimis Poëtarum floribus immiscere refugiam; neque unquam committam, ut tanquam nimis verborum studiosus, rerum incuriosus jure possim reprehendi. Quare si quod occurret verbum, quod paulo sit obscurius, cujusque vim proprietatemque nosse non injucundum esse videatur, explicabo. Auctorum autem ad verbum interpretationem, & elementa Græcæ litteraturæ privatim, & intra domesticos parietes tradam; ibi & singulorum verborum significationem, & originem exponam, & enarrabo, & verbum verbo curabo reddere fidus interpres. In hac autem ingeniorum luce majus quiddam postulat & ingenium, & eruditio vestra, Auditores; quibus ut aliquid dignum proferam, mihi omni ope enitendum esse video, & omnem exemplorum copiam, omnem antiquitatis memoriam repetendam; neque verò ulla ornamenta dicendi esse negligenda, & omnes Rhetorum arculas, omnia myrothecia excutienda. Atque uti-
6 nam, Auditores, ea esset ingenii nostri vis, eaque dicendi exercitatio, & doctrinæ copia, ut quantum mente concipio mihi esse conandum, tantum studio consequi possem, profecto non indignus munere, quod mihi injunctum est, neque auribus vestris eruditissimis, neque hujus urbis doctissimæ, gravissimæque amplitudine, ac dignitate judicaretur. Sed alia omnia mihi desunt, Auditores, præter animum studiosum vestri, & suscepti oneris magnitudinem reputantem; non facundia mihi suppetit, non ingenium, non multiplex eruditio. Quocirca vereor, nè nimis audacter aggressus esse videar, quod sustinere non possim; utcunque tamen se res habebit, futurum confido, ut si minus ingenio, quod perexiguum esse in me sentio, materiæ saltem, quam tractabo, pulchritudine, aliqua ex parte studio vestro satisfaciam. Ex pulcherrimis enim epigrammatis ea mihi non servato ordine, quo in Anthologia disposita sunt, explicanda proponam, quæ vel eruditione, vel elegantia ceteris antecellant; quare illud saltem assequar, ut si minus ea dixero, quæ ad doctrinam conferre possint, occasionem saltem vobis præbeam multo meliora, & acutiora vestro marte privato studio reperiendi.

DISSERTATIO II.

In Epigramma I. Libri I. Anthologiæ de Sacris Græcorum certaminibus

Dissertatio Prima.

De Ludis Olympicis. An sacra certamina bello, aut aliis rebus utilia essent.

INterpretationem nobilis epigrammatis, quod Archias Poëta non ignobilis, & Ciceroni laudatus, & oratione illa præclara defensus, quam pro ipso habuit, de sacris Græcorum certaminibus composuit, hodierno die suscepimus, Auditores ornatissimi; id autem magis elegans, quàm obscurum est; magisque res ipsæ propter claritatem suam narratorem diligentem, quàm verba propter obscuritatem acutum interpretem desiderant. Ni- 1
hil enim inlustrius tota Græcia, nihil famâ celebratius fuit, quàm ii ludi, quos Græci sacros appellarunt; nec verò ullius rei mentio apud bonos auctores frequentior, quum etiam tempora non annorum numero, sed olympiadum, eorumque nomine, qui Olympia vicerunt, notentur a Græcis. Quæ quum ita sint, pauca de verbis dicam, multo plura de rebus scitu non injucunda subtexam; sic & auctori lucem afferam, quam desiderat, & rem ipsam, quæ ad cognoscendam pertinet antiquitatem, inlustrabo; sed antequam de tota re disseram, epigramma proponam, quod est hujusmodi.

Τέσσαρες εἰσὶν ἀγῶνες ἀν' ἑλλάδα, τέσσαρες ἱροὶ;
Οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων;
Ζηνὸς, Λητοΐδαο, Παλαίμονος, Ἀρχεμόροιο.
Ἆθλα δὲ τῶν κότινος, μῆλα, σέλινα, πίτυς.

Id autem sic latinè sumus interpretati

Quattuor instituit certamina Græcia, quorum
Sunt duo sacra homini, sunt duo sacra deo.
Jupiter, Archemorus, Phœbus, Melicerta coluntur.
Sunt apium, malum, pinus, oliva, decus.

In verbis autem hæc præcipue duximus adnotanda, & exponenda: *ἀγῶνες* dicuntur 2
certamina; hinc *ἀγωνιᾶν* quod est periclitari, & sollicitum esse; apud Platonem [c] *σύτε ἀγωνιῇ τὴν δίκην* hoc est: *tuque causæ discrimen subibis*; hinc *ἀγωνοθέται* ludorum præsides, judicesque certaminum; *ἀγωνοθετῶ* præsum certaminibus. Ἑλλὰς Græcia [d] dicitur ab Hellene Deucalionis filio, si Thucydidi credimus. Heroicis tamen temporibus non universa Græcia, sed ea pars, quæ *Φθιῶτις* dicitur, Hellas vocabatur. Quapropter eodem [e] auctore Homerus nunquam Græcos universos Hellenas appellat.

 τέσσαρες

[a] Antiphanes libr. 2. Anthol. in Grammaticos. epigr. 3. [b] Anthol. l. 2. in Grammat. epigr. 10. Incerti.

[c] In Euthyphrone paullo post initium. [d] Thucyd. Hist. libr. 1. [e] Thucyd. ibid.

τέσσαρες ἱροὶ, ἱροὶ idest ἱεροὶ *Sacri*; Homerus
[a] ἱρὰ θεοῖσιν ἀθανάτοισιν ἔδωκε.
οἱ δύω μὲν θνητῶν, οἱ δύω δ' ἀθανάτων
figura utitur Græcis usitatâ; sic etiam Homerus dixit [b]
οἱ δὲ δύω σκόπελοι, ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει
qui versus ita transferri potest
At duo sunt scopuli, quorum alter sidera pulsat
3 Quæ figura, ut Demetrius Phalereus notat,
mirificam addit carmini granditatem. ἀθάνατοι. *morte carentes* quo nomine apud poëtas Dii nuncupantur, unde ἀπαθανατίζοντες apud Arrianum libro primo quædam Getarum gens hoc est, ut Horatii [c] verbo utar, *æternantes*, ita appellata, quod animos hominum esse putaverit immortales, & ἀπαθανατίζειν apud Aristotel. lib. X. Nicom. cap. VII. quod est *immortalitatem spectare*. Ζηνὸς; Ζὴν, Ζεὺς Juppiter appellatur ἀπὸ τοῦ ζῆν scilicet a *vivendo*, nam a Jove constat [d]
Pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas
ut ait poëta summus. Λητωΐδαο *Phœbi*, cujus honori Pythicum certamen est institutum; Clemens enim Alexandrinus [e] putat Pythonis memoriam eo ludicro celebrari. Παλαίμονος- dictus est Palæmon alio nomine Melicerta, quicum [f] Ino Furiis a Junone immissis agitata se præcipitavit in Mare; ipsa autem Leucothea, vel Matuta; filius autem Portumnus est appellatus, & a Neptuno precibus Veneris immortalitate donatus. Ἀρχεμόρου Archemorus est dictus ἀπὸ τοῦ ἄρχειν τοῦ μόρου quod initium fuerit cædis; occisus est enim, quum septem Reges ad bellum Thebanum proficiscerentur. Ἆθλα sunt præmium victoriæ, ut Sui-
4 das in voce ἆθλον testatur; differt autem Ἆθλον ab ἄθλος, quod ἄθλος dicitur ipsum certamen, Ἆθλον præmium certaminis. His de significatu verborum expositis nonnulla sunt, ut proposui, dicenda de certaminibus, quæ Græcia universa ingenti studio, solemnique apparatu celebrabat. Quatuor igitur maxima celebritate, frequentissimoque Græcorum conventu ludi antiquitus committebantur, Olympici [g] Jovi Sacri, Apollini [h] verò Pythii, Archemoro [i] Nemeæi, Palæmoni Isthmiaci. Horum principem locum obtinent Olympici; nam, ut Pindarus ait, [l] quemadmodum aqua elementorum utilissima, aurum divitiarum præstantissimum, siderum Sol lucidissimus; ita Olympicum omnium certaminum celeberrimum; siquidem teste Cornelio [m] Nepote *magnis in laudibus tota fuit Græcia victorem Olympiæ citari*; adeo ut, sicut Cicero [n] testatur, major propemodum in Græcia Olympionicarum, quàm Romæ triumphalium dignitas haberetur. Hos [o] invenisse dicitur Hercules, qui fuit unus ex Idæis Dactylis, fratribusque cursus certamen præposuisse. Quapropter & quinquennales Olympici ludi fuisse dicuntur; quod fratres Curetes quinque fuerint, videlicet Hercules, Epimedes, Pæoneus, Jasius, & Idas, quos inter Clemens Alexandrinus [p] Celmin, & Damnanea recenset. Alii [q] verò Herculem tradunt Alcmena genitum olympicos agones instituisse, quem hono-
rem ille tribuit Pelopis manibus, ut Lu- 5
ctatius Grammaticus tradit, quam opinionem Papinius libro sexto Thebaidos his versibus tangit: *primus Pisæa per arva*
Hunc pius Alcides Pelopi certavit honorem
Pausanias autem in Eliacis prodit Olympicos ludos ab Hercule quidem Idæo institutos, ab Hercule autem Thebano instauratos in his locis, in quibus Herculem cum Jove lucta contendisse fabulæ ferunt; ex quo Juppiter a Lycophrone poëta in Cassandra luctator dicitur. Quamquam Strabo libro VIII. negat ab alio, quàm ab Oxylo, & Heraclidis inventos, post quorum ætatem longo temporis intervallo constat intermissos; donec Iphitus [r] eos denuo instauravit viginti tribus ferme ante urbem conditam annis, qua tempestate primum Olympiades numerari ceperunt. Horum victores Oleastro coronabantur,
ut Aristophanes in Pluto testatur his verbis, 6
τῶν ἀθλητῶν τοὺς νικῶντας στεφανοῦσιν κοτίνου στεφάνῳ
hoc est: *Athletas victores oleastri serto redimens*
quam arborem ab hyperboreis usque Herculem tulisse Pindarus Olymp. Ode III, commemorat; alii tamen ex olea tradunt Olympionicarum coronam fuisse; Pindarus [s] de Olympiæ victoribus
Ἀμφὶ κόμαισι βάλῃ γλαυκόχροα κόσμον ἐλαίας
hoc est:
Crinibus ornatum glaucæ circumdet olivæ
& Statius [t] de Hercule inventore ludorum loquens
Pulvereumque fera crinem detorsit oliva
Sed forte in eo loco fera pro silvestri sumitur; clarius Elegiacus poëta videtur id innuisse, quum dixit: [u]
Pisæa vinctus oliva
Abstulerat decies præmia victor eques;
quo Virgilius [x] respexit eo carmine.
Ipse caput tonsæ foliis ornatus olivæ
Dona feram Quæ

[a] Hom. Odyss. α. [b] Odyss, μ. [c] Horat. libr. 4. Od. 14. [d] Virg. Georg. libr. 3. [e] In Protrept. [f] Eustath. in 5. Odyss, Apollodor. libr. 3. Homer. Iliad. [g] Pausan. in Atticis Cicer. 1. Tusc. Ovid. 4. Metam. Pind. Olym. Od. 2. [g] Strabo l. 8. [h] Pind. in Pyth. Ovid. Metam. libr. 1. [i] Clem. Alex. in protrept. [l] Olymp. Od. 1. in principio.

[m] Corn. Nep. in Præfat. [n] Cicer. Orat. pro L. Flacco. [o] Strab. l. 8. [p] Clem. Alexandr. Strom. l. 1. [q] Strab. l. 8. [r] Plutarch. in Lycurgo. [s] Pind. Olymp. Od. 3. [t] Statius Theb. 6. [u] Ovid. lib. 4. Eleg. ult. de Trist. [x] Georg. l. 3.

Quæ tamen intelligenda sunt de oliva, quæ καλλιστέφανος vocabatur, ut [a] Aristophanis interpres adnotat; sed id sane parum refert. Celebrabantur autem Olympici ludi
7 tempore æstivi solstitii, quo tempore sunt instituti; ex quo solstitiorum pręgressiones animadversæ feruntur ab Astronomis. Hinc Seneca in Hercule furente sic ait [b].

Quantus incedit populus per urbes
Ad novi ludos avidus theatri,
Quantus Eleum ruit ad tonantem
Quinta quum sacrum revocavit æstas.

Certabatur autem Olympicis ludis cursu, quo primus vicisse proditur [c] Corœbus Eleus, Quinquertio, & lucta, pancratio, quo toto corpore certamen committitur; ad hæc gravioris [d] armaturæ pedites cursu, Pullorum [e] bigæ, celetes hoc est, equi singuli equite insidente certabant; erant præterea cursorum, quos δολιχοδρόμους vocant a longitudine cursus, vehiculi, quod mulæ trahebant, pugilum, quadrigarumque certamina; nam Musicum [f] agona Nero præter consuetudinem Olympiorum commisit; fuerunt & alia genera ludorum, quæ Pausania [g] teste statim exoleverunt. Sed omnium nobilissimum fuit equorum, quadrigarumque certamen; hoc victor [h] Alcibiades adeo lætatus est, ut universæ, quæ
8 ad spectandum convenerat, multitudini, convivium quàm lautissimum exhibuisse dicatur: hoc Leophron victor populum universum eadem liberalitate est prosequutus: hoc Empedocles ipse philosophus nobilissimus, quum Olympia curru vicisset, & ab esu animalium abhorreret, finxisse bovem fertur ex ture, & Myrrha, & pretiosissimis aromatis, & omnibus, qui celebritati interfuerant, distribuisse. Nec injuria tantus huic generi certaminis tributus est honos; erat enim cum artificiosissimum omnium, tum speciosissimum. Magna siquidem species fuit videre generosissimorum cursum equorum, aurigarumque nobilium artem, studiumque aliorum alios vincere summa ope nitentium, & metam simul evitantium, simul interiore rota stringentium; jam pulvis, jam studium, jam clamor faventium, periculumque certantium, fractarumque rotarum, atque axium fragor speciem certaminis augebant. Erat autem mixtum metu, & jucunditate spectaculum, quod genus maximè intentos homines habet, quum pro carissimorum interdum capitum, nobilissimorumque hominum salute solliciti spectatores essent; nam siquis incitato cursu in metam incurrisset, currus frangebatur, & ipse in præceps devolvebatur Auriga, quo genere mortis apud Sophoclem Orestes in Electra se interiisse confingit. Quapropter apud Homerum libro XXIII. Nestor Archilochum etiam, atque etiam monet, ut metam evitet, neque tamen ab ea longiùs abeat, quo respexit etiam Horatius cum cecinit: [i]

Metaque fervidis
Evitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad deos

Nec vero solum cum in metam incurrissent, currus frangi solebant; verùm etiam inter se collisi, in angustoque concurrentes elidebantur. Quocirca quum Alcibiades vicit Olympia, septuaginta currus fracti esse memorantur; ex quo intelligi potest quanta curruum naufragia spectari solerent, quantaque quadrigarum multitudo concurreret. Sed quum esset nobilissimum equorum, quadrigarumque certamen; reliqua 9
tamen maximis honoribus, & ingenti laude non caruerunt; siquidem cujuslibet agonis victores tanquam optimè de republica meriti statuis virtutis ergo donabantur, & ut [l] Vitruvius libro VIIII. testatur, *e republica perpetua vita constitutis vectigalibus fruebantur*. Quapropter Isocrates [m] jure miratur Veteres tam magna præmia corporis dexteritati proposuisse; animi verò virtutibus nullum. Quæ quum ita sint, minime mirum est, si quum [n] tam præclarum foret victorem Olympiæ citari, vel in Nemeæis, aliisque ludis coronari, tantam Veteres curam, ut Olympici ludi rite committerentur, adhibuerunt. Quocirca [o] & decem spectatæ fidei viros, & hujusce rei peritissimos elegerunt, & sacri certaminis judices esse jusserunt; eos autem Hellanodicas nominarunt; & Athletas, [p] ut Pausanias testatur, jurare coëgerunt sese nihil commissuros, quo minus ludi rite fierent, & decem perpetuos menses omnem curam, studiumque posuisse, ut se optimè ad futurum certamen compararent. Quam ego nimiam curam, studiumque ludicrorum 10
haudquaquam laudandum censuerim, meritoque crediderim ab Horatio Græcos reprehendi, qui sic ait [q]

Ut primum positis nugari Græcia bellis
Cepit, & in vitium fortuna labier æqua,
Nunc Athletarum studiis, nunc arsit equorum,
Marmoris, aut eboris fabros, aut æris amavit.

Sane equorum, aurigandique studium utile reipublicæ existimetur, quòd nonnihil bellatoribus conferat ad virtutem; neque verò certamina cursus improbentur, quando fortissimus ille Græcorum semper ab Homero πόδας ὠκὺν *velox pedibus* appellatur, &

[a] Schol. in Plutum. [b] Sen. Herc. Fur. act. 3. in fine. [c] Pausan. Eliacis lib. V. Strab. lib. 8. [d] Paus. ibid. [e] Pausan. ibid [f] Soeton. in Nerone. [g] Pausan. Eliacorum libr. I. [h] Plut. in Alcibiad. Athen. l. 1.

[i] Horat. l. 1. Od. 1. [l] Vitr. l. VIIII. in proœmio. [m] Isocr. initio Panegyrici. [n] Horat. lib. I. Od. I. [o] Cæl. Rhodigin. lib. 23. c. 17. [p] Pausan. in Eliacis. [q] Horat. Epist. lib. 2. Epist. 1.

τέσσαρες ἱρὰς, *ἱερὰ* idest *ἱερὰ Sacri*; Homerus [a]

Ἶρα θεοῖσιν Ἀθανάτοισιν ἔδωκε.

οἱ δύο μὲν θνητῶν, οἱ δύο δ' ἀθανάτων

figura utitur Græcis usitatâ; sic etiam Homerus dixit [b]

οἱ δὲ δύω σκόπελοι, ὁ μὲν οὐρανὸν εὐρὺν ἱκάνει

qui versus ita transferri potest

At duo sunt scopuli, quorum alter sidera pulsat

3 Quæ figura, ut Demetrius Phalereus notat, mirificam addit carmini granditatem. *ἀθάνατοι*. *morte carentes* quo nomine apud poëtas Dii nuncupantur, unde *ἀπαθανατίζοντες* apud Arrianum libro primo quædam Getarum gens hoc est, ut Horatii [c] verbo utar, *æternantes*, ita appellata, quod animos hominum esse putaverit immortales, & *ἀπαθανατίζειν* apud Aristotel. lib. X. Nicom. cap. VII. quod est *immortalitatem spectare*. *Ζηνὸς*; *Ζὴν*, *Ζεὺς* Juppiter appellatur *ἀπὸ τοῦ Ζῆν* scilicet a *vivendo*, nam a Jove constat [d]

Pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,

Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas

ut ait poëta summus. *Λητωΐδου Phœbi*, cujus honori Pythicum certamen est institutum; Clemens enim Alexandrinus [e] putat Pythonis memoriam eo ludicro celebrari, *Παλαίμονος* dictus est Palæmon alio nomine Melicerta, quicum [f] Ino Furiis a Junone immissis agitata se præcipitavit in Mare; ipsa autem Leucothea, vel Matuta; filius autem Portumnus est appellatus, & a Neptuno precibus Veneris immortalitate donatus. *Ἀρχεμόρου* Archemorus est dictus *ἀπὸ τοῦ ἄρχειν τοῦ μόρου* quod initium fuerit cædis; occisus est enim, quum septem Reges ad bellum Thebanum proficiscerentur. *Ἆθλα* sunt præmium victoriæ, ut Sui-

4 das in voce *ἆθλον* testatur; differt autem *Ἆθλον* ab *ἄθλος*, quod *ἄθλος* dicitur ipsum certamen, *Ἆθλον* præmium certaminis. His de significatu verborum expositis nonnulla sunt, ut proposui, dicenda de certaminibus, quæ Græcia universa ingenti studio, solemnique apparatu celebrabat. Quatuor igitur maxima celebritate, frequentissimoque Græcorum conventu ludi antiquitus committebantur, Olympici [g] Jovi Sacri, Apollini [h] verò Pythii, Archemoro [i] Nemeæi, Palæmoni Isthmiaci. Horum principem locum obtinent Olympici; nam, ut Pindarus ait, [l] quemadmodum aqua elementorum utilissima, aurum divitiarum præstantissimum, siderum Sol lucidissimus; ita Olympicum omnium certaminum celeberrimum; siquidem teste Cornelio [m] Nepote *magnis in laudibus tota fuit Græcia victorem Olympiæ citari*; adeo ut, sicut Cicero [n] testatur, major propemodum in Græcia Olympionicarum, quàm Romæ triumphalium dignitas haberetur. Hos [o] invenisse dicitur Hercules, qui fuit unus ex Idæis Dactylis, fratribusque cursus certamen præposuisse. Quapropter & quinquennales Olympici ludi fuisse dicuntur; quod fratres Curetes quinque fuerint, videlicet Hercules, Epimedes, Pæoneus, Jasius, & Idas, quos inter Clemens Alexandrinus [p] Celmin, & Damnanea recenset. Alii [q] verò Herculem tradunt Alcmena genitum olympicos agonas instituisse, quem honorem ille tribuit Pelopis manibus, ut Lu- 5
ctatius Grammaticus tradit, quam opinionem Papinius libro sexto Thebaidos his versibus tangit: *primus Pisæa per arva*

Hunc pius Alcides Pelopi certavit honorem

Pausanias autem in Eliacis prodit Olympicos ludos ab Hercule quidem Idæo institutos, ab Hercule autem Thebano instauratos in his locis, in quibus Herculem cum Jove lucta contendisse fabulæ ferunt; ex quo Juppiter a Lycophrone poëta in Cassandra luctator dicitur. Quamquam Strabo libro VIII. negat ab alio, quàm ab Oxylo, & Heraclidis inventos, post quorum ætatem longo temporis intervallo constat intermissos; donec Iphitus [r] eos denuo instauravit viginti tribus ferme ante urbem conditam annis, qua tempestate primum Olympiades numerari ceperunt. Horum victores Oleastro coronabantur, ut Aristophanes in Pluto testatur his verbis, 6
τῶν Ἀθλητῶν τοὺς νικῶντας στεφανῶσαι κοτίνῳ στεφάνῳ hoc est: *Athletas victores oleastri serto redimens* quam arborem ab hyperboreis usque Herculem tulisse Pindarus Olymp. Ode III. commemorat; alii tamen ex olea tradunt Olympionicarum coronam fuisse; Pindarus [s] de Olympiæ victoribus

Ἀμφὶ κόμαισι βάλῃ γλαυκόχροα κόσμον ἐλαίας

hoc est;

Crinibus ornatum glaucæ circumdet olivæ

& Statius [t] de Hercule inventore ludorum loquens

Pulvereumque fera crinem detorsit oliva

Sed forte in eo loco fera pro silvestri sumitur; clarius Elegiacus poëta videtur id innuisse, quum dixit: [u]

Pisæa vinctus oliva

Abstulerat decies præmia victor equus;

quo Virgilius [x] respexit eo carmine.

Ipse caput tonsæ foliis ornatus olivæ

Dona feram

Quæ

[a] Hom. Odyss. α. [b] Odyss. μ. [c] Horat. libr. 4. Od. 14. [d] Virg. Georg. libr. 3. [e] In Protrept. [f] Eustath. in 5. Odyss. Apollodor. libr. 3. Homer. Iliad. [g] Pausan. in Atticis Cicer. 1. Tusc. Ovid. 4. Metam. Pind. Olym. Od. 2. [g] Strabo l. 8. [h] Pind. in Pyth. Ovid. Metam. libr. 1. [i] Clem. Alex. in protrept. [l] Olymp. Od. 1. in principio.

[m] Corn. Nep. in Præfat. [n] Cicer. Orat. pro L. Flecco. [o] Strab. l. 8. [p] Clem. Alexandr. Strom. l. 1. [q] Strab. l. 8. [r] Plutarch. in Lycurgo. [s] Pind. Olymp. Od. 3. [t] Statius Theb. 6. [u] Ovid. lib. 4. Eleg. ult. de Trist. [x] Georg. l. 3.

Quæ tamen intelligenda sunt de oliva, quæ
καλλιστέφανος vocabatur, ut [a] Aristophanis
interpres adnotat; sed id sane parum re-
fert. Celebrabantur autem Olympici ludi
7 tempore æstivi solstitii, quo tempore sunt in-
stituti; ex quo solstitiorum pręgressiones ani-
madversæ feruntur ab Astronomis. Hinc
Seneca in Hercule furente sic ait [b]

Quantus incedit populus per urbes
Ad novi ludos avidus theatri,
Quantus Eleum ruit ad tonantem
Quinta quum sacrum revocavit æstas.

Certabatur autem Olympicis ludis cursu,
quo primus vicisse proditur [c] Corœbus
Eleus, Quinquertio, & lucta, pancratio,
quo toto corpore certamen committitur;
ad hæc gravioris [d] armaturæ pedites cur-
su, Pullorum [e] bigæ, celetes hoc est, equi
singuli equite insidente certabant; erant
præterea cursorum, quos δολιχοδρόμους vocant
a longitudine cursus, vehiculi, quod mulæ
trahebant, pugilum, quadrigarumque cer-
tamina; nam Musicum [f] agona Nero præ-
ter consuetudinem Olympiorum commisit;
fuerunt & alia genera ludorum, quæ Pau-
sania [g] teste statim exoleverunt. Sed
omnium nobilissimum fuit equorum, qua-
drigarumque certamen; hoc victor [h] Alci-
biades adeo lætatus est, ut universæ, quæ
8 ad spectandum convenerat, multitudini,
convivium quàm lautissimum exhibuisse di-
catur: hoc Leophron victor populum uni-
versum eadem liberalitate est prosequutus:
hoc Empedocles ipse philosophus nobilis-
simus, quum Olympia curru vicisset, & ab
esu animalium abhorreret, finxisse bovem
fertur ex ture, & Myrrha, & pretiosissimis
aromatis, & omnibus, qui celebritati in-
terfuerant, distribuisse. Nec injuria tan-
tus huic generi certaminis tributus est
honos; erat enim cum artificiosissimum
omnium, tum speciosissimum. Magna siqui-
dem species fuit videre generosissimorum
cursum equorum, aurigarumque nobilium
artem, studiumque aliorum alios vincere
summa ope nitentium, & metam simul evi-
tantium, simul interiore rota stringentium;
jam pulvis, jam studium, jam clamor fa-
ventium, periculumque certantium, fra-
ctarumque rotarum, atque axium fragor
speciem certaminis augebant. Erat autem
mixtum metu, & jucunditate spectaculum,
quod genus maximè intentos homines ha-
bet, quum pro carissimorum interdum ca-
pitum, nobilissimorumque hominum salute
solliciti spectatores essent; nam siquis in-
citato cursu in metam incurrisset, currus
frangebatur, & ipse in præceps devolve-
batur Auriga, quo genere mortis apud So-
phoclem Orestes in Electra se interiisse
confingit. Quapropter apud Homerum
libro XXIII. Nestor Archilochum etiam,
atque etiam monet, ut metam evitet, ne-
que tamen ab ea longiùs abeat, quo respe-
xit etiam Horatius cum cecinit: [i]

Metaque fervidis
Evitata rotis, palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad deos

Nec vero solum cum in metam incurris-
sent, currus frangi solebant; verùm etiam
inter se collisi, in angustoque concurren-
tes elidebantur. Quocirca quum Alcibiades
vicit Olympia, septuaginta currus fracti
esse memorantur; ex quo intelligi potest
quanta curruum naufragia spectari solerent,
quantaque quadrigarum multitudo concur-
reret. Sed quum esset nobilissimum equo-
rum, quadrigarumque certamen; reliqua 9
tamen maximis honoribus, & ingenti lau-
de non caruerunt; siquidem cujuslibet
agonis victores tanquam optimè de repu-
blica meriti statuis virtutis ergo donaban-
tur, & ut [l] Vitruvius libro VIIII. testatur,
*e republica perpetua vita constitutis vectigali-
bus fruebantur*. Quapropter Isocrates [m] jure
miratur Veteres tam magna præmia corpo-
ris dexteritati proposuisse; animi verò vir-
tutibus nullum. Quæ quum ita sint, mini-
me mirum est, si quum [n] tam præclarum
foret victorem Olympiæ citari, vel in Ne-
meæis, aliisque ludis coronari, tantam Ve-
teres curam, ut Olympici ludi rite com-
mitterentur, adhibuerunt. Quocirca [o] &
decem spectatæ fidei viros, & hujusce rei
peritissimos elegerunt, & sacri certaminis
judices esse jusserunt; eos autem Hellano-
dicas nominarunt; & Athletas, [p] ut Pau-
sanias testatur, jurare coëgerunt sese nihil
commisuros, quo minus ludi rite fierent,
& decem perpetuos menses omnem curam,
studiumque posuisse, ut se optimè ad futu-
rum certamen compararent. Quam ego
nimiam curam, studiumque ludicrorum 10
haudquaquam laudandum censuerim, me-
ritoque crediderim ab Horatio Græcos re-
prehendi, qui sic ait [q]

Ut primum positis nugari Græcia bellis
Cepit, & in vitium fortuna labier æqua,
Nunc Athletarum studiis, nunc arsit equorum,
Marmoris, aut eboris fabros, aut æris amavit.

Sane equorum, aurigandique studium utile
reipublicæ existimetur, quòd nonnihil bel-
latoribus conferat ad virtutem; neque ve-
rò cartamina cursus improbentur, quando
fortissimus ille Græcorum semper ab Ho-
mero πόδας ὠκὺς *velox pedibus* appellatur;
&

[a] Schol. in Plutum. [b] Sen. Herc. Fur. act. 3. in fine. [c] Pausan. Eliacis lib. V. Strab. lib. 8. [d] Pauſ. ibid. [e] Pausan. ibid [f] Sueton. in Nerone, [g] Pausan. Eliacorum libr. I. [h] Plut. in Alcibiad. Athen. l. 1.

[i] Horat. l. 1. Od. 1. [l] Vitr. l. VIIII. in procemio. [m] Isocr. Initio Panegyrici. [n] Horat. lib. I. Od. I. [o] Cæl. Rhodigin. lib. 23. c. 17. [p] Pausan. in Eliacis. [q] Horat. Epist. lib. 2. Epist. 1.

& Romani summum imperatorem Papirium Cursorem [a] non sine laude nominarunt, & Alexander ille Magnus [b] hac etiam laude censetur; nec alia certamina reprehenduntur, quæ vires augere, vel agilitatem corporis possunt. Quamquam id melius Romani, qui [c] teste Sallustio, usu militiam discebant. Athletæ vero [d] genus hominum ab optimo quoque conviciis proscissum quid afferre possunt, cur utiles reipublicæ existimentur? equidem neque ad veram fortitudinem, neque ad corporum salubritatem conferre Athleticam consuetudinem, rationemque victus animadvertimus. Siquidem quemadmodum Galenus eloquentissimus medicorum in sermone, [e] quo nos ad artes exhortatur, affirmat, nihil intolerantius frigoris, caloris, inediæ fuit, ac proinde nihil ad militiam ineptius. Quapropter Euripides de Athletis [f] maximè loquens ait

Πότερα μαχῦνται πολεμίοισιν ἐν χεροῖν
Δίσκυς ἔχοντες, ἢ δι' ἀσπίδων ποσὶν
θέοντες ἐκβαλῦσι πολεμίυς πάτρας;
Ουδεὶς σιδήρυ ταῦτα μωραίνει πέλας.

Salubritas verò corporum nulla est eorum, qui omnium maximè morbis obnoxii ætatem agunt; nisi divinus Hippocrates, [g] ejusque sectator Galenus [h] medicorum principes mentiuntur, qui Athleticam corporis habitudinem periculosam esse, & maturam afferre senectutem confirmant. Quæ quum ita se habeant, non video, qua de
11 causa Græci tantum in exercitationibus hujusmodi studium ponerent, aut tantopere eorum fortitudini confiderent, ut [i] Hieronicis in patriam revertentibus muros urbis aperirent, atque deiicerent; quasi non opus esset mœnibus urbi, quæ talem civem, tantumque patriæ propugnatorem genuisset. Sed ut hoc improbandum, ita laudandus ille mos Græcorum, quo solemne fuit, ut ad hujusmodi ludorum Olympicam celebritatem confluerent omnes, qui aliquo studio laudabili, vel arte præstarent; ita ut in frequentissimo illo hominum conventu quidquid egregium Græcia tulisset, conspiceretur. Sic & acuebantur ingenia, & studia hominum accendebantur maximè, & bonis artibus propositum erat præmium claritatis, & famæ; hæc enim facilis quædam habebatur, & compendiaria ad gloriam via. Quidquid enim illic innotescebat, tota Græcia celebrabatur; ex universa siquidem Græcia ad illa spectacula incredibilis hominum multitudo confluebat. Itaque [l] Herodotum historicorum
suavissimum accepimus, quum antea nul- 12
lius esset nominis, ad Olympicam venisse celebritatem, & Historiam, quam de rebus Græcis conscripserat, publicè recitasse, adeoque omnibus placuisse, ut Græciam universam fama sui nominis impleverit, [l] & Aëtionem pingendi artificio præstantem Lucianus tradit tabulam attulisse nobilem, quam quum panegyri ostendisset, ingentem esse gloriam consequutum; magisque inclaruisse eo artis edito specimine, quàm antea labore perpetuo, studioque singulari. Eodem modo Hippiam incredibili [m] eloquentia hominem, doctrinaque præstanti, nominis claritatem adeptum crediderim, qui ut scribit Apulejus quum Pisas venisset eo tempore, quo Olympici ludi celebrabantur, omnium rerum scientiam, artiumque cognitionem se mente complexum esse confirmavit, earumque singularum frequenti hominum conventu specimen dedit. Ita scilicet eo tempore spectabantur ingenia, ut Olympiæ theatrum non magis esset corporum, quàm animorum. Quo fiebat, ut docti simul, & indocti gratissimo spectaculo fruerentur; nam bonarum artium rudes corporum firmitatem, & robur, & velocitatem; docti vero ingeniorum vim, celeritatemque mirabantur.

DISSERTATIO III.

In idem Epigramma.

Dissertatio Secunda.

De Ludis Pythiis, & a quo instituti sint, & quæ corona in ipsis daretur Victoribus. De Pythio Oracolo, & unde illud ita appellatum sit.

Pythagoras [n] Philosophorum nobilissimus, quum Phliuntem venisset, interrogatus a Phliasiorum tyranno, quam profiteretur artem; artem se quidem tenere nullam dixit; sed Philosophum nominari, quumque ille novitatem nominis admiratus (tunc enim primum philosophi nomen proferebatur) quæreret, cui tandem rei studeret, aut quid de studio suo, & facultate philo-
sophus profiteretur; similem sibi respondit 1
hominum vitam videri ludis, qui maximo totius Græciæ conventu, mercatuque celeberrimo, frequentissimoque Olympiæ quinto quoque anno celebrarentur; ad quos alii,

[a] Liv. l. 9. [b] Plutarch. Alex. initio. [c] Sall. in Catilinar. [d] Gal. in Protreptico, & in libr. ad Trasymbulum, Plato 3. de Repub. Ariston apud Plutarchum de Sanit. tuenda. [e] Gal. Protreptico. [f] Gal. ibid. [g] Hipp. Aphor. 2. [h] Gal. ad Thrasymbulum cap. 37. [i] Plutarch. Symp. libr. 2. quæst. 5., Suet. in Nerone.

[l] Lucian. in Herodoto, vel Aëtione. [m] Apul. in Floridis. [n] Cic. Tusc. V. Laërt. l. VIII. in Pythag.

alii certandi, alii emendi, alii vendendi caussa convenirent; esse autem genus hominum, & id nobilissimum judicari, quod nihil tale concupisceret, sed tantummodo spectandi caussa Olympicam celebritatem frequentaret. Huic hominum generi philosophos maximè comparavit, qui nihil agerent eorum, quæ ceteri Mortales; sed duntaxat ea spectandi, quæ gererentur in vita, studio, & cupidine tenerentur. Existimavit nimirum homo sapiens, & alta quadam mente præditus hominum vitam nihil aliud esse, quàm ludum, & ludum habendum quidquid homines aut dicunt, aut cogitant, aut moliuntur. Quod si hominum vitam ludis aptissimè comparatur, minimè mirum est in ludis aliquid, quod vitæ conducat, reperiri; quò neque Græci, quòd tam multam in ludis operam, studiumque consumpserint, culpandi esse videantur, neque nos fortasse reprehendendi, quòd tam multa de ludis dixerimus, ac multo etiam plura dicere paremus. Nam de Olympicis ea, quæ non aliena ab instituto nostro videbantur, sermone, qui proximè habitus est, disseruimus. Nunc de
2 reliquis certaminibus est dicendum, quæ sacra Græci nominarunt; & a Pythiis ordiendum; propterea quod hæc sicut Olympicis cedunt; ita ceteris dignitate longè præstant; nam & in celeberrimo terrarum loco celebrabantur, & nobilissimo Numini sacra ferebantur. Hæc autem Pythia sunt appellata a Pythio, quod est Suida [a] teste Apollinis oraculum; nam & Pythia dicebatur Sacerdos, quæ responsa dabat consulentibus, ut idem [b] tradit; ex quo Pythian φιλιππίζειν *Philippi rebus studere* Demosthenes [c] ajebat. Sed illud in primis notandum non unum perhiberi fuisse Pythium; nam & in Macedonia, & in Creta fuisse Pythium accepimus, & Athenis [d] templum Apollinis eodem nomine vocabatur. Sed non ab his Pythia nomen acceperunt; sed ab eo, quod est in Phocide. Ovidius a Pythone serpente, quem Apollo dicitur interfecisse Pythia prodit appellata. [e]

Neve operis famam posset delere vetustas,
Instituit sacros celebri certamine ludos,
Pythia perdomitæ serpentis nomine dictos

Verumtamen hæc nominis origo minus consentanea est veritati; quamquam non desunt, qui fabulam historicè interpretentur, ut libro VIIII. testatur Strabo, qui Pythonem non serpentem, sed tyrannum fuisse autumant, quem Apollo bello superatum sagittis confixerit. Ceterum verisimilius est Pythiam, & Pythium [f] ἀπὸ τοῦ πύθεσθαι, quod est *sciscitari* nominatum, eo quod omnes oraculum Apollinis sciscitarentur; quam arbitror caussam fuisse, cur duo contubernales Regis Lacedæmoniorum Pythii dicerentur, ut Xenophon in republica Spartanorum scriptum reliquit, quod ab ipsis petere consilium Reges, eosque sciscitari solerent. Eadem de caussa urbs, ubi oraculum Apollinis, Pytho est appellata, cujus [g] cives Delphi, Licoreæ antea dicebantur, ut Apollonii Scholiastes memoriæ 3
prodidit; hæc in Orbis terrarum meditullio sita credebatur, quocirca poëta antiquus apud Ciceronem sic ait: [h] *o Sancte Apollo, qui umbilicum terrarum certam obsides*, & Pindarus fabulam [i] innuit hujusmodi; Jovem videlicet, quum vellet regni sui metiri magnitudinem, duas aquilas ab ortu, occasuque dimisisse, quæ quum pari celeritate volatum intendissent, sibi invicem occurrerunt in loco, quem incolunt Delphi, quem imitatus Claudianus ita cecinit [l]

Jupiter, ut perhibent, spatium quum discere vellet
Naturæ regni nescius ipse sui,
Armigeros utrinque duos æqualibus alis
Misit ab eois, occiduisque plagis,
Parnassus geminos fertur junxisse volatus,
Contulit alternas Pythius Axis aves

In hac igitur urbe oraculum Apollinis Pythium consulebatur, quod olim Themidi 4
sacrum habebatur, ut Strabo libro IX. testis est locupletissimus. Quare Claudianus Parnassi speluncas antra Themidis appellat in his versibus [m]

Auditoque procul Musarum carmine dulci
Ad Themidis coëunt antra severa Deæ

Et [n] Ovidius Deucalionem, quum servatus ab illo generis humani exitio e Parnasso monte descendisset, non Apollinis oraculum, sed Themidis consulentem facit; eodem & Lucanus libro IV. respicit ubi sic ait. [o]

Ultor ibi expulsæ premeret quum viscera partus
Matris, adhuc rudibus Pæan Pythona Sagittis
Explicuit, quum Regna Themis, tripodasque teneret

Diodorus [p] autem Siculus telluris oraculum, antequam Themidis haberetur, habitum esse tradit his verbis: διὰ δὲ ταύτας θαυμασθῆναι τὸ χρηστήριον, καὶ νομισθῆναι τῆς γῆς χρηστήριον εἶναι, hoc est: *ob eas caussas admirationi*

---

[a] Suidas in V. Πυθεῖον. [b] Suidas in V. πυθία. [c] Demosth. apud Cæl. Rhodig. lib. 8. cap. 16. [d] Suidas in V. Πύθιον. [e] Ovid. Met. lib. I. V. 445.

[f] Strab. libr. IX. [g] Pausan. libr. X. & Schol. Apollonii in 4. Argonaut. [h] Cic. de divinat. [i] Pind. Pyth. Od. IIII. & ibi Schol. Strabo lib. IX. [l] Claudian. in Consulatum Manlii Theodor. prologo. [m] Claudian. præfatione in Rufinum. [n] Ovid. Metam. l. 1. [o] Lucan. lib. 5. V. 81. [p] Diod. l. XVI.

ni fuisse, & habitum telluris oraculum; ad quem locum intelligendum pertinet id, quod Pausanias [a] lib. X. tradit oraculum scilicet Pythium fuisse Neptuni, & telluris; & Neptunum quidem intreprete usum Pyrcone; tellurem verò per se ipsam dedisse responsa, deinde Themidi, postremo Apollini traditum; sed ut ad Diodorum [b] Siculum revertamur ad hunc maximè modum id oraculum inventum refert. Quum hiatus
5 existeret in eo loco, ubi adytum postea fuit templi, pastoresque prope caprarum pascerent greges, observatum est eas capras, quę ad hiatum accederent, in eumque prospicerent, mirabiliter exilire, & vocem emittere a pristina diversam; quo miraculo Pastorem permotum, quum ad hiatum experiundi causa venisset, intuentem in eum hausto quasi numine cepisse vaticinari; eodemque modo quicunque prope hiatum constitissent, & fatidicum spiritum accepissent, furore esse correptos; inde nimirum loco crevit auctoritas; quum autem multi cupiditate discendi futura se in eam voraginem immitterent, neque amplius comparerent, excogitata ratio est, qua spiritus ille fatidicus accipi sine periculo posset. Quapropter tripus est contectus, quem inscenderet vates, & responsa redderet consulentibus; & oraculi custodia virginibus primò, ac mox feminis quinquaginta annorum tradita est. Quæ de oraculo Delphico ab illustribus auctoribus prodita non abhorrere ab instituto sermone de lu-
6 dis Pythiis judicavi; hi quippe ab oraculo non solum, ut initio diximus, nomen, verùm etiam claritatem acceperunt; nam ut vetustati cedunt olympicorum, sic ipsis loci dignitate præstant. Sed quanta Pythiorum claritas, tanta est eorum originis obscuritas; nam alii tradunt, ut Cælius [c] Rhodiginus notat, a Diomede institutos; alii verò sexcentis annis post bellum Trojanum; alii ab ipso Apolline; alii a Phocensibus metu serpentis liberatis, quorum opinionem refert Papinius libro VI.

Proxima vipereo celebravit libera nexu
Phocis Apollineæ bellum puerile pharetræ

Pausanias autem in Phocicis statim post interfectum Pythonem ludos prodit inventos, verumtamen non eadem ratione semper celebratos. Nam initio nihil aliud
7 fuisse Pythia nisi certamen Poëtarum Hymnum in Apollinis laudem canentium, cui nomus, seu modulatio Tibicinum, & Citharistarum fuit adjecta [d] cujus quinque partes fuisse tradunt Strabo, & Julius Pollux; Strabo ita eas enumerat ἀνάκρισιν, ἄμπειραν, quam Pollux [e] πεῖραν appellat; κατακελευσμὸν; Jambos, & dactylos; Syringas: anacrusin autem esse præludium; ampeiran primam pugnandi experientiam; κατακελευσμὸν certamen ipsum; Jambum, ac dactylum Pæanem; Syringas belluæ deficientis sibila, languoremque referre. Hoc autem certamine primum vicisse ferunt Chrysotemin, qui fuit Carmanoris filius, qui Apollinem a cæde expiavit; post autem Philammon, & ejus filius Thamyras coronati fuerunt; [f] nam Orphea mysteriorum, quæ invenerat, gloria elatum Pythio certamine certare noluisse, quem imitatum esse Musæum, ut pote ejus auditorem, Pythiæ coronæ gloriam contempsisse; nec Hesiodum receptum, quum nomen profiteretur, propterea quod lyrâ canere non didicisset; & Homerum luminibus carentem certare nequivisse; quapropter certamen illud fuisse duntaxat Lyricorum poëtarum. Quare Sophocles quum in Electra Orestem inducit curru certantem in Pythiis, figura utitur poëtis familiari, qui [g] κατὰ πρόληψιν Historiæ multa dicunt, sicut Catullus Theseum dicit. [h] *Egressum curvis e litoribus Piræei* quum Themistocles Piræeum fecerit portum; & Virgilius quum ait [i] *portusque require Velinos*, & alii permulti. Nam usque ad Olympiadem quadragesimam octavam nullum aliud certamen in Pythiis usurpatum est, quàm poëtarum; Olympiadis autem quadragesimæ octavæ anno tertio Amphictyo-
nes, [l] quod est concilium totius Græciæ 8
gravissimum, clarissimumque, instituerunt, ut non solum poëtæ lyra canentes, sed etiam auloedi contenderent, qua tempestate equorum, quadrigarumque certamina, ceteraque, quæ ludis Olympicis committi solebant, Amphictyonum jussu cepta sunt celebrari, & Pythiades institutæ. Itaque quum duo sint agonum genera, ut Julius Pollux [m] docet, & Gymnica, & Scenica, quæ etiam Dionysiaca, & Musica appellantur, utrumque genus in Pythiis habebat locum; qua quidem in re Pythia Olympicis ludis præstiterunt; nam in Olympicis Musices certamina non admittebantur, ut Suetonius in Nerone testatur. Est illud etiam inter Delphicos, & Olympicos agonas non mediocre discrimen, quod illi Chrematitæ, hi semper Stephanitæ fuerunt. Quamquam non me latet quibusdam proditum esse Olympicum agonem initio fuisse Chrematiten (est autem χρηματίτης ἀγὼν ille, in quo victori præter gloriam est aliquod certaminis præmium constitutum, exempli causa tripus, lebes, vestis

stis

[a] Pausan. in Phocicis. [b] Diodorus hist. l. XVI. [c] Cael. Rhodigin. l. II. cap. 24. [d] Strabo l. IX.

[e] Pollux lib. IV. cap. 10. [f] Pausan. in Phocicis, Politianus in Nutriciis. [g] Gell. l. X. cap. XVI. [h] Catull. de Nupt. Pelei, & Thetidos. [i] Virgil. libr. VI. [l] Pausan. in Phocicis. [m] Pollux Onomastici libr. III. cap. 1.

stis; stephanites, in quo corona dumtaxat vincentibus datur) sed postea Delphicus agon stephanites factus est; nam in eo victores malis coronabantur, ut eruditissimus Budæus [a] *in L. Athletas* notat, & declarat 9 epigramma, quod suscepimus enarrandum *Sunt apium, malum, pinus, oliva decus:* Nam vox *malum* referenda est ad Apollinis hoc est Delphicum agonem; quod [b] Ausonius confirmat in his versibus:

Sacra Jovis, Phœbique, Palemonis, Archemorique,
Serta quibus malus, pinus, oliva, apium

Quamquam inter Ausonii versus, & Græcos nonnihil interest; nam in Græcis videtur ex malis confici solita Pythionicarum corona, in Latinis ex malo arbore; illud etiam dubitationem affert, quod Pausanias [c] & Luctatius in VI. Papinii librum, aliique complures, ex Lauro Pythionicarum coronam contexunt, quo respexit Ovidius, quum cecinit. [d]

Hic Juvenum quicunque manu, pedibusve, rotave
Vicerat, æsculeæ capiebat frondis honorem;
Nondum laurus erat ---

DISSERTATIO IV.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO TERTIA.

De Isthmicis ludis, & de Corintho.

Cum multa laudabiliter, & sapienter, Auditores ornatissimi, Veterum moribus, atque institutis animadvertimus usurpata, tum nihil laudabilius, quàm quod nomen, & honorem eorum, qui vitâ decesserant, non solùm animo grato, memorique prosequendum, verùm etiam spectaculis edendis, ludisque magnificè faciendis augendum, ornandumque esse censuerunt. Nam quum ita natura comparatum sit, ut eorum, qui nobis in vita grati fuerunt, post obitum memoriam libentissimè recolamus, & quoad ejus fieri potest, perpetuam esse, & immortalem velimus; illi spectaculis celebrandis utrumque consequebantur; nam & nomen honorabant vitâ functorum, & eadem operâ ab oblivione, & interitu vindicabant; neque verò muliebri luctu, & inani mœrore contabescebant; sed ut sapientes decet, soluto potiùs animo, & pietate a curis liberâ, memoriam extinctorum colere, & celebrare nitebantur; ita ut iidem ludi & honori mortuorum, & vivorum solatio tribui viderentur. Quapropter laudandi in primis duo principes poëtarum [e] Homerus, & [f] Virgilius, quorum alter Achillem, alter Æneam: illum in hominis amicissimi, 1 hunc in parentis funere ludos magno cum apparatu celebrantes inducit. Nec vero minus laudibus ferendus [g] Alexander ille Macedo, qui Hephæstionis carissimi capitis morte commotus, ludos quàm magnificentissimos in ejus honorem paravisse dicitur, in quibus cum gymnica, tum musica certamina committerentur, maximo cum apparatu, & tria millia hominum decertarent; & [h] Scipio ille Africanus, qui Carthaginensium in Hispania victor, ludos in Patris, patruique memoriam magnificentissimè dicitur edidisse, in quibus etiam Reges honoris ergo Publii Scipionis in arenam descenderent; & Romani, qui sæpenumero clarorum virorum manibus eumdem honorem detulerunt, & Circensium [i] pompâ eorum imagines præferri voluerunt. Sed omnium, quæcunque mortuorum nomini spectacula sunt consecrata, clarissimi, celeberrimique 2 ludi fuerunt, quos Græci in honorem Palæmonis, & Archemori antiquitus instituerunt, & nullo unquam tempore, dum Græcia floruit, omiserunt; quorum alteri, propterea quod in Isthmo Corinthiaco celebrarentur, Isthmici; alteri, quòd in Nemea committerentur, Nemeæi sunt nominati; hi enim soli ex sacris certaminibus mortuis esse dicati feruntur. Nam licet Clemens Alexandrinus in Protreptico ad Gentes, omnes agonas vocet sepulcrales, & in Olympicis ludis Pelopem, in Delphicis Pythonem, in Isthmicis Melicertam, in Nemeæis Archemorum coli velit; tamen Olympia, & Pythia in honorem Jovis, & Apollinis primùm crediderim instituta, quamvis in alteris Pythoni, in alteris Pelopi parentaretur, & Hercules Olympia aliquando in honorem [l] Pelopis celebraverit; at vero Isthmici, & Nemeæi ludi ad nomen colendum Archemori, & Melicertæ initio sunt instituti; & ideo mortuorum dicebantur. Sed Isthmici sicut antiquitate præstant; ita & loci nobilitate, & opportunitate clariores videntur. In Isthmo enim fiebant, qui duo maria, Jonium, & Ægeum angustissimo dirimit intervallo; 3 qui locus ex Italia, & Asia navigantibus opportunus [m] Lechæo, & Cenchreis duobus celeberrimis florebat portubus, ubi Corinthus

[a] Budæus in L. Athletas 4. ff. de his, qui not. inf. [b] Auson. Eclog. De lustral. agon. [c] Pausan. in Phocicis. [d] Ovid. Metam. l. I. V. 448. [e] Iliad. ψ. [f] Æneid. V. [g] Arrianus de expedit. Alexandr. l. VII. [h] Tit. Liv. ab V. C. libr. XXVIII. in fine. [i] P. Ovid. l. 3. Amor. Eleg. 2. Non. Marcell. cap. 1. n. 74. Suet. in Aug. cap. 16. [l] Pausan. Eliacorum libr. 1. [m] Strabo l. 8.

thus urbs nobilissima, quam [a] Cicero Græciæ lumen appellat, & Homerus [b] ἀφνειὸν hoc est *divitem*, & *copiosam* [c] Pindarus ὀλβίαν hoc est *felicem*, *opulentamque* dicit; nec immerito sane; tantæ enim opes Corinthiorum extiterunt, [d] ut Thucydide teste, primi Græcorum triremes fabricaverint, & nauticis copiis, & classibus plurimum valuerint; quam Corinthiorum opulentiam auxit opportunitas loci, quòd Corinthus universæ Græciæ emporium esset celeberrimum, & res parva dictu, sed tam prodenda, quàm prodita a præclaris auctoribus, excellens Corinthiarum mulierum pulchritudo; siquidem in templo [e] Veneris mille formâ præstanti puellæ impudentiæ sacris operabantur, ad quas ingens advenarum multitudo confluebat. Nam [f] quæ de Laide, ceterisque famosis Corinthi feminis feruntur, adeo pervulgata sunt, ut locum proverbio fecerint, *non* [g] *cujusvis est navigare Corinthum*. Sed Urbi nobilissimæ ad celebritatem, opulentiamque Isthmi-
4 ci ludi plurimum contulerunt, ut [h] Strabo testis locupletissimus confirmat; nam infinita hominum multitudine celebrabantur, ob eamque causam tanti ludos Isthmicos fecerunt Corinthii, & Argivi, ut quum Agesilaus [i] Rex Lacedæmoniorum bellum Corinthiis intulisset, & Murum longum cepisset, Argivos offenderit Isthmia in ipso belli terrore, ac tumultu celebrantes, quibus depulsis Agesilaus exules Corinthiorum jussit ludos intermissos instaurare; & tamen Argivi, ubi hostium discessit exercitus, ludicrum rursus celebrarunt, sic evenit, ut iidem Athletæ ob ejusdem certaminis victoriam non semel coronarentur; adeo curæ fuerunt Argivis ea certamina, ut ne in ipso quidem bellorum ardore Isthmiorum celebritas omitteretur. Quæ reputantibus magis mirum videbitur, quod Solinus in Polyhistore capite Duodecimo tradit re-
5 gnante Cypselo Corinthi, & Corinthiis gravi, & intoleranda servitute pressis, Isthmicos ludos intermissos, & Olympiade quadragesima nona restitutos; præsertim quum Pausanias [l] Græcus auctor testetur ex eo tempore, quo Isthmia sunt instituta, nunquam intermissa fuisse, ne tum quidem, quum ab imperatore Romano Mummio Corinthus excisa est; ut qui casus Urbem nobilissimam, pulcherrimam, vetustissimamque funditus deleverit, ludos, qui ab ea celebrabantur, ne tantisper quidem impedire potuerit; illos autem tam constanter, & sine ulla intermissione commissos eo mirabilius debet videri, quod Isthmici ludi antiquissimi fuisse perhibentur. Nam eos instituisse dicitur Sisyphus Æoli filius, quum pueri Palæmonis cadaver ad litus appulsum sepelisset, & in ejus memoriam spectaculum edidisset, quod ab Isthmo postea Isthmiacum est appellatum, ut Pausanias in Corinthiacis, & Apollonii Scho-
liastes libro tertio confirmant, cui senten- 6
tiæ Statius libro sexto adstipulatur his verbis.

Mox circum tristes servata Palemonis aras
Nigra superstitio, quoties animosa resumit
Leucothoë gemitus, & amica ad litora festa
Tempestate venit, planctu conclamat uterqui
Isthmos, Echioniæ responsant flebile Thebæ.

Quamquam non desunt auctores, qui rem aliter tradant; nam Plutarchus in Thesei vita scribit, Theseum Isthmiorum inventorem fuisse, qui Herculis æmulatione adductus, quemadmodum ille Olympicos ludos Jovi, ita Neptuno Patri suo, non Palæmoni illud certamen sacraverit; quod enim Palæmoni dicatum erat, noctu peragi solitum, magisque sacrificii, quam spectaculi speciem habuisse; quam opinionem Pindari Scholiastes probat, & ipse Pindarus [m] qui Isthmicum agonem sacrum Neptuno dicit, & Ausonius [n] hoc versu

Isthmia Neptuno data sunt, & Pythia Phoebo

Quibus etiam Xenophon Socraticus astipulatur, qui libro quarto Historiarum Græcarum sic ait de Agesilao περιέμενεν ἕως οἱ Κορινθίων φυγάδες ἐποίησαν τῷ Ποσειδῶνι τὴν θυσίαν, καὶ τὸν ἀγῶνα hoc est: *tamdiu moratus est, donec Corinthiorum exules Neptuno sacrificium, ludosque fecerunt*.

DISSERTATIO V.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO QUARTA.

De Ludis itidem Isthmicis. De Corona obsidionali, & Civica.

Superiore dissertatione diximus, Auditores ornatissimi, non constare inter auctores, utrum Palæmoni fuerit, an Neptuno Isthmiorum celebritas consecrata, quod ne levitate, inconstantiaque Græcorum factum existimetis, qui modo hoc, modo illud tradiderint, exponam, quo pacto, quum tam inter se diversæ, discrepantesque videantur auctorum sententiæ, nulli tamen eorum mentiantur,

Et

[a] Cic. pro lege Manilia. [b] Iliad. β. in Catalogo navium. [c] Pind. Olymp. Ode XIII. [d] Thucyd. l. 1. [e] Strabo Geogr. l. VIII. [f] A. Gell. l. 1. c. 8. & Strabo ibid. [g] Strabo ibid. & A. Gell. ib. [h] Strabo ibid. [i] Xenoph. de rebus gestis Græcorum lib. IIII. Pausan. in Laconicis. [l] Pausan. in Corinthiacis. [m] Pind. Isthm. Ode prima. [n] Ausonius in Eclog.

Et si enim scio plerisque Græcorum fidem
suspectam esse, eorumque vanitatem [a] a
Plinio, levitatemque sæpissime argui, quod
etiam Cicero in oratione pro Flacco fecit,
in qua insitam Græcis mentiendi libidi-
1 nem eloquentissimè exagitavit; nunquam
tamen animum induxerim, ut credam tam
illustres auctores, & graves in re tam per-
spicua, tamque omnium sermonibus cele-
brata, quidquam aut falsi tradidisse, aut inex-
plorati; præsertim quum videam nullis in
rebus auctoribus Græcis diligentiam defuis-
se; præcipue in his, quæ ad mores, consue-
tudinesque Græcorum pertinebant; quum
autem de hac re sententiam explicaro me-
am, tum illa subtexam, quæ non abhorre-
re ab instituto sermone de ludis Isthmicis
judicavi. Sed ut ab eo, de quo primùm
me sum pollicitus esse dicturum, exordiar,
Apollonii Scholiastes opiniones de Isthmio-
rum origine inter se discrepantes concilia-
re conatur, qui libro tertio scribit Isthmios
ludos in honorem Neptuni institutos ini-
tio fuisse, sed postea manibus Melicertæ
sacratos. Verumtamen hoc ideo consen-
taneum veritati non videtur, quod quum
casus Palæmonis ante captam Trojam exti-
terit, necesse est eos ludos etiam antiquis-
simis temporibus in honorem Palæmonis
celebratos fuisse. Cur ergo [b] Pindarus, &
Xenophon [c] Neptuno sacros esse tradunt,
quum eorum ætate sacri Palæmoni fuerint?
Quamobrem rectius, meo quidem judicio,
Aristophanis Interpres in equitibus utri-
2 que; Neptuno scilicet, & Palęmoni Isthmio-
rum certamen sacrum esse confirmat; nec
absurdum debet videri eumdem agonem
Deo, & homini dicatum fuisse; sic enim
& alii omnes Dei cultum cum hominis ho-
noribus conjunxerunt; sic Olympicus Pe-
lopi, [d] & Jovi, Pythius [e] Apolloni, & Py-
thoni [f] celebrabatur; Nemeæus [g] Jovi, &
Archemoro [h], ut Pindari scholiastes, & Pin-
darus indicat; nisi tutius est affirmare id,
quod [i] Plutarchus in Isthmicis ludis tefert
usurpatum, ludos quidem Diis fuisse con-
secratos; hominum verò manibus quędam
sacrificia, quæ seorsim peragerentur. Id-
circo Dionysius Halicarnasseus ait nullum
fuisse certamen ex his, quæ sacra voca-
bantur, quod non esset alicui Numini
consecratum; deinde subdit, quibus pe-
3 culiaribus Diis unumquodque certamen
dicaretur; ne quis putet de Diis illum lo-
qui, qui universim Palæstræ, & Athleticis
exercitationibus præerant. Nam illud cer-
tissimum est omnes ludos Mercurio, &
Herculi dedicatos; ideo Mercurius [l] *ἐναγώνιος* dicebatur, & simulacra [m] ejus in Pa-
læstris ubique statuebantur, & Hercules
etiam ibi colebatur, & Athletæ Herculis
habiti sunt alumni; ideo vetustus poëta
sic ait *ἀλλ' οὐδὲ τῶν ἀφ' ἡρακλέους τ.ς ἐλέφαντος;*
ἢ λέοντας ἰσχυρότερος ἂν φανείη, & Galenus in
exhortatione ad artes, ostendit Athletas ab
instituto vitæ Herculis plurimum desci-
visse. Eodem modo inter auctores non
constat, quot annos Isthmias una contine-
ret; nam Solinus capite duodecimo Isthmios
ludos quinquennales fuisse memoriæ pro-
didit, rationemque attulit, quòd quinque
sinubus Peloponnesus alluatur, a septen-
trione Jonio, ab occidente Siculo, a
brumali occidente Ægæo, a solstitiali orien- 4
te Myrtoo, a meridie Cretico; ideo quin-
quennales eos ludos in honorem Neptuni
esse institutos; contra verò Suidas anni-
versarios vocat in voce Nemea. Sed pace
Solini, Suidæque dixerim, magis me Pindari
auctoritas movet, qui in Nemeæis ode sexta
Isthmios ludos Neptuni trieteridem vocat;
qua trium certe annorum spatium signifi-
catur. Nisi forte quemadmodum Pythiades
initio nono quoque anno agebantur, con-
sequutis verò temporibus quinto, sicut
Olympiades; sic & Isthmiadum interval-
lum diversis ætatibus variatum est. Quam
ego causam esse censeo, cur & de corona,
qua victores in Isthmiis coronabantur, sit
inter auctores tanta dissensio; nam Archias
[n] Poeta ex pinu fuisse asserit in ultimo ver-
su epigrammatis, quod exponendum susce- 5
pimus, quam opinionem confirmat Suidas
in voce *ἰσθμια* quum dicat *ἰσθμικὴ πίτυς ἆθλον ἐπινίκιον* hoc est: *isthmica pinus præmium
victoriæ* & aliud epigramma [o] in quo car-
men legitur hujusmodi *πίτυν λαβόντα τὴν
κατ' ἰσθμὸν ἑξάκις* hoc est: *pinu potitum sexies
in Isthmiis*; idem testatur & Plinius, qui li-
bro XV. capite decimo: *pinea*, inquit, *co-
rona victores apud Isthmum coronantur*; Pin-
dari vero scholiastes ex Apio arido tradit
Isthmiorum coronam fuisse *τὰ δ' ἔπαθλα τού-
των ἐλαία, δάφνη, σέλινον χλωρόντε, καὶ ξηρὸν*
*borum præmia sunt oliva, laurus, apium vi-
ride, & aridum*. Sed & Pindarus [p] cecinit

Ἰσθμίαν ἵπποισι νίκαν
Τὰν ξενοκράτει ποσειδάων ὀπάσαις
Δωρίων αὐτῷ στεφάνωμα κόμαν
Πέμπεν ἀνδεῖσθαι σελίνων

hoc est:
*Isthmiam equis partam victoriam, quam Xe-
nocrati Neptunus largitus dedit apio dorico
comam redimire*. Quocirca, sicut Polyæ-

 nus

[a] Plin. Hist. libr. 28. cap. 8. [b] Pind. Isthm. Ode 6. [c] Xenoph. Hist. libr. 4. [d] Pausan. Eliacor. libr. 1. [e] Pausan. Corinthiac. [f] Ovidius Metamorph. libr. 1. [g] Pausan. Corinth. [h] Pausan. in Arcadicis. [i] Plutarch. in Thesei Vita. [l] Aristoph. in Plut. [m] Pausan. in Messenicis. [n] Anthologia libr. 1. cap. 1. [o] Anthol. libr. III. cap. εἰς ἀγωνιστάς. [p] Pind. Isthm. Od. 2.

nus a strategematum libro quinto refert; Timoleon, quum in aciem adversus Carthaginiensem hostem copias educturo obviam factus esset mulus apio onustus, bono animo milites esse jussit, habere se enim certissimum omen victoriæ, quod ex apio in Isthmicis ludis victorum corona constaret; quo dicto & ipse lætus apio se coronavit, & ut idem facerent milites, imperavit. Et sane quum Isthmia celebrarentur in honorem extincti Palæmonis, convenientior est ex apio, quàm ex pinu corona, quum Plinio b teste defunctorum mensis feralibus apium
6 dicatum sit; & Siculi sepulcra eo coronarent. Neque verò mirari, indecoramque censere debemus ex apio præsertim arido coronam; neque enim Antiqui in hac re tam elegantiam, & speciem quandam spectarunt, quàm ejus, quod cuique conveniret, rationem habuerunt. Obsidionalem coronam, quæ fuit omnium clarissima, ex gramine Veteres conficiebant, ut Gellius libro quinto capite sexto, & Plinius libro vigesimo secundo capite quarto tradunt, quid autem minus ad speciem aptum, & accommodatum? Sed id non sine causa est institutum; ea quippe corona donabatur ille, qui exercitum in locum iniquum progressum, & ab hostibus circumsessum manifesto periculo liberasset; decerpebatur autem gramen ex eo loco, unde incolumis esset eductus exercitus, tribuebaturque graminea corona a militibus Imperatori, quod instituto veteri herba a victis porrigi soleret. Ex quercu c coronam dabant ei, qui civem servasset, & in eodem loco ho-
7 stem occidisset; poterant ex alia arbore speciosiore, poterant ex olea, lauro, & myrto, poterant ex floribus, quorum species jucundissima; sed ex d quercu coronam dare voluerunt, quod arbor illa ei, qui hominem servasset, maximè conveniret, qua olim hominum vita dicitur sustentata. Ex Amerina salice Cares antiqui coronas contexebant, eapropter poëta apud Athenæum κ) λύγοιο ἄρχαιων καρῶν ςέφος quod serti genus videtur non valde decorum, sed non sine causa tamen in usu fuit, quam siquis discere volet ex Athenæo libro decimo quinto petet. Licet eodem modo cetera persequi; in omnibus Antiquos non venustatem, sed rationem sequutos reperiemus. Quocirca militibus, Athletisque victoribus non ex floribus, sed ex arborum frondibus coronam dabant, quod for-
8 titudini flores convenire minimè censerent; atque idcirco his in amoribus, & e compotationibus utebantur, his f amicarum fores, his g crateras coronabant, his non solum caput, h sed etiam pectus, & collum cingebant, ex quo Isthmiacum, & Isthmicum i serti genus ab isthmo colli parte dicitur, & ὑποθυμιάδες coronæ, quæ collo circumdabantur. Fuit enim mirum apud Antiquos coronarum studium; quare & l coronati sacrificabant, & coronati m bibebant, & in mærore, n luctuque deponebant coronam; eleganter texta e floribus corona gratissimi muneris loco accipiebatur. o Quipropter Amasis quum 9
Partamidi Ægyptiorum Regi coronam roseam pulcherrimè factam donasset, & Rex eo munere delectatus esset, ipsum in amicorum numero habere cepit; & adversus Ægyptios rebellantes imperatorem creavit, a quibus ille ostensis gravissimo Partamidis dominatu Rex est consalutatus; ita corona illa ex pulcherrimis eleganter contexta floribus Amasidi causa fuit, ut Rex Ægyptiorum crearetur, regnique coronam acciperet; & illi misero priori Regi, ut eandem amitteret.

DISSERTATIO VI.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO QUINTA.

De Ludis Nemeæis, & aliis certaminibus sacris. De Hippotrophia,

Quum eorum certaminum, quæ Nemeæa sunt a Veteribus appellata, non tam frequens, quàm aliorum mentio apud auctores occurrat; idcirco tanto brevius de ipsis hodierno die disseremus, quanto minus claritatis habuerunt, præsertim quum multa sint, quæ fuerunt illis cum aliis communia, quæ mihi video necessariò prætermittenda, ne eadem repetendo fastidium creem vobis, Auditores, & de illis potiùs dicendum, de quibus nihil dixi, & non tam propria sunt Nemeæi certaminis, 1
quàm ceterorum. Quid enim longior sim in describendis ludis Nemeæis, quum ab aliis non multum differant? Nam & corona, quemadmodum diximus, non discrepabat a corona Isthmiorum, nisi quod illa ex arido, hæc ex apio viridi constabat, & Nemeæi ludi, sicut Isthmiaci triennales erant,

a Polyænus libr. V. cap. XII. Diod. Sicul. libr. 16. b Plin. Hist. libr. XX. cap. XI. c A. Gell. libr. 5. cap. 6. d A. Gell. ibid. e Athen. l. 3. & libr. 15. f Lucret. l. 4. Ovid. Amor. libr. 1. el. 6. g Virg. Æn. l. 1. & libr. 7. h Athen. libr. 15. i Athen. ibid. l Virgil. libr. 1 Georg. Æneid. l. 8. m Plutarch. Symposiac. libr. 3. quæst. 1. n Athen. lib, XV. o Athen. ibid.

erant, ut testis est Pindari [a] scholiastes, & eadem fere certamina, quæ in aliis committebantur. Sunt autem quædam, quæ Nemeæorum fuerunt propria, quæ nos, antequam ad alia transeamus, diligentiùs persequemur; ut autem a loco, in quo fiebant, exordiamur: inter Phliuntem, & [b]
2 Cleonas (hæ autem sunt parvæ quædam Peloponesi civitates) fuit silva, quæ Nemea dicebatur, in ea vastæ magnitudinis leonem fuisse [c] perhibent, qui quum inusitatis esset viribus, atque incredibili ferocitate præstaret, vicinos populos ingentibus damnis afficiebat; neque huic quisquam malo obviam ire audebat, aut poterat, quum novas quotidie monstrum Deorum ira immissum, armentorum, Pastorumque, & omnis generis hominum ederet passim strages. Tandem fama tantarum cladium perpurgantem a monstris Orbem terrarum Herculem excivit, qui feram, sicut alia omnia, superavit, & sustulit; Argivosque perpetuo metu, & ingenti malo liberavit, & ut extaret monimentum tam inclyti facti sempiternum, certamina instituit, & Jovi sacravit, quæ tertio quoque anno committerentur. Quod illum fecisse fabulæ ferunt, propterea quia ob interemptum Leonem Nemeæum sibi maximè placeret, virtutemque suam ob illud facinus præcipue miraretur; non enim eam feram ceterarum similem fuisse fabulantur, neque in terra natam; sed e Luna cecidisse, quo Seneca in Hercule furente respexit, quum cecinit. [d]

Sublimis alias Luna concipiat feras.

quem locum explicat Angelus Politianus
3 in Miscellaneis capite decimo septimo, in quo citat Achillem, [e] cujus illa verba sunt in Arateis ἔσαι δ' ἐπ' αὐτῆς οἴκησιν ἄλλην, ποταμούστε, κὴ τὸν λέοντα τὸν νεμεαῖον ἐκεῖθεν πεσεῖν μυθολογοῦσιν idest: *in ea habitari, sicut in terra, fluviosque esse; quin Nemeæum quoque illinc cecidisse leonem fabulantur*; quæ fabula ex eorum manavit opinione [f] philosophorum, qui stellam esse terram persimilem Lunæ volunt; ex qua non minus lepidum commentum duxit originem, quo, ut Athenæus libro secundo refert, dicitur ovum, ex quo Helena nata est, e Luna sicut Leonem Nemeæum, cecidisse; esse enim in Luna mulieres, quæ Selenitides appellantur, quæ non fetum pariant, sed ova; eos autem, qui ex illis gignantur [g] quindecim partibus, quàm nos, esse majores, ut quum homines lunares quindecuplo ampliores dicantur, quàm terrestres, non mirum sit, & Leonem Nemeæum, qui e Lunâ deciderat, fuisse tam magnum. Sed ut a diverticulo ad ludos Nemeæos revertamur, hæc opinio, quam retuli, est eorum,
qui Nemeadas ab Hercule dicunt institu- 4
tas; ceterum plures aliam eorum certaminum originem tradunt, quæ est hujusmodi. [h] Opheltes, qui postea ex eventu Archemorus est appellatus, ut nuper significavimus, fuit Eurydices, & Lycurgi filius. Hunc infantem parentes Hypsipylæ (quæ Lemni Regina fuerat, patremque Thoantem a cæde servaverat, quum Lemniæ mulieres conspirassent, ut omnem sexum virilem tollerent, ob eamque causam a Lemniis in exilium pulsa fuerat) nutriendum dederant; ea dum Argivis, qui ad bellum Thebanum proficiscebantur, siti laborantibus fontem monstrat, casusque suos lacrimabiles, atque luctuosos exponit; Opheltem parvulum in prato ludentem reliquerat, hunc serpens interficit; Argivus exercitus, Adrastusque, & Reges alii, ut se gratos accepto ab Hypsipyle tanto beneficio ostenderent; simul ut iram Lycurgi lenirent, solarenturque mærorem acerbissimo luctu filii mortem tam immaturam prosequentis, ludos instituerunt, qui in honorem Archemori sunt postea celebrati; quemadmodum Papinius narrat libro quinto Thebaidos. Et sane causam Nemeadum luctuosam fuisse, non lætam, ut hi volunt, qui auctorem Nemeadum Herculem fa-
ciunt, declarat in primis habitus Judicum, 5
qui certamini præerant atrati: declarat ex apio corona; quamquam [i] Pindari Scholiastes olea coronari solitos in Nemes victores, antequam Medi Græciam invaderent, tradit; sed tunc in honorem peremptorum cepisse apio redimiri. Luctatius [l] autem Grammaticus ideo apii corona Nemeadas celebrari dicit, quòd in ea herba Archemorus a serpente fuerit interfectus. Illud verò argumentum est non leve ab exercitu Argivorum eos ludos institutos, quod initio non nisi milites, aut militum filii recipiebantur, licet hic mos consequutis temporibus obsoleverit: illud etiam indicio esse posset a militaribus viris inventos esse, quod Pausanias tradit libro secundo armatis viris certamina cursus proponi solita, nec ullum aliud ludorum genus commemorat, quasi nulli alii certarent, quàm ar-
mati cursores, quod tamen est falsum; nam 6
Pindarus [m] aperte demonstrat nullum fuisse gymnicum certamen, quod in Nemeæis ludis omitteretur. Quin etiam, si Luctatio Grammatico credimus, etiam musici ludi edebantur.

[a] Nem. Ode VI. [b] Strabo l. VIII. [c] Pausan. Lacon. Theocrit. in Hercul. Leonicid. [d] Senec. Hercul. Furen. Act. 1. Sc. 1. [e] Achill. in Comm. in Aratum. [f] Pithagorei apud Plutarch. de plac. philosoph. libr. 2. [g] Plutarch. ibidem cap. 30. [h] Apollod. libr. 3. Pausan. Corinthiae. [i] Schol. Pindari in argumento in Nemeæa. [l] Luctat. in Stat. Thebaid. libr. 6. [m] Pindarus in Nemeæis.

tur. Illud etiam a Paufania fecus, quàm a Pindari Interprete proditum animadverti, quod Paufanias [a] per brumæ dies tradit Nemeæorum conventum celebrari; Interpres Pindari menfe Panemo; eft autem menfis Panemus, ut [b] Suidas, atque Rufinus interpretantur, Menfis Julius, ut autem alii, idem, ac menfis Atticorum Boëdromion, qui tefte Theodoro [c] Gaza non alius haberi debet, quàm menfis Auguftus. Hic autem ἱερομηνία hoc eft, *facer menfis* appellabatur, ut quidam in illud Pindari [d] notant ἐν ἱερομηνίᾳ νεμεάδι, quamquam alii dicant diem celebritatis dumtaxat ἱερομηνίαν [e] appellari. Hæc autem funt, quæ ad Nemeæorum conventum proprie vifa funt pertinere; ceterum quoniam nonnulla fuperfunt, quæ ad facros agones univerfim fpectantia non attigimus, adhuc pauca fubtexemus. Inter cetera autem, quæ maximè funt a Scriptoribus nobilitata, eft equorum alendorum ftudium, quo tenebantur ii, qui in facris certaminibus palmam confequi ftudebant; id autem uno nomine ἱπποτροφία a Græcis
7 appellatur [f], & ἱπποτροφεῖν, quod [g] Virgilius duobus verbis dixit cum cecinit;

Seu quis Olympiacæ miratus præmia Palmæ
Pafcit equos;

quod erat proprium maximè divitum, & potentium, ut Ifocrates in oratione de bigis teftatur his verbis ἱπποτροφεῖν δ' ἐπιχειρήσας, ὃ τῶν εὐδαιμονεστάτων ἔργόν ἐστι, φαῦλος δ' οὐδεὶς ἂν ποιήσειεν. *equos pafcere aggreffus, quod eft ditiffimorum; nemo autem ex humilibus, abjectifque id fecerit*. Quapropter [h] Ariftophanes notat omnes Alcmæonidas equos aluiffe, quafi maximum divitiarum argumentum; quod etiam facit Ifocrates, [i] quum ait οἳ τοῦ μὲν πλούτου μέγιστον σημεῖον κατέλιπον, ἵππων γὰρ ζεύγει πρῶτος Ἀλκμαίων τῶν πολιτῶν Ὀλυμπιάσιν ἐνίκησε *qui divitiarum quidem maximum argumentum reliquerunt; nam Civium primus Alcmæon Olympia vicit equeftribus bigis*. Athenis autem, ut notat Budæus, hac ratione cenfus diftinguebatur; nam qui quatuor equos alere poffent, maximi cenfus cives habebantur, dictique funt; [l] τεθριπποτροφεῖν; qui verò duos, fecundi cenfus, & Ζευγῖται funt appellati. Nec unum tantùm equorum jugum ad ludos adducebant, fed plura; quapropter Ifocrates [m] Alcibiadem refert Olympicis ludis tot bigas immififfe, quot aliarum civitatum maximæ non im-
8 mittebant; fuerunt autem feptem currus, ut ex [n] Plutarcho difci poteft, quibus primam, fecundam, tertiam palmam reportavit, ut Euripides teftis eft in Epinicio; fed Plutarchus [o] Thucydidis auctoritatem fequutus primam, fecundam, & quartam palmam Alcibiadem tradit affequutum; fed Ifocrates, qui pro Alcibiadis filio fcripfit orationem, quem verifimile eft de eodem audire potuiffe, Euripidi favet, qui fic ait Ζεύγη γὰρ καθῆκε τοσαῦτα μὲν τὸν ἀριθμὸν, ὅσοις οὐδ' αἱ μέγισται τῶν ἄλλων πόλεων ἠγωνίσαντο, τοιαῦτα δὲ τὴν ἀρετὴν, ὥστε καὶ πρῶτος, καὶ δεύτερος, καὶ τρίτος γενέσθαι quod ideo adnotavi, quia Cafaubonus libro primo capite tertio fuarum animadverfionum in Athenæum, Euripidem tertiam loco quartæ pofuiffe autumat. Ex his autem, quæ diximus, intelligi poteft, quàm pauci fuerint, qui facrorum certa- 9
minum caufa nobiles equos alerent, quum ea res honori effet, & beatiffima putaretur, & tamen maximæ Græciæ Urbes pauciores, quàm feptem currus ad Olympicos ludos mififfe dicantur; res enim fuit maximi fumptus, & vix privatis tolerabilis, & quia ad nullum ufum equos pafcere, nifi gloriæ, & certaminis caufa fumptuofum, & quia magno equi nobiles emebantur. Itaque [p] Bucephalum Magni Alexandri fedecim talentis ferunt conftitiffe; & equum Sejanum centum feftertium millibus; unde emanavit execratio, qua Lacones utebantur, quum [q] eos, quorum res perditas volebant, ἱπποτροφεῖν optarent. Quocirca & Reges in alendis ad certamen equis regias opes oftentabant, & præclarum ducebant Olympicam retuliffe [r] victoriam; hinc inter tres [f] optatiffimos nuncios, quos Philippus Macedonum Rex accepit eodem die, fuiffe fertur, & ejus equorum victoria; & [t] Hieron Siciliæ Rex Olympia curru viciffe prædicatur; & Pififtratus Athenienfium Tyrannus Megaclem in exilium pulfum reftituit, propterea quia Olympicæ palmæ gloriam ipfi conceffierat. Quum autem tanti effet equis victoriam adipifci, magnis honoribus etiam equi victores afficiebantur;
nam Agrigentinos Athletis equis magnifica fepulcra Diodorus extruxiffe teftatur; 10
& Ælianus [u] narrat equis, qui ter Olympia viciffent, honorem effe tributum fepulturæ; fic Miltiadis equas, & Cimonis affectas eo munere fuiffe; quin & ftatuis donatos equos victores accepimus; quod equabus Cimonis ferunt contigiffe. Circenfibus etiam equis (quamquam id minus ad Græcorum pertinet ludos) ætate confectis, vel aliquo cafu debilibus, alimenta ... funt

[a] Pauf. in Cor. [b] Suidas in V. πάνεμος. [c] Theod. Gaza libr. de Menfibus. [d] Pind. Nem. Od. 3. [e] Suidas in ἱερομηνίαι. [f] Budæus in Comment. V. ἱπποτροφεῖν. [g] Virg. Georgic. libr. 3. [h] Ariftophanes in Nubibus. [i] Ifocr. περὶ τοῦ ζεύγους. [l] Bud. Comm. V. ἱπποτροφεῖν. [m] Ifocr. ibid. [n] Plutarch. in Alcibiade. [o] Thucyd. apud Plutarch. loc. citat. [p] Plin. hift. nat. libr. VIII. cap. XLII. [q] Alex. ab Alex. l. 3. cap. 22. [r] Horat. Od. I. libr. 1. Cic. pro Flacco. [f] Plutarch. in Alexandr. [t] Pind. Olymp. Od. I. [u] Ælian. Hift. anim. libr. 12. cap. 40.

sunt publicè ab Imperatoribus constituta. Erat autem non solùm certamen equorum, sed & mularum, quod ἀπήνην vocabant, & Pullorum, quod πωλικὸν sed hoc discrimine, quod pullorum cursus octies circa metam agebatur; [a] equorum duodecies (ut ludis Circensibus septies) ex quo Calli-
11 machus ait

Δωδεκάκις περὶ δίφρον ἐπήγαγεν ἅρματα δίφρῳ

& Pindarus [b] Metam δωδεκάγναμπτον appellat. Quum autem tam esset & honorificum Olympia curru vicisse, non ii, qui curru vicerant, sed cursores, hoc est stadiodromi in annis recensendis memorabantur; exem-
12 plum petemus a Diodoro Siculo, qui libro XII. sic ait παρὰ δὲ Ἠλείοις ὀλυμπιὰς ἤχθη ἐνάτη, καὶ ὀγδοηκοστή, καθ' ἣν ἐνίκα στάδιον Σύμμαχος τὸ δεύτερον hoc est: *apud Elienses acta est Olympias octogesima nona, qua stadio vicit Symmachus iterum*; quod semper licet observare; quia, ut opinor, certamina cursus in Olympicis ludis priusquam alia sunt instituta, & omnium sunt vetustissima. Excludebantur autem a spectandis certaminibus [c] sacris feminæ; quasi ea specimina masculæ virtutis a sequiore sexu spectari minimè conveniret; vel quod ea certamina essent Herculi Athletarum Deo consecrata; a [d] quibusdam verò sacris Herculis feminæ arcerentur; vel certe honestatis causa, quum Athletæ [e] nudi, ac sine subligaculis in arenam descenderent. Quamquam non me fugit, id non semper usurpatum; nam [f] Thucydide teste principes Lacedæmonii nudare penitus corpus in ludis publicis instituerunt; antiquitus verò in Olympicis [g] Athletæ subligaculis verenda velabant; isque mos usque ad Olympiadem decimamquintam mansit; cujus [h] in ludis Acanthus Lacedæmonius cursor sine subligari cucurrit; nec tamen eum statim sequuti videntur Athletæ; siquidem Thucydides [i] multis ætatibus junior testatur non multos annos effluxisse, ex quo corpus Athletæ nudare ceperunt, & [l] Plato οὐ πολὺς χρόνος inquit ἐξ οὗ τοῖς Ἕλλησιν ἐδόκει αἰσχρὰ εἶναι, καὶ γελοῖα, ἅπερ νῦν τοῖς πολλοῖς τῶν βαρβάρων γυμνοὺς ἄνδρας ὁρᾶσθαι qui tamen hujus moris auctores Cretenses facit. Dionysius [m] Halicarnasseus autem id esse vult indicium Romanos a Græcis originem deduxisse, quod subligaribus in ludis uterentur; sed id parum validum est argumentum, quum plerisque barbarorum, & præcipue [n] Asiaticis eadem fuerit verecundia. Sed ut ad
13 Græcos revertamur, Pherenice [o] ludos Olympicos tantum spectare concesserunt, quod & ejus pater, & tres fratres Olympia vicissent, & ipsa filium certaturum adduceret; aliis autem feminis interdictum hujusmodi spectaculis. Sed quum feminis Olympicos ludos non liceret spectare; licebat tamen currus mittere certaturos, & Olympicam palmam consequi; siquidem [p] Cynisca Spartani Regis filia prima feminarum Olympia curru vicit, quam & aliæ postea sunt imitatæ. Nec barbaris concessum Olympicis ludis gloriam quærere; quare 14
quum Philippus Macedoniæ Rex Olympicam coronam concupivisset, sese Argis oriundum esse probare coactus fuit. Soli igitur Græci Olympici, aliorumque certaminum participes erant, nec referebat utrum in ea Urbe, in qua ludi edebantur, an in alia natus esset certaturus. Quod solum in Olympicis ludis fertur Psammis [q] Ægyptiorum Rex reprehendisse; quum enim Eliensium legati ad Ægyptium Regem venissent sciscitaturi, an aliquid justius inveniri legibus posset, quas in condendis Olympicis ludis constituerant; Psammis eos interrogavit, an eodem modo civium, & advenarum nomina reciperent, quumque illi affirmassent licere tam civibus, quàm aliis Græcis nomen profiteri, Psammis respondit id sibi injustissimum videri; fieri quippe non posse, quin cives civium gloriæ magis faverent, quàm exte-
rorum. Quod responsum eo est verisimi- 15
lius, quod laus, quam victores quæsiverant, non hominis propria, sed Patriæ communis habebatur; non enim qui in sacris certaminibus vicerant, sed eorum Patriæ coronabantur; quo septimum epigramma de Theocrito spectat

Γνῶθι Θεόκριτον προϊδὼν τὸν ὀλυμπιονίκαν,
Παῖδα παλαισμοσύνας δεξιὸν ἡνίοχον,
Κάλλιστον μὲν ἰδεῖν, ἀλλὰ δ' οὐ χείρονα μάρψαι,
Ὃς πατέρων ἀγαθῶν ἐστεφάνωσε πόλιν

Quos versus ad hunc maximè modum convertimus,

Nosce Theocriti, qui vicit Olympia, vultus
(Luctandi mira dexteritate Puer)
Præstantis forma, sed non virtute minoris,
Qui Patriæ imposuit serta decora suæ

Sacrorum verò certaminum victores in Patriam curru sublimes revertebantur induti purpurea veste, quam Xystida appellabant, ut Aristophanes in nebulis testatur; quare quum Hieronicæ omnia triumphantium insignia, coronam, currum, purpuram usurparent; hinc accipit lucem locus Ciceronis, [r] quem initio citavimus; ubi affirmat Hieronicas in Græcia pari dignitate censeri, ac Romæ triumphales. Quibus addenda est

expli-

[a] Pind. Olymp. Od. 6. [b] Pind. Ol. Od. 3. [c] Stat. Theb. l. 1. & Lactat. Gramm. [d] Macrob. Saturn. libr. I. cap. XII. [e] Eustath. in Iliados ψ. [f] Thucyd. lib. 1. [g] Idem Auct. ibid. [h] Dionys. Halicarn. libr. 7. [i] Thucyd. l. 1. [l] Plato de rep. libr. V. [m] Dionys. Halicarn. ibid. [n] Thucyd. l. 1. [o] Paus. Eliacor. primo. [p] Xenoph. in Agesilao, & Plutarch. in apophthegm. Laconicis. [q] Herodotus libr. 2. cap. 150. [r] Cic. pro Flacco.

explicatio quorundam vocabulorum, quæ præcipue reperiuntur in Pindaro, & ad sacra certamina pertinent. Stadiodromi igitur dicebantur, qui stadium percurrebant; est autem stadium [a] spatium centumviginti quinque passuum; quamquam Olympicum [b] stadium ceteris amplitudine fertur
16 præstitisse, quod ipsum Hercules suis pedibus metatus esset; Hercules autem magnitudine corporis antecelleret; siquidem Herodoto teste quatuor cubitorum, & pedis longitudinem adæquavit, quam fortasse mensuram Herculei corporis Pythagoras prodidit, qui ex longitudine Olympici stadii, quemadmodum Gellius [c] tradit, staturam Herculis modulatus est. Stadiodromorum autem meminit frequenter Pindarus, & tertium Anthologiæ [d] epigramma

Ο' ςαδιεὺς ἀρίης ὁ Μενεκλέος ἐ κατελέγχει
Περσέα σὸν κτίςην, τάρσε κ.λιστα πόλι.

Διαυλοδρόμοι, [e] qui quum ad metam pervenerant, flectentes rursus recurrebant; est enim δίαυλος, [f] ut Suidas ait, ὁ διςάδιος τόπος locus duorum stadiorum; qua de causa δίαυλοι circuitus dicuntur, & vortices. Euripides in Hecuba πολλοῖς διαύλοις κυμάτων φορέμενος. Δολιχοδρόμοι qui stadium sexies percurrebant, ut Suidas docet [g], δόλιχος enim est *longus* sic ab Homero [h] δολιχόσκιον ἔγχος *Hasta longam umbram efficiens* dicitur. [i] Pentathlos Festo Pompejo teste quinquertium vocatur, quia constat quinque certaminibus, quæ in Anthologia [l] Græco versu comprehenduntur.

Α῞λμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην. idest
Cursum cum saltu, jaculum, discumq; palenq;

17 Acrochiristæ sunt Athletæ, qui summis tantum manibus decertabant, ut Budæus [m] ait. Aliptæ, qui ad certamen exercebant Athletas ἀπὸ τῦ ἀλείφειν ab *ungendo*. Atque hæc satis in præsentia esse duximus de ludis Græcorum delibata; nam quamquam multa memorentur certamina, quæ multum claritatis habuerunt, tamen hæc, quæ sacra sunt appellata, cum fama, tum utilitate ceteris præstiterunt. Ad hæc ex universa Græcia incredibilis multitudo confluebat: ibi & hospitia jungebantur, & amicitiæ conciliabantur; & Græcia suas vires condiscebat; id erat concordiæ vinculum; id mutuæ inter populos charitatis incitamentum; nam ita fiebat, ut unius urbis cives Græci quodammodo sibi viderentur, quum communia sacra, communesque voluptates, & sociatos haberent Deos. Salu-
18 berrimo plane rei Græcorum publicæ instituto; nisi labente paulatim disciplina nimium ludorum studium res funditus perdidisset; nam quum opibus, & rerum gestarum gloria Græcia diu floruisset, indulgentia fortunæ corruptis moribus homines a majorum institutis degenerare ceperunt, & intemperantius ludicris indulgere; & magis, magisque spectaculorum voluptates amplecti. Quocirca a rebus bellicis omne suum studium ad inutiles exercitationes contulerunt, & primum ab ignavia, & suis voluptatibus victi, deinde Macedonum armis fracti imperium simul, & libertatem amiserunt; ita ludorum celebritates, quæ rebus Græcorum publicis salubres esse debebant, corruptis deinde moribus perniciosæ fuerunt; adeo nullum est syncerum in rebus humanis bonum, & res eædem, quæ vigente publica disciplina prosunt, corrupta nocent; quemadmodum idem fluctus navem in portum vehit bono gubernatore, & necessariis armamentis instructam; ad scopulos autem allidit, & mergit iisdem destitutam.

DISSERTATIO VII.

In Epigramma secundum Libri primi Anthologiæ de Herculis, & Antæi Lucta.

DISSERTATIO PRIMA.

Hercules plures fuerunt, & gesta ab omnibus Herculi Thebano tribuunt Græci.

QUod Gellius [m] in lucidissimis illis noctibus Atticis, & Pindari scholiastes animadvertunt Neptuni filios a poëtis plerunque feros, immanesque fingi; contra Jovis beneficos, & clementes, hujus exemplum rei nobile, atque præclarum in Anthologiæ epigrammate secundo reperitur, quod nos in præsentia suscepimus exponendum; continet enim certamen Herculis, Antæique certamen, quorum alter Jovis, [o] alter Neptuni filius fuisse perhibetur, & alter mitissimus, & humani generis bono procreatus; alter immanissimus, & in perniciem mortalium genitus. Nam quemadmodum poëtæ fabulantur [p] Antæus fuit 1
monstrum Neptuno, terrâque parentibus editum, immensis quidem corporis viribus, quæ etiam crescere dicuntur solitæ, quum terram parentem attigisset, sed animi tanta immanitate, ut hospites omnes crudelissime interficeret, & interemptorum cra-

[a] Plin l. 2. cap. 23. [b] A. Gell. l. 1. cap. 1. [c] Gell. noct. Attic. l. 1. cap. 1. [d] Anthol. lib. 1. Epigr. 3. [e] Suid. in V. δίαυλος [f] Suid. ib. [g] Suid. V. δόλιχος. [h] Homer. Iliad. γ. V. 346. [i] Fest. Pomp. in v. Pentathlum [l] Anthol. l. 1. cap. 1, [m] Budæus in l. Athletas 4. ff. de his, qui not. inf. [n] A. Gell. lib. 15. cap. 21. [o] Homer. Odyss. λ. [p] Apollod. libr. 2.

craniis Neptuni Patris templum operiret, ut Pindarus [a] testatur; cum hoc Hercules famâ [b] tantæ crudelitatis excitus contendisse dicitur luctâ, & vires terræ tactu reparantem diu quidem superare non potuisse, donec re cognitâ complexus hominem, & suspensum procul a terra tenens, non prius dimisit, quàm vetitum reciprocare spiritum interfecit. Hanc fabulam Lucanus libro IV. Belli civilis elegantissimè narrat; & epigramma secundum Anthologiæ sic exponit

Τὰν ἥβαν ἐς ἄεθλα πάλας ἤσκησε κραταιᾶς
Ἅδε ποσειδῶνος, καὶ διὸς ἁ γενεά:
Κεῖται δὲ σφιν ἀγὼν οὐ χαλκέου ἀντὶ λέβητος,
Ἀλλ' ὅσης ζωὰν οἴσεται, ἢ θάνατον.
Ἀνταίου τὸ πτῶμα, πρέπει δ' Ἡρακλέα νικᾶν
Τὸν διὸς, Ἀργείων ἁ πάλα, οὐ Λιβύων

Hoc epigramma Politianus poëta præstantissimus, & Græcæ linguæ peritissimus ad hunc modum maximè vertit

Incaluere animis durâ certare palæstrâ
Neptuni quondam filius, atque Jovis;
Nec certamen erant operoso ex ære lebetes,
At quod vel vitam, vel ferat interitum.
Occidis Antæus, Jove natum vincere par est;
Estque Magistra Pales Græcia, non Libya.

quo nos recitato, pauca more nostro de verbis disseremus, tum ea, quæ ad rem pertinere videbuntur, in medium afferemus. Ex verbis autem hæc explicatione dignissima judicavimus. *τὰν ἥβαν*: *ἥβη* Græcè pu-
2 bes, & juventus dicitur, quapropter Poëtæ ferunt Heben hoc est Deam juventutis, Diis [c] ad pocula ministrare, quod Divi nunquam consenescant; hanc etiam Herculi [d] nupsisse memorant, posteaquam exutâ mortalitate deorum sedes, & ævum sempiternum est consequutus; qua de re Propertius ita canit [e]

Nec sic cælestem flagrans amor Herculis Heben
Sensit in OEtæis gaudia prima jugis.

Et Catullus [f]

Pluribus ut cæli tereretur janua Divis,
Hebe nec longa virginitate foret

Hinc *Philebus* amicus juventutis, qui titulus est Platonici libri de summo bono, & *Ephebus* adolescentulus, & *Hebeteres* adolescentuli, ut in epigrammate Græco

Οὐ καλὸν ἡβήτηρες, ἀποχθαίρω γὰρ ἐκείνην
Τὴν τρίχα τὴν φθονερὴν, τὴν ταχὺ φυομένην.

Πάλη appellatur lucta, hinc *παλαίειν* quod est *luctari*; Palæstra locus, ubi se exercebant luctatores, & Palæstritæ, & palæstrici, qui palæstra sese exercent. *Ἅδε ποσειδῶνος, καὶ διὸς ἁ γενεά*: *ποσειδῶν* [g] appellatur Neptunus, qui etiam *ἐνοσιχθὼν*: *ἔνοσις* enim concussio, *χθὼν*
3 tellus appellatur, & *ἐνοσιγαῖος* eadem ratione, quod a quibusdam physicis terræmotus caussa dicatur mare, hoc autem nomine utitur etiam inter Latinos Juvenalis [h] eo carmine

Ipsum compedibus qui vinxerat Ennosigæum

διὸς, *Ζεὺς* casum patrium habet *διός*: *Ζεὺς* autem *ἀπὸ τοῦ ζῆν* appellatur, [i] quòd omnes, ut Veteres credebant, vivamus Jovis munere. *γενεὰ* dicitur hic proles; alio verò modo ætas hominum, & sæculum; sicut apud Homerum [l]

Τῷ δ' ἤδη δύο μὲν γενεαὶ μερόπων ἀνθρώπων
Ἐφθίατο

hoc est:

Hic hominum duo jam vivendo sæcula vicit

γενεὰ autem, ut nonnullis [m] videtur, est annorum triginta spatium, qua de causa Nestor tres ætates, hoc est annos nonaginta vixisse fertur, & *τριγέρων* quasi ter senex dicitur; alii vero *γενεὰν* annorum septem intervallum vocant; hinc Suidas medicos antiquos citat, quorum decretum [n] est *πρὸ δύο γενεῶν μὴ δεῖν φλεβοτομεῖν* hoc est: *ante expletum decimum quartum annum non oportere sanguinem mittere*. Hoc etiam nomine annus unus appellatur, ut auctor est Plutarchus, [o] qui sic Hesiodi carmen de ætatibus animalium interpretatur. *κεῖται*, *κεῖμαι* est jaceo; hîc significat, propositum est; alio modo *κεῖται* dicitur de verbo, quod apud auctores venitur; ex quo *κειτούκειτος* apud Athenæum
[p] vocatur Ulpianus unus ex Dipnosophi- 4
stis, quòd semper convivas interrogare soleret, quotiescunque vocabulum, aut verbum novum audiret, *κεῖται, ἢ οὐ κεῖται παρά τινι*; *reperitur, an non apud aliquem*. *ἀνάκειται* de statuâ dicitur. Quapropter [q] Athenæus reprehendit eos, qui accumbere *ἀνακεῖσθαι* dicerent, quum dici debeat *κατακεῖσθαι*. *οὐ χαλκέου ἀντὶ λέβητος* imitatur Homerum, qui libro vigesimo secundo Iliados sic ait

ἐπεὶ οὐχ ἱερήϊον, οὐδὲ βοείην
Ἀρνύσθην, ἅτε ποσσὶν ἀέθλια γίνεται ἀνδρῶν,
Ἀλλὰ περὶ ψυχῆς θέον Ἕκτορος ἱπποδάμοιο

quem locum Virgilius libro duodecimo expressit his verbis:

Neque enim levia, aut ludicra petuntur
Præmia, sed Turni de vita, & sanguine certant

lebes autem Athenæo [r] teste, sicut celebe, appellatur *ἀπὸ τοῦ λείβειν*, quod est libare; animadvertendum est autem in hoc versu

κεῖται δ' οὐ σφιν ἀγὼν, οὐ χαλκέου ἀντὶ λέβητος

Lebetes præmia victoribus proponi solitos; quod Pindarus [f] indicat his versibus

καὶ τριπόδεσσιν ἐκόσμησαν δόμον,
καὶ λεβήτεσσιν

hoc est:

Victricem & ornarant Lebetes
Usque domum, tripodesque sacri

Quo respexit Horatius [t] cum dixit

 Dona-

[a] Isthm. Od. IV. [b] Ovid. Metam. libr. 9. Juvenal. Sat. 3. Plin. libr. 5. cap. 1. Plutarch. in Theseo. [c] Ovid. libr. 1. de Ponto. [d] Homer. Odyss. λ. [e] Prop. libr. 1. El. 13. [f] Catull. ad Manlium 69. [g] Homer. passim. [h] Juvenal, Sat. X. [i] Plato in Cratylo. [l] Iliad. α. [m] Suidas in V. *γενεά*. [n] Suidas in *γενεά*. [o] Plutar. de oracul. Defectu. [p] Athen. in Argum. Deipnos. [q] Athen. Dipnos. l. 1. [r] Athen. l. 11. [f] Pind. Isthm. Od. I. [t] Horat. l. 4. Od. 8.

Donarem tripodas præmia fortium
Grajorum

Tripodum autem quoddam genus appellatur lebes, ut Athenæus libro secundo docet, quorum alii ἐμπυριβῆται nominantur, & λοετρόχοοι, quibus ad aquam calefaciendam, & lavandum utebantur; in alteros vinum infundebant, qui etiam ἄπυροι; & Dionysii tripodes dicebantur, quòd in bibendi certamine victoribus donarentur, ut tradit Ath. lib. 2. ἀλλ' ὅστις ζωὰν οἴσεται, ἢ θάνατον. Οἴω est *fero* cujus fututum οἴσω, futurum medium οἴσομαι. Ἀνταίου τὸ πτῶμα. Πτῶμα casus, ruina, ab inusitato verbo πτόω, unde præteritum πέπτωκα, quod est in usu. Sed ut aliquando a verbis ad
5 rem ipsam veniamus. Antæi corporis magnitudo fuit sexaginta cubitorum teste [a] Plutarcho; [b] Strabo verò citat Gabynium Romanum scriptorem, qui tradit hac longitudine tibiam Antæi fuisse, hic ab Hercule occisus fuit. Conspiraverunt profecto ingenia Græcorum, ut Herculi Alcumenâ genito quammaximam gloriam, & nominis claritatem circumdarent; nam & ab eo, quem Deorum præstantissimum putabant ortum esse tradiderunt, & præterquam quod innumera monstra ab eo superata confingunt, ipsius mortem [c] consecrarunt; & in Deorum immortalium concilium opinione, & famâ sustulerunt; in ortu verò ea evenisse commemorant, quæ
6 Herois admirationem maximè augeant; siquidem quasi non satis esset ad gloriam Herculis, quod a Jove esset procreatus, fabulæ miraculum addiderunt, & in ipsius ortu, ut ait Seneca, [d] mundum impendisse diem prodiderunt; nec unam noctem tanti fuisse, ut Hercules conciperetur. Quapropter Propertius ait [e]

Jupiter Alcmenæ geminas requieverat Arctos

& Ovidius [f]

cui nox, ut creditur, una
Non tanti, ut tantus conciperere, fuit

Alii vero [g] tribus noctibus ipsum conceptum ferunt; ex quo Lycophron Herculem vocat trihesperum Leonem, quem Lycophronis locum ut illustret Canterus, affert carmen Propertii, quod nos adduximus; sed Propertii carmen nihil ad illustrandum Lycophronem facit; quum duo poëtæ inter se dissentiant, & alter duas, alter tres noctes Herculi concipiendo impensas esse tradat; quare Statii [h] locum aptiùs attulisset, qui sic ait libro sexto.

parvoque Alcmena superbit
Hercule tergeminâ crinem circumdata lunâ

Quem Statii locum Luctatius [i] grammaticus explicans ita loquitur: *tergeminâ crinem* quia quum Hercules nasceretur, continuæ tres noctes dicuntur fuisse, & Achillis [l] Tatii qui sic ait Ἀλκμήνῃ δὲ τοῦτο μόνον δῶρον ἀρκεῖ ὅτι δι' αὐτὴν ἔκλεψεν ὁ Ζεὺς τρεῖς ὅλους ἡλίους *hoc tantum sufficit Alcmenæ donum; quod propter ipsam tres omnino Soles Juppiter subduxit*. Sed, ut ad Herculem revertamur; eo maxime Græci gloriam Herculis adauxerunt, quod omnes fortium virorum res gestas ad 7
Argivum Herculem retulerunt; inter quas est hoc cum Antæo Mauritaniæ Rege certamen, quod Græci Argivo Herculi tribuerunt, quum longe sit verisimilius (si quid in his rebus dici verisimile potest) non Herculem Argivum; sed alium quempiam Herculem cum Antæo non luctâ contendisse (nam id ridiculum est) sed armis dimicasse. Nam plures Hercules extitisse cum Cicero [m], tum Augustinus [n] in libris de Civitate Dei, & Arnobius [o] adversus gentes tradiderunt. Et Cicero quidem libro tertio de naturâ Deorum sex numerat Hercules, quorum primus ex antiquissimo Jove, & Lysitho sit procreatus, qui de tripode [p] cum Apolline certavisse perhibetur (quamquam Pausanias in Phocicis hanc aliter fabulam interpretatur) alius Nilo natus Ægyptius, quem ajunt Phrygias litteras conscripsisse; tertius ex Idæis Dactylis; quartus, quem Tyrii maxime colunt; quintus in India, qui Belus dicitur; sextus ex Alcmena, quem Juppiter genuit; sed tertius Juppiter; quem tamen Herculem, quem Cicero novissimum prodit, Cedrenus antiquissimum arbitratur. Nam Jovem Picum ex Maja Mercurium genuisse tradit, qui post Mestrem Cami filium duodequadraginta annos Ægyptiis imperavit, deinde ex Alcmena Herculem procreasse, qui occiduis mundi partibus philosophiam dicitur ostendisse. Hercules autem Ægyptius ab eo diversus non videtur, qui, ut Photius refert, initio Nilus est appellatus, postquam verò Junonem servavit a Pyripnoo Gigante, Herculis nomen adscivit; præter hunc septem Hercules ex Herodoto Cedrenus recenset. Verumtamen, quum tot Hercules numerentur, Græci, quemadmodum Plinius [q] ait, in suas laudes effusissimum genus omnium facta, virtutesque tribuunt Herculi 8
Thebano. Quapropter & Antæum superatum, & Geryonem [r] interemptum, & ex Hispania [s] boves abactas, viamque per Alpes patefactam ab Hercule Argivo prædicant; quum propius vero sit, quemadmo- 9
dum

[a] Plut. in Q. Sert. [b] Strab. l. 17. [c] Ov. Met. l. 9. [d] Sen. Her. fur Act. 1. Sc. 1. [e] Propert. libr. 2. El. 22. [f] Ovid. in Epistola Dejaniræ. [g] Lucian. in somnio. [h] Stat. Thebaid. libr. 6. [i] Luctat. in Statium ad hunc loc. [l] Achill. Tatius libr. 2. [m] Cic. de Nat. Deor. libr. 3. [n] D. Aug. de Civit. Dei, libr. 18. cap. 12. [o] Arnobius adversus Gentes libr. 1. [p] Plutarch. de ει apud Delphos. [q] Plin. hist. nat. libr. 3. c. 5. [r] Virg. Æn. libr. 7. [s] Herod. libr. 4. & Strabo libr. 5.

dum Arrianus [a] docet, Herculem Grajum nunquam ad ea loca pervenisse (nam [b] quomodo Euristheus, quo imperante Hercules eam expeditionem suscepit, famam Geryonis armenti audire potuisset) sed Geryonem, quem Hercules interfecit, circa [c] Ambraciam, Amphilochosque regnasse. Herculem verò, qui in Hispania sanctissime colebatur, [d] idem putat fuisse Tyrium; nam Tartessum, ubi Herculis templum visebatur, Coloniam esse Tyriorum. Quapropter si quis fuit unquam in insula Erythea Geryon a Tyrio, vel ab Ægyptio, vel ab alio quopiam Hercule superatus fuit; idemque de rebus dicendum, quas in Africa gessit, & Antæi certamine, quæ si probantur, fides est habenda Aurelio Victori, qui Cacum prodit non ab Hercule Argivo, sed a quodam Recarano, qui Maximam aram in Latio sacraverit, interfectum. Nam quo pacto potuit Hercules Argivus Geryonis armentum agere in Italiam, quum in Epiro res gesta sit, & ad Euristheum, qui Thebis regnabat, prædam deberet adducere? quare neque Virgilius [e] audiendus, qui cecinit:

postquam Laurentia victor
Geryone extincto Tirynthius attigit arva,
Tyrrhenoque boves in Flumine lavit Iberas

Et Propertius, [f] qui Elegiam de morte Caci sic incipit

Amphitryoniades qua tempestate juvencos
Egerat a stabulis, o Erythea, tuis

9 Sic enim rectius arbitror legi, quàm Erythrea, quemadmodum quidam legunt, nam insula, ex qua Hercules armentum dicitur abduxisse Erythea, non Erythrea nominatur; idque & Isocratis auctoritate confirmatur, qui sic ait: τάυς τε βοῦς ἐξ Ερυθέιας ἀγαγεῖν; & Stesichori [g], qui sic ait Σχέδον ἀντιπέρας κλεινᾶς Ερυθέιας, & Luciani [h], & Strabonis [i] aliorumque. Nec vero omnia, quæ Hercules in Græcia nedum in ultimis terræ partibus gessisse memoratur, ab Her-

10 cule Alcmenæ filio gesta dicuntur. Nam Acheloum Posidonii filium non Hercules Thebanus; sed Hercules quidam, qui Polyphemus est appellatus ab Oeneo accersitus a Phthia bello superavit, quo in prœlio Posidonius Acheloi pater cecidit, Achelous verò equo quamcitatissimo fugit; sed in fuga Achelous Herculem insequentem sagitta vulneravit, quo ex vulnere Hercules paulo post interiit; ex quo Herculem Hippocentauri fraude tradunt interemptum; nec inultus cecidit Hercules, nam Acheloum sagittis confixit, qui in Eveno flumine fato concessit. Eodem [l] modo Purpuram Tyrius Hercules, non Thebanus invenit, quum canis concham co- 11 medisset, osque sanguine purpuræ infecisset, & ex ore canis cruorem prodire Pastor opinatus lanâ canis os abstersisset; quum autem lana mirabilem colorem retulisset, observavit id Hercules, & plurimis conchyliis lectis, expressoque sanguine, vellera eo succo infecit, & Phœnici, qui Tyri eo tempore imperabat, dono dedit, qui regiam ex illis vestem confici jussit, ex eoque tempore institutum, ut Reges purpura induerentur. Sed ut eo unde digressa est, revertatur oratio, si consentanea sunt veritati, quæ a gravissimis produntur auctoribus, multum profecto de 12 laudibus Herculis Thebani detrahendum est. Et sanè tam latè patuit Herculis gloria, tam multis in locis, tamque longo disiunctis intervallo Herculeæ virtutis impressa vestigia ostendebantur, ut haudquaquam credi possit tot, tantasque res ab eodem gestas, immensumque terrarum spatium ab eodem victoriis peragratum, cui propemodum obeundo hominis ætas suffectura non videatur. Nam & in India [m] ingentia bella gessisse, & ad Asiaticos, Europæosque Scythas [n] accessisse; immo genti, si credimus [o] Herodoto, originem præbuisse, & Trojam [p] cepisse, & Lydiam subegisse; in [q] Græciâ verò plurimos labores, & maximas ærumnas pertulisse, Thraciæque Regem [r] Diomedem profligasse. Jam quæ in Phoenicia, in Ægypto, in Africa fecisse narratur, longum fuerit, & supervacaneum exequi, ut nihil interea dicam de rebus ab ipso in Italia, in Hispania, in Gallia, Germaniaque gestis; in quibus dicitur Reges feros, immanesque domuisse, & barbaros gentium ritus sustulisse, & omnia manu, & consilio pacasse, ac mansuefecisse, quæ a nullo alio facta produntur, neque omnino fieri ab uno 13 homine potuerunt. Quare non aberret a veritate, si quis dixerit, quæ in India, Scythiàque fecit Hercules, Indo Herculi tribuenda; quæ in Asia, Tyrio; quæ in Africa, [f] Ægyptio, quem antiquissimum esse tradunt, & inter duodecim Deos collocari; quæ vero in Hispania, Galliaque, & Germaniâ, [t] Gallico, quem Ogmium appellabant; quæ in Italia, Italico, sive ille Recaranus [u], sive alius quispiam fuit; quæ demum in Græcia, Graio. Præterea alii Latronis in morem, ut Megacles ait apud Athenæum, Orbem terrarum peragrantem,

 alii

[a] Arrianus libr. 4. [b] Idem libr. 2. [c] Hecatæus apud C. Rhodigin. libr. 6. Antiq. lect. [d] Arrianus libr. 2. [e] Virgil. Æned. libr. 7. [f] Propert. libr. 4. El. 10. [g] Stesichorus apud Strabonem libr. 3. [h] Luci. Expositor. in Toxar. sivè amicit. [i] Strabo libr. 3. [l] Jul. Pollux Onomastici libr. 1. c. 4. [m] Strabo libr. 15. Arrian. in Indicis. [n] Herod. libr. 4. [o] Herod. libr. 7. [p] Virg. Æn. lib. 8. Lactantius de falsa Relig. cap. 9. [q] Plutar. in Theseo. [r] Pausan. in Laconicis. [f] Herod. libr. 2. [t] Lucianus in Hercul. Gall. [u] Anonymus de orig. Urbis.

alii ducis invicti, alii famuli [a] specie, alii Regis, alii Hominis voluptati dediti, & vitiis, alii [c] Philosophi, alii [d] Rhetoris inducunt; adeoque a se diversum, multiplicemque Herculem; ut illa ipsa Hydra, quam domuit, non tam multiplex fuisse videatur; quæ non unum fuisse Herculem declarant. Sed de Hercule ea, quæ dicenda videbuntur, sequenti Dissertatione dicemus, nam hodie, sicut ait Poeta, nos [e]

immensum spatiis confecimus æquor,
Et jam tempus equûm fumantia solvere colla.

DISSERTATIO VIII.

In idem Epigramma.

Dissertatio Secunda.

Hercules sapiens fuit, nec solùm fortitudinis, sed etiam sapientiæ nomen illius fuit.

Crotoniensis ille [f] Milo, quem fortissimum Athletarum fuisse perhibent, quum Titormum Pastorem viribus prævalidum aspexisset, immane saxum, quod ipse connixus toto corpore commovere non potuisset; nullo propemodum negotio & ab humo tollentem, & longiùs etiam jaculantem, & duos ferocissimos tauros posterioribus pedibus apprehensos, ac summa vi nitentes evadere, firmiter detinentem, exclamavit, hic est plane, hic est Hercules [g] alter; quæ Milonis vox usurpari deinde proverbii [h] loco cœpit, ut quoties Antiqui alicujus robur admirarentur, Herculem alterum appellarent, quem titulum [i] Varro doctissimus Romanorum fecit Satyræ Menippeæ. Eodem sane modo crediderim vetustissimos homines admiratione virtutum Herculis, omnes, quos robore corporis, aut animi fortitudine, aut bellicis artibus præstare intelligerent, Hercules nominasse; ex quo factum est, [l] ut quadragintatres, qui hoc nomine fuerint appellati, numerentur. Quod minime mirum debet videri; nam [m] Hercules ille Alcmenâ genitus, quum antea vocaretur Alcæus, sive oraculo monitus, ut Ælianus in varia Historia tradit, seu superbiâ elatus, nomen repente mutavit, seque jussit Herculem appellari. Quapropter Sextus [n] Empiricus memoriæ prodidit olim Statuam Thebis repertam cum hac inscriptione *Alcæus Amphitruonis filius ad agendas Herculi gratias.* Quemadmodum ergo Alcmenæ filius corporis, vel animi firmitate, & robore fretus tam honorificum nomen vel accepit, vel invasit, ita credibile est multos præstantes viros rerum gestarum gloria elatos hujus honorem appellationis adamasse, & admiratione virtutis, aut potentiâ consequutos; ut Herculis nomen fortitudinis appellatio debeat judicari; nec fortitudinis modo, verum etiam sapientiæ; siquidem etiam Diogenem Cynicum Herculi comparatum accepimus, ut Lucianus in dialogo, quem περὶ βίων πράσεως conscripsit, & in Diogenis vita [o] Diogenes tradit, quod verisimile est multis sapientibus viris antiquitus contigisse. Quocirca [p] nonnulli Herculem sapientem fuisse tradunt, neque corporis viribus monstra domuisse, & Reges feros sustulisse, Orbemque terrarum pacasse; verùm animi sapientiâ compressisse hominum vitia, & eloquentiæ dulcedine barbaras gentes, immanesque tyrannos mollisse, & artes plurimas excogitasse hominum vitæ salutares. Et sane dignior est immortalitate, quam Herculem ferunt immortalibus editis operibus consequutum, qui ratione vitia compresserit, animi perturbationes composuerit, domitas habuerit cupiditates, quàm qui feram aliquam confecerit, aut homines barbaros, immanesque devicerit. An verò ego existimem præstantiorem, qui Hydram [q] contuderit, quàm qui libidinem non minus multiplex malum coërcuerit? qui [r] Leonem occiderit, quàm qui iram sibi ipsi, ut sæviat in alios, non parcentem sedaverit? Augiæ [s] stabulum expurgaverit, quàm qui animi sordes abjecerit? Ille enim vero Cœlo dignus, ille cœlesti satu credi meretur, non qui multa bella prospere gerit, qui cædibus sævit, & cruore gaudet, invulneratusque inter hostium tela versatur; sed qui plurimos animi sapientiâ servat, neque homines vi, manuque domat, sed ratione regit, & consilio moderatur, & eorum commodis, & utilitatibus inservit; siquidem, ut [t] Plinius ait, *Deus est mortali juvare mortalem, & hac ad æternam gloriam via.* Hac arte plerique tradunt Herculem Deorum immortalium religiones, & templa meruisse, quam opinionem sequuntur in

1 2 3

a Clemens Alexandr. in Protrept. b Clem. Alexandr. in Protreptico. c Plutarch. de ει apud Delphus. d Plutarch. quæst. Rom. e Georg. libr. 2. in fine. f Ælian. var. hist. libr. XII. cap. XXII. g Suidas in V. ἄλλος οὗτος ἡρακλῆς. h Aristot. libr. 7. Moral. Eud. cap. 12. i Apud A. Gell. libr. 1. c. 17. l Varro apud Servium in l. 8. Æn. Virgil. m V. Schefferum in Ælianum libr. 2. cap. 32. & Eustath. Iliad. ξ. n Sex. Empiricus commentariorum libr. VIII. o Diogen. Laërt. p Lucian. in Hercul. Gall. Apul. in Flor. libr. 2. q Pausan. Eliac. 1. sive libr. 5. Sen. Hercul. Fur. act. 1. r Pausan. in Laconic. Sen. ibid. s Q. Smyrnæus. t Plin. hist. nat. libr. 2. cap. 7.

in primis Herodotus, & [a] Suidas, qui propterea scribit Herculem fingi tria mala, clavamque manibus tenentem, indutumque leonis pelle; nam tria mala nihil aliud significare, quàm tres animi virtutes, quæ in voluptatis contemptu, & iracundiæ, & avaritiæ vacuitate cernantur. Hæc autem mala occiso Dracone abstulisse dici; hoc est cupiditatibus ratione compressis virtutes consequutum; & in Euthydemo Plato Hydram dicit, quam occidisse Hercules fertur, fuisse mulierem sophisticam artem profitentem, quæ quum in uno sermone falsitatis convinceretur, centum pro una captiones, & syllogismorum argutias, laqueosque proferret. Sed hæc sane possunt videri nihil ad rem pertinere, quum omnia eodem modo queant hominum acutorum ingeniis explicari; neque admodum difficile videatur omnes clarorum virorum res gestas ad sapientiam interpretando referre. Quod autem Lucianus [b] narrat in Galliâ
4 imaginem fuisse Herculis ætate senili, promissâ barbâ, cujus ex ore aureæ quædam catenulæ prodirent, quæ in aures insertæ hominum, qui in coronæ modum eum circumstabant, eos devinciebant, ita ut ex Herculis ore suspensi viderentur; id verò manifestiùs Herculem sapientem, eloquentemque fuisse declarat; senilis quippe species non corporis robur, sed ingenii vires, animique significat; catenulæ verò, quibus auditorum aures illigantur, quid aliud sunt, quàm flexanima vis dicendi? quam solam hominum Reginam [c] Euripides merito nuncupavit. Sed & [d] Herodotus prodit Herculem fuisse vatem, & scientiæ naturalis peritum, ac propterea fingi Cœli columnas ab Atlante suscepisse, quòd ab eo studium rerum cœlestium, & doctrinam quasi manu traditam acceperit. Ad eamdem sapientiam Herculis declarandam pertinet, quod Festus Pompejus ait Herculem astrologum appellatum, quod eo die se in OEta monte comburi statuit, quo solis erat defectus futurus, & quod Bassus in commentariis ad Aratum tradit Astrologiam a Chirone didicisse; & quod Hercules cum Musis colebatur; ut Plutarchus [e] docet; & quod artis [f] medicæ peritum licet conjectare, quum aliquot herbas invenerit; sicut [g] Panacis genus quod Heraclion nominatur, & Apollinarem herbam, cujus inventionem [h] Plinius Herculi tribuit. Quapropter & Alcestem dicitur ab Inferis ad vitam revocasse,
5 & Theseum vinculis, quibus apud inferos detinebatur, exemisse, quæ nihil aliud significant, si Plutarchum audire volumus, quàm Herculem hos periculosissimo morbo implicitos, depositosque sanasse. Quid [i] quod Herculem ferunt unum ex Idæis Dactylis fuisse, quos alio nomine Curetas appellavit antiquitas; hi vero sapientia dicuntur præstitisse; siquidem eos Lactantius teste Sallustio [l] Principes divina intelligendi fuisse tradit; & ideo memoriæ proditum credit ipsos Jovis altores extitisse; quæ causa fuit, ut præstigiatores, & venefici putarentur; quemadmodum Apollonii Scholiastes libro primo scriptum reliquit; rudis videlicet illa vetustas, & ignara sapientiæ præstigias appellabat inventa sapientum. Citat autem Apollonii Scholiastes auctorem Phoronidos, qui Dactylos Idæos tres numerat, in quibus Herculem haudquaquam recenset; sed alii ipsum inter Idæos [m] Dactylos ponunt. Atque hunc Herculem eum fuisse verisimile est, qui Jovem adversus [n] 6
Titanas, & Gigantes bellum gerentem dicitur adjuvisse; quam fabulam, si [p] Macrobium sequimur, possumus interpretari sic, ut dicamus Gigantes impiam Gentem fuisse, quæ omnem religionem funditus tolleret; Herculem autem illi genti persuasisse esse quamdam divinam, immortalemque naturam; hanc autem divinis honoribus, cultuque mactandam; ob eamque causam fingi suppetias tulisse Jovi; hoc est religionis, cultusque Deorum causam defendisse; quæ cum eo mirifice consonant, quòd [q] Salustius tradit Curetas divina intelligendi principes extitisse. Fuit etiam sapiens Ægyptius Hercules, quando phrygias literas primus dicitur conscripsisse; quæ omnia declarant Herculis nomen, cultumque non solum propter corporis; verùm etiam propter ingenii vires magnis, & excellentibus viris tribuere Veteres consuevisse. Sed quum constet aliquem Herculem philosophum, & sapientem fuisse, 7
alii Stoicum faciunt, alii Epicureum, vel potius Aristippeum, idest omnia ad corporis voluptates referentem; & Stoicum quidem facit Prodicus ille sapiens, qui, ut est apud [r] Xenophontem, tradit ipsum, quum excessisset ex Ephebis, eique viam pronam, facilemque. Voluptas ostenderet, vitamque jucundam, & deliciis affluentem promitteret, Virtutis viâ ad gloriam grassari maluisse, quamvis ea primâ specie ardua, ac multis difficultatibus obsita videretur; & Seneca [s] qui nihil commodi sui gratia fecisse Herculem dicit his verbis: *Hercules nihil*

[a] Suidas in Ἡρακλῆς, & Ἡρακλέων. &c. [b] Lucianus in Allocutione seu Hercule. [c] Euripid. in Hecuba. [d] Herod. apud Clem. Alexand. Strom. lib. 1. [e] Hercules Musagetes, seu Musarum dux. Plutarch. quæst. Rom. [f] Plutarch. in Amator. [g] Diosc. cap. 460., & Plin. libr. 25. c. 4. [h] Plin. ibidem [i] Strabo libr. 8. [l] Lactant. de falsa Relig. l. 1. cap. 21. [m] Pauf. libr. V. [n] Strab. loc. cit. [o] Strabo libr. 6. [p] Saturnal. libr. I. cap. XX. [q] Sall. apud Lactant. loc. citat. [r] Xenoph. rerum memorabilium Socratis libr. 2. [s] Sen. de Benef. l. I. cap. XIII.

nihil sibi vicit, orbem terrarum transivit non concupiscendo, sed vindicando; alii verò voluptatibus deditum, qua de re nos alio die dissseremus, ne vos tædio afficiamus, Auditores ornatissimi; nos enim ii sumus, qui sicut Callimachus dicere solebat, magnum librum, magnum malum esse; magnum sermonem, & præcipue nostrum, magnum malum judicemus.

DISSERTATIO IX.

In idem Epigramma.

Dissertatio Tertia.

Extitit quispiam voluptatibus deditus, qui sibi nomen Herculis vindicavit; sed alii, qui sibi virtute hoc nomen quæsiverunt, vitiis caruerunt. Ceterum Hercules idem est, ac Mars, & Sol. De Sacrificiis Herculis.

SI, quod est a Pythagorâ præclarissime dictum, ut in sermone de intemperantia legimus apud [a] Stobæum, gravius est animi immoderatis affectionibus, & cupiditatibus inservire, quàm tyrannis; poëtæ sunt reprehendendi profectò, qui liberatorem orbis terrarum Herculem non Eurystheo solum gravi tyranno servientem, sed etiam
1 cupiditatibus induxerunt. Quid enim minus convenit, quàm eum, qui gentes omnes dirissimo tyrannorum dominatu pressas in libertatem dicitur vindicasse, ipsum ferre gravissimam servitutem; & qui a feris, monstrisque perpurgavit orbem terrarum, seipsum a cupiditatibus, quæ graviora sunt animi monstra, feræque, quæ animum lancinant, & differunt, liberare non potuisse? Verumtamen fortasse nequaquam poëtas accusare debemus; neque enim illi sunt in culpâ, sed homines potentes, qui quum inanem gloriam, fucatamque laudem concupiscerent, turpissime autem viverent, Hercules dici se voluerunt; ex quo factum est, ut Hercules voluptatum cupidissimus, & ut Salustii [b] verbis utar, ventri, peniquededitus diceretur.
2 Nam sicut accepimus Commodum [c] Imperatorem flagitiosissimum hominem, Herculis nomen sibi impudentissimè asciviſſe, & Antigonum [d] Regem, & Mithridatem, [e] & Antonium [f] Liberum Patrem appellari voluisse; ita verisimile est antiquiores Reges nihil ab horum moribus abhorrentes Herculis appellationem concupivisse, & propter inscitiam populorum, aut aliquas eorum virtutes id esse consequutos. Certe constat Herculem aliquem voluptatum studiosum fuisse; ex quo factum est, ut lectos [g] molles, Herculeos Veteres nominarent; & fontes aquæ calidæ, quibus deliciarum causa lavamus, Herculi sacros esse dicerent; & libantes illi nihil in calico vini relinquerent; & scitamentorum, epularumque lautiorum studium eidem tribuerent. Quapropter Megaclides apud [h] Athenæum reprehendit poëtas, qui post Homerum floruerunt, quod Herculem faciant exercitus ducentem, & gerentem bella, & plurimos labores, ærumnasque tolerantem, quum vitam voluptatibus refertissimam duxerit, & Veneris potiùs, quàm Martis militiam coluerit; quæ sicut de aliquo, qui Herculis nomen usurpavit injuriâ, verissime fortasse dicuntur; ita de fortissimis viris, qui virtute illud meruerunt, absurde. 3
Quamquam non me præterit etiam Herculem Thebanum voracem fuisse dici, & indulsisse voluptati; nam cum Leprea contendisse fertur, uter taurum prior comederet, & uter plus biberet; & in his omnibus victorem extitisse, ut scriptum reliquit Ælianus; [i] quocirca larum, [l] quam propter voracitatem buphagum vocant, eidem sacram ferunt. Nec aliunde natum proverbium, nisi ex nimia Herculis edacitate, quo in eos, qui diu morabantur, Veteres usi sunt, quum dicerent Ἡρακλῆα ξενίζει *Herculem convivio excipit;* quòd Hercules tantum temporis in epulando consumeret, ut qui ipsi convivium exhibuisset, diu cunctari cogeretur, quum ab hospite edaci citò se expedire non possit. Herculis autem nimiam edendi cupiditatem Comici sugillarunt, & ipsum, ridiculi gratia, jurgantem cum famulis induxerunt, & succenscentem, quòd epulas tardius apponerent, ut Aristophanis [m] interpres docet, & Epicharmus [n] de ipso sic ait

Πρῶτον μὲν αἴκ' ἐσθίοντ' ἴδῃς νιν, ἀποθάνοις,
Βρέμει μὲν ὁ φάρυγξ ἔνδοθ', ἀραβεῖ δ' ἁ γνάθος,
ψοφεῖ δ' ὁ γόμφιος, τέτριγεν ὁ κυνόδων,
Σίζει δὲ ταῖς ῥίνεσσι, κινεῖ δ' οὔατα
Τῶν τετραπόδων οὐδὲν ἧττον.

hoc est

Primũ si edentem videris eum, utique occides;
Fremit avidum intus guttur, & buccæ strepunt,
Stridet caninus dens, molaris insonat;

Nec

[a] Apud Stobæum de Intemper. [b] Sall. in proœmio belli Catilinarii, & inferius; de Catilina. Cic. Ep. ad Pætum. [c] Æl. Lampridius in Commodo. [d] Herodianus in principio libr. 1. [e] Cicero pro Flacco [f] Plutarch. in M. Antonio. [g] Athen. libr. XII. Cicer. de lege Agraria. [h] Athen. ibid. [i] Ælian. var. hist. libr. I. cap. XXIV. [l] Athen. libr. 10. in princ. [m] Schol Aristoph. in Pacem. [n] Epicharmus apud Athen. initio libri X.

Nec non molestum sibilum edit naribus,
Et aurem utramque more jumenti movet

Nec verò Comici poëtæ solum, sed etiam Tragici, Herculis edacitatem notant, quemadmodum Jon in Omphale, quem locum citat Athenæus [a] libro decimo Dipnosophistarum, & Euripides in Alceste,
4 quamvis fortasse tragicè parum, tamen ad personam Herculis accommodatè, famulum Regis Admeti dicentem inducit, improbiorem se hospitem, quàm Herculem vidisse nunquam, qui non reveritus Admeti luctum sit ingressus in domum funestam, & bibat intemperanter, & famulos afferre jubeat quidquid in penaria cella reperitur. Hanc Herculis aviditatem cibi, vinique fortasse respiciens Livius libro primo sic ait: *ibi quum cibo, vinoque gravatum sopor oppressisset*; neque enim conveniebat viro temperanti, & Heroicâ virtute prædito, ita gravari cibo, vinoque, & opprimi somno, ut ne strepitu quidem ingenti edito excitaretur. Rectius plane Virgilius, qui fortibus viris eumdem famis facit, & edendi finem, quum ait [b]

Postquā exempta fames epulis, mensęq; remotæ,
Amissos longo socios sermone requirunt

Et Homerus, [c] qui Agamemnonem non tota nocte dormientem facit; nam ut sapienter idem pronunciavit

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα

5 Sed Livius [d] non male, qui quum memoriæ sit proditum Herculem cibo, vinoque intemperanter usum, probabilem affert causam, cur tam altè fuerit consopitus, ut abigentem boum armentum non senserit Cacum; præsertim quum ibi non agat Historicum, sed fabulam narret; & verisimilior sit hæc Herculis edacitas, quàm illa, quæ de Caco traduntur. Sed ut hæc fortasse non abhorrent a vero; ita minime credendum est eumdem Herculem Thebanum esse, cui tam diversa vitia, virtutesque tribuuntur; sed quod initio dicebam consentaneum veritati est, fuisse multos cum Reges, tum privatos, qui partim virtute, partim potentia freti tam clarum nomen acceperint; ideo tanta diversitas morum, loci, institutorum Herculi tribuitur. Sed qui primus Hercules sit appellatus ignoratur; nam Tyrii [e] suum Herculem prædicant esse multis ætatibus Cadmo vetustio-
6 rem; Indi verò suum, ut Arrianus [f] tradit, aliquot annorum millibus antiquiorem, quàm Argivum ferunt; Ægyptii [g] postremo omnium antiquissimum suum jactant, interque duodecim Deos ponunt, quum Hercules alii quasi minorum gentium dii habeantur; quem Herculem Cedrenus Pici Jovis filium Abrahami temporibus tradit Ægyptiis imperasse. Verumtamen Cedrenus perperam Ægyptium Herculem cum Thebano unum esse prodit; nam quomodo Ægyptius Hercules Thebanus, quum tot sæculis ante sit natus, quàm a Cadmo Thebæ conderentur? Verumtamen si Macrobio [h] credere libet, id non diutius inquirendum est; nam Herculem eundem esse tradit, ac Solem 7
Deum, quod vel ex ipso nomine constare existimat; quid enim aliud Heracles nomen Græcum, quàm ἥρας κλέος *aeris decus*? quid autem aëris decus præter Solem, cujus luce suapte natura obscurus, & ut quibusdam placet frigidus [i] aër illustratur, atque incalescit; & discussa caligine, qua alioquin occuparetur, nitet, existitque pulcherrimus? Atque haud scio, an eodem pertineat, quod Herculem, sicut Apollinem, qui haud dubie Sol est, ut Heraclides Ponticus in allegoriis probat, alexicacon appellabant; [l] & quod Panyasis [m] Poëta Græcus ait, Herculem accepisse a Sole poculum, quo in insulam Erythean Oceano veheretur. Nam & Solem Stesichorus, & Antimachus, & Æschylus poëtæ poculo per Oceanum ferri tradiderunt; nisi forte lusit Comicus in Herculem tanquam multibibum, qui poculis adeo grandibus se invitaret, ut his uti pro navibus posse videretur. Nec verò movere nos debet, quod idem Macrobius Martem [n] ab Hercule non esse diversum docet, ac propterea quemadmodum Martem sic Herculem a Virgilio, [o] communem Deum nominari; Martisque sidus Herculis sidus a nonnullis dici, quod libro secundo Plinius [p] affirmat, & Rutgersius in variis lectionibus ex Græcis Auctoribus probat. Hoc inquam nihil prohibet eandem naturam Solis, & Herculis censeri, quum omnia Numina, & præcipue Martis, 8
eodem Macrobio [q] teste, referantur ad Solem. An verò hæc non sunt diligentiùs excutienda, atque examinanda, & modo hoc, modo illud ab auctoribus proditur? & tamen non abhorret a fide Martem ex eorum numero fuisse, qui Herculis nomen assumpserint; qui Mars Hercules si fuit, ille fuit, qui in Scythiam dicitur [r] penetrasse, & ex quadam muliere portentosa, cujus extrema in serpentem desinebant, gentis auctotem procreasse; Mars enim e Thracia terra Scythis contermina; quamquam

a Athen. libr. X. b Æn. libr. 1. c Iliad. β. d Liv. libr. 1. e Herod. libr. II. cap. XLIV. f Arrianus in Indicis. g Herodot. libr. 2. Macrob. Saturnal. libr. I. cap. XX. h Macrob. ibidem. i Plutarch. de primo frigido. l Lucian. in somnio seu Gallo.

m Macrob. Saturn. libr. V. cap. XXI. Athenæus libr. XI. n Saturn. libr. 3 c. XII. o Virg. Æn. libr. VIII. p Plin. libr. 2. cap. VIII. q Macrob. Saturn. libr. 1. r Herodotus libr. 4. c. 9.

quam Cedrenus Assyrium Martem facit, & Nino vult successisse, ac Thuron, antequam Mars vocaretur, appellatum; nec tamen negat occiso Caucaso Gigante in Thraciam pervenisse, & Thracibus imperasse. Verumtamen ex quacunque Mars Gente fuerit, Herculem ipsum constat nuncupatum; quapropter, & Salii, quod Sacerdotium in honorem Martis Livius [a] docet institutum, Herculi tribuebantur, sicut Macrobius [b] docet, ac Virgilius confirmat his versibus

Tum Salii ad cantus incensa altaria circum
Populeis adsunt evincti tempora ramis:
Hic juvenum chorus, ille senum, qui carmine laudes
Herculeas, & facta ferunt

Et quoniam de sacris Herculis incidit mentio, sciendum est alio ritu Herculi, ac ceteris Diis Romanos rem divinam fa-
9 cere consuevisse. Quare Livius libro primo ab urbe condita; *sacra*, inquit, *Diis aliis Albano ritu, Græco Herculi, ut ab Evandro erant instituta, facit*; ad quem locum intelligendum, quærendum esse visum est, quid sit Albano ritu sacra facere; & invenimus apud Macrobium [d] Græcum ritum fuisse intecto capite sacrificare, quo maximè modo Herculi sacra fiebant; ut idem testatur. At Albani, Romanique rem divinam capite, facieque velata faciebant; quapropter Propertius [e] de Sacerdotibus bonæ Deæ loquens ait

Devia puniceæ velabant lumina vittæ

& Servius in tertium Æneidos librum, fuisse in more positum tradit, ut sacrificaturi caput velarent, cujus rei rationem reddit Virgilius [f] his carminibus

Purpureo velare comas adopertus amictu,
Ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum
Hostilis facies occurrat, & omina turbet

Ut autem appareret hunc morem velandi faciem non ab Ænea solum, verùm etiam a Romanis, Albanisque esse cultum, & usurpatum, addidit statim

Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto:
Hac casti maneant in religione nepotes

Cujus moris illa fuisse origo dicitur: quum sacrificaret Æneas, forte fortuna accidit, ut illac Diomedes præteriret, quem ut lateret Æneas, caput, & faciem obtexit, & sacrificium peregit; ex eo institutum, ut velato capite sacris operarentur; sed in sacris, Herculis locum id non habebat, quia quum Sol Hercules haberetur, qui Deus omnia cernere dicitur, in sacris ejus aliquid occultare minime putabant convenire. Idcirco per Herculem juraturos e tecto prodire cogebant, quamquam Plutarchus [g] hujus rei alias attulit causas. Est & aliud discrimen, quod in sacris Herculis [h] epulabantur sedentes, neque lecti 10
sternebantur, quod in aliorum Deorum sacris, & supplicationibus fiebat, ex quo frequens lectisternii apud Livium [i] mentio, & nullum aliud numen præter Herculem invocabatur, ut Plutarchus [l] affirmat, nec mulieribus [m] licebat sacris Herculis interesse, quod Aurelius Victor in libello de Gentis Romanæ origine testatur; quo Propertius [n] aspexit, quum cecinit:

Maxima quæ gregibus devota est ara repertis,
Ara per has, inquit, maxima facta manus,
Hæc nullis unquam pateat veneranda puellis

Eiiciebantur autem ex urbe canes, quo tempore Herculi sacrificia publice fiebant. Jam Herculi [o] decimam voveri, sacrificarique solitam notius est, quàm ut a nobis debeat indicari; quare apud Plautum [p] servus acutè jocatur, quum sic ait:

Sed lubet scire quantum aurum Herus sibi dempsit, & quid suo reddidit patri;
Si frugi est Herculem fecit ex patre, decimam partem ei
Dedit, novem sibi abstulit.

DISSERTATIO X.

In Epigramma tertium, & quartum Libri primi.

Dissertatio Unica.

De Persei facinoribus, & an Tarsum condiderit. De spectaculorum magnificentia, & crudelitate. Lux & vitam largitur, & morbos affert; ideo Apollo, & ejus soror Diana, seu Luna morbos, & pestem afferre putabantur, & sagittas habere fingebantur. De variis Jovis cognominibus, & de Divina Clementia.

Tertium Anthologiæ Epigramma est Antipatri Poëtæ cum primis nobilis; celebrat autem Ariam ex eo genere cursorum, quos Antiqui stadiodromos appellabant, quem adeò tremendæ velocitatis esse dicit, ut spectatorum oculos cursu anteiret, quod mirificum est loquendi genus. Nam si ille, qui de equis dixit [q]

Λευκότεροι χίονος, θέειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι

quod

---

[a] Tit. Livius libr. 1. [b] Macr. l. 3. cap. 12. [c] Virg. Æn. libr. VIII. [d] Macr. libr. 3. cap. 6. [e] Prop. libr. IV. [f] Virg. Æn. lib. 3. [g] Plutarch. in quæst. Rom. [h] Macr. ibid. [i] T. Livius libr. 5. & libr. 22. & libr. 40. in fine. [l] Plutarch. in quæst. Rom. [m] Macr. libr. I. c. XII. [n] Propert. libr. IV. eleg. 10. [o] Macr. libr. 3. c. 12. [p] Plaut. in Bacch. Act. 4. Scen. 4. [q] Hom. Il. X.

quod carmen Poëta summus convertit [a]

Qui candore nives anteirent, cursibus auras

1 celeritatem summam visus est expressisse; quanto magis Antipater ob oculos ponit inenarrabilem velocitatem, quum Ariam tradit ipsam aciem spectantium antecedere, quam longè ocyorem ventis experimur; quod in sono perspici potest, quum tanto sonus ad aures tardiùs perferatur, quàm rem acies attingat oculorum, quæ tam velox est, ut dubium relinquat aliquo intervallo, an temporis momento, immensa spatia percurrat, ut hæc Antipatri hyperbole Homericæ, [b] quæ celeritatem summam celeritati mentis contulit, comparanda esse videatur. Sed jam Antipatrum ipsum audiamus

Ο' ϛαδιεὺς Α'ρίης ὁ Μενεκλέος ἐ κατελέγχει
Γερσέα σὸν κτίϛην, ταρσὲ κίλισσα πόλι,
Τοῖοι γὰρ παιδὸς πτηνοὶ πόδες, ὐδ' ἂν ἐκείνῳ
Οὐδ' αὐτὸς Περσεὺς νῶτον ἔδειξε θέων:
Η'γὰρ ἐφ' ὑσπλήγγων, ἢ τέρματος εἶδε τις ἄκρυ
Η'ίθεον, μέσσῳ δ' ὔποτ' ἐνὶ ϛαδίῳ

Quod Epigramma sic latinitate donamus

Non Stadii cursorem Ariam Danaëius Heros
Arguerit, Cilicum nobile Tarse decus;
Præcipiti sic ille volat pede, ut ipsa volantem
Non Persei valeat penna præire virum;
Nam vel carceribus juvenem spectator in ipsis,
Vel videt ad metam; non videt in stadio.

Quod carmen breviter exponemus, quia nihil continet, quod longiorem desideret orationem; nam de Perseo duntaxat, cujus meminit Poëta, dicendum. Fuit autem Jovis [c] ex Danäe filius, quam Acrisius Puellæ pater, quum audivisset ex ea puerum

2 procreatum sibi mortem allaturum, in munitissimam turrim, quam ahenam fuisse [d] poëtæ dixerunt, conjecerat, & satis validam manum custodiæ causâ turri circumdederat, nequis ad filiam posset penetrare. Juppiter autem corruptis auro custodibus, vel, ut Apollodorus [e] tradit, Prœtus compressu suo gravidam Virginem fecit; ex eo fabula poëtarum ingeniis celebrata est, Jovem aureo imbre in Danaës gremium descendisse; quum autem puella partum edidisset, & ipsam, & infantem in mare proiici Acrisius imperavit. Sed non effugit humanis consiliis fati necessitatem; nam lignea arca, qua Danaën, filiumque incluserat, in Seriphum [f] insulam delatâ, infantem, qui postea Perseus [g] est appellatus, Dictys sustulit, Polydectes Rex Danaën matrimonio sibi copulavit, Perseum regio cultu eduxit pro suo, quem ætate, formaque florentem Mercurius dilexit, & ipsi talaria, petasumque, & ἄϊδος galeam tradidit, quam orci galeam nonnulli inscientissime Hygino teste sunt interpretati; non enim ἀπὸ τῦ ἄδυ, ab Orco scilicet, sed a non videndo dictam esse tradit; quod qui eam gestaret, conspici [h] non posset. His ille fretus quid memorem, [i] ut Medusam Gorgonem interfecerit, ut ex ejus cruore genitum alatum equum Pegasum conscenderit, ut Medusæ capite prolato semper hostes in lapidem converterit, ut Andromedam monstro marino devotam liberarit, & conjugio sibi conjunxerit, ut Phineum sibi desponsam puellam bello vindicantem devicerit, ut [l] Persis imperarit, & nomen genti dederit? quæ quia ad præsens epigramma non pertinent, prætermitto; sicut illud quod ferunt Perseum e Cœlo ignem elicuisse, quem patrio ritu Persis tradidit adorandum. Illud ad explicandum pertinet Epigramma, quod Perseum [m] tradunt fuisse Tarsi nobilis in Cilicia urbis conditorem, quam a planta pedis Tarson appellavit, quod Græce [n] Tarsos pedis planta dicatur. Nam quum ab oraculo sortem accepisset, posteaquam dolore pedum tentatus fuisset, hostes magno prœlio superaturum, & urbem conditurum, forte fortuna accidit, ut quum magnam terrarum partem Pegaso vectus pervolasset, & in Ciliciam pervenisset, acerrimi pedis dolores excitarentur; intellecto implendi oraculi tempus advenisse, e Pegaso descendit, urbemque constituit, cui a planta pedis, qui condoluerat, nomen indidit Tarso; & quum 4
Assyrios bello profligasset, eorum potentiam evertit. Idcirco Poëta noster Perseum Tarsi vocat conditorem; Athenæus [o] tamen memoriæ prodidit Sardanapali opus esse Tarsum, quam, & Anchialen uno die ædificarit, atque hujus rei illud affert argumentum, quod Sardanapalus suo monumento incidi jusserit hoc Assyriis litteris Epigramma Σαρδανάπαλος ἀνακυνδαραξέω παῖς ἀγχιάλην, ϗ ταρσὸν ἔδειμεν ἡμέρῃ μιῇ. ἔσθιε, πῖνε, παῖζε, ὡς τὰ ἄλλα τύτυ ὐκ ἄξια quæ verba sic latino sermone vertuntur. *Sardanapalus Anacyndaraxis filius Anchialen, & Tarsum uno die ædificavit; ede, bibe, lude, tanquam alia hoc digna non sint*; imposita verò monumento [p] Sardanapali erat statua digitis compressis crepitum edentis in speciem. Alii ab Hercule Tarsum conditam volunt, alii ab Argivis lo quærentibus, quod Strabo [q] tradit, sed plerique cum Auctore nostro sentiunt. Quamquam si verum est, antequam Perseus Tarsum coloniam deduceret,

[a] Virgilius libr. XII. [b] Homerus νέες ὠκεῖαι ὡσεὶ πτερὸν, ἠὲ νόημα. [c] Herod. libr 7. cap. 61. [d] Horat. libr. 3. Od. 16. [e] Apollod. biblioth. libr. 2. [f] Strab. libr. 10. [g] Hygin. fab. 64. [h] Iliad. lib. V. [i] Apollon. 4. Argon. Ovid. Metamor. libr. 4. [l] Herod. libr. 7. c. 150. [m] Ammian. Marcell. libr. 14. [n] Suidas V. ταρσὸς. [o] Athen. libr. XII. Strabo libr. XIV. Cicer. de finibus libr. 2. Tuscul. libr. V. [p] Athen. libr. 12. [q] Strabo libr. 16.

ret, Andrason nuncupatam, potest alios habere Tarsos Auctores, & nihilo secius Perseum agnoscere conditorem; quemadmodum aliæ urbes agnoscunt, ut [a] Mycenæ, & Iconium, quam civitatem ab Imagine
5 Medusæ nominavit. Videtur autem Perseus non solum belli gloria præstitisse; sed etiam pedum celeritate, ideo Astronomi inter sidera relatum currenti similem figurarunt; quo respexit Aratus, quum ipsum κεκονισμένον appellavit, quod Hygino [b] teste Ætolorum lingua significat currentem, non, ut exponunt alii, pulverulentum, & interpres Arati Germanicus de Perseo ita loquitur.

Tantus & ille micat, tantum occupat ab Jove cœli
Dextrâ sublatâ similis prope Cassiopejam
Sublimis fulget, pedibus properare videtur,
Et velle aligeris purum æthera tangere palmis.

Quin etiam tradunt primum ex hominibus cursu feras assequutum; quare [c] Catullus inter maxime celeres Perseum recenset:

Non Ladas si ego, inquit, *Pennipesve Perseus*; atque hoc est, quod Poeta noster ait Ariam Tarsensem non esse dedecori Perseo urbis conditori; quum ipse Perseus, quamvis celerrimus mortalium fuisse dicatur, si eum Aria certet, ipsum haudquaquam superaturus videatur. Reliqua, quæ in hoc Epigrammate consequuntur, non sunt obscura; quis enim ignorat carceres in principio Stadii, Circique fuisse loca tabulatis conclusa, unde currus, & equi, & cursores emittebantur, idcirco Ovidius ait [d]

6 *Hoc mihi contingat: sacro de carcere missis*
Insistam forti mente vehendus equis.

Carceres autem transversum lignum claudebat, quod repagulum [e] est appellatum, ne cursores ante signum prosilirent; sub his transversus funiculus ducebatur, qui linea, vel Βαλβὶς dicitur; ex quo natum proverbium ἀπὸ γραμμῆς a linea, quod significat ab initio; dejecto autem repagulo cursores in Stadium erumpebant. Jam [f] metas obeliscos fuisse in fine Circi, vel Stadii collocatos non estis, Auditores, admonendi, quo quum pervenerant cursores, consistebant, & qui vicerant, præmium referebant; idcirco metam appellat Antipater τέρμα quod nomen terminum sonat, & vicissim Latini metam pro fine accipiunt, ut [h] Virgilius: *longarum hæc meta viarum*. Sed
7 nos ad quartum epigramma, quum ad metam pervenerimus, transeamus; est autem Leonis Græci Imperatoris, qui Basilii filius nono Sæculo post salutem humano generi restitutam floruit, & philosophiæ studia cum primis celebravit, & philosophus est appellatus, & id nomen usurpat in inscriptione præsentis Epigrammatis, magisque Philosophi, quam Cæsaris titulo gloriatur; quem velim Principes imitari, & non in altitudine fortunæ, quæ lubrica est, sed in sapientiæ præstantiâ, quæ constans, & stabilis est, magnitudinem suam collocare. Est autem hujus Epigrammatis philosopho digna sententia, quum spectaculum edi oporteret, in quo venatores immissas in caveam feras conficiebant, precatur Apollinem, ut sororem jubeat bestias excitare; ea tamen lege, ne quis hominum lanietur, sed voluptas innoxia nullâ miserorum cæde funesta capiatur; se enim, qui Jovis placidi, mitis, & mansueti solium obtineat, tam sævo spectaculo pollui dedecere. Præclara sententia Principis omnibus parcentis, omnibus consulentis, omnium salutâ excubantis; Dei se vices gerere cogitare; si ea in animis eorum, qui rerum potiuntur, altius infigatur, minus libidini obtemperent, minus voluptati serviant, avaritiæ, & iracundiæ non fiant obnoxii, a justitiâ præscriptam orbitam nunquam transcendant, & Dei vicem sustinere se se reputantes ad ejus exemplar animum conformare conentur. Sed quum sententiam carminis exposuerimus, carmen ipsum proponamus.

Τοξῦτα πιερίδων μεδέων ἑκατηβόλε Φοῖβε.
Εἰπὲ κασιγνήτῃ, κρατερὰς ἵνα θῆρας ἐγείρῃ.
Ὄσσοι ἐπιφαύσαι μερόπων δέμας, ὅσσοι ἀϋτεῖ
Λαῶν τερπομένων ἱερὸν στόμα, μηδὲ κονίσῃ
Ζηνὸς μειλιχίοιο λαχὼν θρόνον ἀνέρος αἷμα.

Qui versus ita reddi latine possunt.

Pieridum Arcitenens rector pulcherrime Pæan,
Ipse feras jubeas pharetratam excire sororem,
Ut tantum attingant venantum corpora, tantum
Exhilarata sonent populo plaudente theatra,
Nec videam ullius crudeli morte perempti,
Quum teneam placidi solium Jovis, aspersa fata.

Est autem inscriptum Epigramma εἰς τὸ μονημέριον; quod alii unius diei spectaculum interpretantur; alii ludos, in quibus cicures dumtaxat, & exarmatæ feræ in caveam 8
emittantur, quos credibile est Imperatori mitissimo placuisse, ne humano cruore, & mortibus arena pollueretur; nam illud ferum, & barbarum spectaculum, in quo feræ non unguibus exarmatæ, non dentibus in hominum perniciem irruebant, & quasi parum esset nativæ feritatis in feris, [i] variis artibus ad sæviendum incitabantur. Nam Ursos, & Leones [l] mappâ albo [m] colore, sues agrestes vino, [n] & thure, Ele-

[a] Strabo libr. 8. [b] Hygin. de signis cœlestibus libr. 3. [c] Catull. Epigr. 56. ad Camerium. [d] Ovid. Amorum libr. 3. Eleg. 2. [e] Lucan. libr. 1. Sil. Ital. Punic. libr. 15. [f] Aristides Sophista in Themistocle. [g] Ammian. Marcellin. libr. XVII. [h] Virgil. Æn. libr. 3. in fine. [i] Sozomen. [l] Seneca de ira libr. 3. cap. XXX. [m] Plin. [n] Lib. 1. Machab. c. 6. & Ælian. libr. 13. [illegible]

Elephantos strepitu [a] flagellorum, aut [b] ignibus, & stimulis admotis, aut ferro candente sævissimas bestias legimus irritatas; quid ergo mirum, si id spectaculi genus optimus quisque est execratus? Nam Salvianus [c] de providentiâ nihil esse confirmat criminum, vel flagitiorum, quod non esset in spectaculis, ubi homines lacerantur, cum circumspicientium voluptate:

9 *In spectaculis summum deliciarum genus est mori homines, aut quod morte gravius, acerbiusque est, lacerari, expleri ferarum aluos humanis carnibus, comedi homines cum circumstantium lætitia, hoc est non minus pæne hominum aspectibus, quàm ferarum dentibus devorari*, & Ambrosius [d] inutiles venatores appellat, qui capiant bestias, quæ in pompam spectaculo populari præbeant ministerium crudelitati; & Cassiodorus libro V. Ep. XLII. hunc ludum crudelem, sanguinariam voluptatem, certamen infelix, religionem impiam, humanam feritatem vocat. Cicero [e] verò nec afferre sapienti voluptatem venationem circensem putat. Jure igitur sapientissimus Imperator Leo sanguinarium ludum, voluptatemque crudelem detestatus excogitavit rationem, qua feris exarmatis, populus voluptate non fraudaretur, & homines non lacerarentur. Sic quod erat in eo spectaculo jucundum, reliquit, quod inhumanum, & crudele, sustulit. Nam sanè voluptate non caruisse crediderim videre magnificum arenæ apparatum, quo Veteres utebantur, quum constet intenta Theatris carbasina, aut serica, aut purpurea vela, quod in [f]
10 Lentuli Spintheris, Cæsaris, & Neronis ludis spectatum; qui etiam stellis aureis ubique interlucentibus distinxit: madefacta [g] croco, & odorata sparsione pulpita, contectum aliquando [h] circum minio, & Chrysocolla, quod a Cajo, [i] & Nerone [l] factitatum; qui etiam [m] Amphiteatrum universum auro dicitur operuisse: emissa machinis [n] quibusdam occultis ingentis magnitudinis pegmata, quæ [o] sæpe argento, vel auro tenui contegebantur, inter quæ [p] illud Caii Principis maximè mirum, in quo fuere centum viginti quatuor millia argenti pondo: sponte nascentes montes, & silvas cum fontibus, & errantibus feris, argenteas lanceas, quibus bestiæ conficiebantur; caveas ipsas ex auro, vel argento, retia, quibus eædem, ne spectatores invaderent, arcebantur, ex auro, quæ nodarentur Succino. Nec injucundum spectare immensum numerum ferarum, aut volucrum ex alio Orbe advectarum, Pantherarum, Leonum, Camelopardalium, Urorum, Bisontium, Struthionum, Pygargorum, Tigrium, Elephantorum, Rhinocerotum, Alcium, Ursorum, aliarumque ferarum, quarum species nobis incognita; quarum quanta fuerit multitudo testes a Trajano [q] per centumvigintitres dies editi ludi, in quibus decem millia ferarum dedit. Testes non minus magnifici Severi Imperatoris, in quibus eodem tempore septingentæ feræ dicuntur emissæ. 11

Quid alios commemorem, quid Titi spectaculum, qui uno die ferarum quinque millia dedisse fertur. Hæc inquam magnifica, nec injucunda spectatu; illud horridum, execrandum, immane spectaculum videre miseros a sævissimis bestiis lancinari, quod in damnatis, & noxiis quoquo modo tolerandum; quamquam quid habuerit voluptatis non intelligo aspectus eorum, qui ad stipitem alligati subrigebantur, quum inermes, & indefensi, immani Leonum hiatu dicto citius absorbebantur; qui autem cum feris armati concurrebant, licet sine missione, inhumanam quidem, aliquam tamen voluptatem pupulo præbere potuerunt; sed qui nullius flagitii comperti operas arenæ locabant, sine lacrimis, & miseratione, nisi obcalluissent animi efferata consuetudine spectandi talia, aspici nequivissent. Duodeviginti [r] Elephanti, quos in magnificentissimis illis ludis Pompejus dedit, [s] quum intelligere fortunam suam, & complorare viderentur; adeo theatrum universum misericordia compleverunt, ut Pompejo diras imprecaretur; quam belluæ miserationem invenerunt, homines apud homines haudquaquam inveniebant. Illi quidem cum missione pugnabant, nec erat spes abscissa vivendi; sed quot millia credimus tam frequentes ludos, & tanto splendore editos absumpsisse? Jure igitur
leges theatralem venationem quodammo- 12
do improbaverunt, quum *Codicis libro V. de repudiis* scripta sit lex, quæ uxorem dimittere permittit Marito circensibus, vel theatralibus, vel arenarum spectaculis se prohibente, gaudentem; sed quod non probabant, vellem sustulissent. Constantinus [t] gladiatores dari prohibuit, cur de bestiariis nihil cavit? aut si cavit, cur filius ejus Constantius dedit? cur Orbe

[a] Sozomen. [b] Martial. libr. spectac. Epigr. XIX. Stat. libr. V. Thebaidos. [c] Salvianus de gubernatione Dei libr. 6. [d] Psalm. 118. Octon. 8. Funes Peccatorum. [e] Cic. libr. VII. Ep. 1. ad familiares. [f] Plin. l. XIX. c. 1. [g] Æl. Spart. Hadr. [h] Ovid. libr. 1. de A.A. v. 105. [i] Sueton. in C. Caligula cap. 18. [l] Plin. l. 33. cap. V. [m] Plin. libr. 33. cap. 3. [n] Senec. Epist. 88. [o] Val. Martial. libr. 8. Epigr. 33. [p] Plin. libr. 33. cap. 3. [q] Dio Cassius in Trajano [r] Senec. de Brevitate Vitæ. [s] Plin. libr. VIII. cap. VII. [t] Euseb. libr. 4. in Vita Constant. l. unica de Gladiatoribus libr. XI. Cod.

jam Christianam pietatem amplexo, & parente Principi Christiano Symmachus cruento spectaculo Romam oblectavit? cur Theodoricus Rex licet Arrianus, tamen non illaudatus, hujusmodi ludo populi favorem quæsivit? non satius fuit incruento ferarum ludo delectari, qui sæpe ipsis celebratus, ut cum Leporibus [a] Leones colludebant, & cum iisdem ita condocefacti Canes, & Ursi visco implicabantur, Gruesque lasciviebant; aut si effuso delectabantur sanguine, mutarum animantium sanguine lætarentur, & inter se feras committerent; cur autem hominem naturâ imbecillum, & inermem editum cum Ursis, cum Leonibus, cum Pantheris, cum Tigribus, cum Uris, quos validissimis viribus armavit natura, & horrendis instruxit armis, certare cogebant? Invenit tamen humana solertia varias artes, quibus
13 immanes belluarum vires eluderet; nam alii [b] cursu quam incitatissimo in ora irruentium ferarum sese ferebant; & saltu supra belluas ferebantur; & hiantem rabiem eludebant: alii cannarum [c] munimine sæpiebantur: alii rotarum volubili circumactu earum ferocitatem fallebant. Verumtamen artes hæ non satis ab immanissimo ferarum impetu hominum imbecillitatem poterant defendere. Ideo jure mitissimus Imperator spectaculi sævitiam execratus Leo exarmatas, vel cicures feras in theatrum videtur induxisse, in cujus Epigrammate adnotandum est τοξότην idest *sagittarium* Phœbum appellari, & ἑκατήβολον *longe jaculantem*, quo nomine semper eundem Homerus [d] appellat; Cur autem Phœbo, vel Apollini sagittæ sint a poëtis attributæ, ea causa est, quod Sol, & Apollo [e] ad idem numen referantur: Sol autem, dum sese rotat, lucem jaculetur; quæ nihil aliud ex quorumdam sententia philosophorum est, quam infinita cuspidum minutissimarum multitudo, quæ ob suam tenuitatem, quum interjecta aëri vacua spatia penetrent, ac vix unquam retardentur, & hæreant, ad immensa intervalla pertingunt, & incredibili celeritate, cum in vacuo ferantur, impelluntur, & dum motu vigent, & calefaciunt, cernendique sensum movent; nec aliud est Solis radiis incalescere, quàm hujusmodi spiculis feriri, nec aliud cernere, quàm oculis eorum ictum, vimque suscipere; quæ quum in diversa corpora, diversasque superficies inciderunt, diversis etiam modis vibrantur, & reflectuntur, ac varie aciem afficiunt oculorum. Hinc eorum, quæ videntur, illa jucunda, admirabilisque varietas; quum autem cuspides aliis corporibus implicantur, & coërcentur, amisso impetu, quo ferebantur, amittunt etiam lucis naturam quodammodo; sicut sagittæ deficiente vi, qua impellebantur, non amplius vulnus infligunt, nec habent usum sagittarum; hinc in corporibus, & opacis, & frigidis tanta vis caloris, & lucis continetur; quæ dum illis inclusa cohibetur, lux esse non videtur, quia libero motu caret; quum vero libertatem adipiscitur, erumpit, seseque rursus prodit, & exercet vim suam. Sed quid ego hæc a physicis dispu-
tationibus petita commemoro? ut osten- 14
dam, quàm apte lux telis, & sagittis, Sol autem sagittario comparetur; habet enim sua tela Sol, & ea quidem, quæ penetrent, & permeent Universum; nec sine causa Lucretius poëta præclarus in primis dixit [f]

Non radii Solis, neque lucida tela diei;

quæ tela quamvis mitia videantur, quid enim luce jucundius? tamen interdum ingentem edunt mortalium stragem; nam ut Solis temperatus calor vitam cunctis animantibus impartitur; sic immodicus, quum noxii vapores, halitusque aërem occuparunt, non solùm animantibus, verùm etiam inanimis perniciem affert, & interitum; idcirco Pestis causam Apollinis tela poëtæ esse finxerunt, cujus rei Homerus est testis, qui Iliadis libro primo sagittas ab Apolline immissas Græcis pestem tradit attulisse. Nec poëtæ solum auctorem pestilentiæ Apollinem arbitrantur, sed omnis antiquitas idem vulgò censuit; nam Apollinem dictum quidam ferunt [g] tanquam ἀπολλύντα τὰ ζῶα *perdentem animalia*, nec defuerunt auctores, qui traderent Apollinares ludos institutos, ut pestem Romæ grassantem placatus averteret; & Lydi Apollinem Lœmium [h] hoc est *pestilentem* coluerunt; & Siculi Libystinum Apollinem sunt eximia religione venerati, quod quum exercitus Pœnorum Siciliam esset invasurus, Apollo pestem ipsis immisisset, & ad unum omnes interemisset. Eadem de causa & Diana [i] phare-
trata, & sagittis instructa a poëtis induci- 15
tur, & Luna quosdam peculiares putatur afferre morbos, quibus feminas affectas σεληνοβλήτους, & Ἀρτεμιδοβλήτους [l] appellabant; & Homerus frequenter eos, qui morbo affecti decesserunt, a Diana tradit esse vulneratos. Atque ego Niobæ [m] fabulam non alio spectare crediderim, cujus filii septem, totidemque filiæ ab Apolline, & Diana sagittis interfecti esse dicuntur; eos quippe morbo

---

[a] Martial. libr. 1. Epigr. VII. & XV. [b] Prudent. in Amartigenia. [c] Cassiodor. [d] Hom. Iliad α. & ε. Odyss. θ & in hymn. Apoll. [e] Macrob. Satur. l. 1. cap. 21. [f] Lucret. l. 2. in princ. & alibi. [g] Macr. libr. 1 cap. XVII. [h] Macrob. ibid. [i] Hesiod. in Theog. [l] i. a Luna, a Diana tactas, seu ictas. [m] Ovid. Metam. libr. 6.

morbo confectos fato concessisse putaverint; quum autem Niobe suam effigiem è lapide fieri, supraque Natorum sepulcrum statui imperarit; ideo proditum, quum in assiduum, & inconsolabilem luctum incidisset, in lapidem esse conversam. Ex his autem, quæ diximus, similes effectus tribui Apollini, Dianæque constat; ideo soror Apollinis appellatur Diana, ut Epi-
16 grammatis auctor, quod illustramus, vocat. Et sane quum similitudine sorores, fratresque noscantur, quid tam simile, quàm Luna Soli; nam eadem est in utroque fere orbis apparentis magnitudo; idem munus illuminandi Mundum; eadem certis intervallis tempora distinguendi, atque discriminandi potestas; eadem plantas, animantes, metalla gignendi, augendi, nutriendi facultas; & alter diei gaudium, lux, & hilaritas, altera tenebrarum solatium; altera terræ lumen, alter & terræ, & sideribus, ut Plinii verbo utar [a], fœnerat: in altero ardor, & virtus mascula; in altera humor, & quasi feminea vis; ideo Marem illum, hanc feminam Veteres putaverunt; quamquam non me fugit, Carrhenos [b] *Lunum Deum* coluisse. Atque hæc Solis, & Lunæ similitudo, quo major esset, etiam in Sole maculæ nostro sæculo sunt deprehensæ. Sed ut ad poëtam nostrum, a quo tamen non sumus omnino digressi, revertamur, quod & Apollo, & Diana sagittis armati fingerentur, ob eam, quam diximus causam; & venationem ipsis Veteres tribuerunt, & venatores esse prodidere; ideo poëta eos invocat venationis munus editurus. Superest carmen, in quo Jovem *μειλίχιον* appellat, & se, quum solium ejus teneat, contaminari cædis humanæ conspectu putat non oportere; est autem Jupiter *μειλίχιος*, quasi dicat tranquillus, mitis, placabilis. Huic Athenienses non animalium cæde, non sanguine, sed frugibus, & thure sacra faciebant. Meminit autem Jovis Milichii Plutarchus in libro *περὶ ἀοργησίας*, & Phornutus, & Clemens Alexandrinus in admonitione ad Gentes, & Xenophon libro septimo de expeditione Cyri; ubi non frugibus, ut Athenis, huic
17 Deo, sed porco facit. Fuerunt & alia Jovis cognomina; nam & Panomphæus est appellatus, quod omnium voces audiret; hinc Homerus [c] cecinit

Ἔνθα πανομφαίῳ Ζηνὶ ῥέζεσκον ἀχαιοί,

& Ovidius libr. 11. Metam.

Ara Panomphæo vetus est sacrata Tonanti,

& Hicesios, qod supplicum curam gereret, cujus apud Euripidem frequens mentio est; & Xenios, [d] hoc est hospitalis; quod hospites curaret. Quapropter Ælianus libro quarto capite primo, quum legem Lucanorum exposuisset, quæ pœnam statuebat ei, qui hospitem post occasum Solis tecto non recepisset, ait illum hominem inhospitalem pœnas dare, & hospiti venienti, & hospitali Jovi. Fuit & Jupiter [e] Hyetios, qui latinè *pluvius* nominatur, quem impetrandæ pluviæ causâ colebant; ideo Tibullus dixit: [f]

Arida nec pluvio supplicat herba Jovi

& Herceus [g] hoc est domesticus, cujus meminit Ovidius [h] in hoc versu:

Cui nihil Hercei profuit ara Jovis 18

Romulus autem [i] Jovi Statori templum vovit, ut fœdam suorum fugam sisteret, & Pheretrio templum statuit occiso Acrone Cæninensium Duce. Elicium [l] vero Jovem ab eliciendis fulminibus appellatum Numa præcipue coluit, & veneratus est: Tonantem omnes [m] adoraverunt; adeo ut præcipua causa cur regnare Jupiter crederetur, esset, quod audirent [n]

...... humanas motura tonitrua mentes

hinc Horatius [o] dixit:

Cælo tonantem credidimus Jovem
Regnare;

has autem Jovis appellationes his [p] verbis Plinius complectitur: *lucosque, & aras, & sacra habemus, interque statores, tonantes, & Feretrios Elicium quoque accepimus Jovem.* Dicitur etiam ab Homero [q] Asteropetes a fulgurando, & Nephelegeretes [r] a nubibus congregandis: fuit & Jupiter *φίλιος*, [s] quem ea, quæ ad amicitiam pertinent, curare, Suida teste crediderunt, quo in loco Menandri citat hujusmodi carmen *μαρτύρομαι τὸν φίλιον, ὦ κράτων, Δία*, & Philocratis verba, qui *φίλιον* sumit pro Jove. Commemorat etiam [t] Clemens Alexandrinus Aga-
memnonem Jovem, qui a Spartanis cole- 19
batur, cujus nominis originem non eam esse arbitror, quòd Agamemnon pro Jove fuerit consecratus; sed esse dictum Jovem Agamemnonem *ἀπὸ τοῦ ἄγαν μένειν* quod valde expectet, & sustineat, & ferat, nec statim puniat impios, & consceleratos homines; est enim id proprium divinæ clementiæ differre pœnam, cunctari, expectare, dum homines scelera sua ipsi detestentur, & ad meliorem frugem sese conferant; hinc sapienter Euripides dixit

Μέλλει, τὸ θεῖον δ' ἐστὶ τοιοῦτον φύσει hoc est:

Cunctatur: istâ nempe naturâ est Deus

& Horatius [u] eleganter:

Raro

---

[a] Plin. Hist. libr. 2. c. 6. [b] Æl. Spartianus in Antonino Caracalla. [c] Hom. Iliad. θ. [d] Plutarch. de Exsul. & in Amator. [e] Pausan. in Corinth. sive libr. 2. [f] Tibull. libr. 1. Eleg. 7. [g] Pausan. in Messenicis, & in Eliacor. primo. [h] Ovidius in Ibin. [i] Liv. ab V. C. libr. 1. [l] Idem eodem lib. [m] Sueton. in Augusto cap. 29. [n] Ovid. Metam. libr. 1. [o] Horat. libr. 3. Od. 5. [p] Plin. Hist. lib. 2. cap. 53. [q] Hom. Iliad. α. in fine. [r] Hom. Il. α., & δ. & alibi. [s] Suidas in V. φίλιος. [t] In Protreptico. [u] Horat. libr. 3. Od. 2. in fine.

Raro antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

Quare sapientius plane Spartani id Jovi nomen indiderunt, quàm Cyprii, qui Ultori Jovi sacrificabant; non enim ultionis avida est divina illa, immortalisque natura, sed quod ignoscat plerisque peccantium, humanum genus conservat, quod procreavit. Male Ovidius, [a] & impie dixit

Si quoties peccant homines, sua fulmina mittat
Juppiter, exiguo tempore inermis erit

Illud verius, & pietati magis consonum.

Si quoties peccant homines, Deus ignea tela
Mittat, Gens hominum nulla superstes erit.

Sed antiquitas, quum vulgus nihil altum de Diis, ac nihil sublime cogitaret, Jovi
20 quædam nomina tribuit aliquando, quæ a divinitatis fide valde abhorrerent; quapropter Elienses Ἀπομυίῳ [b] Jovi quasi Muscarum expulsori, Argivi φαλακρῷ idest calvo sacrificabant; [c] & Cyprii Jovem Eilapinasten idest *convivatorem* colebant. Sed ut hoc indecorum tribuere divinæ majestati nomina e sordidis, & vilibus ducta rebus; ita non improbandum, quod ab omnibus ferme necessitatibus humanis, & muneribus, quibus a numinis beneficentia afficimur, divinorum nominum originem deduxerunt; nam [d] ὁμογνίου Jovem fratres adorabant, Ἑταιρείου [e] Sodales, ἐφεστίου simul habitantes, ἀρείου pugnantes, ὁρκίου qui jurejurando fidem obstringebant, [f] στρατίου apud Cares colebatur, quem militares viri tanquam rei bellicæ præsidem, & exercituum deum divinis honoribus prosequebantur; & [g] ἀγοραίου Jovem scilicet forensem legimus appellatum; & [h] ἰκμαίου ut Apollonii Scholiastes tradit, quod ἰκμάδα, hoc est vaporem gignat, & [i] πατρῴου idest paternum, seu patrium, cujus visebatur tribus oculis [l] præditum simulacrum, quorum duo eo loco cernebantur, ubi nobis oculos natura constituit, tertius in fronte; quo commento significarunt
21 Jovem tribus regnis, mari scilicet, & terræ, & inferis imperare; & σκοτίτου qui in Laconica dicitur cultus, cui non ob loci arboribus consiti opacitatem nomen inditum putaverim; sed hoc significari cognomento crediderim obscuritatem divinæ naturæ, quæ altissimâ, lucidissimâque caligine circumfusa tenebras habitare dicitur inaccessas, quæ nullius intellectu comprehendi, nullius percipi sensibus, nullius eloquentia potest explicari; tenebræ profecto tenebræ, sed tenebræ ab immensa luce manantes, & sacrum silentium est illa Majestas, quam nec intelligi, nec nominari posse [m] Plato confirmavit. Sed ut ad nomina Jovis revertamur, est etiam [n] Juppiter morios appellatus, cujus ara in Academia ostendebatur; cujus nominis ea fortasse est origo, quod in ejus manu sit μόρος idest mors cujusque, & fatum; quid enim aliud fatum, nisi suprema Dei cuncta moderantis voluntas? qua de causa, & μοιραγέτας [o] quasi fatorum dux est nuncupatus; e Deo namque pendet illa catena, seriesque causarum, quam Stoici fatum vocant, qua se Juppiter [p] Homericus maria, ac cœlum, terrasque tracturum minitatur: appellatus est etiam Juppiter [q] inventor, cui Maximam 22
Hercules Aram in Latio consecravit, non tantum ob repertas boves; verùm etiam quia omnium summus ille naturæ Princeps, & Imperator [r] habetur inventor; hinc Ennius Jovem hominum, Divumque vocat reperturem; huic enim omnia accepta referuntur. Meminit & Lactantius Firmianus [f] Jovis Triphylii, in cujus fano Juppiter Cretensis auream columnam constituit cum inscriptione rerum a se gestarum. Meminit [t] & Atabyrii, & Labradei, & Molionis, & Laprii, quæ cognomina ab hospitibus Jovis putat derivata; Jovi [u] quoque Pistori aram Populus Romanus dedicavit, quòd quum a Gallis Romani in Capitolio obsiderentur, ipsos in somnis monuisset, ut ex omni frumento, quod haberent, panem conficerent, & in hostium castra jactarent, quo consilio Romani sunt consequuti, ut hostes desperantes Romanos ad deditionem fame posse compelli, pacis conditiones non aspernarentur. Sunt & a locis, in quibus Juppiter colebatur, indita Jovi nomina; ita Latialis Juppiter est nominatus, cujus Cicero mentionem facit in oratione 23
pro Milone, ubi sic ait:

Tuque ex edito tuo monte Latialis Sancte Jupiter,

quem humano sanguine Veteres placavisse Lactantius [x] Firmianus tradit; cujus nomine Latinum Regem, qui in prœlio adversus Mezentium Cæritum Regem cecidit, Festus Pompejus putat adorari; & [y] Dodonæus ab oraculo Dodonæ; & Altius [z] ab Alti Olympiæ luco; & Casius [a] a monte Casio; & Ithomatas [b] ab Ithome monte; & Tarpejus [c] a Tarpejo; & Idæus ab Ida de quo Virgilius [d]

Ideumque Jovem, Phrygiãque ex ordine matrẽ
Invocat;

&

[a] Ov. de Trist. l. 2. El. 1. [b] Clem. Alex. in Protreptico. [c] Eustath. in Hom. [d] Aristoph. in Ranis, & Suid. in V. ὁμόγνια. [e] Cæl. Rhodig. l. 15. c. 18. [f] Herod. l. 5. c. 119. & Plin. l. 16. c. 44. [g] Her. l. 5. c. 46. [h] Argonaut. 2. [i] Plat. in Euthydemo, Pausf. in Laconicis. [l] Cæl. Rhod. libr. 21. cap. 1. [m] Plato in Cratylo. [n] Cæl. Rhod. l. 12. c. 19. [o] Pausf. in Eliacis. [p] Hom. Il. Θ. [q] Dionys. Halicarn. l. 1. [r] Virg. Æn. l. 12. [f] Lact. de fals. Rel. l. 1. c. XI. [t] Lactant. ibid. l. 1. c. 22. [u] Lactant. l. 1. cap. 20. de falsa Relig. Ovid. Fast. [x] Lactant. de falsa Relig. l. 1. cap. 21. [y] Hom. Il. π. v. 233. & Plin. libr. 4. cap. 1. [z] Cæl. Rhodig. libr. 13. c. 17. [a] Lactant. de falsa Relig. libr. 1. cap. XXII. Plin. libr. 5. cap. XII. [b] Cæl. Rhod. libr. 20. c. 6. [c] Propert. libr. 4. Eleg. I. [d] Virgil. Æn. libr. 7.

& Olympius[a] ab Olympia urbe, ubi celebre Jovis[b] Phidiæ manu factum ex auro, & ebore Simulacrum; & ab[c] Hymetto Hymettius. Verumtamen omnium, quæ Jovi tribuit antiquitas, nominum convenientissimum illi divinæ, immortalique naturæ est illud, quo poëta noster utitur, quum Jovem[d] μειλίχιον vocat, quod significat clementem, placidum, tranquil-
24 lum, placabilem; quid enim Deo mitius, quid placidius, quid tranquillius, quid placabilius? qui, quum ubique gentium, ut ait poëta[e] nobilis, *fera regnet erinnys* quum omnes fere homines in facinus jurasse quodammodo videantur, quum ubique regnet impietas, perjurium, sacrilegium, crudelitas, perfidia, contemptus numinis; quum homines obliti sui conditoris a divina lege passim descifcant; tamen non commovetur, non irascitur, non sævit; sed injustis pariter, & justis largitur vitam, largitur fructus terræ, largitur divitias, largitur valetudinem; hoc jucundissimum Cœli lumen, hic admirabilis ordo rerum, tanta varietas, & multitudo animalium, fruticum, plantarumque, Cœli tot collucentes oculi non minus impios delectant, quàm pios; non desunt libidinosis suæ voluptates; patent sacrilegis templa, non prohibentur ab hominum commercio qui se humanis cædibus contaminarunt; nefanda ausos terra sustinet, ipsa fortuna votis nocentium obsecundat; & hæc omnia dona a Deo impii consequuntur, qui vitia odit, qui scelus detestatur, & quod majus est ipsos ab erroribus, in quibus versantur, & mentis caligine, qua circumfunduntur, ad veritatis lucem revocat; & ad se reversos tanquam filios, oblitus injuriarum, immemor scelerum, paterna charitate complectitur, in deliciis habet, in oculis gerit, & exosculatur, nec magis innocentium cultu delectatur, quàm eorum, qui, quum aliquando sese sceleribus obruissent, emerserunt e cæno libidinum suarum, vale dixerunt flagitiis, & sceleribus, in quibus diu fuerant volutati, & ad auctorem suum respexerunt. Nec difficilis est exorandi, placandique divini Numinis ratio, non centum taurorum sanguine, non opibus profundendis, non templorum molibus extruendis, non pretiosis donariis divina majestas placatur, sed animus reputans magnitudinem delictorum, turpitudinem anteactæ vitæ execratos; immutata voluntas Deo victima est jucundissima, & thure, & Myrrhâ, & quovis odore suavior, & acceptior; id pretiosissimum donum, gemmisque, & auro carius. O illum ferreum, qui non tanta Dei benignitate commovetur, qui non audit voces optimi parentis ad salutem vocantis, qui mavult suæ libidini obtemperare, quàm medici clementissimi, amantissimique præceptis, nostra ulcera non ferro, non igne, sed verbo suo sanare cupientis. Ab hoc autem Principe rerum, 25
& mortalium, & immortalium Rege exemplum sumere oporteret & Reges terrarum, qui in altissimo dignitatis gradu a Deo sunt collocati, non ut tutelæ suæ, potestatique commissos homines atrocibus imperiis exerceant, sed ut eorum saluti consulant, & tanquam filiis parcant; non enim a mortalium tyranno terrarum Domini, sed a mitissimo parente sunt constituti; hujus igitur imitari mores, & facta debent; & hujus clementiam sævitiæ, mansuetudinem feritati, omnibus expositam comitatem superbiæ anteponere. Idcirco Poëta noster, & Imperator se Jovis placidi, placabilis, & mansueti solium obtinere profitetur, & non solum manus a cæde puras, verum etiam oculos sibi conservandos esse censet. Hujusmodi fuit Princeps Titus ille deliciæ[f] generis humani,[g] qui pontificatum maximum se professus est accipere, ut manus nullius cæde contaminaret, & quod in tanto imperio, tantaque mole rerum difficillimum videbatur, ut nemini Titi principatus exitii causa existeret, est consequutus. Ergo hunc & qui tunc vivebant homines, in deliciis habuerunt, & ejus in summâ potestate summam continentiam, mansuetudinem, æquitatem, clementiam laudibus in Cœlum extulerunt, & nunc tot elapsis ætatibus Titi nomen omnium consensu celebratur, & adhuc quoddam in animis hominum Titi virtutes philtron, ut utar Græco vocabulo, reliquerunt; ut nemo sit, quin, si Princeps detur similis Titi, non se ab eo regi, quàm a quolibet malit, & hujusmodi servitutem non libertati anteponat. At[h] Caligulam, qui optabat, ut populus Romanus unam cervicem haberet, ut uno ictu posset omnes trucidare: at[i] Neronem, qui matris, 26
& propinquorum, & præceptoris, & optimi cujusque se cædibus impiavit: at Domitianum, qui ob sævitiam calvus Nero est appellatus, quis non execratur? quis autem, si Caligula, aut Nero, aut Domitianus reviviscat, hujusmodi victimam ultioni non immolandam putet? quis Titum, si possit ab inferis excitare, non ei se sponte subjiciat? Tantò firmior est ad homines in officio continendos amor, quàm metus, ut immanissimos tyrannos etiam post mortem qualibet morte dignos pute-

a Herodot. libr. 2. cap. 7. b Plin. libr. 34. cap. 8. c Pauf. in Attic. d Pauf. ibid. e Ovid. Metam. l. 1. f Suet. in Tit. cap. 1. g Suet. in Tit. cap. 9. h Idem in Caligul. cap. 30. i Suet. in Neron.

putemus; clementissimis Principibus etiam defunctis obsequi cupiamus.

DISSERTATIO XI.

In Epigramma quinctum Libri primi de Nicophonte pugili.

Dissertatio Prior.

Atlas fuit Astrologiæ, & Sphæræ inventor. De comarum, & barbæ majestate, & religione. Jupiter quum Typhœum fugeret, in Arietem conversus est; inde Jupiter Hammon colitur.

Omnium certaminum, quæ Græcorum more committebantur, maxime periculosum, maximarumque virium pugilatum fuisse accepimus. Quapropter & Statius libro sexto Thebaidos proximam bello virtutem pugilum vocat; & Virgilius [a]

Magnos membrorū artus, magna ossa, lacertosq;

in pugili, qui coronam sit consequuturus, desiderat; erat enim certamen veræ, non umbratili pugnæ simillimum; quocirca a pugnando pugiles dictos Varro [b] docet. Quæ quum ita sint minime mirum videri debet, Auditores ornatissimi, si adeo Pu-
1 gilis victoris exaggerat vires Epigramma quinctum Anthologiæ, quod nos hodierno die suscepimus explicandum, ut & Taurorum, & Gigantum robori, & Atlantis, quæ Cœlum sustinere creduntur, viribus comparet, & ad extremum addat ipsum Jovem perterritum esse magnitudine, & robore Nicophontis Pugilis. Hoc Epigramma nos quàm paucissimis exponemus; & quoniam in Anthologia frequens pugilum mentio, & Athletarum occurrit, de ipsis, & de toto genere Athletarum, & exercitatione non fuse, & quasi ex professo, quemadmodum eruditissimi viri fecerunt, sed breviter, & summa rerum fastigia sequentes differemus; ita & præsenti Epigrammati lucem afferemus, & quæcunque super eodem argumento composita sunt illustrabimus; & versus quidem de Nicophonte pugile conscripti sunt hujusmodi

Ταύρȣ βαθὺν τένοντα, ϰ̀ σιδαρέȣς
Ἄτλαντος ὤμȣς, ϰ̀ κόμαν Ἡρακλέȣς,
Σεμνάνθ' ὑπήναν, ϰ̀ λέοντος ὄμματα
Μιλησίȣ γίγαντος ȣ̉δ' ὀλύμπιος
Ζεὺς ἀτρόμητος ἴιδεν, ἄνδρας ἡνίκα
Πύγμην ἐνίκα νικοφῶν Ὀλύμπια.

Quos ad hunc maxime modum latine vertimus septem versibus jambicis

Robusta tauri colla, necnon ferreos
Atlantis humeros, & sacram Alcidæ comam,
Barbamque venerandam, & Leonis lumina
Milesii Gigantis ipse Olympius
Aspexit oculis Juppiter paventibus,
Et vetera timuit bella Titanum, pugil
Quum vicit ingens Nicophon Olympia

Ταύρȣ βαθὺν τένοντα; ϰ̀ σιδαρέȣς Taurus animal notissimum; dicitur & ταῦρος τὸ αἰδοῖον τȣ̃ ἀνδρός [c] unde ἀταυρώτη, quæ virum non est passa; est [d] etiam Taurus mons Asiæ maximus; & Tauri [e] Scythiæ populi, qui humanis [f] hostiis Dianæ faciebant, a qui-
bus [g] ταυρόπολος Diana est appellata: βαθὺς 2
est *profundus, magnus, multus*, βαθὺ γῆρας *multa, & summa senectus*; & βαθὺς [h] *malus*, ut Suidas docet: τένοντες παρὰ τὸ τείνεσθαι ab extendendo dicuntur, ὦμος est *humerus* prima syllaba circumflexa ὠμὸς *crudelis, & crudus*; ultima cum accentu gravi ὑπήνη dicitur *barba*, ex qua voce ὑπηνήτης apud Homerum [i].

Πρῶτον ὑπηνήτῃ, τȣ̃περ χαριεστάτη ἥβη

idest:

Barbato primum, cui gratia summa juventæ

κόμη est etiam latinum nomen, ab hac voce dicitur cometes crinita stella; Pythagoras quoque appellatus est Samius cometes, quod aleret comam, ut in ejus vita Jamblichus [l] testatur: ὄμματα oculi ἀπὸ τȣ̃ ὄπτεσθαι quod, est *videre*: ἀτρόμητος ἀπὸ τȣ̃ τρομεῖν, quod est *tremere*, nos latinè dicimus *intrepidum*: πύγμη dicitur *pugilatus*, qui etiam πυγμαχία, & πύκτης *pugil*, & πυκτεύειν *pugilatum exercere*: ἐνίκα, νικάω est *vinco* unde νικητήρια quod verbum etiam apud Latinos est in usu. Juvenalis [m]

Et ceromatico fert niceteria collo;

Sunt autem præmia victoriæ; ἐπινίκιον carmen in victoriam compositum; νικάτωρ cognomentum [n] Seleuci; Nicatoris etiam urbs a conditore sic appellata: Ὀλύμπια eodem loquendi genere utuntur etiam Latini, ut Ennius [o]

Sicut fortis equus, spatio qui sæpe supremo
Vicit Olympia, nunc senio confecta quiescit 3

Quibus explicatis opportunum est, ut de rebus pauca dicamus. Elate igitur, magnificeque loquitur poëta de viribus Nicophontis Pugilis, speciemque viri, modumque corporis describit ingentem, & robur invictum; siquidem Taurorum cervicibus comparat, de quibus [p] Plinius: *turrigeros Elephantorum miramur humeros, Taurorumque colla, & truces in sublime jactus*; & Atla-

[a] Virg. Æneid. libr. V. [b] Varro de ling. Latin. lib. VII. [c] Suidas V. ἀταυρώτη. [d] Strabo libr. 2. [e] Strabo libr. 12. [f] Lactant. libr. 1. cap. 21. de falsa Rel. [g] Strab. ib. [h] Suid. V. βαθύς. [i] Hom. Iliad. ω. V. 348. [l] Jamblicus in Vita Pythag. cap. VI. [m] Juvenal. Satyr. 3. [n] Plutarch. in Catone Strab l. 14. & alibi & Steph. in Νικάτορις. [o] Ennius apud Cicer. de Senectute. [p] Plin. libr. XI. cap. 2.

& Atlantis viribus, qui Cœlum dicitur sustinere. Est autem [a] Atlas Libyæ mons altissimus, quem poëtæ [b] Mercurii avum fuisse fabulantur, qui [c] viso Medusæ capite a Perseo sit mutatus in montem, qui propter altitudinem Cœlum videtur attingere, ac sustinere; quapropter [d] Homerus duas habere columnas, quibus incumbat Cœlum, his versibus tradit.

Ἄτλαντος θυγάτηρ ὀλοόφρονος, ὅστε θαλάσσης
Πάσης βένθεα οἶδεν, ἔχει δέτε κίονας αὐτὸς
Μακρὰς, αἳ γαῖάν τε, καὶ οὐρανὸν ἀμφὶς ἔχουσι

Qui sic verti latine possunt

Atlantis magni, novit qui cuncta, propago,
Oceani secreta latent quem nulla profundi;
Sustinet ipse duas immani mole columnas,
Queis circum tellus, magnusque incumbit Olympus

Quæ duæ [e] columnæ nihil aliud sunt, quàm duo montes Libyæ, qui vocantur Atlantes, major, & minor; Poëta autem noster non columnas Atlantis, sed humeros fabulam aspiciens agnoscit; nec est apud poëtas id novum, ut ei monti humana membra tribuantur; sic Virgilius libro IV.

...... apicem, & latera ardua cernit
Atlantis duri, Cœlum qui vertice fulcit,
Atlantis, cinctum assidum cui nubibus atris
Piniferum caput, & vento pulsatur, & imbri;
Nix humeros infusa tegit, tum flumina mento
Præcipitant senis, & glacie riget horrida barba

Quem Virgilii locum ita Silius [f] Italicus est imitatus

Atlas subducto tracturus vertice Cœlum;
Sidera nubiferum fulcit caput, Ætheriasque
Erigit æternum compages ardua cervix.
Canet barba gelu, frontemq; immanibus umbris
Pinea silva premit, vastant cava tempora venti,
Nimbosoque ruunt spumantia flumina rictu

4 Quæ loquendi figura ex eo ducta est, quod Atlas homo fuisse dicatur, & revera fuit, sed non qualem fingunt poëtæ, sed astronomus summus, siderumque spectator insignis; quem Plinius astrologiæ inventorem fuisse tradit libro VII. capite LVI. cui etiam sphæræ tribuit inventionem libro II. capite VIII. Fingitur autem in Atlantem montem conversus, quòd in eo monte, utpote Libyorum altissimo observare [g] cursum astrorum soleret; eadem de causâ [h] affixus Caucaso Prometheus dicitur propter siderum scientiam, quæ assiduè ex eo monte spectabat. Non [i] sumus profectò grati erga eos, qui labore, curaque suâ Cœlum nobis aperuerunt, & arcana naturæ solertissimè patefecerunt; feras, & monstra, & immanes tyrannos opinio- ne nostrâ in Cœlum sustulimus, in quo justiùs collocassemus eos, qui nobis ejus naturam, motusque detexerunt; interpretes Cœli æterno labore damnavimus; Atlantem supposuimus æternæ mundi moli, propter quem mundus non est nobis ignotus; affiximus [l] Caucaso Prometheum, nec satis id visum, etiam aquilam addidimus, quæ [m]

Immortale jecur tundit, fecundaque pœnis
Viscera, rimaturque epulis, habitatque sub alto
Pectore, nec fibris requies datur ulla renatis.

Nam quid de Tantalo dicam, [n]

Quem super atra silex jam jam lapsura, cadentique
Imminet assimilis ......

quam [o] pœnam ipsum subire mentiti sumus, propterea quod sapientiæ deditus Solis fuerit naturam, & cursum contemplatus, quem ignitum lapidem [p] Anaxagoras esse dicebat; Endymionem [q] autem, qui Lunæ naturam primus detexit, perpetuo somno consopitum fingimus, cujus vigiliâ effectum est, ne in cœlestibus omnino cæcutiamus; usque adeo nihil est, quod ingentes viri, ut Plinius ait, tantorum numinum lege deprehensa [r]

Admovere oculis distantia sidera nostris,
Ætheraque ingenio supposuere suo.

Sed ut a diverticulo repetamus fabulam; posteaquam Poëta cervicem Nicophontis 5
taurorum collo, & humeros Atlantis humeris comparavit, addit speciem viro magnam, quum comam, & barbam Herculis comæ, barbæque contulit; est sanè præcipua quædam majestas in comâ; quapropter Homerus Jovis excellentem speciem describens, ad quam [s] Phidias tanquam ad unicum exemplar in Olympico Jove effingendo dicitur aspexisse, præcipuam majestatem tribuit comæ in his carminibus [t]

Ἦ, καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων:
Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται ἐπεῤῥώσαντο ἄνακτος
Κρατὸς ἀπ' ἀθανάτοιο, μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον

Idest.

Talia magnanimo Saturnius ore loquutus
Ipse supercilio pater annuit; alta comarum
Olli e sidereo majestas vertice fluxit,
Et magnum ingenti motu concussit Olympum

Et Statius libro X. Thebaidos.

Ingemuit dictis Superum dolor; ipse furentem
Risit, & incussâ sanctarum mole comarum,
Quænam spes hominum tumidæ post prælia Phlegræ?
Tunc etiam feriendus? ait.

Molem comarum Jovi tribuit tanquam eximium divinæ majestatis insigne. Eodem 6
[illegible] E [illegible] plane

a Strabo lib. 17. b Horat. libr. 1. Od. X. c Ovid. Metam. libr. 4. d Homer. Odyss. libr. a. e Pausan. in Bœoticis. f Silius Italicus libr. 1. g Pausan. in Bœoticis. h Servius in Virg. Ecl. 6. i Plin. libr. 2. cap. IX. l Lucian. in Prometh. & Arrian. libr. V. & Q. Curtius libr. VI. m Virg. Æn. libr. 6. n Idem in eodem loco. o Cicero Tuscul. libr. V. p Plutarch. de Superstit. q Plin. libr. 2. cap. IX. Apollon. 4. Argonaut. r Ovid. Fast. libr. primo. s Val. Max. lib. 3. c. 7. t Homer. Il. a. V. 528.

plane modo & in barbâ quiddam inesse venerandum, & religiosum prodiderunt; ideo supplices barbam eorum, quibus supplicabant, animadvertimus apprehendisse; Euripides in Hecubâ

Ἀλλ' ὦ φίλον γένειον, αἰδέσθητί με
Sed, amica barba, me verere supplicem.

Et in Iphigenia

Ναὶ πρὸς γενείου σ' ἀντόμεσθα δύω φίλω
Per barbam amici deprecamur te duo

Et in Hecubâ rursus Ulyssem facit avertentem faciem, ne Polyxena barbam attingere possit, & supplicare

Ὁρῶ σ', Ὀδυσσεῦ, δεξιὰν ὑφ' εἵματος
Κρύπτοντα χεῖρα, καὶ πρόσωπον τοὔμπαλιν
στρέφοντα, μή σου προσθίγω γενειάδος

hoc est:

Video te, Ulisses, dexteram sub vestibus
Manum tenentem, & ora vertentem retro,
Ne misera barbam supplice attingam manu

Quamobrem Ulyssem Hecubæ supplicantem non mentum, sed genas tangentem inducit, aberat enim causa tangendi mentum.

Ἥψω τῆς ἐμῆς, ὡς σὺ φῄς, χερός,
Καὶ τῆσδε γεραιᾶς προσπιτνῶν παρηΐδος

hoc est:

Meam, ut fateris, attigisti dexteram,
Et has seniles accidens supplex genas

Sequitur Versus, in quo Nicophontem Milesium gigantem vocat a magnitudine corporis, & robore, quòd eos, qui mole corporis præstant, gigantes appellare soleamus; ita Homerus dixit [a]

...... *οὐκ ἄνδρεσσιν ἐοικότες, ἀλλὰ γίγασι*

& Ovidius [b] de Polyphemo.

Vasta giganteo jaculantem saxa lacerto.

Constat autem ex hoc versu Nicophontem fuisse Milesium; Miletus verò [c] Cariæ urbs est nobilissima a Cretensibus Milesiis condita; nam & in Creta fuit Miletus; verumtamen clarissima civitas suæ metropolis gloriam obscuravit; ejus autem auctor Sarpedon fuisse fertur. Bene autem Nicophontis oculos gigantis oculis comparat; nam [d] *γιγαντῶδες βλέπειν* teste Suida est trucibus oculis, horribilique aspectu contueri. Nec minus artificiosè, ubi Giganti contulit Nicophontem, statim addidit ipsum Jovem metu perculsum esse; est enim [e] in fabulis Jovem a Typhœo profligatum in Ægyptum fugisse, cumque eo quoque Typhœus venisset, in arietem se convertisse; unde Hammon cornutâ specie colebatur. Quapropter Poëtæ Jovem semper horrentem arma Titanum, & gigantum faciunt; Ovidius [f]

Non ego pro mundi regno magis anxius illâ
Tempestate fui, quâ centum quisque parabat
Injicere anguipedum captivo brachia Cælo

Et Claudianus [g] ita Jovi minantem Plutonem inducit

.... *patefacta ciebo*
Tartara, Saturni veteres laxabo catenas

Et Statius [h]

...... *habeo jam quassa gigantum*
Vincula, & Æthereum cupidos exire sub axem
Titanas; miserumque patrem .....

Unde illud promanavit contritum vetustate [i] proverbium *ὤδινεν ὄρος, Ζεὺς δ' ἐφοβεῖτο, τὸ δ' ἔτεκεν μῦν* hoc est. *Parturiit mons, Jupiter autem pertimuit, ille verò murem peperit*; quo respexit [l] Horatius, quum cecinit.

Parturient montes, nascetur ridiculus mus

Sed nos dum hujus Epigrammatis artificium contemplamur, excessimus modum; quare quæ dicenda de pugilatu, & Athletarum victu, & exercitatione supererant, omittemus, & alii Scholæ reservabimus.

DISSERTATIO XII.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO POSTERIOR.

De Pugilibus, & cæstibus, & de Athletarum victu.

Quod Superiore Dissertatione diximus, Auditores, pugilatum fuisse ludicrum, quod corporis vires ingentes desideraret, & sæpenumero non minus, quàm vera pugna, certantibus mortis afferret discrimen, id intelligi nullo modo potest, nisi quibus armis pugiles uterentur, & quodnam certaminis genus pugilatus foret, explicemus; quod quum exequuti fuerimus; addemus ea, quæ de Athletarum victu nos polliciti sumus esse dicturos, ex quibus, ut opinor, facilè constabit, cur Poëta noster Nicophontis Pugilis vires, & corporis molem tantopere admiretur; sic enim apparebit & Athletas eâ victus usos ratione, ut incredibiliter corporis vires, & robur augerent, & pugiles eo certamine contendisse, ut viribus maximè indigerent. Pugilatus enim, quem *πυγμαχίαν* Græci vocant, est omne certandi genus, quod feriendo, percutiendoque committitur; quapropter, ut in librum Athenæi quartum notat Casaubonus, Gladiatores, qui ferro inter se decertabant *πυκτεύειν* hoc est pugilatum

[a] Homerus Odyss. κ. V. 120. [b] Ovid. Metam. libr. 14. V. 189. [c] Strabo libr. XIV. [d] Suidas in hac voce. [e] Ovid. libr. V. Metamorph. [f] Ovid. Metamorph. libr. 1. V. 182. [g] Claud. de Raptu Proserp. libr. 1. V. 114. [h] Statius libr. 8. Thebaidos [i] Athen. libr. 14. cap. 1. [l] Horat. in Art. Poët.

rum exercere dicebantur, & qui pugnis contendunt, pugiles appellantur Horatio teste, qui de Polluce, quem pugilem fuisse accepimus, ita [a] loquitur.

Hunc equis, illum superare pugnis
Nobilem ......

& alio in loco de Juvene ad decertandum pugnis, cursuque exercitato sic ait [b]

Neque pugno, neque segni pede victus

Proprieque pugilatus illud certamen significat, quo Virgilius [c] Daretem, & Entellum pugnantes inducit; hujus generis Athletis pro armis erat cæstus [d] non ille venereus, quo amor, & gratiæ, & ipsa amabilitas continetur, sed alius adeo diversus, ut sicut illum Veneris dicunt, ita Martis hunc possis appellare, quo non conciliabantur inter se homines, sed hostium more usque in mutuam cædem dimicabant; ex crudo quippe boum corio cæstus ille constabat, cui plumbi, ferrique globuli, seu clavi insuti, quemadmodum tradit Virgilius [e] his versibus

Obstupuere animi tantorum ingentia septem
Terga boum; plumbo insuto, ferroque rigebant

His autem plagas inferebant sæpe lethales; quocirca Statius [f] in Hercule Surrentino Pollium laudat, quòd non passus fuerit in suis ludis Athletas cæstibus decertare

...... hic tibi festa
Gymnas, & insontes juvenum sine cæstibus iræ
Annua veloci celebrant certamina lustro

Et verò jure laudat; quæ enim, malum, immanitas est eo spectaculo delectari, quo innocentium sanguis effunditur, & eo gau-
2 dere ludo, quo vitæ periculo luditur, & inhumanam capere voluptatem ex vulneribus, & plagis eorum, qui cum maximè tuis deliciis, & voluptatibus inserviunt. Execrantur poetæ, [g] crudelemque, & inhumanum vocant Amycum Bebrycum Regem, quòd hospites quoscunque ad ejus oras fortuna appulisset, secum cæstibus cogeret decertare; quid Græci, qui mansuetudinis, & humanitatis exempla a se peti putant oportere, nonne homines & si non vi, quemadmodum Amycus, moribus tamen suis, & consuetudine ad eamdem pugnam compulerunt? & ille quidem fortasse gloriâ elatus, & vires ostentandi caosâ advenas lacessebat, nec minus, quàm ipsi, periclitabatur; Græci verò periculi expertes suæ dumtaxat voluptatis gratiâ homines ejusdem nationis ad illud certamen invitabant; quod quantulum aberat a sævissimo Martis discrimine! Quod si ad vetustissimorum hominum mansuetudinem respicere voluerimus, etiam verâ pugnâ certamen illud immanius fuisse fatebimur; nam eos, qui signis collatis primi dimicarunt, accepimus fustibus [h] contendisse, non ferro, quod Afros adversus Ægyptios bellantes fecisse testantur Historiæ [i]; adeo semper hominum augescit, & corroboratur immanitas, ut quod olim sævissimum excogitavit ira discordantium Regum, consequutis temporibus populi delicianti ludus haberetur. Sed ne temerè Græcorum ludos accusare videamur, ostendendum est non aliud esse ludi genus pugilatum, quàm illud certamen, quod cæstibus committebatur, quod Budæus [l] in Pandectas affirmat, sed non illustrium Scriptorum auctoritate confirmat,
quod nos faciemus. Cicero igitur Tusculanarum Quæstionum libr. 2. sic ait. 3
Pugiles verò etiam, quum feriunt adversarium, in jactandis cæstibus ingemiscunt, & alio in loco. [m] *Pugiles cæstibus contusi ne ingemiscunt quidem*; & Apollonius Rhodius Argonauticorum libro 2. Amycum, & Pollucem, qui ex provocatione pugilatu, ut ait idem, certarunt, cæstibus pugnam committentes inducit; quod etiam facit in Dioscuris Theocritus. Fuisse autem certaminis genus maximè periculosum cum multa declarant, tum quod Poetæ [n] Erycem, & Amycum invictis viribus homines ferunt cæstibus interemptos, & [o] Virgilius Daretem cum Entello congressum nec Diis, nec viribus æquis, ab Ænea fingit manifesto mortis periculo liberatum; quemadmodum [p] Statius Alcidamantem Laconem ab Adrasto. Sed & illud ostendit pugilatum cruentum fuis-
se ludum, quod pugilum certantium lu- 4
xabantur artus magnitudine plagarum, mutilabantur membra, vel disturquebantur, totum denique corpus depravabatur, quod his verbis indicat [q] Galenus ἐνίων δὲ καὶ τὰ πρόσωπα παντάπασιν ἄμορφα, καὶ δυσειδῆ καθέστησαν, καὶ μάλιστα τῶν παγκράτιον, ἢ πύγμην ἀσκησάντων, ὅταν δὲ καὶ τῶν μελῶν τελέως ἀποκλάσωσιν, ἢ διαστρέψωσιν, ἢ τὰς ὀφθαλμὰς ἐκκόψωσι, τότε, οἶμαι, τότε καὶ μάλιστα τὸ τῆς ἐπιτηδεύσεως αὐτῶν ἀποτελούμενον κάλλος ἐναργῶς ὁρᾶσθαι quæ sic converti latine possunt: *aliquorum verò faciem omnino depravarunt, deformemque reddiderunt, & maximè eorum, qui Pancratium exercent, vel pugilatum; ubi verò prorsus infregerint aliquod membrum, vel distorserint, vel oculos effoderint, tunc enimvero ejus artis perfectam, absolutamque pulchritudinem arbitror apparere*; & in [r] Anthologia lusus extat poetæ, quo narratur pugil, quum domum revertisset, non agnitus esse a fratre, privatusque pater-

[a] Horat. libr. 1. Od. 12. [b] Horat. libr. 3. Od. 12. [c] Virgil. Æneid. libr. V. [d] Servius in V. Æneid. [e] Virgil. ibid. [f] Statius Sylvar. libr. III. Sylva 1. [g] Theocrit. Dioscuris. [h] Virg. Æn. libr. VII., & Statius Theb. libr. 4. [i] Plin. libr. 7. cap. 56.

[l] Budæus in Pand. l. Athletas. de his, qui notant. infamia. [m] Cicero Tuscul. quæst. l. 2. paulo superius. [n] Servius in Æn. l. 1. ad illud *sive Erycis fines*. [o] Virg. Æn. l. V. [p] Statius lib. VI. Theb. [q] Gal. in Protr. ad artes. [r] Anthol. l. 2. ep. 1.

paternis bonis, quum plagis deformatus, mutilatusque pristinam formam omnino non retineret; atque hujusmodi lusus in pugiles, qui cæstibus contusi corporis aliquam partē amiserant, in Anthologia [a] sunt frequentissimi; ex quibus constat, quantis inter se viribus, & quàm validis armis dimicarent. Utebantur autem victu a ceterorum victu longè diverso: & antiquitus quidem ficu-
5 bus aridis vescebantur, & caseo, & panibus, ut ait Galenus [b] μηδὲ καλῶς ὠπτημένοις, μηδὲ ζύμην ἔχουσι πολλήν Pythagoras [c] autem, qui, ut Jamblichus ait, fuit auditor Pythagoræ philosophi, primus instituit, ut Athletæ carnes esitarent, librumque de athletico victu, & exercitatione conscripsit, in quo Jamblichus a Phavorino dissentit, qui Pythagoram Italicæ philosophiæ principem tradit Athletas ad carnes primum transtulisse; Pausanias autem in Eliacis non Pythagoram, sed Dromeum hujus auctorem rei facit; sed Jamblicho [d] Plinius assentitur libro XXIII. cap. VII. Illud autem vix adducor, ut credam Pythagoram maximum Philosophorum de hac re librum edidisse, quum gravissimi scriptores memoriæ prodiderint ipsum neque de philosophiâ scriptum ullum reliquisse. Utcunque tamen se res habet, post Pythagoram mutatus est Athletarum cibus, non ratio victus; semper [e] quippe ea fuit Athletarum consuetudo, ut & immodicè laborarent, & immodico somno, & cibo uterentur, & a Venere abstinerent; quocirca Horatius [f] dixit

Qui cupit optatam cursu contingere metam,
Multa tulit, fecitque puer, sudavit, & alsit,
Abstinuit venere, & vino......

Quapropter quum & cibum plurimum assumerent, & hunc magno labore confice-
6 rent, & venere vires non [g] enervarent, fiebat, ut & corporis moles ultra communem modum augeretur, & vires mirabiliter crescerent; hinc eminentes lacertorum tori, & magni membrorum artus, & succi, sanguinisque plenissimum corpus, quo factum est, ut pugilicè, [h] atque Athleticè valere a Latinis dicatur firmissimis uti viribus; quod ex Plauto potest intelligi; & illi cibi, quibus utebantur Athletæ, coliphia [i] appellentur, eo quod membris adderent vires, unde Juvenalis: [l]

Luctantur paucæ, comedunt coliphia paucæ

Sed tamen hic vigor, & hæc corporis ma-
7 gnitudo, quibus Athletæ se tantopere circumspiciebant, a nobilissimis medicorum improbatur. Quare Cornelius Celsus libro I. capite I. *Sed hujus generis exercitationes, cibique necessarii sunt, sic Athletici supervacui;* & paulo post: *in corpore, quæ more eorum repleta sunt, celerrimè & senescunt, & ægrotant*; eadem fere est Hippocratis [m] opinio, & Galenus in sermone, quo nos ad artes cohortatur, valetudini perniciosam Athleticam consuetudinem, rationemque victus pluribus ostendit, & Athletarum vitam execratur non solum propter periculosam, & obnoxiam morbis corporis habitudinem, sed etiam propter animi infirmitatem, pravitatemque morum; eorum quippe mentem profundo cœno demersam dicit, nihil altum, sublime, magnificum, splendidum cogitantem deprimi, & affligi humo divinæ particulam auræ.

DISSERTATIO XIII.

In Anthologiæ decimum Epigramma libri primi. De uva acerba a viatore projecta.

DISSERTATIO PRIOR.

Bacchus, seu vinum, sicut etiam ira, & amor poëticam facultatem promovent.

HActenus, Auditores ornatissimi, de gymnicis ludis; nunc ut ad ludum Dionysiacum transeamus, & nos etiam ludamus aliquando, lepidissimum Epigramma suscepimus enarrandum, quod in vitem optimi vini matrem, altricemque vetus poëta composuit; in quo hominem execratur, qui nondum maturas uvas e vite decerpserat, & earum acerbitate offensus humi projecerat. Huic Bacchum tam iratum imprecatur, quàm fuit Lycurgo Thra-
ciæ Regi, qui, ut est [n] in fabulis, quum 1
Dionysum Deum esse pernegaret, vitesque succideret, furore mentis divinitus oblato, sibi ipsi tibias amputavit; has pœnas meritum, hæc exempla dicit hominem; oppressisse enim crescentis lætitiæ fontem uberrimum, segetemque immaturam voluptatis, animique securitatis evellisse, ac perdidisse; intercepisse spem Musarum, & Apollinis, ac poëtici furoris quandam facem extinxisse; potuisse enim aliquem eo liquore, qui periit, vel remedium invenire curarum, vel elegans carmen condere, & sententia quidem carmini-

a Antholog. libr. 2. εἰς ἀγωνιστάς. b Galenus de Aliment. facult. libr. 1. cap. 2. c Jamblich. cap. V. Plin. libr. XXIII. cap. VII. Laërt. libr. VIII. d Jamblich. ibid. e Galenus libr. 6. de loc. aff.

f Horat. in Arte. g Hippocr. aphor. 3. h Plaut. in Epidic. act. 1. sc. 1. & in Bacch. act. 2. sc. 3. i Voss. Etymologic. l Juvenal Satyr. 2. v. 53. m Hippocr. aphor. 3. n Servius in Æn. I. 3.

minis talis est, carmen autem hujusmodi

Τίς ποτ' ἀκηδέσιος οἰνότροφον ὄμφακα βάκχου
Ἀνὴρ ἀμπελίνου κλήματος ἐξέταμεν,
Χείλεα δὲ στυφθεὶς χαμάδις βάλεν, ὡς ἂν ὄλοιτο
Ἔτη νοστομένοις ἡμεδαῖς σπύβαλον:
Ἔτη ἐι Διόνυσος ἀνάρπιστος, ἵνα Λυκόργω,
Ὅ'τι μὲν αὐξομένην ἔσβεσεν εὐφροσύνην:
Τῶδε γὰρ ἂν τάχα τις διὰ πώματος, ἢ πρὸς ἀοιδὰς
Ἤλυθεν, ἢ γυιαῖς κήδεος ἔσχε λύσιν

Quorum sententiam carminum explicari latinis versibus ita posse censemus

Quis carpsit nondum maturum e vite racemum
Altorem laticis, magne Lyæe, tui,
Et tristi offensus labra succo abjecit, ut essent
In mediâ gerræ, quisquilieque viâ?
Illum extinguentem crescentia gaudia perdat,
Exitio qui te, dure Lycurge, dedit.
Hujus enim potu quis amabile condere carmen,
Vel gravibus posset corda levare malis

Hæc autem verba operæ pretium fuerit adnotasse: *οἰνότροφος* est vini nutritor, composita vox ex voce *οἶνος*, quæ vinum signi-
2 ficat, & ex voce *τροφὸς*, qua altor, ac nutrix dicitur, est etiam *τροφὸς* mater; nam quemadmodum apud Latinos & ea, quæ nutrit, & ea, quæ peperit mater appellatur, ita & apud Græcos utrumque nomen confunditur. *οἶνος* vel dicitur ab OEneo, ut Nicander [a] testatur his verbis

Ὀινεὺς δ' ἐν κοίλοισιν ἀποθλίψας δεπάεσσιν
Οἶνον ἔκλησε . . . . . .

vel ut ait [b] Plato *ἀπὸ τοῦ ὀνήσεως ἡμῶν τὸν νοῦν ἐμπιπλᾶν quod arroganti quadam opinione impleat mentem* ab eo *οἰνάνθη* flos vitis; est enim [c] Suida teste, quod primum e vite germinat, & *οἰνάνθη* herba apud Dioscoridem libr. 3. & flos labruscæ, ut Plinius [d] docet. *ὄμφαξ* est uva acerba, unde vinum, [e] & oleum [f] *ὀμφάκινον* apud Plinium, & *ὀμφακίτης* apud Dioscoridem *κλήματος*, *κλῆμα* est palmes; & genus vitis Ammonio teste, & centurionum vites *κλήματα* appellabantur. *ἐξέταμεν* a verbo *ἐκτέμνω* cujus simplex *τέμνω*. Et hæc quidem de verbis; in rebus autem nihil inest obscuritatis; ceterum
3 ne prorsus inficeti, & *ἄμουσοι* quidam esse videamur, quoniam poëta noster duabus de causis Bacchum laudat, & quòd afferat animis hilaritatem, remediumque curarum, & quòd excitet mentem ad poëticam facultatem, utramque rem fusiùs ostendemus. Decet enim non alienum a musis hominem, & Bacchum laudare, quem Poëtæ [g] fecundum Apollinis, & Musarum Numen maximè venerantur. Præsertim quum ea, quæ de Baccho proposuimus dicenda, non prorsus *ἀπροσδιόνυσα*, ut Græci loquuntur, [h] & de quibus vetus proverbium dici possit, nihil ad Bacchum, esse videantur. Quid enim magis illi proprium, quàm poëtas ad versus faciendos excitare? quod ut probem, non mihi sapientis alicujus e Porticu, vel e Peripato, & Academiâ utendum est auctoritate, sed ipsorum testimonio, de quorum artificio disputatur. Quemadmodum enim, si, quid optimos venatores efficeret, quæreremus, venatorum in hac re judicium omnium sententiis anteponeremus, eodemque modo, si de re militari dubitaretur, militarium virorum testimonium gravissimum putaremus; & si de re nautica, nautarum; ita quum de poëticâ facultate quæratur, a poëtis præcipuè sunt petenda testimonia. Quid autem poëtæ frequentiùs inculcant, quàm eorum ingeniis moderatum vini potum conferre plurimum? vereor ne vobis pervulgata nimis, & protrita videar obtrudere, Auditores; tamen afferam aliquot poëtarum sententias, magis ut poëtæ nostri carmen inlustrem aliis, quæ eamdem sententiam continent, carminibus, quàm quòd res probationis indigere videatur; [i] Propertius igitur id in primis testatur, quum ait.

Ingenium potis irritat Musa poëtis,
Bacche soles Phœbo fertilis esse tuo

& Horatius [l] quum cecinit:

Fecundi calices quem non fecere disertum?

quapropter idem poëta, quum de Augusto quippiam excelsum, augustum, sublime, indictum ore alio canere meditatur, non Apollinis, verùm Bacchi furore se afflatum esse dicit [m]

Quo me Bacche rapis tui
Plenum? quæ nemora, aut quos agor in specus
Velox mente nova? . . . . . .

Quasi plus prosit ad poëticam facultatem Bacchi, quàm Apollinis furor. Eadem mens 4
est apud poëtam non inelegantem Cratini [n] Comici, qui non Pegasum equum poëtarum, sed vinum putat; sic enim loquitur:

Οἶνος τοι χαρίεντι πέλει μέγας ἵππος ἀοιδῷ

& quid ni putet præsertim poëta comicus, quum comœdia [o] a compotationibus originem duxerit? in Icariâ enim Atticæ regione vindemiæ tempore reperta est; quaprupter & trygodia primitus est appellata *ἀπὸ τῆς τρύγης* a vindemia; sed & illa gloriosa tragœdia, quæ poëtas [p]

. . . docuit magnumque loqui, nitique cothurno,

non aliam habuisse fertur originem, si credimus Athenæu [q]; homines nimirum soluti curis, & vino madidi versus fundere ceperunt, qui paulatim certis legibus adstricti pro humilitate ipsorum, vel sublimita-

---

a Nicander. apud Athenæum libr. 2. cap. 1. b Plato in Cratylo. c Suidas in V. *οἰνάνθη*. d Plinius libr. XII. cap. XXVIII. e Plin. libr. XIV. cap. XVI. f Plin. libr. XII. cap. XXVII. g Hor. l. 2. Od. XIX. & Acron in eum loc. h Plutarch. in 1. libr. Symposiac. Cic. ad Att. libr. 16. Epist. 13. & Erasm. adagior. Chiliad. 2. Centuria IV. i Propert. libr. 4. Eleg. 6. l Horat. libr. 1. Epist. V. ad Torquatum. m Horat l. 3. Od 25. n Athen. libr. 2. cap. 3. o Athen. libr 2. Diomed. l. 3. & Prophyrion in Artem Poët. Horatii. p Horat. in Arte. q Athen. loc. cit. cap. 2.

mitate tragœdia, vel comœdia sunt appellati. Et Tragici [a] poëtæ Bacchi artifices dicuntur; & ab eo in deliciis haberi putabantur; ex quo [b] quum Sophocles maximus auctor carminum tragicorum esset insepultus, admonuisse Bacchus in somnio dicitur Lysandrum Lacedæmoniorum Regem, ut delicias suas sepeliri pateretur. Nec verò solùm tragici, comicique, sed
5 & aliorum carminum scriptores & vino sunt delectati, & artem suam, & carminis granditatem vino acceptam retulerunt; cui enim illa de Ennio non sunt audita? [c]

Ennius ipse pater nunquam nisi potus ad arma
Prosiluit dicenda......

Et de Homero [d] Principe Poëtarum:

Laudibus arguitur vini vinosus Homerus

Anacreon autem tot in locis vinum laudat, ut de eo verissimè dicat Ovidius [e]

Quid nisi cum multo venerem confundere vino
Præcepit Lyrici Teia musa senis?

Jam Alcæum [f] ex his, quæ extant, fragmentis apparet fuisse maximum vini laudatorem; Æschylus [g] autem, quod nunquam sobrius versus pangeret, [h] a Sophocle reprehensus est; propterea quod & si rectè scriberet, id ignorans faceret. Quasi verò non multa a poëtis impetu animi magis, quàm ratione dicantur, quod [i] Plato
6 in Jone præclarè docet; & id ipsi non glorientur ea se furore correptos loqui, quæ non intelligant. Quare Hesiodus, quum antea esset expers poëticæ gloriæ, se repente scribit a Musis & laurum, & sceptrum accepisse, & poëtam evasisse. Mitto de aliis dicere: obvia passim exemplorum copia; res est enim tam inlustris, tamque manifesta, ut potiùs quærendum esse videatur, cur id eveniat, quàm ostendendum evenire. Ac mihi quidem rem diligentiùs perpendenti videtur minime esse mirandum, si poëtarum vis, & calor vini potu maximè inflammatur, nam vinum vehementiùs mentem movet, excitat, atque incendit, agitatque; quidquid autem est hujusmodi ad poëticam prodesse facultatem multis experimentis compertum est; quapropter quosdam irâ percitos elegantiùs, quàm animo tranquillo poëmata conscripsisse accepimus; [l] quod Archilocho, & Hipponacti nobilissimis poëtis arbitror accidisse, quorum non tanta fuisset in carminibus amaritudo, neque tanta dicendi vis, tantumque sententiarum acumen, nisi injuriæ dolor, in adversarios iracundia vehementiùs inflammasset. Nam de amore nihil attinet dicere, nullam enim animi cupiditatem poëticæ studio magis conferre notius est, quàm ut a nobis debeat indicari; cur enim tot poëtas de re- 7
bus amatoriis dulcissimos, & suavissimos versus condidisse; alias res aut non attigisse, aut non eadem felicitate carminum prosequutos putamus; nisi amor ad poëticam magno esset incitamento, & quod est in vetere [m] proverbio, musicam doceret? Eodem modo crediderim temperatum vini potum, quòd animos moveat, & calore moderato foveat, atque permulceat, homines ad cantum incitare; eoque etiam magis, quòd ceteræ perturbationes curam afferunt, & molestiam, hæc autem & oblivionem malorum, & omnium, quæ quasi animum mordent, & contrahunt, cogitationum. Quapropter quum, ut ait Euripides in Supplicibus, oporteat poëtam gaudentem, & soluto curis animo ingenii sui fetus edere, neque possit mœrore confectus ipse alios oblectare, minùs opportuna sunt carmina pangentibus iracundia, & dolor, & ipse amor; sunt enim magis quodammodo agrestes hæ perturbationes, nec sine dolore quodam animum pellunt, atque commovent. Nam ut ceteras prætermittam, nonne amor, qui mitissimus omnium videtur, a Virgilio [n] gravis cura, 8
a Theocrito gravis Deus appellatur? Potest autem quis gravi cura sollicitus laudabile carmen, & multis sæculis duraturum componere, quum [o]

Carmina proveniant animo deducta sereno?

nullo modo certe videtur; & tamen tantam habet vim motus ille, quo animus cupiditate incensus cietur, ut multos non mediocres Poëtas, sed pæne summos effecerit, & omnes pæne Elegorum scriptores, lyricique poëtæ ardore quodam amoris inflammati tenerrimos versus concinnasse videantur; nec sine causâ Poëta laudatus dixerit: [p]

Ingenium nobis sola puella facit.

Quod si consentaneum veritati est, & si amor, qui propter curas, quas affert, & dolores, quos amantibus objicit, [q] crudelis a plerisque vocatur, & e mari natus fingitur, ingenia poëtarum nutrit, & fovet, quanto magis id Bacchi numen præstare dicendum est, quem propter mansuetudinem a Nymphis nutritum poëtæ [r] fabulantur, & quem bonum Dæmonem appellabant, & etiam Bella non vi gessisse, sed hominibus ad hilaritatem conversis dicitur confecisse? Enimvero si duos Deos comparare velimus, longè Bacchum Cupidini præ-

[a] Plutarch. quæst. Rom. [b] Anonymus in Vita Sophoclis. [c] Horat. libr. 1. Epist. XIX. [d] Horat. libr. 1. Epist. XIX. ad Mæcenat. [e] Ov. Fast. libr. 2. [f] Athen. lib. X. [g] Lucian. in Demosth. encomio, & Plutarch. libr. 7 Symp. q. X. [h] Athen. libr. 1. cap. XIX. [i] Plato in Jone, seu de furore poët. [l] Horat. in arte. [m] Euripid. apud Plut. in Amator. & Plutarch in Sympos. quæst. l. 1. q. V. [n] Virg. Æn. libr. 4. in princ. [o] Ovid. de Trist. l. 1. El. 1. [p] Propert. libr. 2. El. 1. [q] Æn. libr. VI. Virgil. [r] Oppian. in Cyneget. & Ovid. Metam. libr. III. V. 313.

præferemus; alter enim [a] puer, hoc est mentis expers fingitur, alter [b] juvenis, hoc est viribus validus, & ingenio; alteri
9 arcus, [c] & sagittæ, & faces appinguntur, quæ sunt instrumenta feritatis; alteri thyrsus, [d] & corona, quæ sunt pacis, & hilaritatis insignia: alterum [e] semper choris, cantuque gaudentem; alterum [f] lacrimis, & suspiriis lætum fingunt: alterum non solum corporis oculis, sed etiam mentis acie destitutum; alterum & præsentia acutè cernentem, & futura [g] providentem, vaticinandique peritum autumant. Licet eodem modo cetera persequi, sed ne duos Deos ipsis invitis committamus, comparationem utriusque Numinis omittimus, non enim decet Bacchum cum Amore contendere, quum sint, ut poëta nobilis dicit,

.... *unanimi Bacchus, Amorque Dii.*

DISSERTATIO XIV.

In idem Epigramma.

Dissertatio Posterior.

Vinum lætitiam parit; ideo severitatem moribus vino temperari oportet; verùm moderatus vini usus laudabilis est; immoderatus reprehendendus.

Occasione sumptâ ab Epigrammate Anthologiæ decimo superiore sermone diximus, Auditores, omnes pæne res, quæ motum afferunt vehementem, & exeitant acrius mentem, ad versus faciendos homines, & pangenda carmina incitare, quod exempla declarant eorum, qui vel amore, vel odio, vel irâ commoti feliciùs, quàm animo tranquillo, musas coluerunt; ac proinde non esse mirandum confirmavimus, si vini potus idem efficere dicatur. Quod his causis arbitror evenire; quum
1 poëtica faculas animum non segnem, jacentemque, sed vegetum, & erectum, neque tristem, & anxium curis, sed hilarem, & ut ita dicam, defæcatum desideret, utrumque præstat vini potus; nam & animum excitat, ac perjucundè movet, & hilaritatem affert, oblivionemque curarum. Quapropter eruditissimus Varro in Marcipore sic vinum laudat [h]

Vino nihil jucundius quidquam cluet;
Hoc ægritudinem ad medendam invenerunt;
Hoc hilaritatis dulce seminarium;
Hoc continet coagulum convivia.

Nec minùs eleganter Poëta Græcus [i] apud Athenæum Bacchum sic alloquitur, & admiratur.

ὦ πᾶσι τοῖς φρονῦσι προσφιλέστατε,
Διόνυσε, καὶ σοφώτατ', ὡς ἡδύς τις εἶ,
Ο῞ταν τάπεινον μέγα φρονεῖν ποιεῖς μόνος,
Τὸν τὰς ὀφρῦς αἴροντα συμπείθεις γελᾷν;
Τὸν ἀσθενῆ τολμᾷν τι, τὸν δειλὸν θρασύν.

hoc est:

Amice cunctis Liber o prudentibus,
Et facilè vincens omnium prudentiam,
Quam suavis es, humilem superbum qui facis,
Risuque solvis tetricum, & timido novam
Audaciam addis, pauperique cornua.

Quem locum aspexisse arbitror Horatium [l]

Tu spem reducis mentibus anxiis,
Viresque, & addis cornua pauperi,
Per te neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.

Quæ laudes a poëtis vino non injuriâ tribuuntur; nemo est enim aut tam mærore 2
confectus, aut tam a curis oppressus, quin vini potu paulum ad lætitiam, hilaritatemque revocetur; nemo autem adeo tristis, aut tantâ morum severitate præditus, quin mansuefcat quodammodo, & jucundior, & magis comis evadat. Quapropter frustra est Homerus, [m] qui Helenam tradit Telemacho, & Menelao dolentibus Ulyssis, amicorumque acerbo casu miscuisse vino quoddam medicamentum; quod ægritudinem ex animis radicitus evelleret; nihil enim illi fuit opus alio medicamento, quum vinum habere optimum curarum remedium; sapientiùs, quamvis longè levioris operis auctor, Tibullus [n] vinum satis validum ad dolores depellendos putat, quum ait:

Adde merum, vinoque graves compesce dolores,
Occupet ut fessi lumina victa sopor

Et Propertius [o] qui mala non minùs vino, quàm morte sanaturum esse confidit;

Hoc, inquit, mihi, quod veteres custodis in ossibus ignes,
Funera sanabunt, vel tua vina malum.

Jam verò morum austeritatem, torvitatemque quamdam naturæ nihil hoc liquore validiùs emollit. Quocirca [p] Zenonem maximum Stoicorum accepimus 3
rigidæ virtutis, & contractæ frontis hominem, quum asperior haberetur; ubi se poculis capacioribus invitasset, fieri soli-

[a] Eubulus comic. apud Athen. libr. XIII. cap. 2. & Propert. libr. 2. Eleg. XII. [b] Ovid. Metamorph. libr. IV. v. 17. [c] Eurip. in Iphigen. & Tibull. libr. 2. Eleg. VI. [d] Ovid. Metamorph. libr. III. v. 666. [e] Orph. in hymn. [f] Propert. libr. 1. El. XII. & Virgil. Eclog. X. [g] Euripid. in Bacch. [h] Apud Non. Marcell. [i] Diphil. apud Athen. libr. 2. in princ. [l] Horat. libr. III. Od. XXI. [m] Homer. Odyss. δ. [n] Tibullus libr. 1. Eleg. II. [o] Propert. libr III. Eleg. XV. ad Bacchum. [p] Laërt. libr. VII. in Zenone, & Athen. libr. 2.

solitum omnium leniffimum, ex quo ille se Lupinis comparare non absurdè solebat; nam quemadmodum illi, quum suapte naturâ sint amarissimi, aquâ madefacti dulces evadunt, & ad gustum non insuaves; ita se moribus alioquin duriorem, asperioremque, madefactum vino fieri leniorem solere. Quam arbitror causam fuisse Catoni ᵃ ejusdem philosophiæ sectatori, cur vino gauderet; videbat enim vir perfectæ, consummatæque virtutis, & sapientiæ nimiam disciplinæ severitatem, & austeritatem fortasse naturæ aliquo modo temperandam; itaque non habebat necesse, quod Xenocratem Plato ᵇ admonebat, sacrificare gratiis, quum quotidie sacrificaret Dionyso omnium gratiarum parenti. Quocirca sine causâ est a Cæsare ᶜ Cato reprehensus, quòd vino frequentiùs indulgeret; indulgebat enim non obsequutus intemperantiæ, sed virtuti studens, quum ea ratione morum asperitatem cuperet mitigare. Quod & Seneca ᵈ præcipit faciendum, qui nimium etiam laxat habe-
4 nas, quum ait, nonunquam & usque ad ebrietatem veniendum, non ut mergat nos, sed ut deprimat curas; idque nonnullâ ratione; quemadmodum enim ferri rigor durus, & inflexibilis ignis ardore mollitus ad accipiendam ab artifice formam redditur opportunus; ita naturæ rigor immansuetus, & intractabilis vini calore mansuescit, evaditque rationi tractabilis. Illud enim de Catone viro gravissimo, sapientissimoque omnium nefas esse crediderim suspicari, intemperanter vino fuisse deditum; quis enim non dico sapiens, sed non turpissimus, velit obtemperare nequissimæ voluptati, & obruere sponte vino mentem, rationemque, quibus a Deo optimo, maximo neque majus, neque præstabilius quidquam accepimus? Est enim; ut mo-
5 deratus vini potus planè laudabilis, & non inutilis prorsus; ita immoderatus reprehendendus, omninoque damnosus; præclareque Panyasis Poëta Græcus ᵉ ubi enumeravit bona, quæ affert utentibus, vinum, statim addit

Πινόμενος κατὰ μέτρον· ὑπὲρ μέτρον δὲ χερείων

hoc est:

Si cum modo bibatur, nam supra deterius;

Nec minùs eleganter alio in ᶠ loco. igni vinum comparat; nam sicut ad ignem non est propiùs, quàm oportet accedendum, ne comburamur; neque longiùs absistendum, ne algeamus; ita vino modicè, prudenterque, non intemperanter utendum; quem vini usum moderatum puto laudare poëtas, quum vinum laudant, & ad cantum homines, & pangenda carmina dicunt incitare. Abest enim ab elegantissimis Musarum cultoribus, & alumnis suspicio tam fœdæ turpitudinis, ob eamque causam non minùs frequenter immodicum vini usum improbant, quàm comprobant moderatum. Quis enim non audivit Eubuli ᵍ poëtæ comici sententiam pulcherrimis versibus inclusam, quibus inducit Bacchum dicentem se tres tantummodo crateres miscere, quorum primus causâ valetudinis hauriatur, secundus Amoris, tertius autem somni; quartum autem, aliosque non esse Bacchi, sed contumeliæ, rixarumque, lasciviæ, & perditissimæ nequitiæ, quem imitatus Horatius ʰ præscribit sociis modum bibendi, quem excedere Gratiæ vetent, ne convivium perturbetur 6

Qui Musas, inquit, amat impares,
Ternos ter Cyathos attonitus petet
Vates; tres prohibet supra,
Rixarum metuens tangere Gratia
Nudis juncta sororibus

Et Panyasis ⁱ Poëta nobilis primam potionem tribuit Gratiis, Horis, & Baccho; Veneri secundam, iterumque Baccho; tertiam contumeliæ, & calamitati. Ex quibus intelligi potest placuisse elegantissimis poëtarum non longiùs in potu progrediendum, quàm quo progredi sanitatis ratio patiatur, animumque eo reficiendum, & excitandum, non obruendum, deprimendumque. Est enim planè mentis eversio, vitiorum alimentum, temperantiæ labes, perniciesque virtutis, & 7
maximum libidinis incitamentum; ea sic animum perturbat, ita corpus effeminat, & enervat, & morbis obnoxium reddit, ut nihil sit infestius tranquillitati, nihil vehementiùs corporis, animique vires convellat, & labefactet. Ideo non sine causâ Cyrenæus poëta, sive ˡ ille Eratosthenes, sive quispiam alius fuit, igni vinum, & sævissimæ tempestati comparat

Οἶνός τοι πυρὶ ἶσον ἔχει μένος, εὖτ' ἂν ἐς ἄνδρας
Ἔλθῃ, κυμαίνει δ' οἷα Λιβύσσης ἅλα,
Βορρῆς, ἠὲ νότος· τὰ δέ τοι κεκρυμμένα φαίνει
Βυσσόθεν, ἐκ δ' ἀνδρῶν πάντ' ἐτίναξε νόον.

hoc est.

Par igni vinum est, ubi pectora nostra subivit,
Sic agitat, Lybicum ceu movet atra fretum
Ira Noti, Boreæque; & conditur funditus effert,
Turbine & insano mentem, animumque quatit

Quam

ᵃ Hor. libr. III. Od. XXI Senec. de tranquill. animi cap. XV. ᵇ Diogen. Laërt. in Platonis Vita. ᶜ Plutarch. ᵈ Seneca de Tranq. animi in fine. ᵉ Apud Athen. libr. 2. cap. 2. ᶠ Idem paulo supra. ᵍ Apud Athen. libr. 2. capit. pr. ʰ Horatius libr. III. Ode XIX. ⁱ Apud Athen. libr. 2. cap. 2. ˡ Apud eundem loc. cit.

Quam turpitudinem, animique perturbationem fugere nonnulli cupientes a vino
8 prorsus abstinuerunt; quemadmodum Demosthenes, [a] Polemon Academicus, Mago Carthaginiensis, aliique complures, quorum nomina recenset libro secundo Dipnosophistarum Athenæus, quos non magnopere laudandos arbitror, ut enim Plato [b] reprehendit Lycurgum, quòd quum suos populos ab ebrietate prohibere vellet, succideret vites; non enim succidendas fuisse vites, sed populos docendos quo pacto vinum aquâ temperarent, ut & commodis, quæ affert vinum, fruerentur, & carerent incommodis; ita hi non sunt probandi, quum vino uti nescirent, quum ex eo non mediocrem utilitatem capere possent, cujus expertes illi fuerunt, & moribus fortasse duriores. Quocirca ut de aliis taceam [c] Demosthenes ipse eorum, quos nominavi, clarissimus, ut idem in orationibus testatur, quòd aquam biberet, morosus, & difficilis audiebat. Quod quum Veteres animadverterent, neque omnino carendum vino, neque intemperanter utendum, magno in honore habuerunt Amphictyonem [d] Atheniensium Regem, qui primus aquâ vinum dicitur diluisse, ob eamque causam aram in Horarum templo dicaverunt, quæ Bacchi Recti nominaretur; quasi ipse homines ebrietate in terram pronos erexisset. Qui sanè laudandus est, quoniam excogitavit rationem, qua Bacchi vis indomita minùs esset hominibus perniciosa; sed ille magis laudandus, qui non aquæ, sed rationis beneficio ebrietati resistit, qui temperantiâ consequitur, ut sine damno innoxiam capiat voluptatem, qui Isocratis [e] præcepto paret jubentis, ut e convivio surgamus, antequam vini copiâ mentis acies hebetetur. Sed quoniam vulgò virtus om-
9 nis in difficili est, & præcipue temperantia, Veteres non eum solùm, qui virtute animi, sed etiam qui corporis ebrietati resisteret, magni faciebant. Quapropter Homerus inducit Agamemnonem, Idomeneum magnis laudibus efferentem, quòd omnes in conviviis bibendo superaret; quod haudquaquam mirum videri debet quum sciam Philippum [f] Macedoniæ Regem eadem de causâ laudatum legamus; & Alcibiades in Platonis [g] convivio mirificè Socratem laudat, quòd & vini plurimum biberet, & nunquam ebrius conspiceretur. Existimabant videlicet Antiqui, quum vinum sit, ut ait Comicus, [h] Ju-ctator dolosus, & non solùm corpori vim afferat, sed etiam mentem de statu deiiciat, eum, qui cum hujusmodi Antagonistâ congressus non vinceretur, non minori laude esse dignum, quàm Athletas, qui adversarios robustos, peritosque luctandi supplantarent; itaque & potandi certamina legimus antiquitus instituta. Nam Siciliæ [i] Tyrannus Dionysius Athenienses imitatus congiorum diem festum celebravit, & ei, qui primus congium biberet, auream coronam præmium proposuit, quo in certamine victor Xenocrates philosophus dicitur extitisse, coronamque Mercurio, qui collocatus erat in Aula, dedicavit, & affixit; & Alexander [l] Magnus in Indiâ plurimum bibenti præmium proposuit talentum, quod Promachus accepit, qui vini quatuor congios dicitur ebibisse.

DISSERTATIO XV.

In Epigramma CXXIX. libri primi Anthologiæ.

Dissertatio Unica.

Feminæ quot malorum causa fuerint. De Prometheo, Epimetheo, & Pandorâ, & quid ea fabula significet. De Amore feminarum, quo incendimur.

Metellus, qui devicto Jugurtha Numidicus est appellatus, in oratione, [m] quam de ordinibus maritandis habuit, quum populum ad matrimonia, quæ parum frequentabantur, vellet exhortari, in concionis exordio fassus est onus esse gra- 1
vissimum, & multis incommodis, & curis, & mœroribus, & molestiis refertum conjugium; veruntamen sine eo rempublicam stare non posse; adeo etiam ille, cui propositum erat persuadere operam liberis dandam, non potuit tacitus præterire calamitates, quæ etiam liberali devinctos conjugio homines plurimæ sequerentur, quas [n] Juvenalis longissimâ, argutissimaque Satyrarum percensuit, & [o] Terentius expressit his verbis:

Duxi uxorem, quam ibi miseriam vidi!

Quare [p] Bias uxorem ducendam non esse confirmabat; idque brevi concludebat hac ratione,

ἢ καλὴν ἕξεις, ἕξεις κοινὴν, ἢν δὲ αἰσχρὰν, ἕξεις ποινήν

[a] Athen. libr. 2. cap. VI. [b] Plutarch. de audiend. poetis in princ. Plato de leg. Dial. 1. [c] Athen. libr. 2. cap. 16. [d] Athen. ibid. cap. 2. [e] Isocrates ad Demonicum. [f] Athen. libr. X. cap. X. [g] Plato in Convivio in oratione Alcib. de Socratis laudib. [h] Plaut. in Pseudolo act. V. sc. I. [i] Athen. libr. X. cap. X. [l] Athen. ibid. [m] A. Gell. libr. 1. cap. VI. [n] Juvenal. Satyr. VI. [o] Terent. Adelph. act. V. sc. IV. [p] A. Gell. libr. V. cap. XI.

hoc est:

Si pulchram habueris, communem habebis, si turpem pœnam,

quæ ratio licet non omnino convincat non esse nubendum, ut Gellius [a] in noctibus Atticis animadvertit, quum alterutrum eorum, quæ posuit Bias, non sit necessarium, & inter turpissimam, pulcherrimamque formam sit ea, quæ stata, & uxoria nuncupatur; non mediocriter tamen a matrimonio homines deterret, quum nimium sæpe accidat, ut & ob turpitudinem uxoris matrimonia sint injucunda; & turpia, & probrosa ob venustatem, & illa ipsa forma uxoria periculo haudquaquam vacet; præsertim quum inciderit in ingenium malum, pravumque, quo frequenter sunt præditæ mulieres, quarum bonam reperiri nul-
2 lam Plautus [b] confirmat his verbis

Decet te equidem vera proloqui;
Nam optima nulla potest eligi; alia aliâ
Pejor, frater, est .....

Eapropter [c] Euripides optat, ut sine mulierum operâ humanum genus propagetur, ut Plantæ; & Thales [d] Milesius, quum mater ipsum, ut uxorem duceret, hortaretur, nondum tempus advenisse respondit: interiecto verò aliquo intervallo, quum ab eadem acriori vi ad nuptias celebrandas compelleretur, jam elapsam opportunitatem esse confirmavit. Et Plato senectute summâ quibusdam sacris dicitur placasse naturam, quòd expers nuptiarum ævum transegisset; horruit nimirum vir summus societatem mulierum, quas & Socrati præceptori negotium viderat exhibere, qui uxoribus usus est maximè discordibus, & importunis: & Euripides, [e] qui prodierat ex eadem scholâ, semper exagitarat; quamquam Euripidem inimicum esse feminarum in tragædiis, non in lecto dicaces, [f] & æmuli ferebant. Utcunque ea se res habet, Euri-
3 pidi concinit chorus poëtarum, nam Propertius [g] de feminis dixit.

At vobis facile est verba, & componere fraudes;
Hoc unum didicit femina semper opus.

Et [h] Virgilius.

...... varium, & mutabile semper
Femina ......

Et [i] qui dixit:

Femina nulla bona est, vel si bona contigit ulli,
Nescio quo fato res mala facta bona est.

Et Græcus Poeta

ἐκ τῶν γυναικῶν ὄλλυται κόσμος μέγας

hoc est:

Vitio mulierum mundus ingens perditur.

Unde alius vitam sine nuptiis expertem molestiæ futuram arbitratur

Ἄλυπον ἕξεις τὸν βίον χωρὶς γάμου

hoc est:

Si nuptiæ absint, aberit & molestia

Sed inter eos poëtas, qui feminas carpunt, non ultimum locum obtinet Poëta noster, cujus hoc Epigramma suscepimus exponendum

Ὀργὴ τοῦ Διός ἐστι γυνὴ πυρὸς ἀντιδοθεῖσα,
Δῶρον ἀνιηρὸν τοῦ πυρὸς ἀντίδοτον:
Ἄνδρα γὰρ ἐκκαίει ταῖς φροντίσιν, ἠδὲ μαραίνει,
Καὶ γῆρας προπετὲς τῇ νεότητι φέρει.
Οὐδ' ὁ Ζεὺς ἀμέριμνος ἔχει χρυσόθρονον Ἥρην,
Πολλάκι γοῦν αὐτὴν ῥῖψεν ἀπ' Ἀθανάτων,
Ἠέρι, καὶ νεφέλῃσι μετέωρον. οἶδεν Ὅμηρος
Καὶ Δία συγγράψας τῇ γαμετῇ χόλιον
Οὕτως οὐδέποτ' ἐστὶ γυνὴ σύμφωνος ἀκοίτῃ,
Οὐδὲ καὶ ἐν χρυσέῳ μιγνυμένη δαπέδῳ

Quod Epigramma nos ita commodè converti posse censemus

Ira Jovis magni, Jovis est grave femina donum,
Pœna ignis rapti est, Ignis & instar habet.
Namque virû exurit curis, properaque senectâ
Heu carpit florem, blanda juventa, tuum.
Ipsa Deûm Regê male habet matrona Tonantis,
Hanc sæpe in præceps Juppiter ergo dedit
Aëre sublimem, pendentem & Nubibus altis
Irarum in sociam, testis Homere, Jovis.
Sic nulla unanimi concordat Nupta marito;
Nec quæ sidereo jungitur in Thalamo.

In his autem versibus Poëta feminas vocat iram Jovis, qui pro igne rapto pœnam a 4
mortalibus exegerit non fulminibus immittendis, non imbribus obruto Orbe terrarum, non bellis excitandis, non urbibus pestilentiâ exhauriendis; sed feminis procreandis, quæ multo majores, quàm alia omnia humano generi clades intulerunt, tantoque acriùs nocent, quantò jucundiùs blandiuntur. Est autem fabula, quam Poëta respicit, non admodum recondita, nam Prometheum ferunt e genere fuisse Titanum Japeti filium, qua de causâ Æschylus Prometheum Deum vocat, qui de Prometheo dixit, [l]

Οἷα πρὸς θεῶν πάσχω θεός,

idest:

Quæ patior a Diis Deus!

is quum è creta homines effinxisset, & id opus pulcherrimum, & in effigiem Deorum conformatum, haudquaquam futurum numeris omnibus absolutum, nisi affecto operi mentem indidisset, videret, cœlestis ignis a Sole particulam abstulit, & opificio suo præstantissimam addidit partem, qua simillimum Diis evaderet. Id ægrè Juppiter tulit, & ut Promethei furtum ulcisceretur, Vulcanum jussit pulcherrimam feminam effin-

[a] A. Gell. libr. V. cap. XI. [b] Plaut. Aul. act. 2. sc. 1. [c] Eurip. in Hippol. [d] Diogen. Laërtius in Thalete Plutarch. Sympos. libr. 3. cap. 6. Stobæus Serm. 66. [e] A. Gell. libr. XV. cap. XX. [f] Sophocles apud Athen. libr. XIII. [g] Propert. libr. 2. Eleg. VIII. [h] Virgil. Æn. libr. IV. [i] Petronius, sive quis alius vetus poëta in Petron. Fragm. [l] Æschyl. in Promethea.

effingere, cui omnes Dei sua munera largirentur, quo dulce malum blandiùs illiceret, & illectos crudeliùs affligeret; eam, quòd omnium Deorum donis esset ornata, Pandoram appellarunt; hæc, aperto vase, quo mala omnia continebantur, humanum genus ingenti clade pessumdedit; fabulam narrat Hesiodos [a] in Operibus, & diebus; alludit & Horatius [b] qui sic ait

Audax Japeti genus
Ignem fraude mala gentibus intulit;
Post ignem Ætherea domo
Subductum: macies, & nova febrium
Terris incubuit cohors,
Semotique prius tarda necessitas
Lethi corripuit gradum.

Sed hæc sunt nugæ; quid veritas ipsa, quæ sacris libris continetur, nonne [c] testatur
5 hortatricem primi sceleris primam fuisse feminam? qua suadente noster parens a suo conditore descivit, & adversus parentem suum impiè rebellavit; quæ tenebras offudit ipsius menti maximè perspicaci; quæ humani generis non mater, sed noverca seque, & virum, stirpemque omnem funditus perdidit; & quum socia esset viri, plusquam hostis infestissimus viro nocuit; quis ergo speret mulierum fidam societatem? quum illa ipsa, quam Deus suis manibus effinxerat, quam omni dote cumularat, omni virtute auxerat, non socia, sed hostis; non uxor, sed furia, non gaudium, sed luctus, non solamen, sed exitium, non adjumentum, sed damnum, & pernicies fuerit? Quod exulamus a patria, quod innumeris malis circumvenimur, quod torquemur, angimur, timemus, irascimur, agitamor, incendimur, quod a nobis ipsis dissidemus, quod omnes animantes infestas homini experimur; quod ignis, aër, terra, mare in nostras clades quodammodo conspirarunt; id omne feminæ referri debet acceptum. Ceterum ut ad Promethei fabulam revertamur, Prometheum interpretantur [d] esse animæ mundi providentiam, & affixus Caucaso [e] dicitur, & adamantinis vinculis alligatus, aquilæque subjectus,
6 quæ ejus jecur depascatur, & voret, quòd providentiâ curis animum conficiat, & lancinet. Idcirco [f] Pythagoras vetabat cor comedere; hoc est animum curis macerare, & [g] Homerus de Bellerophonte dixit ὃν θυμὸν κατέδων *ipse suum cor edens*. Hujus frater [h] Epimetheus fuisse fertur, cujus nomen significat *post factum consilium*; huic Plato tradit [i] animalium fin-
11 gendorum provinciam. Prometheum demandasse; hic quum alias animantes, aut unguibus, aut ungulis, aut dentibus, aut cornibus, aut rostris armasset, pellibusque adversùs inclementiam Cœli, & injuriam tempestatum munisset, & aliis robur, aliis velocitatem, aliis quandam naturalem industriam dedisset; homini nihil reliquerat, nec inire poterat rationem, qua præstantissimum animal tueretur; quo intellecto Prometheus a Minerva, Vulcanoque ignem abstulit, hoc est, ut [l] interpretor, mentem, & rationem, qua instructi homines ceteris animantibus imperarunt. Epimetheus [m] autem utpote stultus, Pandoram duxit uxorem, ex [n] qua Pyrrham procreavit. Prometheus verò Caucaso alligatus annorum triginta millibus pœnas dedit furti, donec eum Hercules a supplicio liberavit, consilio Jovis, qui ob ingens Promethei beneficium jam iram posuerat. Nam [o] quum Juppiter Thetidem deperiret, ipsamque sibi nuptiis esset conjuncturus, Prometheus cecinit, Thetidis filium patriâ laude clariorem futurum; Juppiter quum timuisset, ne quemadmodum ipse regnum Saturno, ita filius a Thetide procreatus sibi extorqueret, Thetidem Peleo concessit uxorem, ex qua natus Achilles, qui Pelei virtutes longè superavit; ideo Statius [p] de Achille dixit

Magnanimum Æacidem, formidatamq; Tonanti
Progeniem, & patrio vetitam succedere Cœlo.

Ad memoriam autem [q] Promethei cele-
brandam Lampadis ludus fertur institutus, 7
qui Athenis edebatur, in quo cursores lampada sibi invicem tradebant, cujus inter alios meminit Hyginus poëticon Astronomicon libro secundo. Est etiam institutum a Prometheo, ut victimarum carnes ab iis, qui sacrificabant, consumerentur; exta verò in honorem Deorum adolerentur. Nam quum antea victimas totas flammis imponere homines consuevissent, Prometheus a Jove impetravit, ut partem contentus hostiarum alteram partem humanis usibus concederet; quo impetrato duos tauros immolavit, & duorum carnes in unum confudit; & corio bovis contexit; viscera autem, & ossa ad eumdem modum operuit; & quum optionem Jovi permisisset, Juppiter elegit portionem, qua ossa, & viscera continebantur; ex eo mos dicitur defluxisse viscera dumtaxat Diis immortalibus dedicandi. Anulorum etiam usus a Prometheo dicitur promanasse, quod Plinius libro vigesimo tertio refert capite primo; nec aliud fuisse anulum, quam Pro-

[a] Hesiod. opera, & dies libr. 1. [b] Horat. libr. pr. Ode III. [c] Genes. cap. 3. [d] Plotinus de dubiis animæ. [e] Apollon. libr. 2. Argonaut. [f] Jamblic. in Vita Pythag. 2. cap. 24. [g] Hom. Il. ζ. [h] Hesiod. opera, & dies libr. 1. [i] Plato in Protagora.

[l] Plato ibid. [m] Hesiod. opera & dies l. 1. [n] Ov. Metamorph. libr. 1. v. 390. [o] Lucian. in Promethei, & Jovis Dialog. [p] Stat. Achill. in princip. [q] Pausan. in Atticis. [r] Scholiast. in Hesiodi opera, & dies, & Hygin. de Sagitt.

methei vinculum. Coronas [a] etiam gestare Prometheus instituit a vinculis liberatus, quod in ejus honorem homines Athenæo teste libenter usurparunt. Sed nos fabularum dulcedo longiùs provexit, quàm opor-
8 teret; nunc reliqua exequamur, Auditores. Confirmat Poëta noster feminis inesse vim ignis; virum quippe curis exurere, & conficere, & quadam tabe consumere, & præproperam afferre senectutem, cui dicto maximi Poëtæ [b] sententia consonat, qui sic ait

Carpit enim vires paulatim, uritque videndo
Femina ......

Et sanè amor, quem muliebres accendunt illecebræ, quid aliud est, quàm sævissimus ignis? hinc amore correptos ardere dicimus, & inflammari, nec opus est poëtarum dicta conquirere, quibus amorem ignem, & incendium vocant; ea passim occurrunt, ita Virgilius [c] ait,

Uritur infelix Dido, totaque vagatur
Urbe furens ......

Et [d] Tibullus.

Et seu quid merui, seu quid peccavimus uror,
Uror; io: remove, sæva puella, faces

Et [e] Virgilius alio in loco:

...... *est mollis flamma medullas*

Et [f] Ovidius.

An magis hic animi meus est, non aëris æstus,
Captaque femineus pectora torret amor?

Et [g] Horatius:

Amore, qui me præter omnes expetit
Mollibus in pueris,
Aut in puellis urere,

Et apud Terentium [h] quum Phædria dixisset:

Totus, Parmeno, tremo, horreoque,
Postquam aspexi hanc ......

Respondet Parmeno:

Bono animo es, accede ad ignem hunc, jam calesces plus satis

Et Plutarchus amorem igni tradit comparari, ignemque ferre fingi; quod sicut ignis luce suâ voluptatem creat; calore autem acerrimum sensum doloris; sic amor effe-
9 ctor est jucundissimæ voluptatis, & acerbissimi doloris; neque hæc sola inter amorem, & ignem intercedit similitudo, sed aliæ multæ; nam quemadmodum haud facilè est ignem occultare, sic amorem nemo possit abscondere. Quapropter Antiphanes Poëta Comicus [i] dixit

...... κρύψαι φαδίως
Α῎παντα τἆλλα τις δύναιτ' ἄν, πλὴν δύοιν
Οἶνόν τε πίνων, εἰς ἔρωτ' ἐμπεσών

Et ut ignis est violentissimus omnium rerum, sic amor vehementissimus omnium perturbationum; ideo Plutarchus Amorem Dictatoriâ imperio comparavit; quòd sicut creato Dictatore omnes aliæ cessant potestates, ita ubi animum amor occupavit, omnes aliæ cupiditates extinguuntur: habet ignis quiddam splendidum, quod illustrat omnia; habet amor quiddam generosum, & illustre, quo etiam humiles, & abjectos ad præclaras res gerendas excitavit; ex quo vetus dictum promanavit, insuperabilem exercitum fore, qui ex amatis, & amantibus constaret; cujusmodi fuit illa Thebanorum manus, quæ in prœlio adversus Philippum immortalia bellicæ virtutis edidit facinora, quam ipse hostis Philippus dicitur admiratus: durissima quæque mollit, & flectit, & fundit ignis; cujus non amor duritiem vicit, quem fortissimum non labefactavit, quem rigidissimum non flexit? Milonem [l] Crotoniensem ferunt incredibili hominem robore, 10
quum malum digitis duobus detineret, nunquam remisisse, quamvis validissimi viri, ut id extorquerent, conarentur; eandem puellam, quam deperibat, quum eripere mireretur, non potuisse retinere; adeo validissimi corporis vires amor labefactabat. Quum autem amantium cupiditas ignis appelletur, meritò Poëta noster affirmat curis exuri viros illecebris captos feminarum. Nam amor cura dicitur Virgilio [m] teste, qui de Didone cecinit

At Regina gravi jamdudum saucia curâ.

Et vero quæ gravior est amore cura, quæ violentior, quæ sic animum, mentemque perturbat, ut corpus omne tabescat, & consumatur, & sensus omnes hebetentur? Placet hoc loco versus Catulli [n] recitare, quibus exprimit amantium perturbationem, stuporemque, & morbum, quos ille expressit e Sapphus carminibus, quæ citantur a Longino [o] in libro de sublimi genere dicendi; sed tantummodo afferam Latini Poëtæ elegantissimam translationem, quæ est hujusmodi

Ille mi par esse Deo videtur,
Ille, si fas est, superare Divos,
Qui sedens adversus identidem te
Spectat, & audit
Dulce ridentem, misero quod omnes
Eripit sensus mihi: nam simul te,
Lesbia, aspexi, nihil est super mi,
Quod loquar amens:
Lingua sed torpet, tenues sub artus
Flamma demanat, sonitu suopte
Tinniunt aures, geminâ & teguntur
Lumina nocte.

Quem adeo vehementem motum minimè 11
mirum

[a] Athen. [b] Virgil. Georg. libr. 3. [c] Virg. Æn. libr. IV. [d] Tibull. libr. 2. Eleg. IV. [e] Virgil. Æneid. libr. IV. [f] Ovidius Amor. libr. III. El. 2. [g] Horat. in Epod. Od. XI. [h] Terent. Eunuch. act. 1. sc. 2. [i] Antiphanes apud Athenæum libr. 2. c. 2. [l] Ælianus Var. hist. libr. 2. cap. 24. [m] Virgil. Æn. libr. 4. in princip. [n] Catull. Ad Lesbiam 52. [o] Dionysius Longin. de Sublim. genere dicendi sect. 8.

mirum est homines incitare, quum etiam feras perturbet, & commoveat; quando enim eæ sæviores, aut oblitæ magis necessitudinum suarum esse dicuntur, quàm quum amore sævo inflammantur? [a]

Tempore non alio catulorum oblita leæna
Sævior erravit campis, nec funera vulgò
Tam multa informes Ursi, stragemq; dedere
Per Silvã tum sævus Aper, tum pessima Tigris:
Heu male tum Libyæ solis erratur in agris

Quamquam si cum feminia conjuncti viri sub amoris imperio, ut ait Plautus, non vapulent, non minoribus pæne curis afficiantur, siquidem verè Juvenalis [b] dixit:

Semper habet lites, alternaque jurgia lectus,
In quo nupta jacet, minimum dormitur in illo

Et Plautus [c] uxores in servitutem sumptibus redigere viros autumat, & in [d] milite glorioso recenset incommoda, quibus viros mactant uxores: versus Plautini sunt hi.

Nam bona uxor, si ea quidem deducta est usquam gentium,
Ubi eam possim invenire? verùm egone eam ducam domum
Quæ mihi nunquam hoc dicat: eme mi vir lanam, unde tibi pallium
Malacum, & calidum conficiatur, tunicæque hibernæ bonæ,
Ne algeas hac hieme; hoc nunquam verbum ex uxore audias;
Verùm priusquam Galli cantent, quæ me somno suscitet,
Dicat: da mihi vir Kalendis, meam quod matrem juverit,
Da qui farciat, da qui condiat; da, quod dem Quinquatribus
Præcantatrici, conjectrici, ariolæ, atque haruspicæ,
Flagitium est, si nihil mittetur, quo supercilio spicit!
Tum piatricem clementer non potest, quin munerem,
Jampridem, quia nihil abstulerit, succenset ceraria,
Tum obstetrix expostulavit mecum parum missum sibi,
Quid? nutrici non missurus quidquam, quæ vernas alit?
Hæc, atque hujus similia alia damna multa mulierum
Me uxore prohibent, mihi quæ hujus similes sermones ferat

Et in Epidico [e] quum vestes recensuisset, quibus indutæ feminæ patrimonium virorum exhauriebant,

Hæc, inquit, *vocabula auctiones subigunt ut faciant viri.*

Nec verò solùm rei familiaris jacturâ emitur illa qualiscunque voluptas conjugalis, verùm aliis pretiis longè majoribus; feren- 12
di mores mulierum, qui etiam in bonis multum discrepant a virorum gravitate, & prudentiâ, & interdum occultis quibusdam causis animum acriùs pungunt, & vulnerant, quàm ut ferri possint. Idcirco Livium [f] Drusum ferunt, quum uxori nuncium remisisset, interrogatum cur feminam primariam, excellenti formâ, pudicitiâ singulari, moribus integerrimis missam fecisset, ostendisse calceos, & aptos ad pedem videri affirmasse, & tamen, ubi se premerent, nemini apparere; adeo bonarum quoque est molesta societas; quid earum, quæ, ut plerumque sunt animi feminarum cupiditatum impotentes, pravis moribus vivunt? Meritò senex apud Plautum [g] Periphanes, Herculem sese fuisse, quum uxorem haberet, autumat; neque enim tot ærumnas Hercules pertulit, quot sunt maritis interdum exantlandæ, injuriæ mussitandæ, toleranda morositas, dissimulanda levitas, & inconstantia, jurgia, & convicia devoranda, obsequendum feminæ impotenti: jam verò quàm est fastus mulieris odiosus ob formam superbientis, quo vitio pæne omnes laborant; adeo ut vix ullam reperias, quæ suam formam Helenæ pulcritudini non anteponat; quàm molesta garrulitas, & loquacitas; quàm grave, & intolerandum, quàm periculosum cum eâ perpetuam vitæ societatem inire, cui siquid secreti sermonis commiseris, omnibus deblateret? Neque enim tam dolium illud, quo filiæ Danai [h] ferre dicuntur, plenum rimarum, quàm est ad arcana occultanda inepta garrulitas feminarum, unde illis jure dici possit illud Terentianum [i]

Plenus rimarum sum, hac, atque illac perfluo

Et laus illa, quam Plinius feminæ primariæ tribuit, *uxor secreti capacissima*, perquàm rara est, & albo Corvo simillima; nam plerumque feminæ quidquid sciunt, effutiunt, & tacenda, dicendaque pariter efferunt, & omnibus commune est illud vitium, quod Juvenalis [l] tribuit feminis litteratis, de quibus argutissimus poëta dixit

Tot pariter pelues, & tintinnabula dicas
Pulsari, jam nemo tubas, atque æra fatiget,
Una laboranti poterit succurrere lunæ

Sed in doctis id minus odiosum, quòd earum sermones aliquo doctrinæ sale condiuntur; indoctarum verò quis garrulitatem ferat, quæ semper eadem obganniant, insulsisque verbis miseri mariti aures onerent, & obtundant; & quum ad arcana continenda sint ineptissimæ, si non omnia viri

con-

a Virgil. Georgic. lib. III. b Juvenal. Sat. VI. v. 268. c Plaut. Aulul. Act. 2. Sc. 1. d Plaut. Mil. Gloriof. Act. 3. Sc. 1. e Idem in Epid. Act. 2. Sc. 2. f Plutarch. conjugal. precept. g Plaut. in Epid. Act. 2. Sc. 2. h Higyn. fab. 170. & Horatius lib. 3. Od. 11. i Terentius Eunuch. Act. 1. Sc. 2. l Juvenal. Satyr. VI.

methei vinculum. Corones [a] etiam gestare Prometheus instituit a vinculis liberatus, quod in ejus honorem homines Athenæo teste libenter usurparunt. Sed nos fabularum dulcedo longiùs provexit, quàm oporteret; nunc reliqua exequamur, Auditores.
8 Confirmat Poëta noster feminis inesse vim ignis; virum quippe curis exurere, & conficere, & quadam tabe consumere, & præproperam afferre senectutem, cui dicto maximi Poëtæ [b] sententia consonat, qui sic ait

Carpit enim vires paulatim, uritque videndo
Femina ......

Et sanè amor, quem muliebres accendunt illecebræ, quid aliud est, quàm sævissimus ignis? hinc amore correptos ardere dicimus, & inflammari, nec opus est poëtarum dicta conquirere, quibus amorem ignem, & incendium vocant; ea passim occurrunt, ita Virgilius [c] ait.

Uritur infelix Dido, totaque vagatur
Urbe furens ......

Et [d] Tibullus.

Et seu quid merui, seu quid peccavimus uror,
Uror; io: remove, sæva puella, faces

Et [e] Virgilius alio in loco:

...... *est mollis flamma medullas*

Et [f] Ovidius.

An magis hic animi meus est, non aëris æstus,
Captaque femineus pectora torret amor?

Et [g] Horatius:

Amore, qui me præter omnes expetit
Mollibus in pueris,
Aut in puellis urere,

Et apud Terentium [h] quum Phædria dixisset:

Totus, Parmeno, tremo, horreoque,
Postquam aspexi hanc ......

Respondet Parmeno:

Bono animo es, accede ad ignem hunc, jam calesces plus satis.

Et Plutarchus amorem igni tradit comparari, ignemque ferre fingi; quod sicut ignis luce suâ voluptatem creat; calore autem
9 acerrimum sensum doloris; sic amor effector est jucundissimæ voluptatis, & acerbissimi doloris; neque hæc sola inter amorem, & ignem intercedit similitudo, sed aliæ multæ; nam quemadmodum haud facilè est ignem occultare, sic amorem nemo possit abscondere. Quapropter Antiphanes Poëta Comicus [i] dixit

...... κρύψαι φαδίως
Ἄπαντα τἆλλα τις δύναιτ' ἂν, πλὴν δύον
Οἶνόν τε πίνων, εἰς ἔρωτ' ἐμπεσών

Et ut ignis est violentissimus omnium rerum, sic amor vehementissimus omnium perturbationum; ideo Plutarchus Amorem Dictatoris imperio comparavit; quòd sicut creato Dictatore omnes aliæ cessant potestates; ita ubi animum amor occupavit, omnes aliæ cupiditates extinguuntur: habet ignis quiddam splendidum, quod illustrat omnia; habet amor quiddam generosum, & illustre, quo etiam humiles, & abjectos ad præclaras res gerendas excitavit; ex quo vetus dictum promanavit, insuperabilem exercitum fore, qui ex amatis, & amantibus constaret; cujusmodi fuit illa Thebanorum manus, quæ in prœlio adversus Philippum immortalia bellicæ virtutis edidit facinora, quam ipse hostis Philippus dicitur admiratus: durissima quæque mollit, & flectit, & fundit ignis; cujus non amor duritiem vicit, quem fortissimum non labefactavit, quem rigidissimum non flexit? Milonem [l] Crotoniensem ferunt incredibili hominem robore, 10
quum malum digitis duobus detineret, nunquam remisisse, quamvis validissimi viri, ut id extorquerent, conarentur; eundem puellam, quam deperibat, quum eripere niteretur, non potuisse retinere; adeo validissimi corporis vires amor labefactabat. Quum autem amantium cupiditas ignis appelletur, meritò Poëta noster affirmat curis exuri viros illecebris captos feminarum. Nam amor cura dicitur Virgilio [m] teste, qui de Didone cecinit

At Regina gravi jamdudum saucia curâ.

Et vero quæ gravior est amore cura, quæ violentior, quæ sic animum, mentemque perturbat, ut corpus omne tabescat, & consumatur, & sensus omnes hebetentur? Placet hoc loco versus Catulli [n] recitare, quibus exprimit amantium perturbationem, stuporemque, & morbum, quos ille expressit e Sapphus carminibus, quæ citantur a Longino [o] in libro de sublimi genere dicendi; sed tantummodo afferam Latini Poëtæ elegantissimam translationem, quæ est hujusmodi

Ille mi par esse Deo videtur,
Ille, si fas est, superare Divos,
Qui sedens adversus identidem te
Spectat, & audit
Dulce ridentem, misero quod omnes
Eripit sensus mihi; nam simul te,
Lesbia, aspexi, nihil est super mi,
Quod loquar amens.
Lingua sed torpet, tenues sub artus
Flamma demanat, sonitu suopte
Tinniunt aures, geminâ & teguntur
Lumina nocte.

Quem adeo vehementem motum minimè 11

mirum

[a] Athen. [b] Virg. l. Georg. libr. 3. [c] Virg. Æn. libr. IV. [d] Tibull. libr. 2. Eleg. IV. [e] Virgil. Æneid. libr. IV. [f] Ovidius Amor. libr. III. El. 2. [g] Horat. in Epod. Od. XI. [h] Terent. Eunuch. act. 1. sc. 2. [i] Antiphanes apud Athenæum libr. 2. c. 2. [l] Ælianus Var. hist. libr. 2. cap. 24. [m] Virgil. Æn. libr. 4. in princip. [n] Catull. Ad Lesbiam 52. [o] Dionysius Longin. de Sublim. genere dicendi sect. 8.

mirum est homines incitare, quum etiam feras perturbet, & commoveat; quando enim eæ sæviores, aut oblitæ magis necessitudinum suarum esse dicuntur, quàm quum amore sævo inflammantur? [a]

Tempore non alio catulorum oblita leæna
Sævior erravit campis, nec funera vulgò
Tam multa informes Ursi, stragemq; dedere
Per Silvã tum sævus Aper, tum pessima Tigris:
Heu male tum Libyæ solis erratur in agris

Quamquam si cum feminis conjuncti viri sub amoris imperio, ut ait Plautus, non vapulent, non minoribus pæne curis afficiantur, siquidem verè Juvenalis [b] dixit:

Semper habet lites, alternaque jurgia lectus,
In quo nupta jacet, minimum dormitur in illo

Et Plautus [c] uxores in servitutem sumptibus redigere viros autumat, & in [d] milite glorioso recenset incommoda, quibus viros mactant uxores: versus Plautini sunt hi.

Nam bona uxor, si ea quidem deducta est usquam gentium.
Ubi eam possim invenire? verùm egone eam ducam domum
Quæ mihi nunquam hoc dicat: eme mi vir lanam, unde tibi pallium
Malacum, & calidum conficiatur, tunicæque hibernæ bonæ,
Ne algeas hac hieme; hoc nunquam verbum ex uxore audias;
Verùm priusquam Galli cantent, quæ me somno suscitet,
Dicat: da mihi vir Kalendis, meam quod matrem juverit,
Da qui farciat, da qui condiat; da, quod dem Quinquatribus
Præcantatrici, conjectrici, ariolæ, atque haruspice,
Flagitium est, si nihil mittetur, quo supercilio spicit!
Tum piatricem clementer non potest, quin munerem,
Jampridem, quia nihil abstulerit, succenset ceraria,
Tum obstetrix expostulavit mecum parum missum sibi,
Quid? nutrici non missurus quidquam, quæ vernas alit?
Hæc, atque hujus similia alia damna multa mulierum
Me uxore prohibent, mihi quæ hujus similes sermones ferat

Et in Epidico [e] quum vestes recensuisset, quibus indutæ feminæ patrimonium virorum exhauriebant,

Hæc, inquit, *vocabula auctiones subigunt ut faciant viri.*

Nec verò solum rei familiaris jacturâ emitur illa qualiscunque voluptas conjugalis, verùm alus pretiis longè majoribus; ferendi mores mulierum, qui etiam in bonis multum discrepant a virorum gravitate, & prudentiâ, & interdum occultis quibusdam causis animum acrius pungunt, & vulnerant, quàm ut ferri possint. Idcirco Livium [f] Drusum ferunt, quum uxori nuncium remisisset, interrogatum cur feminam primariam, excellenti formâ, pudicitiâ singulari, moribus integerrimis missam fecisset, ostendisse calceos, & aptos ad pedem videri affirmasse, & tamen, ubi se premerent, nemini apparere; adeo bonarum quoque est molesta societas; quid earum, quæ, ut plerumque sunt animi feminarum cupiditatum impotentes, pravis moribus vivunt? Meritò senex apud Plautum [g] Periphanes, Herculem sese fuisse, quum uxorem haberet, autumat; neque enim tot ærumnas Hercules pertulit, quot sunt maritis interdum exantlandæ, injuriæ mussitandæ, toleranda morositas, dissimulanda levitas, & inconstantia, jurgia, & convicia devoranda, obsequendum feminæ impotenti: jam verò quàm est fastus mulieris odiosus ob formam superbientis, quo vitio pæne omnes laborant; adeo ut vix ullam reperias, quæ suam formam Helenæ pulcritudini non anteponat; quàm molesta garrulitas, & loquacitas; quàm grave, & intolerandum, quàm periculosum cum eâ perpetuam vitæ societatem inire, cui siquid secreti sermonis commiseris, omnibus deblateret? Neque enim tam dolium illud, quo filiæ Danai [h] ferre dicuntur, plenum rimarum, quàm est ad arcana occultanda inepta garrulitas feminarum, unde illis jure dici possit illud Terentianum [i]

Plenus rimarum sum, hac, atque illac perfluo

Et laus illa, quam Plinius feminæ primariæ tribuit, *uxor secreti capacissima*, perquàm rara est, & albo Corvo simillima; nam plerumque feminæ quidquid sciunt, effutiunt, & tacenda, dicendaque pariter efferunt, & omnibus commune est illud vitium, quod Juvenalis [k] tribuit feminis litteratis, de quibus argutissimus poëta dixit

Tot pariter pelves, & tintinnabula dicas
Pulsari, jam nemo tubas, atque æra fatiget,
Una laboranti poterit succurrere lunæ

Sed in doctis id minus odiosum, quòd earum sermones aliquo doctrinæ sale condiuntur; indoctarum verò quis garrulitatem ferat, quæ semper eadem obganniant, insulsisque verbis miseri mariti aures onerent, & obtundant; & quum ad arcana continenda sint ineptissimæ, si non omnia viri

con-

a Virgil. Georgic. libr. III. b Juvenal. Sat. VI. v. 268. c Plaut. Aulul. Act. 2. Sc. 1. d Plaut. Mil. Gloriof. Act. 3. Sc. 1. e Idem in Epid. Act. 2. Sc. 2. f Plutarch. conjugal. precept. g Plaut. in Epid. Act. 2. Sc. 1. h Higyn. fab. 170. & Horatius libr. 3. Od. 11. i Terentius Eunuch. Act. 1. Sc. 2. k Juvenal. Satyr. VI.

consilia ab ipso cognoverint, se lædi, &
minui conquerantur: jam zelotypiæ, dis-
sidia, inimicitiæ, quæ cum conjunctissi-
13 mis aliquando uxorum gratiâ suscipiuntur:
jam tumor earum, quæ luculentam dotem,
aut generis claritatem in mariti domum in-
tulerunt, tam sunt non ferenda, ut Juvena-
lis [a] dixerit

Malo Venusinam, quàm te, Cornelia mater
Gracchorum, si cum magnis virtutibus affers
Grande supercilium, & numeras in dote triumphos.
Tolle tuum, precor, Hannibalem, victumq; Syphacem
In castris, & cum totâ Carthagine migra

Jam contemptus viri, & ineptum studium
sese aliis venditandi, & fuco faciem illi-
nendi, ut miseri viscentur labra mariti, &
sese operosius comendi, ornandique, &
pretiosis vestibus induendi, & gemmis, &
unionibus formam, & aliis munditiis illu-
strandi, quàm est odiosum, quàm frequens,
quàm importunum? Adde superstitiones,
quibus imbutæ sunt plæreque feminarum:
adde iram, cujus impotens ille sexus: ad-
de suspiciones, quæ earum animos imbe-
cillos præcipuè perstringunt. Jam Iliadem
malorum feminas comitari, & earum pul-
chritudinem tot vitiis pejus, quàm cæno,
collini fateberis. Hæ sunt res, quæ curas
afferunt, quibus uri viros Poëta noster af-
14 firmat; his addas licet curam susceptæ pro-
lis. Thales [b] Milesius interrogatus cur non
duxisset uxorem, dicitur respondisse, quòd
se nimium amantem liberorum futurum
provideret. Et sane studium sobolis edu-
candæ ingentibus animum curis onerat;
quàm enim solliciti sunt patres, quàm an-
xii, quàm inquieti, quàm timent, ne filii
rem multo sudore collectam dilapident, &
effundant, ne depraventur, ne male famæ,
male saluti, male capiti suo consulant,
quorum sollicitudinem expressit his verbis
Terentius [c]

Profectò hoc verè dicunt: si absis uspiam,
Aut ubi si cesses evenire ea satius est,
Quæ in te uxor dicit, quæ in animo cogitat
Irata, quàm illa, quæ parentes propitii.
Uxor, si cesses, aut te amare cogitat,
Aut te te amari, aut potare, aut animo obsequi,
Et tibi bene esse soli, quum sibi sit male,
Ego, quia non rediit filius, quæ cogito,
Quibus nunc sollicitor rebus! ne aut ille alserit,
Aut uspiam ceciderit, aut perfregerit
Aliquid, vah! quemquamne hominem in ani-
mum instituere, aut
Parare, quod sit carius, quam ipse est sibi!

Atque hæ sollicitudines fortunatos quoque
15 angunt parentes, qui filiorum probitate fe-
lices judicantur; quid illi, qui liberos na-
cti sunt intemperantes, protervos, cædis
avidos, rixarumque, ignavos, desides, he-
betes, aut sumptuosos, aleâ, & turpissimis
voluptatibus rem patriam profundentes,
quàm eorum est referta mæroribus vita,
quàm inquies, quàm luctu perdita, quàm
infelix! quum quos plus oculis amant in
summa infamia versari vident, quum ludi-
brio esse civibus, quum eorum facta plena
dedecoris, plena probri, plena flagitii, suæ
quoque famæ notam inurere sempiternam,
quum vitæ pignorum carissimorum, & va-
letudini timent, quibus imminere quoti-
die periculum præsens cernunt. Jam rem
familiarem præclaram, luculentam quum
ingluvie, luxuque, & ganeis, & aleâ stringi
intelligunt, nonne ad incitas adigi miseros
parentes necesse est. Quæ curæ licet, ut
Plutarchus [d] animadvertit, non debeant
homines a tollendis liberis deterrere; ne-
que enim aut ab administranda republica
nos prohibent curæ, quibus in gerendis
honoribus distinemur, aut ab ineundis a-
micitiis pericula; quæ persæpe sunt pro
amico subeunda; aut ab agro colendo la-
bores, qui suscipiuntur in terræ fructibus
colligendis; tamen ostendunt Poëtæ nostri
dictum esse verissimum

ἄνδρα γὰρ ἐκκαίει ταῖς φροντίσιν, ἠδὲ μαραίνει,
ϗ γῆρας προπετὲς τῇ νεότητι φέρει,

Quibus versibus tabescere veneris usu flo-
rem juventutis, & immaturâ confici sene- 16
ctute significat; quo argumento juvenis il-
le apud Achillem [e] Tatium adolescentulum
ab uxore ducenda dehortatur, quum dicat
illud pulchritudinis decus, illum formæ
candorem, illam oris venustatem consum-
ptum iri tabe maturâ, si conjugali jugo
collum submitteret, nec ulla res magis,
quàm præcox Venus juvenilem vigorem,
venustatemque depascitur, quod non in
homine solum, sed in mutis etiam ani-
mantibus cernimus evenire, de quibus
Virgilius [f] cecinit.

Sed non ulla magis vires industria firmat,
Quàm Venerem, & cæci stimulos avertere amoris

Nam Venus vires carpit, & exhaurit san-
guinis florem, & virentem, teneramque
deterit juventutem; ideo Pythagoras [g] uten-
dum Venere censebat, quum quis dete-
rior, imbecilliorque esse vellet; & Clemens
Alexandrinus [h] vetus dictum refert, Vene-
rem multis obfuisse, nemini autem pro-
fuisse; & Homerus dictum poëtæ nostri
videtur confirmare, qui nuptiis invehi pu-
tat præproperam senectutem; Nam Odys-
seæ libro septimo juvenibus opponit Mari-
tos hoc versu

Οἱ μὲν ὀπυίοντες, οἱ δὲ ἠΐθεοι θαλέθοντες

hoc

[a] Juvenal. Sat. VI. [b] Plutarch. in Solone. [c] Terent. in Adelph. Act. 1. Sc. 1. in pr. [d] Plutarch. in Solone. [e] Achill. Tat. libr. 1. [f] Virgil. Georgic. libr. 3. [g] Diogen. Laert. in Pythagor. libr. VIII. Stob. Serm. XV. [h] Clemens Alexandrinus Pædagogi libr. 3. cap. X.

hoc est:

Hi juvenes, illi Junonia vincula passi

Perinde ac si, qui uxorem duxerunt, non juvenes, verùm senes habeantur. [a] Plato autem adolescentiam expertem esse conjugii videtur voluisse, quum in legibus præcepit a trigesimo usque ad trigesimum quin-
17 ctum annum nuptias celebrandas, qua ætate jam viribus confirmatis minus affert Venerea voluptas detrimenti. Nam trigesimo quincto demum anno corporis vires augeri desinunt, & hic est terminus adolescentiæ constitutus; idcirco [b] Athletæ si post expletum annum trigesimum quinctum non erant victoriam consequuti, in arenam amplius non descendebant, quia se desperabant auctu virium posse ad palmam pervenire; ante eam ætatem igitur, quæ robustissimum robur affert, si Venere continenter, aut etiam frequenter utaris, quæ corpus effeminat, solvit, enervat, labefactat, nondum stabilitis viribus, cui potest esse dubium, quin earum incremento pessimè consulas? & quemadmodum parietem recens extructum adhuc molli calce quælibet causa convellit, ita non confirmatam juventutem tam efficax ad corpus debilitandum Veneris vis frangit, & maturâ senectute dissolvit. Hinc intemperans adolescentia malorum turbam, resolutiones nervorum, tabes, morbos comitiales, podagras, tremores, aliasque pestes invehit. Sed si corporis temperamentum mulierum commercio dumtaxat dissolveretur, esset aliquo
18 modo ferendum; animi verò tranquillitatem perturbari quis ferat? An verò non miseris modis turbatur, quum, quod est frequentissimum, immo fere necessarium, sexus ille tam dispar cum virili non potest convenire, & conjunctio corporum discordiam, & dissidium affert animorum, & quæ inter concordes esse debebant vincula charitatis, inter discordes, irarum sunt incitamenta. Hujus exemplum rei Poëta noster affert Jovis discordem a Junone voluntatem, inter quem & uxorem animorum tanta disjunctio est, ut ipsam e Cœlo præcipitem dederit. Fabula est apud Homerum libro decimoquincto Iliados, quo in loco summus poëta refert, quum Juno Herculi naviganti atrocissimam tempestatem immisisset, iratum Jovem e Cœlo Junonem dejecisse vinculis circumdatam, & duas incudes ex ea suspendisse; quam fabulam Mythologi sic explicant; Jovem esse, Æthereum cuncta circumplectentem ignem, Junonem verò aërem, qui quum Cœlo sit contiguus, cum eoque cohæreat, jure fingi Junonem e Cœlo esse dejectam, & vinculis illigatam; duas autem incudes nihil aliud esse, quàm terram, & aquam, quibus aër incumbit. Valerius Flaccus autem refert Junonem Cœlo delapsam in Enipeum flumen incidisse, & ab Jasone servatam, & in terram esse delatam; quapropter semper Jasoni favisse Junonem, nec absurdum fortasse fuerit versus Valerii Flacci recitare, qui sunt hujusmodi

Omnipotens Regina, inquit, quâ turbidus atro
Æthere cærulei quateret quum Juppiter imbre
Ipse ego præcipiti tumidum per Enipea nimbo
In campos, & tuta tuli, nec credere quivi
Ante Deam, quàm te tonitru, nutuq; reposci
Conjugis, & subitâ raptam formidine vidi

Vulcanum autem feruut suppetias Junoni ferentem, & ipsum de Cœlo dejectum in insulam decidisse Lemnum, quo casu crus ille fregit; ideo claudus Vulcanus fingitur & κυλλοποδίων ab Homero [d] dicitur, quem semianimum Lemni incolæ exceperunt, & fomentis adhibitis recrearunt; ex quo sacra Vulcano Lemnos esse fertur, quo respexit Homerus [e] his verbis

...... σὺ δ' ἐν αἰθέρι, καὶ νεφέλῃσιν
Ἐκρέμω, ἠλάστεον δὲ θεοὶ κατὰ μακρὸν Ὄλυμπον,
Λῦσαι δ' οὐκ ἐδύναντο παρασταδὸν, ὃν δὲ λάβοιμι
Ῥίπτασκον τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ, ὄφρ' ἂν ἵκηται
Γῆν ὀλιγηπελέων ......

Quos versus ita sumus interpretati

...... tu Cœlo, & nubibus altis
Pendebas, ægreque Dei tua damna ferebant,
Solvere nec poterant vinclum: quemcunque prehendi,
Dejeci correptum a summo victor Olympo,
Donec semianimis terram ferretur ad imam

Quorum carminum primum Hemistichium Poëta noster est imitatus, quum dixit 19

ἠέρι, καὶ νεφέλῃσι μετήορον

Sed ut ad discordiam Jovis cum Junone revertamur, non in decimoquincto solùm libro describit Homerus Jovem cum Junone jurgantem, sed & in primo, & in quarto, & in octavo Juppiter litigat; ideo Poëta noster affirmavit Homerum

Τὸν Διὰ συγγράψαι καὶ γαμετῇ χόλον

Et addit nullam cum viro nuptam esse concordem, quum Juno ipsa Cœlestes adepta nuptias Deorum maximi, cum Jove non consentiat; in ultimo autem versu est Homeri imitatio, nam sic se habet

Οὐδὲ καὶ ἐν χρυσέῳ μεμνημένη δαπέδῳ

Homerus [f] autem dixerat

Οἱ δὲ θεοὶ πὰρ Ζηνὶ καθήμενοι ἠγορόωντο
Χρυσέῳ ἐν δαπέδῳ ......

Sed Jovis cum Junone discordiam Poëtis relinquamus. Quid Historiæ? non illę quidem thalamos Divorum discordes esse testatur; sed

Re-

[a] Plato de legib. libr. 4. [b] Macrob. Saturn. libr. 1. cap. VI. [c] Macrob. in somn. Scipion. libr. 1. cap. XVII. [d] Homerus Iliad. α. v. 371. [e] Homerus Iliad. ο. in princip. [f] Homerus Iliad. δ. in principio.

Regum, qui proxime ad Deorum opes, &
20 dignitatem videntur accedere. Eriphyle
Amphiarai [a] Regis uxor mariti sui vitam
dicitur pretio vendidisse: [b] Agamemno-
nem Asiæ Victorem Clytæmnestra interfe-
cit; Semiramis Ninum, Candaulem [c] uxor,
quam miseris modis deperibat: [d] alterum
ex Tarquiniis, quia socero necem moliri
detrectabat, Servii Regis filia interemit, &
parenti suo mortem crudelissimè machi-
nata est: Jasonem [e] Pheræum non cives
gravi dominatu pressi, sed uxor mariti be-
neficio in regali fastigio collocata contru-
cidavit: Philippi [f] Regiam pulcherrimè
constitutam, & Alexandro successore ni-
xam Cleopatræ Nuptiæ miscuerunt. Evo-
lve fastos omnium regnorum; in omnibus
plurimos Reges uxorum dolis circumven-
tos, discordiis agitatos reperies: quid in
Imperio Romanorum, quid frequentius,
quàm scelera feminarum? Cæsar [g] uxorem
21 in Bonæ Deæ sacris a Clodio corruptam
repudiavit: Augustus [h] Liviam excidio Juliæ
domus funestam, & fortasse etiam suo per-
pessus est: Tiberius [i] Juliam adulteriis in-
famem tulit: Claudius [l] Messalinam inqui-
natissimam feminarum, & se vivente alteri
nuptam coactus est interficere; Agrippi-
nam [m] sævam in suam prolem novercam,
& ad extremum exitiabilem sibi expertus
est: Drusum [n] Cæsarem Livia uxor a Se-
jano corrupta veneno sustulit: Otho [o] pro-
pter uxoris adulteria infamiâ laboravit:
Hadriano [p] adeo cum Sabinâ uxore non
conveniebat, ut se eam dimissurum ut aspe-
ram, & morosam fuisse, si privatus foret,
frequenter jactaret: Antonini Pii Annia
Faustina nimiâ licentiâ occasionem vulgi
sermonibus præbuit, & viro causam mole-
stiæ, quam ille sapienter devoravit: hujus
autem successor [q] Antoninus Philosophus
Faustinæ libidinem toleravit, quæ nauti-
cas, & gladiatorias conditiones sibi elige-
bat, & ad extremum scelus pertulit Cas-
sium ad invadendum Imperium concitan-
tis. Quod si Regum; & Cæsarum conjuges
altissimæ fortunæ splendore non sunt a tur-
pissima vita deterritæ: si quum virorum
22 beneficio in summo fastigio essent consti-
tutæ, tamen in viros exitiabili odio fue-
runt, quid de reliquis suspicemur, quarum
flagitia fortunæ obscuritas obtegit, & quæ
maritis nihil, aut parum debent? Quantum
libidinum, quantum discordiarum priva-
tos thalamos habere censendum est? quum
historiâ teste cognoscamus feminas urbi-
bus universis, & nationibus bellorum, &
discordiarum caussas extitisse. Nam [r] Tro-
janum bellum Helenæ libido conflavit; il-
lud autem, [s] quod sacrum est appellatum,
quod & ipsum decennale fuisse dicitur, e-
xarsit ob raptam a quodam Phocensi mulie-
rem, quæ Theano vocabatur; quod inter
Phocenses, & Thebanos gestum Philippi
demum potentiâ finitum est: & bellum,
quod [t] Crisaicum est appellatum, quod ad-
versus Phocenses Cyrrhæi gesserunt, non
alia de causa conflagravit, quàm quod Cyr-
rhæi Megisto Phocensis Pelagontis filiam,
& Argivorum mulieres ex Delphico tem-
plo redeuntes rapuerant: & [u] Pericles pro-
pter amorem Aspasiæ Græciam universam
perturbavit, & permiscuit: Cambyses [x] au-
tem impulsus ab Ægyptiâ Netite Ægy-
ptum bello appetivit, & in suam potesta-
tem redegit; nam quum audisset Cambyses 23
Ægyptias mulieres in Venereo congressu
plurimùm ceteris antecellere, missis le-
gatis ab Amasi filiam ejus petivit; Amasis,
qui videret ipsam non uxoris, verùm con-
cubinæ loco futuram, non filiam suam,
sed Aprii, qui ab Amasi fuerat interem-
ptus, cui nomen Netitis, misit, quæ quum
Cambysem amore sibi devinxisset, ut Aprii
mortem ulcisceretur, Cambysem ad bellum
Ægyptiis inferendum concitavit; sic opu-
lentissimum regnum, quod magnam terra-
rum partem bello subegerat, eversum est.
Quid Syphacem ad violandum ictum cum
Romanis fœdus compulit? nisi infaustæ
nuptiæ, quas cum Asdrubalis filiâ contra-
xerat, cujus lacrymis victus prius quam ar-
mis Romanorum, pulcherrimum regnum,
& vitam amisit? quid Antonium [y] adver-
sus Augustum nisi amor Cleopatræ incita-
vit? Dies me deficiat, si velim, Auditores,
oratione comprehendere, quot bella, quot 24
discordiæ sint causâ feminarum excitatæ, ut
non sine ratione poetæ finxisse videantur
Martem a Junone sine viri opera esse pro-
creatum; quod solæ mulieres causas affe-
rant plerumque bellorum, & discordiarum.
Hinc plena tragediis vita; quid enim aliud
OEdipi [z] calamitates, nisi Jocastæ nuptiæ?
quid [a] Agamemnonis, & Orestis, nisi in-
temperantia Clytæmnestræ? quid Hercu-
lis, [b] nisi Dejaniræ Zelotypia? quid Jaso-
nis [c] luctus, nisi Medeæ furor? quid Hip-
polyti clades, nisi Phædræ cupiditas? quid
Hæmoni cædem attulit, nisi amor Antigo-
nes?

[a] Stat. Thebaidos. [b] Homer. Odyss. l. XI. Sophocl. in Electr. Eurip. in Oreste, & Seneca in Agamemn. [c] Herod. l. 1. c. 12. [d] T. Liv. l. 1. [e] Athen. l. XIII. c. 1. [f] Justin. Hist. l. 9. [g] Suet. in Cæs. c. 74. [h] Corn. Tac. Ann. l. 1. [i] Corn. Tac. Ann. l. IV. [l] Suet. in Claud. c. 26. [m] Suet. ibid. c. 44. [n] Corn. Tac. Ann. l. IV. [o] Suet. in Othon. c. 3. [p] Ælius Spart. in Hadr. Vita. [q] Jul. Capit. in Vita Anton. Philos. [r] Hom. Iliad. & Virg. Æn. [s] Athen. l. XIII. c. 1. [t] Athen. ibid. [u] Plutarch. in Pericle. [x] Herod. libr. III. in princ. [y] Plutarch. in Anton. [z] Sophocles in Oedipo, & Senec. in eodem. [a] Senec. in Agamemnone. [b] Senec. in Hercul. Oeteo. [c] Idem in Medea. [d] Idem in Hippolyto.

nes? quid [a] Hecubæ, Priamoque malorum Iliadem, nisi Helenæ, & Paridis adulterium? quid Bellerophonti, nisi Stenobœæ contempta pulchritudo?

DISSERTATIO XVI.

In Epigramma LXIX. Libri primi de Pylade Saltatore.

Dissertatio Prima.

De Saltatione Pantomimorum, & quot ejus genera fuerint. De Bathyllo, & Pylade ejusdem inventore.

Quoniam in primis nobilis apud antiquos fuit, & a scriptoribus celebrata Pantomimorum Saltatio, cujus inventores Pylades, & Bathyllus fuisse [b] perhibentur, quoniamque in Anthologia reperitur Epigramma, quod Boëthus composuit in laudem Pyladis celeberrimi Saltatoris, instituto meo non alienum existimavi me esse facturum, si & Epigramma proponerem mihi exponendum, & de Pantomimis nonnulla subtexerem, quæ vobis, Auditores ornatissimi, non injucunda speravi fore. Sed antequam ad explicandum carmen aggrediar, argumentum paucis proponam. Boëthus igitur ille, qui temporibus Augusti floruit, & in ejus adversus Cassium, &
1 Brutum Victoriam carmen condidit; unde a Strabone [c] malus Poëta, malusque civis appellatur, laudat, & verò non ineleganter laudat Pyladem saltationis hujus repertorem, qui Bacchi res gestas, & ejus cum Bacchis, & Satyrorum choris lusum, artificioso corporis expresserat motu, & affirmat tantam fuisse Pyladis in saltando venustatem, tamque mirabilem gratiam, ut si talis in Cœlum Bacchus venisset, oblita Juno inimicitiarum, quæ ei cum Baccho intercedebant, dictura fuerit non Semelen, verùm se ejus esse matrem, & Epigramma quidem ad hunc modum se habet

Ε'ι τοῖος Διόνυσος ἐς ἱερὸν ἤλθεν ὄλυμπον
Κωμάζων λήναις σύν ποτε, καὶ σατύροις,
Οἷον ὁ τεχνήεις πυλάδης ὠρχήσατο κεῖνον
Ο'ρθὰ κατὰ τραγικῶν τέθμια μυσοπόλων
Παυσαμένη ζήλυ Διὸς ἂν φάτο σύγγαμος Η'ρη
Ε'ψεύσω Σεμέλη, βάκχον ἐγὼ δ' ἔτεκον

Quorum carminum hujusmodi esse potest interpretatio

Si talis quondam sacrum venisset Olympum
Ogygius Bacchis cum Satyrisque Deus,
Qualem saltavit Pylades mirabilis arte,
Dum movet ad tragicos corpora ducta modos,
Depositâ Juno dixisset protinus irâ:
Mentiris, Semele, Bacchum ego nam peperi

Et in Epigrammate quidem hæc duximus adnotanda: ἱερὸν appellat Olympum, ut ab 2
Olympo montes distinguat; Cœlum autem dicitur Olympus, [d] quasi ὁλολαμπὴς quod universum splendeat; vel ab Olympo monte Thessaliæ, cujus altitudo Cœlum videtur attingere; quamquam plures hoc nomine montes, ut Straboni [e] credi convenit, perhibentur; nam & in Elide, & in Thessalia [f], & in Lesbo [g], & in Mysia [h], & in Lycia [i] Olympi montes reperiuntur. Ληναὶ Mulieres Bacchi comites [l] appellantur ἀπὸ τῦ λήνυ quod est torcular, unde Lenæus Bacchi cognomen apud Poëtas, Tibullus [m]

Odit Lenæus tristia verba pater.

Hæ verò [n] Mulieres & Bassarides dicebantur a Bassareo [o], qui est Bacchus, & Mænades [p] ἀπὸ τῦ μαίνεσθαι a furore, & θυάδες eadem de causâ; sic Virgilius [q] eas vocat,

...... *qualis commotis excita sacris*
Thyas, ubi audito stimulant Trieterica Baccho
Orgia, nocturnusque vocat clamore Cythæron;

& Bistonides [r] a regione Thraciæ, quo nomine Bacchas Lucanus [s] nuncupavit.

...... *nam qualis vertice Pindi*
Bistonis Ogygio decurrit plena Lyeo,

& Eleleides ab Eleleo Bacchi cognomine, cujus [t] meminit Ovidius hoc versu

Nyctelinsque, Eleleusque parens, & Jacchus,
& Evan

Baccharum autem, Bacchique lusum describit copiosissimè [u] Catullus his verbis

Qui tum alacres passim lymphata mente furebãt
Evoe bacchantes, Evoe capita inflectentes.
Horum pars tectâ quatiebant Cuspide Thyrsos,
Pars e divulso jactabant membra juvenco,
Pars se se tortis serpentibus incingebant,
Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis,
Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani.
Plangebant alii proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant,
Multaque raucisonos efflabant cornua bombos,
Barbaraque horribili stridebat tibia cantu.

Οἷον ὁ τεχνήεις πυλάδης ὠρχήσατο κεῖνον idem loquendi genus est apud Latinos; Ausonius [x]. 3

Daphen, & Nioben saltavit Simius idem,
Ligneus ut Daphnen, saxeus ut Nioben

G Juve-

2

[a] Hom. Iliad. & Plutarch. conjugal. præcept. [b] Athen. libr. 1. cap. VII. & Suid. in V. ὄρχησις ubi pro Bacchulide legendum est Bathyllo ex emendatione Justi Lipsii in Comment. ad libr. 1. Annal. Corn. Taciti. [c] Strabo. libr. XIV. [d] Suidas in V. ὄλυμπος, & Etymolog. magnum. [e] Strab. libr. X. [f] Strabo libr. VIII. [g] Plin. libr. V. c. XXXI. [h] Strabo libr. XII. [i] Plin. libr. XXI. c. VI. [l] Suidas in V. ληνὶς. [m] Tibullus libr. III Eleg VII. [n] Cornutus Gramm. in prim. Persii Satyr. v. 106. [o] Horat. libr. 1 Od. 18. [p] Juvenal. Satyr. VI. v. 317. [q] Virgil. Æn. libr. IV. [r] Horat. libr. 2 Od. 19. [s] Lucan. libr. 1. in fine. [t] Ovid. Metam. libr. 4. in princip. [u] Catullus de Nuptiis Pelei, & Thet. [x] Ausonius Epigram. 84.

Juvenalis. [a]

Chironomon Ledam molli saltante Bathyllo

ab hoc verbo componitur ἐξορχεῖσθαι, quod significat enunciare tacenda; quod de his dicebatur, qui Mysteria divulgabant. Clemens Alexandrinus Stromateon libro primo ὅτι μέγας ὁ κίνδυνος τὸν ἀπόρρητον ὡς ἀληθῶς τῆς ὄντως φιλοσοφίας ἐξορχήσασθαι est etiam ἐξορχεῖσθαι male litteris uti, & ad captandam auram popularem ab eloquentiæ rectâ ratione prævaricari, qua significatione sermonem inscripsit Aristides κατὰ τῶν ἐξορχουμένων

Ὄρθια κατὰ τραγικῶν τέθμια μυστοπόλων

non sine causâ dicit Pyladem rectè saltasse secundum leges tragicorum, non solum quia Pantomimorum saltatio erat, quæ tragica appellabatur, ut Athenæus [b] testatur his verbis τῆς δὲ κατὰ τοῦτον ὀρχήσεως τῆς τραγικῆς καλουμένης πρῶτος εἰσηγητὴς γέγονε βάθυλλος sed etiam, quia saltatio Pyladis haberet quid ὀγκώδη idest *fastus, & timoris plenum*, quod est aptius tragœdiæ, quum saltatio Bathylli contra esset hilarior; quapropter [c] Seneca negat Bathyllum parem sibi fuisse in tragœdia, sicut in comœdia Pyladem; sic enim loquitur; *& ut ad morbum te meum vocem, Pylades in Comœdia, Bathyllus in tragœdia multum a se aberant*. Illud etiam in hoc carmine

4 est adnotandum τέθμια, vel νόμους hoc est *leges* appellari musicos modos, cujus rei causam quærit, & explicat [d] Aristoteles in problematis ad hunc modum διὰ τί νόμοι καλοῦνται, οὓς ᾄδουσιν; ἢ ὅτι πρὶν ἐπίστασθαι γράμματα, ᾖδον τοὺς νόμους, ὅπως μὴ ἐπιλάθωνται; ὥσπερ ἐν Ἀγαθύρσοις ἔτι εἰώθασι, καὶ τῶν ὕστερον δὴ ᾠδῶν τὰς πρώτας τὸ αὐτὸ ἐκάλεσαν, ὅπερ τὰς πρώτας hoc est: *qua de causa leges appellantur eæ, quas canunt? an quia antequam litteras scirent, leges, & jura, ne oblivi scerentur, canebant? quod apud Agathyrsos etiam nunc usurpatur, & primas igitur posteriorum Odarum, priorum nomine nuncuparunt*. Atque hæc in Epigrammate mihi visa sunt maximè adnotanda; ceterum quoniam in versibus Poëtæ nostri de Pantomimis, & eorum Principe Pylade mentio reperitur, non abs re fuerit, quemadmodum polliciti sumus, nonnulla de Pantomimis dicere. Pantomimos igitur ex eo appellatos esse constat, quod artificioso corporis motu omnia propemodum imitaren-

5 tur; quod illis nomen non sine causa ab Antiquis est attributum; siquidem tanta fuit eorum saltatorum dexteritas, tantaque in artificio suo vis, & facultas; adeo omnes affectus expresserunt, & res gestas, & fabulas fictas oculis quodammodo subjecerunt, ut tacito corporis motu cujusvis elegantis Poëtæ, vel Historici facundi eloquentiam prope adæquarent. Quocirca [e] dicitur quidam barbarus, quum ad Neronem Imperatorem Legatus venisset, & Pantomimum saltantem spectasset, enixissimis precibus a Nerone contendisse, ut sibi aliquem daret hujusmodi saltatorem, ut per eum artificem Barbaris finitimis, qui suæ gentis linguam non intelligerent, significare posset, quæ vellet. Sed hic barbarus, & fortasse rei novitate permotus, insolitique admiratione spectaculi plura, quàm debuit, tribuit Pantomimis; quid philosophus, & ejus familiæ sectator philosophus, quæ haudquaquam cujusquam studium solet laudibus extollere? Demetrius [f] Cynicus nonne te- 6

stis est locupletissimus, nihil esse, quod Pantomimorum vis, & facultas non imitaretur, exprimeretque pulcherrimè, qui quum hujusmodi saltationem semper contempsisset, rogatus, ut priusquam rem improbaret, cognoscere ne gravaretur, saltantem Pantomimum spectavit, eoque spectaculo est adeo delectatus, ut Græcis verbis exclamaverit; *audio, homo, quæ exprimis, non solùm video; planeque mihi videris manibus ipsis loqui*. Quibus ex verbis intelligi [g] potest, quare Lesbonax Mitylenæus Pantomimos χειροσόφους hoc est *manibus sapientes* appellarit; propterea quod etsi vultu, oculis, & statu corporis, motuque res ob oculos ponerent, pleraque tamen manibus significarent. Est & alia hujus nominis notatio, quæ prætermittenda nequaquam est. Nam

tria sunt [h] saltationum genera, Tragica, 7

quæ nominatur ἐμμέλεια, quam concinnitatem vertit Julii [i] Pollucis Interpres; Comica, quæ cordax, lasciva saltatio, unde cordacismi, quos Philippo Macedoniæ Regi magnâ cum acerbitate obiicit [l] Demosthenes; Satyrica sicinnis nuncupata, quæ militaris quædam, vehemensque saltatio fuit, unde sicinnotyrbe, cujus mentio est [m] apud Athenæum; ex quibus intelligi potest, male a Suida in voce Pylades sicinnin tragicam saltationem dici, eumque locum emendandum esse; nam sicinnis [n] Athenæo teste non tragica, sed Satyrica saltatio habebatur, adeo ut Satyri sicinnistæ vocarentur, cujus inventor Sicinnus quidam barbarus perhibetur. Ex his igitur tribus quum Pantomimorum saltatio constaret, ut [o] Lucianus, & Suidas [p] docet, verisimile est Pantomimos ex eo nominatos, quod omnia simul, videlicet tragicæ saltationis gravitatem, Satyricæ vehementiam, comicæ lasciviam i-

mitarentur. Quacumque verò de causa Pan- 8

tomi-

[a] Juven. Sat. VI. v. 65. [b] Athen. libr. 1 c. XVII. [c] Senec. Controv. l. 3. in proœm in Edit. Gothofredi. [d] Arist. Probl. sect. 19. Probl. 28. [e] Lucian. de saltatione, & Cæl. Rhodig. libr. V. c. III. [f] Cæl. Rhodig. libr. V. cap. III. [g] Lucian. de saltatione. [h] Athen. libr. 1. cap. VII. Arrian. de reb. Indic. Cæl. Rhodig. libr. V. cap. IIII. [i] Jul. Pollux libr. IV. cap. VIII. [l] Demosth. Olynth. Ulpian. ibi. [m] Athen. libr. IV. cap. 2. [n] Athen. libr. 1. c. XVII. [o] Lucian. de Saltatione. [p] Suid. in V. Πυλάδης.

tomimi sunt hoc modo nominati, eorum saltationis auctor Bathyllus fertur; [a] qui quemadmodum Athenæus testatur, Alexandrinus fuit, & a Mæcenate habitus est in deliciis, sicut Cornelius Tacitus libro primo tradit his verbis: *indulserat & ludicro Augustus, dum Mæcenati obtemperat effuso in amorem Bathylli*, & Horatius [b] indicat in Ode, quæ sic incipit

Mollis inertia cur tantam diffuderit imis
Oblivionem sensibus;

ubi leguntur hi versus

Non aliter Samio dicunt arsisse Bathyllo
Anacreonta Tejum

Alter autem saltationis hujus inventor fuit Pylades natione Cilix, ut Suidas asseverat in voce *Pylades*, qui etiam librum de saltatione conscripsit, ut Athenæus [c] his verbis docet τοῦτον τὸν βάθυλλον φησὶν Ἀριστόνικος, καὶ πυλάδην, οὗ ἐστὶ σύγγραμμα περὶ Ἰταλικῆς ὀρχήσεως, τὴν Ἰταλικὴν ὄρχησιν πρῶτον συστήσασθαι *hunc Bathyllum dicit Aristonicus, & Pyladem, cujus est de saltatione liber, Italicam saltationem primum constituisse*, quamquam [d] Casaubonus excellenti vir ingenio, & eruditione putat ea verba: *cujus est de saltatione liber* ad Aristonicum referenda. Verumtamen Suidas [e] contrarium docet, qui de Pylade sic ait; *scripsit & de saltatione Italicâ librum, quæ ab ipso reperta est*, quod & ego verius arbitror. Et quoniam in hunc Athenæi locum incidimus, notandus est error Interpretis, qui sic ait: *saltationis tragicæ, quæ inolevit Athenæi sæculo, is primum auctorem fuisse tradit Bathyllum, quem rectè saltasse affirmat Seleucus*: vertit autem illa verba Athenæi τῆς δὲ κατὰ τοῦτον ὀρχήσεως τῆς τραγικῆς καλουμένης πρῶτος εἰσηγητὴς γέγονε βάθυλλος, ὅν φησι νομίμως ὀρχήσασθαι Σέλευκος. Nequaquam tam ineruditus fuit Athenæus, ut nesciret, aut quo tempore inventa fuerit Italica saltatio, aut Pyladem, & Bathyllum ejus inventores Augusti sæculo floruisse, quod inter omnes auctores [f] constat; testatur id loco citato Cornelius [g] Tacitus, qui si Italica saltatio Athenæi ævo in lucem esset prolata, Bathylli mentionem facere non potuisset; testatur [h] Zosimus, testatur libro secundo Saturnalium [i] Macrobius; testatur denique Lucianus in Dialogo de saltatione, &, ut alios prætermittam, [l] Suidas, qui etiam Augustum Italicæ saltationis facit inventorem, cujus auctoritas [m] adeo Lipsium decepit, ut pro certo auderet affirmare maximum Principum id invenisse, quod, quia permisit, a plerisqoe non injuriâ fortasse reprehenditur. Sed Lipsium fa tis refellit Casaubonus, [n] & Suidas ipse, quo auctore Lipsius nititur, qui in voce *Pylades*, quasi oblitus eorum, quæ dixerat, Pyladem, non Augustum ludicri Pantomimorum fuisse tradit repertorem. Sed, ut ad Athenæum revertar; non, inquam, tam indoctus fuit eruditissimus Græcorum, ut solus ignoraret, quod omnes eo tempore sciebant, & quod non poterat ignorare; nam si ætate Augusti Pylades, & Bathyllus hoc invento Italicam scenam illustrarunt, quomodo id nesciret Athenæus Romæ perdiu versatus, aut quum nesciret, quid illi venit in mentem, cur id, quod nesciebat, affirmaret? Quid ergo est? hominem doctum interpretem Athenæi fefellerunt ea verba, quæ leguntur in Epitome dipnosophistarum τῆς δὲ κατὰ τοῦτον ὀρχήσεως, quæ de Athenæo esse putavit capienda; itaque vertit, quæ Athenæi sæculo inolevit. Ego autem existimo auctorem Epitomes illa verba transcripsisse ex Athenæo, qui de Augusto, vel alio quopiam, qui eo tempore vixerit, loqueretur; neque enim ullo modo potest dici Athenæi sæculo Italicam saltationem cœpisse celebrari, quum teste Suida [o] imperante Marco Antonino philosopho floruerit Athenæus; quod & ipse Athenæus indicat, neque etiam eo tempore inolevisse, quum Lucianus [p], qui vixit imperante Trajano testetur [q] ad summum celebritatis evectam fastigium artem Pantomimorum; & Seneca doceat suâ quoque ætate maximè cultam, qui sic ait: *& quantâ curâ laboratur, ne cujuslibet Pantomimi domus intercidat: stat per successores Pyladis, & Bathylli Domus*

DISSERTATIO XVII.

In idem Epigramma.

Dissertatio Secunda.

Quis fuerit Auctor saltationis, & unde originem habuerit saltatio, & quid esset; quum darentur quædam saltationes sine saltu.

Quum mihi Anthologiæ Epigramma, quod de Pylade Italicæ saltationis inventore conscriptum est, proposuissem explicandum, occasione hinc sumptâ de Pantomimis nonnulla dixi, & quæ hujus nominis origo mihi videretur, exposui, &

[a] Athen. l. 1. c. 17. [b] Hor. in Epod. Od. XIV. [c] Athen. libr. 1. cap. XVII. [d] Casaubon. in eum locum Athen. [e] Suid. in V. Πυλάδης. [f] Suid. in V. Ἀθηνόδωρος. [g] Corn. Tac. l. 1. Annal. [h] Zosimus libr. 1. [i] Macrob. Saturnal. libr. 2. cap. 7.

[l] Suid. in V. ὄρχησις. [m] Just. Lipsius ad libr. 1. Annal. Corn. Tac. [n] Casaub. in eumdem loc. Ath. [o] Suid. in V. Ἀθήναιος. [p] Suid. in V. Λουκιανός. [q] Lucian. de Saltatione.

quo tempore Pantomimorum saltatio cœperit usurpari, & quibus auctoribus fuerit in scenam inducta; sed quoniam vix intelligi potest, quod nam fuerit ludicrum Pantomimorum, nisi de omni Veterum saltatione dicamus; id mihi existimavi hodierno die faciendum. Saltationem igitur antiquam rem esse cum multa declarant, tum illud in primis, quod Homerus [a] vetustissimus Poëtarum Heroicis temporibus in usu saltationem fuisse testatur; quamquam
1 Homerus duo tantummodo saltatorum genera videtur agnoscere; eos nimirum, [b] qui κυβιστητῆρες a Græcis nominantur, & eos, qui sphærâ ludebant, cujus inventionem Agallis Corcyræa Nausicaæ; alii [c] Sicyoniis, alii Lacedæmoniis [d] tribuerunt. Sed tamen eo tempore plura saltationum fuisse genera necesse est; si vera sunt, quæ de Theseo, & Ariadnâ produntur. [e] Nam Theseum ferunt saltationis genus ab Ariadna edoctum, quo labyrinthi Cretensis errores, & multiplices flexus, orbesque exprimebantur; quocirca Propertius [f] Poëta non minùs ingeniosus, quàm eruditus Ariadnam saltandi peritissimam facit in illis carminibus

Quantum, quod posito formosè saltat Jaccho,
Egit ut Evantes dux Ariadna Choros.

Sed & Corybantes [g], qui Jovem infantem occuluisse dicuntur, alio quodam vehementi, & laborioso genere saltationis usi sunt; & Bacchi comites suos choros duxerunt, & saltatione sunt maximè delectati; Pyrrhum [h] autem Græcis obsidentibus Trojam Pyrrhicham saltationem invenisse
2 memoriæ proditum est. Quæ quum ita sint, hoc ludicrum antiquissimum fuisse constat, ac proinde minimè mirandum est, si, quis saltationis inventor, ignoratur; nam [i] quidam saltationis inventricem Erato Musarum unam fuisse tradunt; quidam verò sicut Cælius [l] Rhodiginus refert, Hieronem ferunt immanissimum Tyrannorum, quum suspectam haberet suorum popularium fidem, eo vecordiæ, & inhumanitatis processisse, ut cives inter se colloqui prohiberet; quocirca quum aliter illi non possent, cepisse gestu, & nutu, & corporis motu significare, quæ vellent, ex eaque miserrimâ, tristissimaque necessitate artem esse natam, quæ hilaritatis est comes, & administra voluptatis. Eodem planè modo, quo Herodotus [m] tradit gravissimam famem, qua Lydia affligebatur, caussam fuisse ludorum, levissimæ rei; ad eam fallendam repertorum. Nam quum animadverterent homines animi sensa certo 3
quodam corporis motu non minùs exprimi posse, quàm verbis; quemadmodum verbis initio ad animi sententiam declarandam necessariò sunt usi, post autem delectationis caussâ non solum inter se loqui; verùm etiam elegans carmen fingere, artificiosam orationem componere, & res gestas, aut fabulas conscribere instituerunt; ita necessitate quidem coacti gestum ad ea significanda, quibus usus indigebat, adhibuerunt, deinde ad liberam animi oblectationem, quandam gestus artem invenerunt, quæ pars Musicæ facultatis fuit, & saltatio ab Antiquis [n] est appellata. Ex qua sive falsâ, sive verâ saltatoriæ artis origine intelligi potest id, quod in primis adnotandum est, non modo saltum, & cum musicâ quadam concinnitate corporis motum, certasque chori figuras; verùm etiam quemlibet artificiosum motum sive partis alicujus, sive totius corporis, aut etiam nutum, habitumque saltationem dici; & quod absurdum quodammodo videatur, sine saltu peragi saltationem, & eam, ut Aristoteles in poëtica docet, inter imitatrices esse collocandam; ex quo factum est, ut verbum [o] ὀρχεῖσθαι, quod saltare Latini dicunt, etiam moveri, & incitari diceretur. Quapropter Lycophron in Cassandrâ Martem 4
saltatorem vocat, quòd Martis vehementissimi sint motus, & Jon Poëta nobilis apud Athenæum [p] ait ἐκ τῶν ἀέλπτων μᾶλλον ὤρχησε φρένας *è non speratis animum magis incitavit;* unde Plautinus, [q] ut opinor, jocus emanavit, apud quem Euclio Senex avarissimus salire cor dicit sibi, & artem facere ludicram; hoc est saltare; nam & saltatores appellabantur Histriones, qui artem facere ludicram dicebantur, ut intelligi potest ex Macrobio [r], qui Pyladem saltatorem, Histrionem vocat, & saltatio ars ludicra apud Tacitum, qui ludicrum Pantomimorum dicit; ex quibus percipi potest Saltationis nomen patere latissimè; neque inverecundas esse elegantissimorum poëtarum translationes quisquam dixerit, præsertim qui reputaverit, quibus rebus nomen Saltationis Antiqui tribuerint. Nam & pilæ lusus ab Antiquis Saltatio vocabatur, sicut libro primo tradit [s] Athenæus, 5
qui Harpastum, quod etiam φαινίνδα, vel potiùs ἐφετίνδα, ut Casaubonus [t] legit, Græcis dicitur, in eo genere præcipuè laudat; & exercitatio Palæstræ saltatio dicebatur, quæ Budæo [u] teste Chironomia ... idest

[a] Hom. Il. π. [b] Athen. l. 1. c. XII. [c] Dicæarchus apud Ath. loc. cit. [d] Hippasus apud eundem ib. [e] Plutarch. in Vita Thesei. [f] Propert. libr. 2. El. III. [g] Lucian. de Saltatione. [h] Cæl. Rhodig. l. V cap. 3. [i] Idem libr. VII. cap. III. in Analectis Virgil. in Musarum inventis. [l] Cæl. Rhod. antiq. Lect. libr. V. cap. III. [m] Herodot. l. 1. c. XCIV. [n] Plat. de legib. 2. in fine. [o] Eustath. in Odyss. [illegible] [p] Athen. libr. 1. c. XVII. [q] Plaut. Aulul. act. 4. sc. 3. [r] Macrob. Saturn. libr. 2. c. 7. [s] Athen. libr. 1. [t] Casaub. ad hunc loc. [u] Bud. in Pand. l. Athletas 4. [illegible], qui non. inf.

idest *lex gestus* appellatur, quam oratori necessariam esse Quintilianus [a] docet, & quam Socrates [b] in poëmatis respiciens dixit

Οἳδε χοροῖς κάλλιστα θεοὺς τιμῶσιν ἄριστοι
Ἐν πολέμῳ ......

quam etiam Homerus [c] fortasse intelligens ἀμύμονα hoc est *inculpabilem* saltationem vocat. Jam verò si considerare singillatim velimus genera saltationum, quod diximus magis apparebit; saltare sine saltu licere. Xenophon philosophorum suavissimus libro sexto de expeditione Cyri multa genera saltationum describit, in quibus est & hæc Ænianensium, & Magnetum saltatio, quæ ad hunc modum peragebatur, & καρπαία est appellata. Quidam armis depositis junctos jugo boves agens, identidemque respectans, tanquam aliquid inopinatum formidaret, sementem faciebat; ad hunc accedebat latro, cum quo sumptis armis ante jugum arator dimicabat. Committebatur [d] autem pugna ad tibiæ sonum cum quodam musico numero, & concinnitate, & ad extremum vel aratorem latro cum jugo secum abducebat; vel agricola latronem manibus post tergum revinctis, & ad
6 jugum alligatum agebat. Nihil, ut videtis, ad hanc saltationem opus fuit saltu; quid ad eam, qua Mysos usos esse accepimus, qua duo, qui infestis peltis concurrerent, exprimebantur? quid ad Persicam, [e] quam cetris ad invicem complosis, & ad tibiæ sonum procumbentes, vicissimque surgentes non sine quadam musicâ lege saltabant? Jam verò quæ saltationes historiam aliquam referebant, manu, & corporis motu plerumque peragebantur; neque enim [f] saltu Telestes ille saltator insignis res gestas a septem Regibus ad Thebas ponere ob oculos spectatorum egregiè potuisset, aut Pantomimi omnes fabulas, & historias repræsentare. Quæ quum ita sint, haudquaquam mirum debet videri saltatores potuisse omnia tam feliciter imitari, ut ex eo Pantomimi vocarentur; quippe gestus non minùs propemodum, quàm verba ad res exprimendas valet, nec minùs est varius, & multiplex, quàm eloquentia. Quapropter Cicero [g] omnium Romanorum disertissimus certare solitus dicitur cum Roscio Histrionum celeberrimo, & per ludum experiri, utrum sententiam eamdem ipse pluribus modis variare dicendo; an gestu, & pronunciatione Roscius posset efferre; qua re elatus Histrio librum conscripsit, quo Histrionem cum Oratore comparabat. Inepte quidem ille nobilissimam, florentissimamque facultatem eum humili artificio, nec satis honesto contulit; sed non omnino sine causâ. Nam posse nobilem Histrionem gestu, corporisque motu verborum vim, & eloquentiæ copiam consequi, & propemodum adæquare Pantomimorum solertia, & artificium declaravit; nihil enim aut a Poëtis confictum, aut ab Historicis narratum, quod illi non eleganter expresserint. Quod si quis quærat, Auditores, 7
quo pacto illos putem consequutos, respondebo Pantomimorum saltationem fuisse persimilem notis illis, & figuris, quibus utebantur Ægyptii, [h] quas Hieroglyphica appellarunt. Nam quemadmodum illæ quum nihil commune cum litteris haberent, tamen ea, quæ significantur litteris, exprimebant; ita Pantomimi quum vocem emitterent nullam, tamen ea ipsa, quæ vocibus significantur, tacito corporis motu indicabant; quod ut faciliùs intelligi possit, exemplo est explicandum. Ægyptii quum annum, qui, ut ait Poëta, in se sua per vestigia vertitur, significare vellent, serpentem, [i] qui sibi caudam admorderet, fingebant; quum contumeliam, [l] Perdicem; quum invidiam, [m] Anguillam; quum impudentiam, [n] fluviatilem Equum; quum ingratum, [o] Columbam: cur ita? quia nihil est tam proprium, quàm hæc vitia his animalibus. Ad eundem sanè modum, quia 8
nihil est tam proprium magni viri, & in republica Principis, quàm curæ, quum non de suis tantùm, sed de publicis commodis debeat cogitare; ideo Pylades [p] Pantomimorum nobilissimus, quum magnum Agamemnonem significare vellet, expressit cogitantem; quum enim Hylas ejus discipulus, & artis æmulus canticum saltaret, in cujus extremo sunt illa verba τὸν μέγαν Ἀγαμέμνονα *sublimem, ingentemque* Hylas veluti metiebatur; exclamavit e caveâ Pylades σὺ μακρὸν, οὐ μέγαν ποιεῖς hoc est: *tu longum, non magnum facis*; quum autem jussus esset a populo idem saltare canticum, & ad eum locum venisset, eo quo diximus artificio Agamemnonis magnitudinem significavit; præclarè ille quidem & arti satisfecit suæ, & quid magnis viris conveniret, ostendit. Enimuero si omnia sic expressisset hæc Pantomimorum, ut ita dicam, symbola non minùs, quàm Ægyptiorum sacra viderentur digna, quæ a Sacerdotibus duntaxat tractarentur; sed fuerunt in illo Pantomimorum artificio, ut in Ægypto [q] Homericâ permulta mala permixta bonis. Quocirca meritò a gravissimis viris repre- 9
hen-

[a] Quintilian. libr. 1. c. 10. [b] Apud Athen. libr. 14. cap. 6. [c] Homer. Iliad. γ. v. 34. & Cæl. Rhodigin. libr. V. c. III. [d] Athen. libr. 1. c. XIII. [e] Athen. ibid. [f] Athen. libr. 1. cap. XIX. [g] Plutarch. in Cicer. [h] Horus Apollus. [i] Horus Apoll. Hieroglyph. primo. [l] Pierius Valer. libr. XXIV. de Perdice. Cæl. Rhod. l. 29. c. 26. [m] Cæl. Rhod. eod. loc. [n] Pierius Valer. l. 29. de Fluvial. equo, & Cæl. Rhodig. ibid. [o] Cæl. Rhod. ibid. [p] Macrob. Saturnal. l. 2. c. VII. [q] Hom. Odyss. δ.

hensum est; fuit enim libidinis incitamentum, eversioque publicæ disciplinæ, & ut brevi dicam, multum ab antiquâ illâ saltatione degeneravit, quam Pythagoras, ut animum temperaret, dicitur edidicisse, & quæ, ut Athenæus [a] testatur, homine nobili dignissima, & ad formandos mores non inutilis habebatur; neque, ut mihi quidem videtur, injuriâ. Nam quemadmodum Plato in secundo de legibus philosophatur, omnes animantes simul atque sese paulum corroborarunt, in illâ tenerâ, & acerbâ ætate motu gaudent, & quietem pati nesciunt; quapropter modo saltu, modo cursu lætantur, modo inter se ludunt, gestiunt, efferuntur, exultant. Sed quum ceteræ animantes, quid sit in rebus ordo, quid modus, numerusque non intelligant; eorum motus inconcinni, incompositique sint necesse est; homo autem præsertim adolescens, quum ab eadem naturâ incitetur ad motum, musicique concentus, numerorumque sit particeps, non debet temerè, & incompositè, sed cum musicâ concinnitate cieri. Permagni enim refert utrum cum ordine, & modo, an immoderatè moveamur; siquidem eadem musica & motibus corporis moderatur, & animum temperat; animus autem temerè morum afferens corpori, & ipse temerè, inconsulteque moveatur necesse est; quæ causa fuit Antiquis, ut saltationem inter artes liberales unà cum musicâ [b] numerarent, & eum ineruditum existimarent, qui saltare
10 nesciret. Quapropter [c] Clysthenes Sicyoniorum tyrannus, quum filiæ Procum Hippaclidem imperitè saltantem vidisset, dixisse fertur ipsum ἀπορχήσασθαι τὸν γάμον hoc est: *propter saltationem nuptiis excidisse* Et hæc quidem moribus Græcorum sic habebantur; apud Romanos autem nimia saltandi peritia reprehendebatur, ut intelligi potest e Sallustio, [d] qui de Semproniâ feminâ primariâ, sed parum suæ famæ consulente ad hunc modum scribit: *hæc mulier genere, atque formâ, præterea viro, & liberis satis fortunata fuit; litteris Græcis, & Latinis docta, psallere, saltare elegantiùs, quàm necesse est probæ*. Sed de hoc Sallustii loco, quoniam incidit ejus mentio, & non abhorret a re, quam tractamus, sequenti Dissertatione dicemus.

DISSERTATIO XVIII.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO TERTIA.

Romani saltationis nimium studium improbabant; Græci verò secus. De quibusdam aliis saltationum generibus, quæ apud Græcos in usu erant. Poëtæ plerique, qui Deos inducunt saltantes, Astrorum choros, & Mundi concentum exprimunt; Dii namque nihil aliud sunt, quàm mentes, quæ cœlestes orbes contorquent.

SAltationem, saltandique studium, quatenus Romanorum severissimis moribus putem recepta, libet hodierno die diligentiùs enarrare. Occasionem dedit Crispus historiæ Romanæ pater, in cujus locum incidimus, quum Epigramma Anthologiæ explicaremus, quod in Pyladem Italicæ saltationis inventorem a Boëtho poetâ conscriptum est. In eo loco Sallustius Semproniæ feminæ apprime nobilis mores, & studia describens, eam saltare solitam dicit elegantiùs, quàm probæ conveniret; quibus ex verbis, ut notat Macrobius, [e] intelligi po- 1
test, & non omne saltandi studium indecorum fuisse, & nimiam ejus rei peritiam reprehensam, quod utrumque paulo fusiùs demonstrabo; tum nonnulla de saltatione scitu non injucunda subtexam, non ut hoc artificium commendem, quod elegantissimè fecit Lucianus; [f] sed ut ea, quæ sparsim apud auctores leguntur, colligam, & quæ ad cognoscendam pertinent antiquitatem, ubi datur occasio, persequar non indiligenter. Si quis autem plura desideret, adeat Lucianum [g], Julium Pollucem [h], & doctissimum Athenæum [i], apud quos & genera saltationum, & nomina illustrium saltatorum, & quædam, quæ de ejus artificii præstantiâ mira sanè traduntur ab Antiquis, reperiet. Atque ut ab eo primùm exordiar, de quo me primùm fore pollicitus dicturum; mirum fortasse cuipiam possit videri, Romanos rerum dominos, qui bellorum, administrandæque reipublicæ studiis dumtaxat intenti omnes artes repudiarent, quæ, ut ait apud Sallustium [l] Marius, doctoribus ad virtutem nihil prodessent, tam ludicram tamen, & tam levem, & corrumpendis moribus idoneam facultatem recepisse; & tamen ita se res habet. Quemadmodum magnificentiam in

Deo-

[a] Athen. libr. 1. [b] Cassiodor. libr. 1. Epistola 10. [c] Athen. l. 14 c. 6. [d] Sallust. in Catilinar. [e] Macrob. l. 3. c. 14. [f] Lucian. de Saltat. [g] Lucianus loc. cit. [h] Jul. Poll. Onomast. l. 4. c. 13. & 14. [i] Athen. libr. 1. cap. 17. & libr. 14. cap. 6. [l] Sallust. in Jugurth.

Deorum suppliciis, & splendidam liberalitatem in templis, qua construendis, qua magnifico sumptu exornandis, paulatim ad privatos usus, & ad delicias, luxumque Romani converterant; ita hanc artem sacrificiis Deorum celebrandis repertam ad privatas traduxerunt voluptates, & quæ publico bono, tantùm pietati, religionique serviebat, labente paulatim disciplinâ, ad lasciviam, protervitatemque traducta in malum publicum vertit. Itaque [a] Numa
2 Pompilius Princeps ad sacra Martia celebranda saltationem adhibuit; nam ab eo duodecim Salios in honorem Martis legimus institutos, quorum munus, quodnam esset, narrat eleganter Livius libro ab urbe condita primo *Numa*, inquit, *duodecim Salios Marti Gradivo legit, tunicæque pictæ insigne dedit, & super tunicam æneum pectori tegmen, cœlestiaque arma, quæ ancilia appellantur, ferre, & per urbem ire canentes carmina cum tripudiis, solemnique saltatu jussit.* Hoc Sacerdotio præditi primores civitatis dabant operam, ut non ineleganter suum munus fungerentur; quocirca Appio Claudio [b] triumphali viro gloriæ fuisse accepimus, quod inter collegas optimè saltitaret. Sed non diu mansit hæc ars inter aras, & altaria Deorum; neque sacris celebrandis dumtaxat adhibita est, sed nobilium domos penetravit, & in delicia haberi cœpit. Quamobrem, ut Macrobius [c] testis est locupletissimus, etiam matronæ commodè
3 saltare non indecorum sibi existimabant, & quamquam nimium saltandi peritiam aspernabantur, tamen eam discere, & studiosè meditari non erubescebant, & virgines ipsæ in ludum saltatorium commeabant. Testatur hoc in quadam oratione [d] Scipio Africanus; *qui eunt*, inquit, *in ludum saltatorium inter cynædos virgines, puerique nobiles*, quo in loco fortasse cynædos appellat eos, quos alio nomine saltatores vocamus; nam antiquitus, ut Nonius Marcellus notat, saltatores appellabantur cynædi. Verumtamen sicut in hac arte modicum studium posuisse non absurdum videbatur; ita nimiam ejus facultatis peritiam reprehensam comperimus; quamobrem, reprehensione non caruit Gabinius vir consularis, & L. Licinius Crassus cujus Crassi filius, qui a Parthis est interemptus; quod illis non immeritò accidit; nam, ut Cornelius Nepos in Epaminondâ testatur, nimium saltandi studium inter vitia numerabatur. Quare Tullius hoc vitium turpissimum judicat, hujusque crimen diluit, & amolitur ab his, quos defendit, cujus illa sunt verba in oratione, quam habuit pro Muræna: *Saltatorem appellat Murænam Cato; maledictum est, si verè obiicitur, vehementis accusatoris; sin autem falsò, maledici conviciatoris*; & paulo post: *intempestivi convivii, amœni loci, multarum deliciarum comes est extrema saltatio: tu mihi arripis id, quod necesse est omnium vitiorum esse postremum, relinquis illa, quibus remotis hoc vitium omnino esse non potest*; & aliis in locis hoc vitium inimicis obiicit tanquam gravissimum, & a suis clientibus alienum esse magnopere contendit. Sed il-
lis temporibus, quibus aliqua veteris disci- 4
plinæ vestigia permanebant, minùs mirum est inter inhonesta positam saltandi peritiam, quum corruptis deinde moribus (adeo imbiberant animis ejus facultatis contemptum) id vitium Romani homines turpissimum judicarint. Quocirca [e] Domitianus Imperator, ut auctor est Suetonius, Quæstorium virum movit Senatu, quòd saltandi, gesticulandique esset apprimè studiosus, & Heliogabalus detestandi exempli Princeps, quum in rempublicam fœdissimè grassaretur, Imperiique Romani majestatem turpissimè contaminaret; nihil indignius visum est Romanis, quàm quod in honorem Syriæ Deæ publicè saltitaret, idemque facere cogeret primores civitatis. Quippe rem adeo turpem saltationem putabant, siquis eâ molliùs, quàm deceret, aut elegantiùs uteretur; ut eam non solùm viro principe, sed etiam homine libero indignam existimarent, & corrumpendis moribus natam arbitrarentur. Ex quo factum
est, ut plerique Augustum reprehendant, 5
quòd Pantomimorum ludicro indulserit, tanquam eo spectaculo feroces Romanorum animos effeminarit, & martiam virtutem emolliverit. Idcirco Zosimus Græcus auctor inter causas corruptæ veteris disciplinæ ludicrum Pantomimorum recenset; nec minùs graviter Venusinus [f] Poëta deplorans vitiorum labem, & depravatos civium mores, cum alias publicæ nequitiæ causas esse dicit, tum lascivarum studium saltationum

Motus, inquit, *doceri gaudet Jonicos*
Matura virgo, & fingitur artubus,
Jam nunc & incestos amores
De tenero meditatur ungui

Qua quidem in re graviùs, convenientiùsque moribus Romanorum loquutus est Horatius, quàm Propertius, [g] qui feminam laudat, quòd esset saltandi perita, quum ait

Quantum, quod posito formosè saltat Jaccho;
Egit ut evantes dux Ariadna choros.

Sed Poëta Græcorum imitationi dumtaxat addictus ad eorum consuetudinem, moresque respexit; fuit enim, ut Cornelius Nepos in Epimanondâ testatur, apud eam nationem non inhonesta saltatio. Itaque

Epami-

[a] Tit. Livius libr. primo. [b] Macrob. libr. 3. cap. XIV. [c] Macrob. libr. 3. cap. 14. [d] Macrob. ibid. [e] Sueton. Domitian. cap. VII. [f] Horat. libr. 3. Od. 6. [g] Propert. Eleg. 23. libr.

6 Epaminondas ipse magnum Græciæ lumen laudatur, quòd saltare commodè sciret, neque immeritò; nam ea facultas inter disciplinas, quæ liberales, & dignæ homine nobili existimantur, ponebatur, quam opinionem ab Heroicis usque ductam temporibus comperimus. Nam Saltationem inter pacis artes Homerus [a] recenset, & Merionem laudat, quòd esset Saltator egregius

Μηριόνη, τάχα κεν σε καὶ ὀρχηστήν περ ἐόντα
Ἔγχος ἐμὸν κατέπαυσε ......

hoc est

Te cito, Merione, quamvis saltare peritum
Stravisset mea cuspis humi ......

Ad bellicam [b] quippe virtutem eam artem Græci prodesse non mediocriter arbitrabantur; quam ob causam Lacedæmonios Castor,
7 & Pollux Saltationem, quæ καρυατισμὸς est appellata, docuerunt, eamque [c] Lacedæmonii belli meditationem longè præstantissimam judicarunt; & quum alias artes negligerent, & repudiarent, hanc tamen diligentissimè coluerunt, & complexi sunt, & ingenuos adolescentes usque ad ætatis annum trigesimum edocebant. Erat autem apud eos celeberrimum Saltationis genus, quod ὅρμον [d] nominabant, quod ex virginibus, puerisque constabat. Nec verò Lacedæmonii solum saltandi studiosi fuerunt, sed tota Græcia, & præcipuè illæ omnium artium inventrices Athenæ. Nam Theseus, [e] qui dispersos, & pagatim habitantes Athenienses in unam urbem contraxit, Saltationis genus instituit, quod errores Labyrinthi, & implicatos orbes referebat; & Athenienses adeo saltandi peritiam probaverunt, ut pueri ingenui quotidie in ludum Saltatorium itarent, & non ab indoctis modò; verùm etiam a Sapientibus id ar-
8 tificium laudaretur. Quare Socrates illud humanæ sapientiæ longè clarissimum lumen, & Saltatores spectare jucundè solebat, & eam artem senex addiscere non dubitavit. Jam Thessali tantum Saltationi tribuerunt, ut quum suos duces bene rem gessisse vellent significare, eos καλῶς ὀρχῆσθαι idest *bene Saltasse* dicerent: jam Delii nullum Sacrificium sine saltatione faciebant, & apud Persas [f] nobiles adolescentes non equitare studiosiùs, quàm saltare condiscebant. Æthiopes [g] autem nunquam prœlium inibant, quin priùs concinnos quosdam corporis motus edidissent. Indi [h] verò orientem solem ut salutarent, adorarentque, non, quemadmodum nos, manus ad Cœlum supinas tendebant, sed patrio ritu perquam concinnè saltitabant; delectari quippe saltatione Deum censebant, qui & ipse, dum tam concinnè, tamque constanter movetur, egregiè saltare quodammodò videatur. Quid enim aliud constantissimus ille pulcherrimusque siderum motus, tantus ille concentus, atque ordo naturæ debet nominari, quàm cœlestis chorus, & quædam, ut ita dicam, divina saltatio; nec verò sine causa Poëtæ Deorum filii Deos ipsos choros ducere, & saltare quodammodò tradiderunt. Quemadmodum Pindarus [i] Lyricorum princeps, qui Apollinem 9
saltantem facit, & Theognis, [l] Hesiodusque, qui Musas, & Arctinus [m] Corinthius, qui Jovem Deorum Regem tripudiantem inducit his verbis

Μεσσοῖσιν δ' ὠρχεῖτο πατὴρ ἀνδρῶντε, θεῶντε

hoc est:

Saltabat Pater in mediis hominumq; Deûmq;

Quæ Poëtarum dicta nihil aliud, quàm æternos astrorum choros, & mundi concentum nobis exprimunt. Nam Juppiter, Apollo, Musæ, quemadmodum Orpheo, & Pythagoricis placuisse animadvertimus, mentes illæ sunt immortales, quæ cœlestes orbes incredibili celeritate, constantiaque contorquent, Quorum sanè motu nihil jucundius, nihil pulchrius excogitari potest, quem nulla celeritas, nullus ordo aut æquet, aut exprimat. Hunc igitur motum hominum imitata solertia concinnos quosdam corporis motus excogitavit; quod si consentaneum est veritati, non humilis planè censeri debet, neque indecora Saltatio, quæ e sideribus ipsis, Cœloque originem ducit; sed nos in culpa sumus, qui dum voluptatem omnibus modis aucupamur, & delectationis etiam pravæ lenocinia conquirimus, artem corrupimus, & ad lasciviam, procacitatemque traduximus. Itaque quæ sacris Deorum celebrandis, & publicæ lætitiæ inservire debebat, nunc pravissimæ voluptati, & beatulorum deliciis cogitur ancillari.

DIS-

[a] Homer. Iliad. π. [b] Socrates apud Athen. libr. XIV. cap. VI. [c] Athen. libr. XIV. cap. VII & Lucian. de Saltatione. [d] Lucian. in eodem loc. [e] Plutarch. in Vita Thes. [f] Lucian. de Saltation. [g] Cal. Rhod. libr. V. c. 3. [h] Lucian. de Saltat. & Arrianus de Reb. Indic. [i] Pindar. apud Athen. l. 1. cap. XIX [l] Hesiod. in Theogon. in princip. [m] Apud Athen. libr. 1. cap. XIX.

DISSERTATIO XIX.

In Antipatri Epigramma libri quarti Anthologiæ in Effigies Deorum, & Dearum. De Apellis Venere nata recens e mari.

Dissertatio Prior.

De Venere, & quare e mari nata esse dicatur. De Paride, qui, quum lis esset inter Deas de pulcritudine, pulcriorem judicavit Venerem. Paris orationem composuit in Veneris laudem, & in eâ Voluptates Potentiæ, & Sapientiæ antepoſuit; inde fabula de eius judicio fluxit.

Omnium, quicunque pingendi artificio nobiles extiterunt, Apelles clarissimus fuit, [a] qui floruit Olympiade centesima duodecima, & Plinii [b] Judicio *omnes prius genitos, futurosque postea superavit*. Hic ſi-cuti venustatem in pingendo, Veneremque quandam, quam Charita Græci vocant, sibi precipuè vindicavit, ita omnem lepôrem artis, & Venerem in Veneris ipsius tabulam contulit, quam e mari pinxit e-
1 mergentem ἀναδυομένην Græci [c] dicunt. Quæ Veneris pictura, quemadmodum Venus Dearum pulcherrima; ita ceteris Apellis operibus pulchritudine dicitur præstitisse. Quod Propertius [d] testatur hoc versu.

In Veneris tabulâ summam sibi ponit Apelles

Hæc [e] ab Augusto dicata in delubro Patris Cæsaris consenuit deinde carie; sed non consenuerunt versus ab Antipatro Sidonio in eam eleganter, pariterque compositi. Ex quo intelligi potest, quantum picturæ præstent poëmata; extant siquidem carmina in Apellis Venerem condita, non extat Venus, immò mille sexcentis ab hinc annis injuriâ temporum periit. Equidem quamquam non admodum elegans harum rerum spectator sim, & ipsam tabulam videre vehementer optarem; quis enim artis miraculum, & propemodum victam humano ingenio naturam spectare non concupiscat? Sed quoniam id fieri nullo modo potest, quod proximum est faciemus; & versus de ea re conscriptos, qui sunt quasi imago picturæ ipsâ fortasse mirabilior, contemplabimur. Sunt enim elegantissimi, atque haud scio, an de his loquutus sit Plinius [f] quum dixit: *versibus Græcis tali opere, dum laudatur, victo; sed illustrato*. Antipater
2 certè auctor horum incredibili quadam facultate fuisse perhibetur; siquidem Cicero testatur eum, quum se mente, & voluntate conjecisset in versum, solitum versus Hexametros, aliosque variis modis, atque numeris fundere ex tempore. De hoc illud mirabile narratur, quotannis die natali febri laborare consuevisse, qua senectâ summâ extinctus est. Floruit autem sæculo, quod Ciceronis ætatem præcessit; siquidem Catulus, qui anno sexcentesimo quinquagesimo ab urbe condita cum Mario Consule Cimbros per Noricum irrumpentes cecidit, potuit ejus meminisse, quemadmodum Cicero tradit his verbis: *quod si Antipater ille Sidonius, ille, quem tu probè Catule meministi*. Atque hæc de Tabula Apellis, quæ carmini præbuit argumentum, deque carminis auctore sufficecerit delibasse; nunc de carmine dicendum est, ipsumque nobis proponendum, & quoniam ab Ausonio Poëta præstanti Græci versus Latino sermone translati sunt, non erit injucundum & Ausonii carmina proponere, ut cum Græcis Latina conferre possimus, quod utile in primis esse eruditissimi viri docuerunt; versus autem Antipatri sunt hi

Τὰν ἀναδυομέναν ἀπὸ ματέρος ἄρτι θαλάσσας
Κύπριν Ἀπελλείου μόχθον ὅρα γραφίδος:
Ὡς χερὶ συμμάρψασα διάβροχον ὕδατι χαίταν
Ἐκθλίβει νοτερῶν ἀφρὸν ἀπὸ πλοκάμων:
Αὐταὶ νῦν ἐρέουσιν Ἀθηναίη τε, καὶ Ἥρη:
Οὐκέτι σοὶ μορφᾶς εἰς ἔριν ἐρχόμεθα

Ausonius [g] autem sic Epigramma Græcum versibus latinis expressit

Emersam pelagi nuper genitalibus undis
Cyprin, Apellei cerne laboris opus;
Ut complexa manu madidos salis æquore crines
Humidulis spumas stringit utraque comis.
Jam tibi nos, Cypri, Juno, inquit, & innuba Pallas
Cedimus, & formæ præmia deferimus

Duas autem Poeta fabulas tangit, quarum utraque notissima est; quis enim nescit in 3
Thetidis, & Pelei Nuptiis litem, vel, ut alii ferunt, Mercurium jussu Martis, & Bellonæ, qui fuerant exclusi, misisse aureum pomum cum inscriptione *Pulchriori detur*. Qua de causâ inter Dearum principes Palladem, Junonem, Venerem certamen pulchritudinis extitisse; demandatam a [h] Jove Paridi judicandi provinciam, qui Venerem pulcherrimam judicarit? Saturnum dici Cœlo Patri partes, quibus genitus erat, abscidisse, ex earumque, quum in mare decidissent, spumâ Venerem procreatam, nec verò ad rem pertinet, quod [i] Apollonius addit, falcem, qua Cœli pudenda Saturnus execuit, sub insula Corcyra sitam, ex quo Corcyra quondam Drepane fuerit appellata; neque quod Libanius de Veneris artificio tradit,

[a] Plin. libr. 35. cap. 10. [b] Plin. ibid. [c] Plin. ibid. [d] Propert. libr. 3. El. IX. [e] Plin. ibid. [f] Plin. libr. 35. cap. 10, [g] Auson. Epigramm. 104. [h] Lucian. de Dearum Judicio. [i] Apoll. Arg. l. IV.

tradit, quæ quum cestum, quo amabilitas,
& lepor, & illecebræ omnes continebantur,
in judicium afferre prohiberetur, neque
tamen ceteris inornatior esse vellet,
quum & Juno aureum diadema; & auream
galeam pro corporis ornatu Minerva gestaret,
ad Scamandrum flumen venit, & se
rosis coronavit, quarum pulchritudo Veneri
tantam addiderit venustatem, ut aliæ
Deæ, & floris, & Deæ gratiam exosculatæ,
Veneri præmium formæ sua sponte concesserint;
neque quod in tertio libro de
Naturâ Deorum refert Cicero, non eam
4 solam, quæ dicatur e spumâ procreata, fuisse
Venerem; sed tres alias, quarum prima
Cœlo, & die sit nata; altera Jove, & Dione,
quæ nupsit Vulcano, & ex Marte peperit
Anterotem; tertia Tyriâ, Syroque
concepta, quæ Astarte vocatur, & Adonidi
nupsit. Hæc, inquam, atque alia fabellis
ornandis, quæ de Paridis judicio, &
Veneris ortu traduntur, vel quia vulgò nota
sunt, vel quia non magnopere ad rem
pertinent, omittimus; illud autem omissum
nolumus, quod traditur ab eruditis; continet
enim de Paridis judicio aut veram
historiam, aut veri quandam similitudinem.
Siquidem ferunt [a] Paridem non judicem
pulchritudinis Dearum electum fuisse;
verum quum jussu Priami educatus esset
in loco, quem Amandrum antea, & a Paride
Parion postea vocaverunt, & ad ætatis
annum tricesimum pervenisset, litterarum
Græcarum studiosum fuisse, & ingenio haudquaquam
absurdo, composuisse itaque orationem,
quæ Veneris laudes continebat,
& in qua Venerem, hoc est vitam voluptatibus
refertam Junoni, Minervæque, hoc
est potentiæ, sapientiæque anteponebat; inde
nimirum fabulam emanasse, quæ tradit
ipsum inter Deas formæ judicem constitutum,
Venerem pronunciasse pulcherrimam.
Idem fertur & hymnum in Veneris
laudem cecinisse, quem ceston appellaverit.
Nec verò prætermittenda quæstio
5 non injucunda, qua solet quæri, cur Poëtæ [b]
Venerem e mari fingant procreatam,
cujus rei & poëticam afferemus, & e philosophia
petitam rationem. Poëtæ igitur
quum aliquem ferum, & inhumanum describunt,
quem nullæ mitigent lacrymæ,
nullæ preces flectant, nullæ capiant illecebræ,
qui denique neque rationibus moveatur,
neque beneficiis devinciatur, neque
ullis unquam perrumpatur affectibus e
mari natum dicunt; sic Homerus [c] hominem
humanitatis expertem e mari genitum
confirmavit

...... *γλαυκὴ δέ σε τίκτε θάλασσα*

hoc est

...... *glaucum te protulit æquor*

Sic in Epithalamio Thetidis, & Pelei Catullus

Quænam te genuit vastâ sub rupe leæna,
Quod mare conceptum spumantibus expuit
undis

Sic denique [d] Tibullus.

Nam te nec vasti genuerunt æquora ponti

Et Ovidius in Epistola Didonis ad Æneam

Te lapis, & montes, innataque rupibus altis
Robora, te sævæ progenuere feræ;
Aut mare, quale vides agitari nūc quoque ventis,
Quo tamen adversis fluctibus ire paras

Ideo immanissimos homines [e] Busirim, Antæum [f],
Polyphemum [g], Cyclopas [h] a Neptuno
genitos fabulantur; sed & vulgò Græci,
ut Plutarchus est testis, quum aliquem
stolidum significare vellent, piscem appellabant
Quæ quum ita sint, quis neget Venerem
e mari natam jure dici, quæ & stultitiæ 6
mater habeatur; quare amor a Poëtis
error [i] dicitur

Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error!

Et immitis in primis esse dicatur; cujus
enim illa sunt, nisi poëtarum [l]

Νῦν ἔγνων τὸν ἔρωτα, βαρὺς θεὸς ......

hoc est:

Nunc mihi notus amor, gravis est Deus .....

Aut illa [m]

Nunc scio, quid sit amor, duris in cotibus illum
Ismarus, aut Rhodope, aut extremi Garamantes,
Nec nostri generis puerum, nec sanguinis edunt

Sed & Tibullus [n] hanc ipsam causam affert,
cur sit immitis Venus, quòd e Mari fuerit
procreata

... .. *is sanguine natam,*
Is Venerem e rapido sentiet esse Mari

Et verò si Maris naturam contemplari velimus,
persimilem Amoris naturæ omnino
reperiemus; quid enim jucundius aspectu 7
tranquilli Maris, quum undæ æqualiter diffusæ,
aut leniter vento crispatæ nitent,
quum auræ blandiuntur, splendet Cœlum,
arridet Mare, aër ipse placidus, & purus
allicit, & invitat ad navigandum; contra
quid tam tiste, sævum, metuendum, horridum,
quàm turbati maris facies; quum Cœlum
sævit, horrescit mare, venti fremunt,
tenebræ conduplicantur; quum ubique horror,
ubique minæ, & præsentia mortis formido.
Eodem sanè modo nihil sjunt esse
beatius, nihilque jucundius amore, qui sit
com-

[a] Cæl. Rhod. l. 19. c. 19. [b] Musæus in Leandri fab, & Hom. in hymn. Vener. [c] Homer. Iliad. π. v. 34. [d] Tibull. libr. 3. Eleg. 4. [e] Plutarch. de Fortunâ Romanorum. [f] Apollodor l. 2. [g] Homer. Odyss. libr. 1. & Ovid. Metam libr. XIII. v. 855. [h] A. Gell. libr. 15. cap. 21. [i] Virgil. Eclog. VIII. [l] Theocrit. [m] Virg. Eclog. VIII. [n] Tibull. libr. I. Eleg. II.

compos effectus voti. Quod ostendit apud Terentium [a] adolescens in Eunucho, qui suis deliciis, & amoribus potitus, fortunam suam cum immortalium Deorum forte comparat. Contra [b] verò nihil infelicius esse, nihil sævius autumant amore non prospero, quapropter [c] Tibullus utramque conditionem amantium comprehendens ita cecinit:

Ah miseri, quos hic graviter Deus urget, at ille
Felix, cui placidus leniter afflat amor

Et Poeta nobilis apud Athenæum [d] ait Amorem duas habere sagittas, quarum alteia jucunditatem omnem, & prosperitatem afferat, altera vitæ perturbationem; quem imitatus Ovidius [e] alias amoris sagittas esse plumbeas, alias aureas confirmavit; jure igitur Amor e mari natus fingitur, cujos naturam, & mores imitatur:

DISSERTATIO XX.

In Antipatri Epigramma. De Apellis Venere e mari emergente.

Dissertatio Posterior.

Venus e Mari nata esse fertur, quia ex humido omnia constantur; quæ sententia nequaquam discrepat ab eorum opinione, qui putant Amorem e Chao genitum; quum Chaos idem sit, ac humida natura. Fabula de pudendis Cœli a Saturno exectis, & in Mare projectis quid significet.

Quod Socrates in Platonis Phædro fecisse dicitur, Auditores, quum de Amore quædam parum considerate dixisset, ut alio sumpto rursus exordio Palinodiam caneret, ut dici vetere proverbio solet; Amoremque, quem paulo ante vituperarat, atque abjecerat, divinis efferret laudibus, idem hodierno die mihi video necessario faciendum. Quum enim Antipatri Sidonii versus explicarem, in quibus Veneris mentio est recens natæ, & emergentis e mari; hanc ipsam fabulam exponendam suscepi, duplicemque ejus rationem Poëticam, & Philosophicam afferendam. Sed in superiori quidem sermone exposita fere est ratio poëtarum, cur Venus orta dicatur e mari; qui quoniam vulgi more multa loquuntur; nos etiam eorum auctoritatem sequuti, eodem modo loqui coacti sumus. Quapropter fuit ea ratio plena maledictis; quæ in Amorem vulgò conferuntur; nunc autem, quum ratio philosophorum sit explicanda, alius mihi sermo est habendus, alia instituenda oratio, & de Amore, quem coactus nuper vituperavi, paulò sublimius, magnificentiusque dicendum est. Neque
enim mihi consilium est eorum opiniones 1
philosophorum sequi, qui de hac re humilius, & ad vulgi captum loquuntur accommodatius; neque in hoc Aristotelem audiendum puto, qui tradit idcirco, quòd feminis natura sit maximè spumosa, Venerem e spumâ fingi esse procreatam; neque Galenum, qui in primo libro de semine sententiam Aristotelis comprobat; aliud quoddam majus, altiusque spectasse crediderim sapientes illos viros, qui rerum divinarum rationem fabulis involutam nobis tradiderunt. Quod eo magis adducor, ut credam, quod video fuisse duas hominum vetustissimorum, sapientissimorumque sententias, quas tamen in idem congruere,
eodemque spectare arbitror; alii [f] quippe 2
Venerem e Mari natam, alii [g] Amorem e Chao genitum prodiderunt. Et [h] Hesiodus quidem antiquissimus fere poëtarum primum natum Chaos, latamque terram, & Amorem pulcherrimum Deorum existimat; idem sentiunt Parmenides, & Acusilaus, ut in convivio tradit Plato, qui Amorem primum omnium rerum generatum esse dicunt; quod quid aliud est, quàm ex illâ confusâ, & indigestâ mole Amorem principem extitisse? Quæ sententia licet ab eorum opinione diversa videatur, qui Venerem e Mari natam fabulantur, cum eâ tamen consonat & consentit mirabiliter; quid enim Chaos, nisi Mare? Siquidem παρὰ τὴν χύσιν quòd facillimè fundatur, appellatum est, ut Plutarchus in libello utrum aqua, an ignis utilior sit, docet. Neque aliter Mercurius
ille sentit, qui ter Maximus propter sa- 3
pientiam, religionemque, & regias artes est appellatus, quum Deum tradit aquis insidentem, hoc est rudi, informique materiæ incumbentem cuncta effinxisse; neque Zeno [i] Stoicorum Princeps valde discrepat, qui apud Diogenem Laërtium dicit omnem in aquam a Deo conversam esse naturam, atque ex aquâ deinde quatuor elementa, & Mundum ipsum procreatum. Mitto Milesium [l] Thaletem, mitto Hipponem, & Hippiam, mitto [m] Indos Bracmanas; mitto sapientes Ægyptios, qui quum rerum materiam dixerint aquam, eandem

---

[a] Terentius Eunuch. Act. V. Sc. VI. [b] Lucret. libr. IV. [c] Tibull. libr. 2. Eleg. 1. [d] Athen. libr. XII. [e] Ovidius Metamorph. libr. 1. fab. 9. [f] Orpheus in hymn. Hom. in hym. Musæus in Leandr. fabul. & Horat. libr. IV. Carmin. Od. XI. [g] Hesiod. Theogon. [h] Idem ibid. [i] Diogen. Laert. in Vita Zenon. [l] Idem in Thalet. Vita, & Plutarch. de Placitis philosophorum libr. 1. cap. 3. [m] Strabo libr. 15. & Cæl. Rhodig. libr. 18. cap. 31.

Chaos esse profectò dixerunt; nihil enim est aliud Chaos, quàm confusa, & indigesta materies. Quò probè constituto, atque
4 omnium consensu approbato, quis neget jure fingi e Mari natam Venerem, & Amorem; nam quum omnia bonum concupiscant, rudis illa rerum silva, quum maximè boni sit expers, maximè etiam ipsum expetebat, & ad ipsum naturali quadam a Deo inditâ propensione ferebatur. Atque hunc sive appetitum, sive alio nomine libet appellare, Veteres Amorem nominantes, ipsum e Chao, vel e Mari natum voluerunt, & præcipuam gignendi Mundi causam extitisse dixerunt. Quapropter [a] Empedocles discordiâ solvi, atque interire Mundum affirmavit; amicitiâ verò gigni, connecti, & cohærere. Meritò igitur Amorem philosophi laudant;
5 hic est enim omnium pulchrorum, & laudabilium operum auctor, & artifex existimandus: hic omnia permixta, deformia, obscura, inania, immoderata disposuit, temperavit, digessit, illuminavit, implevit: hic supremam, altissimamque regionem igni, aëri mediam dedit, infimam terræ, & aquæ: hic Cœlum signis fulgentibus ornavit, hic aërem diurnâ luce complevit, hic terrestrem hunc globum tantâ plantarum, animalium, atque lapidum, ceterarumque rerum varietate distinxit, & locupletavit, ut spectantium oculis nihil jucundius esse possit, aut admirabilius. Quod si Plotinum [b] audire volumus egregiè sapientem virum, ac pæne divinum, non solùm rebus hisce corporeis, atque aspectabilibus inest quædam materies, & in eâ amor perficiendi sui; verùm etiam in animis hominum, & in mentibus illis ab omni corporis concretione secretis, atque immortalibus; quo illæ accensæ mirabiliter, & in ipsum pulchritudinis fontem, bonitatisque conversæ, optimæ, pulcherrimæque fiunt, & inexplebili gaudio, atque inexhaustâ divinitatis luce complentur. Quæ si cui ma-
6 jora, & altiora, quàm res postulet, videbuntur, non dubitabo aliquantum submittere, & ad aliorum etiam philosophorum opiniones accommodare orationem meam, & ab illo mundo, qui mente cernitur, atque intelligentiâ, ad hunc, qui sensibus, oculisque cognoscitur, animum, cogitationemque rursus convertere; quem quum diligenter contemplor, admiror eorum sapientiam, qui naturæ arcanum tam eleganti fabulâ simul oculis vulgi subduxerunt, & Sapientibus patefecerunt. Quid enim Venus, nisi generandi vis, & facultas? Siquidem ea est, quæ, ut ait [c] Epicureus Poëta

Omnibus incutiens blandum per pectora amorem
Efficis, ut cupide generatim secla propagent

Quid autem Mare, nisi humidum elementum? jure igitur e Mari nata Venus fingitur, quum omnis gignendi vis, & procreandi in humore consistat. Quapropter Heraclitus animas humidas eas appellat, quæ ad generandum descenderunt, quum ait animis humidis delectationem, non mortem accidere; & animas Nymphas Antiqui nominarunt, ut notat [d] Porphyrius, quod sicut Nymphæ præsides fontium, & humidæ naturæ esse dicuntur, sic animæ
generandi præsint facultati. Atque hoc li- 7
cet inter omnes philosophos constet, tamen clarius nobis apparebit, si ad eam Universi partem animum convertemus, ubi plurimum humoris continetur. Quid enim fecundius Mari, aut quæ alia natura præter Mare animantes gignit numero infinitas, magnitudine ingentes, specie innumerabiles? Putat Plinius [e] nihil esse in ullâ naturæ parte, quod non in Mari reperiatur, adeo fecunda naturæ luxuria, ut hîc dumtaxat gignantur, quæ singula plantarum genera imitentur, animalia multa præterea procreentur, quæ non alibi cernantur; idcirco meritò pisces [f] Oppianus
πολυσπερέας φάλαγγας appellat. Quam fe- 8
cunditatem Maris Veteres, ut arbitror, aspexerunt, quum exectum a Saturno Cœlum, & ejus pudenda in Mare decidisse tradiderunt. Hanc fabulam Cicero [g] sic interpretatur, ut dicat cœlestem, altissimam, æthereamque naturam, idest igneam, quæ per sese omnia gigneret, Antiquos vacare eâ corporis parte voluisse, quæ conjunctione alterius egeret ad procreandum. Ego autem existimo hoc esse commentum eorum, qui nihil in Cœlo gigni putaverunt, nihilque aliud indicare voluisse, quàm Mari non solùm propriam fecunditatem, sed etiam eam, quæ Cœli, atque aëris esse debuisset, tributam, ut suis aër, Cœlumque careat animantibus, sed eorum sterilitatem compenset Mare. Sed quid de Mari dumtaxat loquor? elucet
quidem in illo humoris fecunditas, verùm 9
non in eo solùm, ubique enim humidæ naturæ se fertilitas ostendit, & explicat suas vires. Nam quo tempore gignit tellus, nisi quum [h]

... Pater omnipotens fecundis imbribus Æther
Conjugis in gremium lætæ descendit, & omnes
Magnus alit magno commixtus corpore fetus?

Non solùm videlicet procreat, & nutrit animantes, sed omnes præterea fetus; nam & metalla, & gemmæ quædam, quemadmodum in Timæo tradit Plato, ex aquâ con-

[a] Plutarch. de Placitis Philosoph. libr. 1. cap. IV. [b] Plotin. Enneade 2. libr. IV. [c] Lucret. libr. pr. [d] Porphyr. de antro Nymph. [e] Plin. Hist. libr. IX. cap. 2. [f] Oppianus de piscibus. [g] Cicer. de Nat. Deor. libr. 2. [h] Virgil. Georg. libr. 2.

constant, omnes præterea liquores, omnes ex magnâ parte lapides; ad hæc omnes plantæ, quas nullâ ex parte augescere, atque ali terrâ; sed omnem trunci molem, atque ramorum, foliorumque luxuriem humori, quo irrigantur, deberi jampridem insignis, ac diligens naturæ contemplator animadvertit.

DISSERTATIO XXI.

In Anthologiam Præfatio dicta, quum anno secundo Epigrammata Græca pergeret explicare.

Anthologiæ explicatio maximè utilis est, quia omnium rerum varietate abundat.

QUod bonum, faustum, felix, fortunatumque sit vobis, Auditores ornatissimi, universæque reipublicæ litterariæ, & diuturni silentii finem hodiernus dies, & initium nobis attulit ex hoc loco dicendi, & exoptata quidem vehementer, sed intermissa diu studia repetendi. Gestit animus, Auditores, cognitam jampridem, atque perspectam humanitatem vestram rursus experiri, & frui talium adolescentium, vi-
1 rorumque conspectu, qui me anno superiore timidum, diffidentemque, tam facili benignitatis aurâ provexistis, & amicissimè confirmastis, & non ingratos esse vobis labores nostros, non dubiâ significatione favoris, & benevolentiæ vestræ declarastis. Quod ut mihi proprium, perpetuumque contingat, dedi, & dabo operam diligenter, neque laboribus ullis, aut vigiliis parcendum unquam putabo. Sed permagni interest, Auditores, ad id, quod mihi proposui consequendum, in quo labor hic noster auctore explicando versetur, utrum in eo, qui nihil varietatis habeat, nihil utilitatis, aut jucunditatis admixtum, an in eo, qui iis omnibus abundet, atque excellat. Nam quo minùs ingenio valeo, atque doctrinâ, eo magis mihi videndum, ut quoquo modo possit, hæc, quantulacunque est in me, facultas augeatur, & ingenii mei tenuitas adjuvetur. Hoc autem præstare maximè valet materiæ, quam tractandam suscipimus, benignitas, & varietas; nam quemadmodum tenue solum, &
2 infecundum solertium quoque agricolarum frustratur industriam; contra verò pingue, atque fecundum imperitorum etiam, & inertium votis plerumque respondet; sic & tenuitas argumenti minuit, & obscurat interdum disertissimorum hominum eloquentiam; ubertas verò, & varietas alit, atque auget ingenia mediocriter etiam eruditorum. Quamobrem quum Epigrammata Græcorum explicanda suscepissem anno superiore, visaque esset digna materies, in quâ elaborarem hoc etiam anno, statui eam omitti non oportere. Quod ut facerem, multa me sunt adhortata, quæ breviter hodierno die exponenda, rationemqe hujus consilii reddendam esse duxi, ne quis vestrûm tacitè me reprehendat, & temerè potiùs, quàm ullo consilio adductum existimet in tantâ Græcorum auctorum copiâ in eodem libro prælegendo versari, nihil veritum auditorum fastidium, & satietatem; qui si reputaverit elegantiam Græcorum Epigrammatum, multitudinemque, & præstantiam auctorum, qui ea composuerunt, meum consilium non improbabit, & eorum virtutes cognoscendi incredibili cupiditate capietur. Nam & suavitas carminum tanta est, quantam necesse est esse poëmatum ab elegantissimis Poëtis Anacreonte, Simonide, Bacchylide, Mimnermo, Platone, Antipatro Sidonio, Luciano, atque aliis compositorum; ea vero auctorum multitudo, & voluminis magnitudo, ut in opus tam varium, tamque magnum commentari tam pauca aut inertissimæ segnitiæ, aut delicatissimi fastidii videretur, verererque nonnihil, ne, si tam cito illud omisissem, in nonnullorum hominum reprehensionem incurrerem. Verè enim il-
lud mihi obiici posset, quod cuidam severo, & contractæ frontis homini obiicit 3
Marcialis *

Nosses jocosæ dulce quum sacrum Floræ,
Festosque lusus, & licentiam vulgi,
Cur in Theatrum, Cato severe, venisti?
An ideo tantùm veneras, ut exires?

Sed ille Florales contempserat ludos spurcissimæ nequitiæ plenos, ego cur hos flores poëtarum castos, pudicos, venustos contemnerem, & ex hoc Musarum Theatro exirem tam citò, causa non erat; nulla enim in hoc rerum turpitudo spectatur, nulla prætextata verba audiuntur, ipsa autem eruditio cum lepôre certat, & suavitate carminum, & rerum festivitas condita est varietate non injucundâ; quæ me causa potissimum impulit, ut Anthologiam hoc anno explicare perseverarem. Nam si quemlibet alium auctorem enarrandum suscepissem, certos mihi terminos, & quasi cancellos circumdedissem, extra quos evagari non liceret; de iis enim, quæ auctor ille tractaret, esset necessariò disserendum. Itaque

* Martial. libr. 1. Epigr. prim. vel 3.

que aut de bellicis rebus, aut de administratione rei familiaris, & publicæ, aut de moribus, aut de rerum naturalium ratione, aut aliquâ fabulâ, vel historiâ dicere esset necesse; ea denique fusius, uberiusque cogerer explicare, quæ meus auctor adstrictius persequeretur; at nunc, quoniam Anthologiam explicandam suscepi, opus varium, ac multiplex, nullis legibus obtemperabo, nullis finibus circumscribam jus meum; neque interdictum mihi putabo, quo minus de his omnibus, quæ recensui, verba faciam, ubi locus, & ratio postulabit. Qua quidem in re mihi videor
4 consilium sequutus prudentis illius Pictoris, cujus meminit Ælianus in variâ historiâ. Nam quemadmodum ille discipulis præcipiebat, ut semper aliquid magnum sibi proponerent ad imitandum; neque in unâ tantum re elaborarent; nam si unum, exempli gratia equum pingerent, vel erectum, vel in genua procidentem, vel supinum, vel currentem, vel calcitrantem exprimere cogerentur; sin verò prælium, has omnes equorum figuras, varios præterea Martis casus, feroces pugnantium vultus, acres vincentium, humiles supplicantium, horridos morientium, confusam cæsorum stragem, & equorum, virorumque acervos, iram, metum, formidinem, audaciam, temeritatem, omnes propemodum affectus imitari, & ex tantâ rerum varietate artis, ingeniique gloriam consequi non mediocrem possent; sic ego non unum, & simplex mihi proposui, sed varium, & multiplex argumentum. Quocirca licebit, quæ singula tractare potuissem, si alium auctorem mihi proposuissem exponendum, ea persequi, si collibuerit, universa. Quid enim est, quod in tanto elegantiæ Græcæ Thesauro non reperiatur? hîc de Diis Antiquorum sanè quàm multa leguntur, hîc
5 de cultu, & religione eorum, hîc de claris imperatoribus, hîc de philosophis illustribus, hîc de bonis Poëtis, hîc de Astronomis, & Mathematicis, hîc de eximiis Oratoribus, ceterisque doctrinâ, & arte præstantibus viris multus est sermo: jam de bello, de pace, de inconstantiâ, & levitate fortunæ, de urbium potentissimarum excidiis multa præclarè dicuntur; neque desunt convivales joci, præcepta morum saluberrima, amatorii lusus, vituperationes hominum improborum, magnorum virorum, atque clarorum laudes, multa prorsus eruditio, multa antiquitatis memoria, ludorum Theatralium, Scenicorum, Circensium, Athletarum, monimentorum omnium frequens mentio in tam vario, tamque multiplici opere reperitur; ex qua diversitate rerum, & multitudine redundet necesse est, & oriatur incredibilis delectatio. Nam ita naturâ comparatum est, ut nihil magis moveat animos, & afficiat humanos, jucundâ rerum varietate. Omnium 6
quippe rerum quantumlibet suavium est, ut ait Poeta a Græcus, maturâ satietas, cui mirabiliter occurrit, medeturque varietas; quo fit, ut summa pulchritudo minus, quàm mediocris, quæ sit aliquâ varietate distincta, delectet. Licet hoc in Cœlo intueri; quid enim diurnâ luce jucundius, quid Sole pulchrius? magis tamen capit aspectus nocturni Cœli, eo quod Stellarum varietate distinguitur; idem in ceteris potest animadverti. Occurrit enim ubique exemplorum copia rerum naturam contemplantibus, quæ semper ingenium suum variandis, distinguendisque rebus ostendit. Summus ille videlicet rerum Conditor hac arte pulcherrimum, præstantissimumque Mundum est fabricatus, & sic vidit hominibus futurum quàm jucundissimum, si maximè varius, & multiplex existeret. Hoc sibi rerum vicissitudines volunt, hoc anni varia tempora, variæque Cœli tempestates, hoc diei, noctisque vices, hoc diversa hominum ingenia, hoc animantium tot, tamque inter se discrepantes naturæ, hoc denique, quæ tanta in omnibus cernitur, dissimilitudo. Quòd si divini illius Artificis opera verè pulchra, verè magna, verè admirabilia, quibusdam quasi lenociniis indigent varietatis, quantò magis iisdem egere dicemus opera artificum aliorum, & præcipuè mea? Non igitur ego sum reprehendendus, si vobis placendi cupidus, quàm maximè varias orationes habere decrevi, quarum materiam suppeditat Anthologia, quam hoc anno pergam explicare.

DIS-

a Aristophan. in Pluto, & Pindar. Nem. VII. v. 77.

DISSERTATIO XXII.

In Anthologiæ Epigramma libri primi in Misericordiam. De Bove aratore Jovi immolando.

Dissertatio Prior.

Animalia etiam aliquâ commiseratione digna sunt, quorum pleraque homines dilexerunt. Boves præsertim aratores immolandi non essent. Defenditur Virgilius, dum inducit Æneam mactantem Jovi Taurum, contra Evangelum apud Macrobium; & ostenditur Boves Jovi mactari; hinc recensentur, quæ animalia Jovi sacrificarentur, & quæ non sacrificarentur; ex quo affirmatur mitiora animalia Diis gratiora fuisse, quidquid Julius Capitolinus tradat de Hecatombe Imperatorum Romanorum. Quod Poëtæ unum pro alio accipiant; veluti flumen pro alio flumine, fratrem pro fratre, & feram pro aliâ ferâ.

EST humanitatis quidam sensus, quo cum mutis animantibus etiam conjungimur; quis enim quotidie non videt, nos quorundam animalium mansuetudine, studio, fideli quodam obsequio, servitioque commoveri? Quo factum est, ut non solùm mansuetas naturâ, sed etiam feras bestias longâ assuetudine cicuratas in deliciis habeamus. An-
1 tiquos igitur etiam dracunculos, quorum à nobis maximè natu à dissidet, deliciarum causâ aluisse ad Suetonium adnotat Casaubonus [a]. Hannonem [b] Carthaginiensem, quòd Leonibus mansuefactis, & ad obsequium promptis uteretur, ex urbe Carthaginienses expulerunt. Et quid opus exemplis in re maximè obviâ, & pervulgatâ? quid enim est notius, quàm hominum adversus bestias esse quandam amicitiam? Contrà verò mutas animantes videmus hominum causâ permulta facere, non coactas; sed naturæ nutu, & quadam charitate dominorum, & historiâ teste accepimus incredibiles erga homines amores aliarum animantium extitisse. Quocirca [c] memoriæ
2 prodiderunt ab ansere puerum Amphilochum, & Lacydem philosophum adamatum, & tanquam bestiæ sapientiæ esset intellectus, à philosopho anserem nunquam discessisse; Secundum verò Regis Nicomedis famulum a Gallo Gallinaceo mirificè esse dilectum. Elephantem verò tradit Athenæus [d] infantis ab herâ sibi commendati tam diligentem custodem fuisse, ut quotiescumque infans sibi asservandus non apponeretur, cibum capere recusaret; quin & muscas dormienti dicitur abegisse, & proboscide canas placidè commovisse. Jam Delphinorum [e] amores erga pueros quis nescit? mentionem facit Plinius [f] cujusdam pueri, quem quum Delphinus deperiret, quotidie tergo receptum e litore Bajano Puteolos ad ludum litterarium commeantem devehebat; quum autem puer morbo esset extinctus, Delphinus ejus desiderio expiravit. Alium [g] verò tradunt Alexandri Magni ætate, quum dilectum puerum abeuntem avidè sequeretur, in arenam invectum vitam amisisse. Jam beneficiorum sensum inesse bestiis complura exempla declarant. Androdum [h] ferunt, quum datus esset ad
beftias, a Leone servatum, quem Andro- 3
dus in Africa extractâ e pede spinâ curaverat. Cœranum, [i] quum naufragium fecisset, sospitem, & incolumem in litus revectum a Delphino, quem ipse redemptum a piscatoribus liberarat: Thoantem [l] a latronibus circumventum, periculo exemptum fuisse a dracone, quem ipse puer nutriverat. Ex quibus constat esse quædam officia, mutuamque charitatem inter homines, & bestias, quæ in illis locum habere debent potissimum, quarum humano generi benefica est, utilisque natura. Ac profectò maximo homines, & arctissimo charitatis vinculo cum hominibus conjunguntur; hominem enim homini conciliat ratio, quæ causa est effectrix amicitiæ. Sed quemadmodum quia hominibus inest perfecta ratio, ideo inter homines perfecta esse debet amicitiæ charitas; ita quia cernitur in belluis vestigium quoddam imperfectæ rationis, non absurdè quis dixerit inter homines, & belluas intercedere imperfectam, & inchoatam quandam amicitiam, & societatem; nec expertes omnino esse mutas animantes præsertim mites, & placidas, nostræ humanitatis, benevolentiæ, miserationis oportere. Non absurdè igitur Poëta miseratur Bo-
vem aratorem, qui adductus ad aram fuerat 4
Jovi jam immolandus; quid enim utilius hoc animante hominibus laborum socio, cujus beneficio optimum alimentorum nobis terra suppeditat? Quod animal mactari passim apud

[a] Isaacus Casaubon. ad Sueton. in Vita Tiberii cap. 72 qui Plutarch. Lucianum in Alexandro, Senecam de ira libr. 2., & Martial. libr. 7. cit. [b] Plutarch. in præceptis politicis. [c] Cæl. Rhodig. libr. 16. cap. 13. Ælian. hist. animal. libr. V. c. XXIX. & libr. VII. cap. 41. & libr. XII. c. 37 [d] Athen. libr. XIII. cap. VIII. [e] Plutarch. de solertia animalium in fine, & Athen. l. XIII. c. VIII. [f] Plin. libr. IX. cap. VIII. Ælianus Histor. animal. libr. VI. cap. XV. A. Gell. libr. VII. cap. VIII. [g] Plinius, & Plutarch. ibid. [h] Appion. Ægyptiacor. libr. V. apud A. Gellium libr. V. c. XIV. [i] Athen. libr. XIII. cap. VIII. [l] Ælian. Var. Histor libr. XIII. cap. 46. & Histor. anim. libr. VI. cap. 63. Plin. libr. VIII. cap. XVII.

apud Ovidium [a] Pythagoras indignatur his verbis

Quid meruere Boves animal sine fraude, doloq;
Innocuum, simplex, natum tolerare labores?
Immemor est demum, nec frugū munere dignus,
Qui potuit curvi dempto modo pondere aratri
Ruricolam mactare suum, qui trita labore,
Illa, quibus toties durum renovaverat arvum,
Tot dederat messes, percussit colla securi.
Nec satis est, quod tale nefas committitur, ipsos
Inscripsere deos sceleri, numenque supremum
Cæde laboriferi credunt gaudere juvenci

Super hoc igitur argumento in Anthologia hujusmodi legitur Epigramma

Αὐτὸς ὁ βοῦς ἱκέτης ἐπιβώμιος, Αἰθέριε Ζεῦ,
Μυκᾶται, ψυχὴν ῥυόμενος θανάτου,
Ἀλλὰ μέθες, Κρονίδη, τὸν ἀροτρέα, καὶ σὺ γὰρ αὐτὸς
Πορθμεὺς Εὐρώπης ταῦρος, ἄναξ, ἐγένου

Quos versus ita latinè possumus interpretari

Ecce tuam taurus supplex miserandus ad aram
Mugitu vitam, Juppiter alte, rogat.
Tu sed aratorem dimitte, per æquora charam
Quum veheres Nymphā, tu quoq; taurus eras

Elegantur autem Poëta Bovem aratorem dimitti contendit oportere; siquidem Antiquis religio fuit Bovem aratorem occidere, & immolare. Quare Prometheus [b], qui Plinio teste primus Bovem sacrificavit, haudquaquam laudatur, idque fortasse respexit Virgilius [c] eo carmine

Impia quàm cæsis gens est epulata juvencis

Scelus nimirum poëtæ autumant tam innoxium animal, vitæque adeo utile sacrificare; sed & Sapientes nonnulli idem sunt opinati. Certè Pythagoram [d] Aristoxenus
5 apud Diogenem Laertium tradit abstinendum non præcepisse ab aliis animantibus, vel immolandis, vel comedendis, præterquam a Bove aratore. Quamquam non me fugit a quibusdam [e] esse proditum Pythagoram nihil diis animatum sacrificasse; alios autem tradidisse solùm Gallos Gallinaceos, hædos, & lactentia animalia, quæ Græcis dicuntur ἁπαλὰ, posse non impiè mactari asseverasse; illud inter omnes constat aratori Bovi pepercisse. Quare fides [f] Historiæ elevatur, quæ Pythagoram testatur, quum geometricum quiddam reperisset, Bovem, vel Hecatomben immolasse, quum [g] quidam referant Pythagoram Apollinis Genitoris aram, quæ in insula Delo erat dicata, quòd in ea nulla animalis victima mactaretur, tanquam puram, & cædis expertem,
6 & innocentem esse veneratum. Solon [h] autem, qui leges condidit Atheniensibus, legem sancivit, ne liceret immolare Bovem aratorem; & apud [i] Romanos non quidem Boves aratores immolare nefas habebatur; sed certè sine causa occidere improbum, & animadvertendum facinus censebatur. Quapropter legimus quendam a populo Romano die dictâ damnatum, quòd, ut concubino gratificaretur, bovem occidisset; ex quibus intelligi potest, non sine causâ Poëtam censere absurdam esse victimam Bovem, præsertim aratorem. Neque enim temerè posuit illam vocem τὸν ἀροτρέα quæ significat *aratorem*; nam cum omnibus, tum Bobus aratoribus parcendum videbatur, sicut ostendimus. Illud etiam adnotandum 7
in hoc Epigrammate Jovi rem divinam Bove fieri consuevisse; quod idcirco addendum esse visum est, quòd apud Macrobium [l] Evangelus reprehendit Virgilium, quòd inducat Æneam Jovi taurum immolantem in illo carmine [m]

..... superoque nitentem
Cælicolûm Regi mactabam in litore taurum

Quo quidem in loco citat Macrobius Attejum Capitonem, qui ita scribit. *Itaque Jovi tauro, verre, ariete immolari non licet.* Id autem non videtur esse perpetuum, siquidem verum est, quod Servius [n] narrat, in triumphis candidos Tauros immolari solitos. Nam in triumphis Jovi præcipuus honos habebatur, in cujus [o] augustissimo templo triumphantes Imperatores vota persolvebant, & sacrificabant. Unde illa carmina [p] Virgilii

...... & maxima Taurus
Victima, sæpe tuo perfusi flumine sacro
Romanos ad templa Deûm duxere triumphos

& Athenis certè Bovem immolabant in iis sacris, quæ Diipolia appellabant. Nam vetus [q] Interpres Aristophanis tradit, quum 8
Jovi facerent Athenienses, Bovem molam salsam comedisse, Boulonemque quendam iratum Bovi ipsum occidisse, ex eoque institutum, ut Bos mactaretur. Nam antea ea victima homines haudquaquam utebantur, & ea sacra Buphonia sunt appellata, quæ quia vetustissima fuisse perhibentur; ideo Bufonia [r] Aristophanes accipit pro re antiquissimâ. Sed & [s] Pausanias testatur Jovis Poliei Sacerdotem a cæde boum Buphonon appellatum, & Homerus Bovem Jovis esse victimam scribit his verbis

..... βοῦν ἱέρευσε Διὶ Κρονίωνι ἄνακτι

Quodsiquis [t] affirmet Bovem Jovi mactare licuisse, Taurum non licuisse; sicut Verre Jovi sacrum non fiebat, fiebat Porco; quum Xenophon ultimo libro de expeditione Cyri tradat

[a] Ovid. Metamorph. libr. XV. fab. II. [b] Plin. libr. VIII. cap. 56. [c] Virgil. Georg. libr. 2. in fine. [d] Diogen. Laërt. in Pythagor. [e] A. Gell. libr. IV. cap. 2. Athen libr. X. [f] Diogen. Laërt. in Pythagor. [g] Macrob. Saturnal. libr. III cap. VI. [h] Ælian. Var. Hist. libr. V. c. XIV. [i] Plin. libr. VIII. cap. 45. & Cujac. Observat. libr. IV. Observat. XV. [l] Macrob. libr. III. cap. X. [m] Virgil. Æn. l. 3. [n] Serv. in l. 2. Georg. v. 146. & Æn. l. 9. ibi: & statuam ante aras &c. [o] Josephus Belli Judaici libr. VII. cap. XXIV. Sueton. in Cæsare c. 37. [p] Virgil. Georg. libr. II. [q] Aristophan. Pace, & Porphyr. de abstinentia anim. libr. 2. [r] Aristoph. in Nubib. [s] Pausan. in Att. [t] Servius l. 3. Æn. Vir.

tradat Jovis Milichii victimam fuisse Porcum, idque nonnullâ ratione eit institutum, quòd gratiores diis essent mites victimæ, quàm feroces. Ideo mirum est, quod Julius Capitolinus in vita Balbini, & Maximi narrat, quum Hecatombeu Imperatores Romani faciebant, potius centum Leones, centum Aquilas, & alias Feras, quàm mansuetas animantes immolasse. Hoc, inquam,
9 siquis proferet, apparebit id, quod volebamus, Poëtam nostrum non immeritò Bovem fecisse victimam Jovis, & insuper habebit, quo se defendat Virgilius. Nam si Boves ritè Jovi mactantur, Virgilius [a] non erravit, quum dixit.

Cœlicolûm Regi mactabam in litore Taurum

eo quippe in loco Taurum pro Bove dici potest accepisse. Non tam severis Poëtæ legibus adstringuntur, ut nihil illis liceat, & semper propriis vocabulis uti cogantur. Notant eruditi Virgilium Strymonem fluvium dixisse pro Hebro in illis [b] verbis:

..... deserti ad Strymonis undam
Flevisse ......

Eurum ventum pro quolibet vento, quum dixit [c]

...... volucremque fuga prævertitur Eurum

Sic enim [d] legendum non Hebrum; non enim fluvius Hebrus volucer, quum non sit admodum rapidus, sed leniter fluat; Apollonium [e] Eridani nomen usurpasse pro nomine Danubii; iidem Poëtæ utuntur numero multitudinis pro singulari, sicut Ovidius [f] facit in illo versu:
10

Sic ubi mota calent sacro mea pectora thyrso:

mutant & tempora, ut Tibullus [g] in carmine illo

Nec tamen interdum pigeat tenuisse bidentem,
Aut stimulo tardos increpuisse Boves:

mutant & rerum nomina, ut [h] Catullus, qui currum accipit pro navi, quum ait

Ipsa levi fecit volitantem flamine currum,

& fratrem pro fratre nominant, cujusmodi licentiâ [i] Virgilius usus est, quum dixit

Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis
Cyllarus ......

& feram pro ferâ, quod fecisse [l] Virgilius quibusdam videtur, quum cecinit

Effultum foliis, & pelle Libystidis ursæ

2 neque enim in Libyâ Ursi generantur, ut Plinius [m] docet, licet Solino contrarium videatur. Et quid Poëtis non licet? neque sine causâ, quum enim tam severis numerorum legibus teneantur, par est in ceteris esse aliquanto solutiores. Quare etiam
11 liceat ipsis accipere Taurum pro Bove, quod in hoc loco fecisse Virgilium contendo; neque enim id novum apud hunc Poëtam, quum in Georgicis [n] scripserit

Depresso incip at jam tum mihi Taurus aratro
Ingemere, & sulco attritus splendescere vomer

quod & apud alios Poëtas est perquam frequens. Tibullus [o]

Non illo validus subiit juga tempore Taurus,
Non domito frenos ore momordit equus

& alio in [p] loco

Illi etiam Tauros primi docuisse feruntur
Servitium, & plaustro supposuisse rotam.

DISSERTATIO XXIII.

In idem Anthologiæ Epigramma.

Dissertatio Posterior.

De supplicibus, & præcipuè confugientibus ad aras, & templa Deorum, quos violare impium habebatur, & propter hujusmodi scelus, Sybaris excisa ferebatur. De aliquibus animalibus, quæ Veteres non immolabant, & nullatenus occidebant, quòd eorum speciem aliquando Dii induisse dicerentur. Jupiter fertur in Taurum mutatus Europam rapuisse, quia navis, qua vecta est, Taurus vocaretur; & idem dicendum de Ariete, qui vexit Hellen, de Vaccâ, in quam mutata est Io, & de Aquilâ, quæ rapuit Ganymedem; mos enim erat naves ab animalibus denominare; quod multis exemplis ostenditur. Quod Cœlum sit idem, ac Jupiter, qui propterea meritò dicitur Cœlestis præter alios Deos.

Constans opinio fuit apud Antiquos Jovem Deorum maximum supplices præcipuè tueri, nullâque re magis ostendi, quàm siquis eorum preces, præsertim justas, inclementer, superbèque repudiaret. Quo- 1
circa preces esse Jovis filias [q] Poëtæ prodiderunt, & ipsum Jovem Antiqui [r] Hicesium, quasi supplicum Deum nominarunt, quòd supplices contemptos ulcisci soleat vehementissimè. Quum autem alios Juppiter, qui supplicantes essent aspernati, punire crederetur, multò minus ipsum consentaneum videbatur supplices aspernari. Idcirco non ineleganter Poëta in Epigrammate, quod hesterno die suscepimus illustrandum, de Bove aratore, quem Sacerdotes altaribus admoverant immolandum, sic ait

I Αυτὸς

[a] Virgilius libr. III. Æn. [b] Virgil. Georg. libr. IV. [c] Virgil. libr. I. Æn. [d] Servius in hunc locum. [e] Apollon. libr. IV. Argonaut. [f] Ovidius Trist. libr. IV. Eleg. 1. [g] Tibullus libr. I. El. I. [h] Catullus in Nupt. Pelei, & Thetid. [i] Virgil. Georg. libr. III. [l] Virg. Æn. l. VIII. vide Servium in libr. V. Æn. [m] Plin. l. VIII. c 36. in fine. [n] Virgil. Georg. libr. I. [o] Tibull. libr. I. El. III. [p] Tibullus libr. II. Eleg. I. [q] Hom. Iliad. IX. [r] Eustath. in VI. Odyss.

Αὐτὸς ὁ βοῦς ἱκετὴς ἐπιβώμιος, Αἰθέριε Ζεῦ,
Μυκᾶται, ψυχὴν ῥυόμενος θανάτου:
Ἀλλὰ μέθες, Κρονίδη, τὸν ἀροτρέα, καὶ σὺ γὰρ αὐτὸς
Πορθμεὺς Εὐρώπης ταῦρος, ἄναξ, ἐγένου

Quos versus ita in sermonem Latinum convertimus

Ecce tuam Taurus supplex miserandus ad aram
Mugitu vitam, Juppiter alte, rogat:
Tu sed aratorem dimitte, per æquora charam
Quum veheres Nympham, tu quoque Taurus eras

In quibus verbis elegantissimè Poëta, ut dicebamus, inducit Bovem Jovi, quasi sup-
2 plicantem, perinde ac si dicat: Jupiter omnium rerum conditor, auctorque summe, qui supplicibus adesse adeo gloriaris, ut ex eo Hicesii nomen adsciveris, qui supplices aliorum tam severè ulcisceris, ut adversùs eorum contemptores multò maxima edideris exempla severitatis, parce tuo supplici, neve interfice innocentem; ne eo, quod in aliis animadvertis, crimine accusandus esse videaris, quum supplices etiam culpæ affines incolumes dimittere, & humanitatis ratio, & jura gentium persuadeant. Addit deinde mirificam orationi vim, quum non modò victimam supplicare, sed etiam ad aram, vel super aram dicit supplicare, quod ἐπιβώμιος vocabulo significatur. Nam si supplices, qui ad focum profanarum ædium confugiebant, violare nefas ducebatur, propterea quod sancti, & inviolabiles haberentur; quantò magis, qui ad aras confugiebant, quæ erant ædium sacrarum foci, illæsos dimitti oportebat? Sanè sciendum ad aras supplices confugisse, & id [a] habitum sanctissimum supplicandi genus; quapropter hostibus etiam parcebant, qui eo uterentur; eâ fiduciâ Hecuba apud Vergilium quum Hercei Jovis aram teneret, & ad se Priamum vocaret, [b] ajebat

...... *hæc ara tuebitur omnes*

Nec frustra sperabat; siquidem divini juris homines haudquaquam contemptores nullam causam satis justam putabant supplices a templis, arisque abstrahendi, & occiden-
3 di. Ostendit id [c] Agesilaus Rex Lacedæmoniorum, qui quum in pugnâ adversùs Thebanos plurima vulnera accepisset, tamen octoginta Thebanos, quia confugerant ad templum, non solùm violari in loco sacro non est passus, sed etiam tanquam Dei supplices, abire permisit; & Paulus [d] Æmylius Persen Macedonum Regem a se devictum Samothracum Deorum supplicem, & se templi religione tuentem non attigit, antequam se se Rex ultro Romanis dedidit. Sedebant autem ad aram supplices; idcirco βώμιοι dicebantur; nam βωμὸς Græcis ara; meminit hujus moris Euripides in Heraclidis, ubi sic ait

Ἥμεθα καθεζόμεσθα βώμιοι θεῶν

hoc est

Miseri sedemus supplices aris Deûm

Hos lædere infandum, & non expiabile facinus habebatur, ideo Sybarin funditus excisam ferunt; quòd Sybaritæ supplicibus Junonia non pepercissent. Nam quum Telyn tyrannum sustulissent, & ejus asseclas persequerentur, illi ad aram Junonis confugerunt, nec profuit miseris Deæ reverentia; sed omnes crudelissimè in eo loco sunt obtruncati. Avertisse oculos a tanto scelere Deæ simulacrum ferunt, nec dubiis monstris dedisse cœlestia iræ signa divinum numen; nam fontem sanguinis ex eo loco, ubi cædes patrata fuerat, erupisse, aliaque evenisse Deorum iram denunciantia, futurumque urbis excidium portendentia. Ergo a Crotoniensibus victi Sybaritæ, excisa urbs opulentissima, & cives universi internecione deleti documento fuere Mortalibus, quantâ cum religione a sacris, templisque sit abstinendum. Alii verò tradunt, oraculum 4
editum Sybaritis, eorum urbem tamdiu felicem, opulentamque futuram, quamdiu homines Deo non anteponerentur. Videbatur Sybaritis oraculo sibi felicitatem prædici sempiternam; sed ea res falsos homines habuit; nam quum quidam Sybarita famulum puniturus insequeretur, ad aram confugienti non pepercit; pepercit autem, 1
quum ad sui patris monumentum confugisset; ideo visus est hominem Deo anteponere, eaque causa fuisse perhibetur exitii Sybaritarum. Quod exemplum sancivit ad aram confugientium supplicum securitatem, parcendique iis, qui hoc perfugio uterentur, quamvis nocentibus, morem; quem respicit eleganter Poëta noster in hoc lusu, quum Bovem aris admotum supplicem epibomion vocat. Complectitur autem paucis multa, quibus victimæ tam innocenti parci docet oportere; non enim immolari debere, quia sit arator, & quia supplex, & quia supplices Jupiter tueatur, & quia non quoquo modo, sed ad aram supplicet. Deinde subdit aliam rationem Jovem non debere pati Bovem sacrificari; 5
quum ipse Taurus aliquando factus fuerit; quo nimirum tempore vexit Europam, quæ fabula notior est, quàm ut a nobis debeat enarrari. Illud non abhorreat ab hoc loco, Veteres quædam [e] animalia non immolasse Diis, neque omnino occidisse, quòd eorum speciem aliquando Dii induisse dicerentur. Syri [f] piscibus abstinebant

[a] Virgil. Ænei d. libr. IV. Macrob. Saturnal. libr. III. cap. II. & Cæl. Rhodigin. libr. VI. cap. XVII. [b] Virgil. Æneid. libr. 2. [c] Xenophon. de laudibus Agesilai. [d] Tit. Livius libr. 45. [e] Athen. libr. IV. [f] Manilius libr. IV. Astronom. Hyginus de signis cœlest. libr. II. in Piscibus.

bant, quia Venus, quum Typhœum fugeret, pisce dicitur latuisse, vel quia, ut Bassus in cōmentariis in Germanicum refert, Phacetis filia Veneris in piscem fuerit mutata; quamquam alii aliam hujus rei causam afferunt. A nobis [a] quòd caninâ specie fingeretur, non modò non occidebāt Ægyptii canem, sed etiam venerabantur: venerabantur & Thessali formicas, quia Jupiter aliquādo se in eam speciem convertit, quum Eurymedusæ pudicitiam ereptum iret, ex qua Myrmidonem procreavit, unde Myrmidones Thessaliæ populi sunt appellati. Sed & [b] Mendesii capras colebant; quia, ut nonnulli volunt, præcipuum Deum Pana censerent, qui caprinâ specie fingitur; eadem ratione [c] Cornelius Tacitus putat Judæos Arietem immolasse in contemptū Jovis Hammonis, qui Arietis formâ colebatur; quum ergo & Jupiter dicatur aliquando Taurus fuisse, argutè Poëta colligit Bovem Jovi non sacrificandum. Ceterum quod
6 attinet [d] ad fabulam de Jove in Taurum converso, quò Europæ pudicitiam extorqueret; sciendum est placuisse nonnullis revera Taurum illum, qui rapuit Europam, fuisse navem, quę Taurus vocaretur. Eodem modo [e] Julius Pollux refert Pœnos quasdam naves Arietes, & hircos appellasse, & [f] Virgilius hujus moris haud ignarus navem Pristin, aliam Centaurum vocat, aliam Scyllam, aliam Tritonem, aliam Tigrin in his carminibus

Velocem Mnestheus agit acri remige Pristin

& paulo post.

Centauro invebitur magnâ, scyllaque Cbloanthus

Et [g] alio loco

Hunc vehit immanis Triton, & cærula conchâ
Exterrens freta ......

& paulo [h] superius

Massicus æratâ princeps secat Æquora Tigri

Quæ interpretatio si recipiatur, apparet, quid fuerit Aries ille, qui vexit [i] Hellen, & Vacca, in quam Io [l] mutata in Ægyptum dicitur traiecisse; & [m] Aquila, quæ rapuit Ganymedem, aliaque hujusmodi, quæ omnia ad eundem modum nonnulli sunt interpretati. Atque hæc de carminis arti-
7 ficio satis fuerit delibasse; superest notandum epithetum, quod Poëta Jovi tribuit, quum ait Αἰθέριε Ζεῦ *cœlestis Jupiter*. Videtur autem nimis communis ea Jovis appellatio; siquidem, ut [n] Aristoteles refert, vetus opinio est Deorum immortalium immortalem sedem esse Cœlum, idque Homerus affirmavit, qui, ubi Deos nominavit, addidit [o] statim, οἱ ὄλυμπον ἔχουσιν, & Ὀλύμπια δώματ' [p] ἔχοντες, & eos ἐπουρανίους vocat [q]

Οὐκ ἂν ἔγωγε θεοῖσιν ἐπουρανίοισι μαχοίμην

Nec aliter philosophi sentiunt; quare [r] apud Platonem Jupiter magnus in Cœlo dux primus incedit agitans volucrem currum; hunc autem sequitur Deorum, geniorumque exercitus in duodecim partes distributus: & Stoici nostras [s] animas duntaxat in Cœlum verentur attollere, & sub orbe Lunæ semideos collocant; de Diis non dubitant, quin in Cœlo degant. Ideo apud Clementem Alexandrinum Cœlum propriè vocant civitatem maximam scilicet, & præstantissimam, quæ civibus maximis, & præ- 8
stantissimis frequentetur. Vetus tantummodo vulgi Theologia, vel superstitio potius non omnes Deos in Cœlo collocat; nam alios eorum statuit esse superos, alios inferos, alios medioxumos. Quos [t] Plautus in Cistellaria complectitur hoc versu

Ita me dii, deæque superi, atque inferi, & medioxumi

Sed abutitur nomine Deorum, quum genios intelligat, quos circa terram versari [u] Hesiodus his versibus affirmavit

Τρὶς γὰρ μύριοι εἰσὶν ἐπὶ χθονὶ πουλυβοτείρῃ
Δαίμονες Ἀθάνατοι, φύλακες μερόπων ἀνθρώπων

Nam omnes Deos esse cœlestes vulgus etiam sentiebat, quum eos quoque, qui homines fuissent, quos erat consentaneum ultimum inter Deos locum occupare, tamen quum in Deorum immortalium numerum essent relati, cœlestes tenere sedes arbitraretur; hinc [x] Ennius

Romulus in Cœlo cum Diis genitalibus ævum
Degit Et Horatius [y]

Hac arte Pollux, & vagus Hercules
Innixus arces attigit igneas

Et quum Senatusconsultum fiebat, ut Cæsares consecrarentur, decerni dicebatur Cæsaribus Cœlum; hinc Tiberius apud Tacitum [z] ajebat, non ideo decretum patri suo Cœlum. Quare quum omnes Dii cœlestes haberentur, cur Poëta noster appellat cœlestem Jovem? quid habet proprii id vocabulum? an verò id est ita accipiendum, ut quum Poëtæ dicunt [a] humida vina, canam nivem, [b] aliaque ad eundem modum, quibus poëtæ suo quodam jure abutuntur? an inest aliquid proprium, & magis reconditum? Et pro-

 fecto

[a] Diod. Sicul. Biblioth. libr. 1. Ælian. Hist. animal. libr. 10. cap. 45. [b] Cæl. Rhodig. libr. 18. cap 36. [c] Corn. Tacit. Hist. libr. V. in princ. [d] Fulgent. Mythlogic. libr. 2. in Ganymede. [e] Jul. Pollux, l. I. c. IX. Palæpharus de incredib. Hist. c. 21. de Scylla. [f] Virg. Æn. l. 5. [g] Virg. Æn l. X. [h] Virg. ib. [i] Apollodor. l. I. Hygin. fabul. I. II. & III. & libr. II. in Ar. Apollon. libr. I. & ejus Scholiast. Ovid. Fast. libr. III. Stat. Achill. libr. I. [l] Herodot. libr. I. in princ. & Ovid. Metam. libr. I. v. 729. [m] Homer. Iliad. libr. V. & XX. Plato libr. 1. legum. Ovid. l. X. Metam. Virg. l. V. Æn. V. Eustath. in Odyss. λ. [n] Aristot. de Cœlo l. I. cap. III. [o] Homer. Il. ε. [p] Hom. Il. in princ. [q] Hom. Il. ζ. v. 129. [r] Plato in Timæo. [s] V. Lips. Physiologia Stoic. libr. I. dissert. XVIII. [t] Plaut. Cistell. Act. II. Scen. I. [u] Hesiod. Theog. [x] Ennius Annal. libr. 1. apud Cic. Tuscul. libr. 1. & Servium in VI. Æn. [y] Horat. libr. III. Ode III. [z] Cornel. Tacit. libr. I. Annal. circa finem. [a] Virg. Georg. libr. III. v. 364. V. Servium in hunc loc. [b] Claudian. in Probini & Olybrii Consulat. v. 270.

9 fecto inest. Veteres Jovem nihil aliud esse putabant, quàm Cœlum; hinc vetus [a] Poëta

Aspice hoc sublime candens, quem invocant omnes Jovem

& [b] Macrobius disertè medium æthera Jovem esse dicit, sicut aërem Junonem, ideo sororem Jovis, & conjugem [c] dici, quòd ætheri sit contiguus aër, & [d] Statius Cœlum appellat sacrarium Jovis, ita enim loquentem inducit Jovem

Arcem hanc æternam mentis sacraria nostræ.

& Crates apud [e] Bassum in Commentario in Aratum, Jovem Cœlum esse confirmat. Quum autem Jupiter sit æther, cœlestis, & ætherius a Poëtâ nostro propriè appellatur. Nam alii Dii cœlestes sunt, quia in Cœlo habitant; Jupiter autem magis propriè cœlestis est, quia est ipsum Cœlum; quapropter id unum est è multis nominibus, quibus Deorum ille summus afficiebatur. Idcirco [f] Homerus ipsum frequenter appellat ὀλύμπιον ut quum ait

...... οὐδὲ νύ σοί περ
Ἐντρέπεται φίλον ἦτορ, Ὀλύμπιε .....

& alio [g] in loco

Ζηνὸς ἐνὶ μεγάροισιν ὀλυμπίου ἀθρόοι ἦσαν

Et sanè indigebat hac appellatione cœlestis ille Jupiter, cujus [h]

...... *sunt omnia plena*

ut ab aliis distingueretur, qui terrestres Joves fuerunt, quos constat fuisse complures, quum Varro trecentos Joves recenseat.

DISSERTATIO XXIV.

In Epigramma Philippi ex libro primo in Arbores de lauro nata ex ara Cæsaris.

Dissertatio Prior.

Imperatores aris, templisque, & divinis honoribus viventes, & defuncti colebantur; nec solùm ipsis, sed etiam eorum actis Aræ, & Templa constituebantur. Quinam Imperatores Elephantis usi sint in triumphis. De consecratione Imperatorum, qui Successorem reliquerant, quæ Apotheosis dicebatur.

Solent Rhetores, & Poëtæ fortuita convertere in eorum laudes, quos ornare dicendo volunt; hujusmodi exemplum rei illud est insigne, quod Plutarchus [i] affert sumptum ex Hegesiâ sophistâ non ignobili, qui quum forte fortunâ accidisset, ut quâ nocte Magnus Alexander natus est, templum Ephesiæ Dianæ conflagrasset, dixit id evenisse, quòd præses Diana partuum Olympiadis puerperio occupata, incendio restinguendo vacare non potuisset, quæ sententia tanquam frigidior, a nonnullis non sine causâ reprehenditur. Meliùs omnino [l] Cicero; qui quum igni Capitolium absumptum fuisset, idque Catulus magnificentius exædificasset, dixit eam flammam divinitùs extitisse, non quæ deleret Jovis optimi maximi templum, sed quæ splendidius, magnificentiusque deposceret; & [m] Plinius, quum Trajanus Imperator solito maturiùs incanuisset, ait contigisse Deorum munere canos Imperatori ad Imperii decus, majestatemque, festinatis senectutis insignibus decorandam. Quid autem plura colligo, tanquam difficile sit hujusmodi exempla reperire? ad argumentum propositum accedamus. Hanc Rhetorum consuetudinem sequutus Philippus Poëta non inelegans, cujus in Anthologiâ multa extant Epigrammata, quum ex arâ Cæsari dedicatâ inter coagmenta lapidum laurus esset enata, fortuitum casum vertit in laudem Cæsaris, argutissimèque ludit, quòd Daphne, quæ Phœbum fuerat aversata, ex Arâ Cæsaris nasceretur, & quæ Apollinem odisset, Jovem Romanorum coleret, & honoraret. Epigramma verò Græcum tale est

Φοῖβον ἀνηναμένη ποτὲ Δάφνη νῦν ἀνέτειλε
Καίσαρος ἐκ βωμοῦ κλῶνα μελανπέταλον.
Ἐκ δὲ θεοῦ θεὸν εὗρεν ἀμύνονα. Λητοΐδην γὰρ
Ἐχθήρασα φιλεῖ Ζῆνα τὸν Αἰνεάδην:
Ῥίζαν δ' οὐκ ἀπὸ γῆς μητρὸς βάλεν, ἀλλ' ἀπὸ πέτρης:
Καίσαρι μὴ τίκτειν οὐδὲ λίθος δύναται

Quod ego in Latinum sermonem ita converti posse commodè judicavi

Quę renuit Phœbum Daphne, nunc Cęsaris arâ
Edita frondosas explicat alta comas;
Nimirum invenit meliùs pro numine Numen;
Phœbum exosa Jovem diligit Æneaden.
Exoritur nec humo, sed duro e marmore, Cęsar;
Nempe tibi sterilis nec lapis esse potest.

Hoc autem ut intelligatis, admonendi non estis, Auditores, Daphnē [n] fuisse egregiâ formâ puellam Ladonis fluvii, Terræque filiam, quam quum Apollo miserrimè deperiret, & insequeretur, cupida retinendæ virginitatis oravit parentem Terram, ut se rursus alvo materna reciperet, dictoque citiùs solo pedes adhesisse, detentamque radicibus virginem, in laurumque esse conversam ferunt. Quis enim fabulam pervulgatam, &, ut

[a] Ennius ex Euripide apud Cicer. libr. 2. de Naturâ Deorum. [b] Macrob. in somn. Scipion. libr. 1. c. 17. [c] Virgil. Æn. libr. 1. v. 46. & Senec. in Hercule Furent. in princip. [d] Stat. Thebaid. libr. III. [e] Comment. in Aratum in princip. [f] Homer. Odyss. α v. 60. [g] Hom. Odyss. α in princip. [h] Virgil. Eclog. 3. [i] Plutarch. in Alexandro. [l] Cicer. in Verr. 4. [m] Plinius in Panegyr. [n] Ovidius Metamorph. libr. I.

ut [a] ait ille, notam lippis, atque tonsori-
bus nescit? Neque verò libet curiosiùs in-
dagare, quisnam fuerit Cæsar hic, de quo
Poëta noster loquitur. Brodæus multæ vir
lectionis putat esse Julium Cæsarem, vel Au-
3 gustum, propterea quod Julius Obsequens
in Libello de prodigiis narrat, Trallibus in
Æde Victoriæ palmam viridem sub Cæsaris
statuâ esse natam; & Tarracone palmam
in arâ Cæsaris Augusti sponte provenisse.
Quintilianus [b] refert, quod quum Augusto
quasi ostentum a Tarraconensibus nuncia-
retur, lepidissimè illusit eorum vanitatem
Cæsar, quum diceret; apparet quàm sæpe
accendatis. Illud etiam adduci potest argu-
mentum in Augusti Cæsaris laudem a Phi-
lippo conditum Epigramma, quod de arâ
Cæsaris loquitur. Nam Augusto Cæsari sci-
mus aras positas, & templa dedicata Hora-
tio [c] teste, qui dixit:

Præsenti tibi maturos largimur honores,
Jurandasque tuum per nomen ponimus Aras

Et [d] Suetonius memoriæ prodidit templum
Jovis Athenis inchoatum statuisse, multos
Reges perficere, & Augusti genio conse-
crare, & [e] Pergami, & Romæ [f] templum
Augusto conditum est, & dedicatum. Ac-
4 cedit eodem, quod ejusdem Philippi in An-
thologiâ legitur Epigramma, quod in Au-
gusti laudem videtur esse compositum, quum
mentionem faciat pacis, quam sub Augu-
sto [g] scimus universo terrarum Orbi con-
tigisse; ut quum aliud Epigramma a Philip-
po de Augusto verisimile sit esse conscri-
ptum, hoc etiam, quod præ manibus ha-
bemus, de eodem scriptum esse videatur.
Contra verò illa dici possunt non in Au-
gustum Cæsarem Philippi versus esse com-
positos, illud argumento est, quod Philip-
pus loquitur de lauro, at ex Augusti Cæsa-
ris arâ palma enata esse [h] fertur. Præterea
non legimus in Augusti vitâ Augustum Ele-
phantis junctis triumphasse, quod Philippus
fecisse tradit hunc Cæsarem, in cujus lau-
dem præsens Epigramma conscripsit; nam
in alio Epigrammate meminit Cæsaris ab
Elephantis invecti. Alii his belluis junctis
currum, triumphumque suum nobilitarunt;
nam, ut nihil de Magno Pompejo dicam,
quem [i] Plinius Africano triumpho junxis-
se tradit Elephantos; Cæsar quum de Gallis
triumpharet, [l] *ascendit Capitolium quadragin-
ta Elephantis lychnuchos dextrâ, atque sinistrâ
gestantibus*; & [m] Alexander Severus quum
triumphum de Parthis duceret, ipse quidem
pedes incessit, sed currus, quem Elephan-
ti quatuor trahebant, sequebatur; & [n] Gor-
dianus Parthico bello victor Elephantos jun-
gere cogitavit; sed invidit fortuna præstan-
tissimo Principi, vertitque funeribus cogi-
tatos triumphos, currumque triumphalem
cum pheretro commutavit; nam sublatus a
Philippo Gordianus occidit, antequam Ro-
mam reverteretur; quare falsò Tiraquellus i-
psum refert, junctis Elephantis triumphas-
se; sed & Heliogabalus ab Elephantis in-
terdum vehebatur. Nec verò ex eo, quod 5
Augusto Cæsari aras, & templa Romani,
exteræque gentes posuerint, conjici potest
ad Augustum hoc Epigramma pertinere; si-
quidem non ei Principi solùm hic honos
est habitus, quum etiam Proconsulibus tem-
pla [o] legamus condita in Provinciis. Æ-
què communis est cum aliis Principibus
ea laus, quam Philippus tribuit Cæsari,
quum ipsum pacis appellat patrem; & si
enim Augustus pacato Orbe terrarum præ-
cipuam laudem tulit, tamen & alii Cæsares
eandem sibi gloriam vindicarunt. Nam &
Nero [p] pace constitutâ Janum geminum
clausit, idque Eprius Marcellus apud Taci-
tum in eo maximè laudat, & [q] Hadrianus
etiam fuit pacis amantissimus, cujus cupidi-
tate multas Provincias, quas imperio Tra-
janus adjunxerat, Barbaris concessit, pa-
cemque a quibusdam gentibus pecuniâ re-
demit; neque ullum passus est esse bellum.
Atque hujus institutum sequutus ejus heres,
& successor Antoninus Pius [r] magnâ cum
tranquillitate reipublicæ præfuit, qui cre-
brò solebat eam Scipionis Africani usur-
pare sententiam. *Malo unum civem servare,
quàm mille hostes occidere*. Quid Probus [f],
qui quinquennio, quo imperavit, omnes
barbaras nationes bello contusas pacavit,
qui crebrò dictitabat, si vitam diuturniorem
sibi Superi tribuissent, milites necessarios
non futuros; nonne pacis pater dici pote-
rat, quo incolumi sublata fuissent funditus
bella? Quid alii Cæsares, qui bella prospe-
rè confecerunt; nonne pacis auctores me-
ritò nuncupentur, quum pax bellis feliciter
gestis pariatur? Ac si conjecturæ locus sit,
videri possit Alaxander Severus his carmi- 6
nibus commendari; nam Alexander Seve-
rus [t] & Elephantis jugo junctis triumpha-
vit, & Artaxerxe potentissimo Rege Persa-
rum devicto, & Oriente pacato dici potest
auctor pacis, & quum Lampridius ipsum te-
stetur Provincialibus habitum pro Deo, non
est

[a] Horat. libr. I. Satyr. VII. ex Aristophan. Pluto. [b] Quintil. Inst. Orat. lib. VI. cap. IV. [c] Horat. Epistolar. libr. II. Epist. I. ad August. [d] Sueton. in August. cap. 59. & in Tiber. cap. 40. [e] Cornel. Tacit. Annal. libr. 4. [f] Dion. Histor. Rom. libr. 56. [g] L. Florus in Prolog. & Sueton. in August. cap. XXII. [h] Quintilian. Institut. Orator. l. VI. cap. IV. [i] Plin. l. VIII. c. II. [l] Sueton. in Cæsar. cap. 37. [m] Æl. Lampr. in Alexandri Severi Vitâ ad finem. [n] Jul. Capitolin. in Gordiano Juniore. [o] Sueton. in August. cap. 52. [p] Suet. in Neron. c. XIII. [q] Æl. Spartian. in Hadrian. [r] Julius Capitolin. in Antonin. Pii Vitâ. [f] Flavius Vopisc. Syrac. in Prob. Vitâ circa finem. [t] Æl. Lamprid. in Alexandr. Severi Vitâ.

est mirum eidem aras esse constitutas. Verumtamen hoc in medio relinquimus; illud adnotandum, Cæsares etiam viventes aris, & Deorum honoribus consecratos. Nam ut Augustum prætermittam, Tiberio, ejusque Matri Asiæ civitates delubrum constituerunt, quod quum sibi ut liceret, Hispaniæ quoque populi orarent, Tiberius etiam atque etiam recusavit, quum se hominem diceret, & hominum munis obire, satisque amplum, & honorificum sibi futurum, si principem locum impleret. Cujus exemplum adeo non movit Caligulam [a] successorem 7 ejus, ut non ab aliis delatos divinos honores acceperit; sed ipse proprium numini suo templum extruxerit, Latialemque Jovem se jusserit appellari; ita qui morum diritate infra belluas fuit, animi superbiâ præcipuum sibi inter Deos honorem vindicavit; & Hadrianus [b] Princeps alioquin contemnendis honoribus validus, tamen Athenis Jovis Olympii templum, & aram sibi extructam dedicavit; & per Asiam templa suo nomini condita consecravit. Quæ exempla fuerit operæ pretium congessisse, ut appareat non Augustum solùm templis, & aris consecratum. Et sanè is fuit Cæsarum cultus, ut minimè mirum sit, ubique gentium delubra eorum nomini dedicata; quis enim nescit quasi præsentes Deos Cæsares adoratos? Quocirca jusjurandum per fortunam, per salutem, per genium Principis sanctissimum habuerunt. Testatur id [c] Tertullia- 8 nus, qui sic ait: *majore formidine, & callidiore timiditate Cæsarem observatis, quàm ipsum de Olympo Jovem, citiùs denique apud vos per omnes Deos, quàm per ipsum genium Principis pejeratur*; & effigies [d] principum iisdem insignibus ornabant, quibus effigies Numinum, radiis videlicet, fulminibus, & hastâ; ideò in quibusdam nummis Augusti caput radiatum cernitur; neque solùm Cæsaribus, verùm etiam eorū actis divinos honores tribuerunt. Hinc [e] Germanici mortem quum Tiberius vindicasset, Cæcina Severus censuit aram ultioni; & quum Nero [f] procreasset ex Poppæa filiam, Senatus censuit fecunditati templum; aramque [g] adoptionis, quâ Livia in Juliam familiam transiverat, Tiberius prohibuit; & hi quidem viventibus honores habebantur, defunctos autem quis ignorat in numerum Deorum immortalium relatos? his flamines, his non solùm viros Sacerdotes, sed [h] etiam feminas attributas. Consecrationem autem, quam Apotheosin vocant, quæ his contingebat dumtaxat, qui Successorem Imperii reliquissent, ad hunc maximè modum celebrabant. Corpus [i] quidem extincti Cæsaris communi ritu sepeliebant, in 9 vestibulo verò domus palatinæ proponebant imaginem in eburneo Thoro positam, pallentemque, & ægroti specie; lævâ Senatus astabat atratus, dextrâ nobiles feminæ sine ornatu albis vestibus indutæ, lugentium habitu; accedebant quotidie ad lectum medici, quasi ægrotum inspecturi, semperque deteriùs habere se pronunciabant; ubi verò mortuus jam fingebatur, lectum efferebant ex ordine equestri, senatuque lecti juvenes, & quum in antiquum forum detulissent, ibique composita in defuncti laudem carmina puellæ, puerique nobiles cecinissent, in Campum Martium comportabant; erat ibi extructum ex ingentibus lignis ædificium quadratum paribus quoquò versus lateribus, intus quidem plenum sarmentis aridis, extra verò stragulis auro intextis, eburneisque simulacris, & picturis exornatum; super id aliud visebatur angustius primo, ac deinceps tertium, ac quartum; eo tamen ordine, ut superius esset brevius, extremumque brevissimum; in secundo autem tabernaculo lectum collocabant, undique verò aromata, & pretiosos odores congerebant, tum decurrebant in equis, currusque tabernaculum circuibant, quibus vehebantur homines cum personis, quibus Romanorum duces, imperatoresque clarissimos exprimebant; quibus exactis, qui successerat in principatu, facem tabernaculo admovebat, tum omnes ignes certatim subiicebant, ac deinde ab extremo, minimoque tabernaculo aquila emittebatur, quæ in Cœlum ferre animam defuncti Cæsaris credebatur.

DIS-

[a] Sueton. in Caligul. cap. XXII. [b] Æl. Spartian. in Hadrian. [c] Tertullian. in Apologet. c. XXVIII. [d] Just. Lipsius in Commentar. ad Annal. Cornel. Tacit. libr. primo [e] Cornel. Tacit. libr. III. Annal. [f] Cornel. Tacit. libr. XV. Annal. [g] Cornel. Tacit. Annal. libr. prim. [h] Just Lipsius in Comment. ad Annal. Cornel. Taciti libr. I. [i] Herodianus libr. IV. in principio.

DISSERTATIO XXV.

In idem Anthologiæ Epigramma

Dissertatio Posterior.

Boni Principes debent maximam adhibere curam, ut soboles propagetur; quamobrem Augustus, & alii Principes multa privilegia maritis concesserunt, & illis, qui plures filios procreassent; hinc jus trium, vel quatuor Liberorum, & jus maritorum; quidam verò Viri principes, & populi cælibes puniebant.

EGregiam laudem tribuit Cæsari Poëta noster in ultimo versu Epigrammatis, quod suscepimus explicandum; nam ipsius beneficio significat Annonæ copiam contingere: & omnibus esse mirificum sobolis propagandæ studium; tantam quippe Cæsare imperante felicitatem terrarum Orbi Deos tribuisse, ut non solùm homines, & mutæ animantes, sed etiam inanima, & quæ etiam videntur habere naturam, ut procreare nihil possint; Cæsari tamen infecunda esse nolint, ut soboles eorum sæculi bonis perfruantur. Hujus autem sententiæ Poëtæ dedit occasionem casus, quo forte contigerat, ut ex arâ Cæsaris laurus nasceretur; acutè quippe animadvertit non oriri laurum illam e terrâ matre, sed e lapidibus aræ, propterea quod Cæsari ne lapides quidem steriles esse possint; hanc verò sententiam his expliceat Versibus

Ρ'ίζαν δ' ὐκ ἀπὸ γῆς μητρὸς βάλεν, ἀλλ' ἀπὸ πέτρης:
Καίσαρι μὴ τίκτειν ὐδὲ λίθος δύναται

Qui versus ita latinè convertuntur

Exoritur nec humo, sed duro e marmore, Cæsar;
Nempe tibi sterilis nec lapis esse potest

Quos versus ut illustremus, Romanos Principes, qui rempublicam laudabiliter administrarunt, studiosos fuisse Romanæ sobolis propagandæ; eamque laudem existimasse maximam ostendemus, si ipsis imperantibus ubertas omnium rerum contingeret, & præcipuè civium numerus augeretur; ex quibus, ut opinor, apparebit magnificè laudari a Poëta Cæsarem, quum affirmat ipsum omnibus adeo persuasisse, ut sobolem sibi procrearent, ut etiam lapides fecundi esse cogerentur. Et quoniam ab Augusto ple-
1 raque laudabilium exemplorum in republicâ scimus constituta, operæ pretium est animadvertere, quanto studio summus ille principum curaverit, ut augendâ prole rempublicam stabiliret. Qua quidem in re neque parva dictu prætermisit; siquidem [a] etiam Metelli Numidici orationem de ducendis uxoribus in senatu sæpe recitavit, & receptis in sinu Germaniei [b] liberis exemplo juvenis populum ad suscipiendos liberos est adhortatus; leges verò eas [c] tulit, quarum vi matrimonia frequentarentur. Nam & cælibes vetuit quidquam capere ex testamentis eorum, quos proximâ cognatione non attingerent; Orbos verò non ultra dimidium; & maritis in spectaculis honoratior locus tribuebatur, iidemque in Magistratibus honoratiores habebantur; in honorum verò petitione candidati, quibus plures liberi, præferebantur; idemque fiebat in sortitione Provinciarum, licebatque maturiùs petere Magistratus iis, quibus numerus liberorum suffragabatur, minuebaturque propter multitudinem liberorum pœna damnatis. Hinc illud a scriptoribus Latinis celebratum jus trium, quatuorve libe- 2
rorum, & jus maritorum, cujus mentionem facit Dio historiarum libro quadragesimo. Nec pœnis tantùm in cælibes constitutis, præmiisve homines ad tollendos liberos compulit, & invitavit; sed etiam aliis modis consuluit soboli propagandæ. Nam & nobilibus viris, exceptis tamen senatoribus, permisit, ut libertas uxores ducerent, & sancivit, ut sponsaliorum tempus biennio terminaretur; neque vir sexagenario minor quinquagenariam sibi copularet; neve sexagenario major, annis quinquaginta minorem; vetuitque, ne liberi uxorem ducere prohiberentur inviti, neque viduis post mariti mortem biennio diuturniorem vacationem concessit; divortiique pœnam esse voluit, ut dotem amitteret, cujus culpâ factum esset divortium. Quæ omnia capita lege Juliâ, & Lege Papiâ continebantur; quæ etiam leges de maritandis ordinibus sunt appellatæ, & ab Horatio [d] leges maritæ dicuntur his carminibus

Prosperes decreta super jugandis
Feminis, prolisque novæ feraci
Lege maritâ

Quid alii Principes? nonne Augusti exem-
plum sequuti huic rei præcipuè studuerunt? 3
nonne multis puerorum millibus constituit alimenta Trajanus? nonne idem princeps, ut matrimonia frequentiùs celebrarentur, jus trium liberorum parcissimè concessit, ut auctor est [e] Plinius? quid autem sibi volebant congiaria, quæ mali principes, ut odium populi Romani lenirent, largiebantur; boni,

[a] Sueton. in August. cap. 89. [b] Idem in August. c. 34. [c] Lex Julia de Maritandis Ordinibus Sueton. ibid. & leg. 1. §. si liberta ff. unde vir & uxor. & Dion in Vita August. [d] Horat. Carmin. Sæcular. [e] Plin. Epistol. libr. 10. Epist. 95. & 96.

boni, ut eo munere plebs invitata liben-
tius liberos tolleret, quum sciret his a Prin-
pe alimenta præstari? In quo adeo liberalis
Julius [a] Cæsar fuit, ut populo viritim de-
nos frumenti modios, totidemque libras o-
lei, & tricenos nummos, quos pollicitus e-
rat, centenosque pro morâ diviserit; nec
id neglectum Romanis, quum legamus ad-
huc florente republicâ, trecenta millia ho-
minum frumentum de publico accepisse.
Quin & plebis partem, quæ inopiâ preme-
4 batur, immunem munerum publicorum,
tributique conferendi, proli tantummodo
gignendæ vacare voluerunt, quos homines
proletarios [b] appellarunt; quod reipublicæ
dumtaxat prolem præstarent; & Censores eos
mulctabāt, qui quū potuissent, non duxissent
uxorem. Quod Camillum, Postumiumque
Censores fecisse testatur [c] Valerius Maximus,
qui eos, qui ad senectutem cælibes perve-
nerant, æra pœnæ nomine in ærarium de-
ferre jusserunt. Hinc Festus [d] Pompejus
animadvertit, eos dici uxorium pependisse,
qui quòd uxorem non habuissent, æs popu-
lo dederant. Quem [e] morem ductum esse
5 a Lacedæmoniis accepimus, qui cælibes non
levi pœnâ puniebant. Nam Hieme summâ
forum nudos circuire cogebant canentes
carmina, quibus convicium sibi ipsis facie-
bant, meritòque se illa pati asseverabant,
quòd legibus non paruissent; neque lice-
bat ipsis virginum, puerorumque spectare
certamina; & honoribus privabantur, qui-
bus adolescentes Lacedæmonii afficiebant
seniores. Quapropter quum [f] Dercyllides
fortissimus imperator expers matrimonii
consenuisset, adolescens ipsi non assurre-
xit, neque venienti decessit, quum diceret,
meritò id patitur, neque enim genuit, qui
mihi assurgeret, aut loco cederet; nec mi-
nùs præmiis eadem respublica homines ad
propagandam sobolem invitavit. Nam [g] qui
tres liberos genuisset, excubias agendi one-
re levabatur, qui verò quatuor, omnium pu-
blicorum munerum immunia habebatur.
6 Et sanè meritò prudentissimi civitatum re-
ctores, & Principes laudatissimi hujus rei
præc ipuam curam habuerunt. Nam quæ
pretiosior possessio, quæ optabilior, aut me-
lior bono Principi, quàm homines? quod
autem præstantius, validiusque felicitatis,
aut potentiæ instrumentum, quàm popula-
rium amantium, beneque de suo rectore
sentientium multitudo? quid enim sine hoc
prodest imperii magnitudo, abundantes o-
pes, fertilitas regionum? squallet sine cul-
toribus tellus, opulentissimæ quondam ur-
bes desolatæ corruunt; & quæ loca tenere
debebant homines, occupant feræ; neque
ullum præstat usum Regnantibus terra me-
tallorum ferax, ubertas agrorum, aëris tem-
peries, urbium magnitudo, fluviorum na-
vigabilium frequentia, maris opportunitas,
accessusque portuum tutissimi; nisi homi-
num industriâ, labore, studio artis, & natu-
ræ bona excolantur. Jam verò non præcipi-
tes fossæ, non excelsi, validique muri, non
inexpugnabiles arces, præruptæque rupes,
atque insuperabiles montes meliùs Regum sa-
lutem, imperiumque tueantur, quàm pectora
fidelium bellatorum. Permulta [h] sæcula sine
muro stetit Lacedæmon semper invicta, sem- 7
per inexpugnabilis; nam civium virtus ur-
bi validissimæ pro muro, & quidem insu-
perabili fuit. Contra [i] verò Dionysium Si-
ciliæ tyrannum non armorum, non trire-
mium multitudo, non tot regni præsidia,
neque suæ defenderunt arces, quo minùs
a paucissimis regno pelleretur. Quocirca
Regum munimenta, divitiæ, felicitas, po-
tentia hominum multitudine continentur.
Idcirco Regibus id maximè providendum
est, ut subditæ regiones augendâ prole ce-
lebrentur, idque illis & præsidium, & im-
perii decus est non vulgare. Sapienter Ho-
merus [l], ut solet, Reges vocat semper pa-
stores populorum, quemadmodum ergo pa-
stor non ille commendatur, qui gregem mi-
nuit, sed qui auget, atque aliam ex aliâ ge-
nerando sufficit prolem; ita Rex non ille
afficiendus est laude, qui paucitate homi-
num, sed qui frequentiâ delectatur. Sed ut
boni Principes impendunt hanc curam mul- 8
titudini popularium propagandæ; sic etiam
suâ sponte urbes, & regna numerosâ sobo-
le efflorescunt; siquidem, quemadmodum
Plinius [m] ait, plebi liberos educandi una
ratio est bonus Princeps. Et quid ni sit sub
bono Principe [n]

Nutrit rura Ceres, almaque faustitas,
Pacatum volitant per mare navitæ
Culpari metuit fides
Nullis polluitur casta domus stupris:

Nemo sibi timet, nisi qui sceleribus me-
ruit, ut timeret: nemo congestis opibus,
nemo formæ, atque ætati conjugis, & li-
berorum: licet proferre ingenia, licet e-
mergere industriæ, licet non dissimulare ani-
mi magnitudinem, licet inter ceteros emina-
re; est propositū virtuti præmium, admiratio
ingeniis, honos bonis artibus: viget publica
disciplina, florent leges, florent artes univer-
sæ, coluntur studia, commercia frequentan-
tur. In hæc bona libet liberos procreare;
quum

[a] Sueton. in Jul. Cæs. cap. 38. [b] A. Gell. libr. 15. cap. 10. [c] Valer. Max. libr. 2. cap. 4. & Plutarch. in Camillo. [d] Festus in V. uxorium [e] Plutarch. in Lycurgo, & in Apophth. Lacon. & in Vitâ Lysandri in fine. [f] Plutarch. in Lycurg. [g] Aristot. libr. II. cap. VII. Politic. [h] Plutarch. in Lycurgo, & in Apophthegm. [i] Justinus libr. XX. in fine. [l] Homer in Iliad. passim. [m] Plin. in Panegyrico. [n] Horat. libr. IV. Ode V. ad Augustum.

quum se omnes felices, felicemque rempublicam arbitrentur, & hujus felicitatis velint esse participes eos, quos ex se genituri sunt, quos non ad servitutem, sed ad honestissimam libertatem sciunt esse orituros. Præclarè igitur Poëta Cæsarem laudat, quum affirmat mirificam eo imperante omnibus esse tollendorum liberûm cupiditatem.

DISSERTATIO XXVI.

In Epigramma Apollonidæ ex libro primo in Aves de Ostento Tiberii Cæsaris.

Dissertatio Unica.

Tiberius offensus uxoris impudicitiâ invito Augusto Vitrico, & matre Liviâ Rhodum concessit, & post annos octo impensissimis Liviæ matris precibus reditum impetravit. De Insulâ Rhodo, & quare sacra Soli feratur. Alia aliis locis animalia gignuntur. De Aquilis, quòd nunquam in Rhodo Insulâ conspectæ fuerint: & quòd fausta auguria portenderent; & ideo essent signa exercituum apud multas gentes, & unde id originem duxerit. Romani Imperatores Joves a Poëtis appellabantur.

Tiberius, qui postea ab [a] Augusto Cæsare adoptatus, eo defuncto, rerum potitus est, offensus u-
1 xoris impudicitiâ, quam Augusto [b] ortam neque dimittere audebat, neque criminari; ferre autem adulteriis maculosam haudquaquam in animum sibi inducebat, sive adultis Augusti liberis ne videretur obtrectare præsens, [c] abeundum ex urbe ratus, quamvis Augusto vitrico, & matre Liviâ repugnantibus concessit Rhodum. Graviter id Augustus tulit, ab eo rempublicam deseri, quem tanquam præcipuum subsidium principatus maturatis honoribus, præturâ, consulatu, tribunitiâ potestate cumulaverat. Quocirca [d] quum Tiberius deinde mutatâ voluntate per litteras peteret, ut sibi in urbem reverti liceret, & revisere necessitudines, quarum desiderio teneretur, Augustus id ei denegavit, admonuitque dimitteret curam suorum, quos tam cupidè reliquisset. Ex eo contemptior in dies Tiberius non solùm privatus, verùm etiam exul habebatur; sed respexit aliquando fortuna, quem Orbi terrarum imponere Principem cogitabat; nam post annos octo impensissimis Liviæ Matris precibus, tandem Tiberius reditum impetravit. Paucis diebus [e] antequam id accideret, hujusmodi ostentum dicitur felicitatem Tiberii portendisse. Aquila Rhodi nunquam antea
visa in culmine domus ejus assedit; de hoc 2
prodigio in Anthologiâ reperitur ab Apollonide Poetâ conscriptum Epigramma, quod nunc aggredimur ad explicandum, & ita se habet

Ο'πρὶν ἐγὼ ῥαδίοισιν ἀνέμβατος ἱερὸς ὄρνις,
Ο'πρίν Κερκαφίδαις αἰετὸς ἱςορίη
Τ'ψιπετὴ τότε ταρσὸν ἀνὰ πλατὺν ἠέρ' ἀερθεὶς
Η'λυθον Η'ελίυ νῆσον, ὅτ' εἶχε Νέρων,
Κείνυ δ' αὐλίσθην ἐνὶ δώμασι χειρὶ συνήθης
Καίσαρος, ἐ φεύγων Ζῆνα τὸν ἐσσόμενον

Hoc autem epigramma sic Latinis versibus explicavi

Quę claram volucris nunquam Rhodon ante pe-(tivi,
Et Rhodiis famâ cognita teste fui,
Æthereis veni sublata per aëra pennis,
Quum Nero formosam Solis haberet humum,
Ejus & Augusto sedi lare prima, futurum,
Ut par est famulam, devenerata Jovem

Quos Græci poëtæ versus ut intelligamus,
illud inprimis adnotandum est, quod Stra- 3
bo libro decimoquarto memoriæ prodit: post Telchinas Cercaphum insulam Rhodum tenuisse, cujus filii Lindus, Jalysus, & Camirus tres urbes sibi cognomines in Insulâ Rhodo condiderunt; ab eo Cercapho Cercaphidæ Rhodii sunt appellati. Testatur id [f] Eustathius, qui sic ait ἐκ δὲ Κερκάφυ Κερκαφίδες αἱ Ρ'οδίαι γυναῖκες ἐκαλῦντο, hoc est, *a Cercapho Cercaphides Rhodiæ mulieres vocabantur.* Quare minimè mirum est, si Rhodios auctor hujus epigrammatis Cercaphidas vocat; fuit enim hoc inter alia nomina Rhodiorum, quæ plurima recensentur. Nam & Ophiusa [g] Rhodos est appellata a multitudine Serpentum, qui in eâ ante Phorbantis adventum dicuntur extitisse; & Stadia, & Telchinis, eo quod Telchines ipsam habitarent; fuerunt autem Telchines homines præstigiatores, vel, ut alii volunt, sapientes; & [h] Asteria, & Æthræa, & Trinacria, & Corymbia, & Pœessa, Atabyria, Macria, & Oloëssa. Illud etiam sciendum,
quod ad hos versus intelligendos pertinet, 4
a scriptoribus [i] prodirum, in Insulâ Rhodo Aquilam conspici nunquam; videtur autem ea esse natura nonnullarum regionum, ut a quibusdam animantibus eæ non attingantur. Sic noctuas [l] in Cretâ negant esse, & si quæ aliunde advehantur, emori tradunt: Picos [m] Martios affirmant in Tarentino agro

K

[a] Sueton. in Tiberio cap. 15. [b] Sueton. ibid. cap. 7. [c] Sueton. ibid. cap. 10. [d] Sueton. in Tiber. cap. 11. [e] Sueton. ibid. cap. 14. [f] Eustath. in 2. Iliad. in catalogo navium. [g] Strabo libr. 14. & Plinius libr. 5. cap. 31. [h] Stephan. in Ρ'όδος Plin. libr. 5. cap. 31. [i] Plin. libr. 10. cap. 29. [l] Plin. ibid. [m] Plin. ibid.

gro non aspici; perdices [a] non transuolare
Bœotiæ fines: in Atticâ multa alia narran-
tur hujusmodi, quæ non prorsus incredi-
bilia videbuntur, siquis reputabit, quibus-
dam locis quasdam feras esse peculiares. In-
5 dia [b], & Africa generat Elephantos; Cro-
codilos, & Hippopotamos [c] Nilus nutrit; I-
bin [d] avem miratur Ægyptus; Cameloparda-
dalin [e] Æthiopes habent, genus feræ a Ca-
melo, Pantheraque dictum, propterea quod
pellem habeat Pantheræ, formam Camelo
persimilem. Contra [f] Leones in Europâ
non generari auctor est Aristoteles, præter-
quam inter Acheloum, Nestumque fluvium,
qui tamen nunc in Europâ nusquam repe-
riuntur. In Africâ non esse Cervos, neque
Apros, neque Capreas, neque Ursos Plinius
[g] tradit; quamquam de Ursis minùs est for-
tasse consentaneum veritati Plinii testi-
monium. In Italiâ nullam pæne noxiam
feram Virgilius putat reperiri; hinc illæ Ita-
liæ laudes a Poëtâ celebratæ [h]

At rabidæ tigres absunt, & sæva Leonum
Semina, nec miseros fallunt aconita legentes,
Nec rapit immensos orbes per humum, neque tanto
Squameus in spiram tractu se colligit anguis

6 Eodem modo & aquilæ non commeare di-
cuntur in insulam Rhodum, ut [i] Plinius, &
Suetonius [l] memoriæ prodiderunt; obeam-
que causam, quum Tiberio agenti Rhodi
Aquila se ostendisset, prodigium id est ha-
bitum, & futuræ felicitatis indicium; præ-
sertim quum alioquin Aquila inter auspica-
tissimas aves [m] haberetur. Quocirca ferunt
Cyrum, quum adversus Assyrios exercitum
ducenti Aquila a parte dextrâ apparuisset,
eo augurio maximè lætatum, quum scien-
tiæ auguralis esset peritissimus. Et quum [n]
Tanaquil, & Tarquinius Romam primitus
ingrederentur, & Aquila placidis demissa
leniter alis pileum e Tarquinii capite ab-
stulisset, sublatumque in sublime capiti rur-
sus aptasset, Tanaquil auguriorum haudqua-
quam ignara spe certissimâ regnum viri di-
citur præcepisse; nec minus lætam spem præ-
cepit animo Germanicus, quum in aciem
adversùs Germanos hostes milites eductu-
rus octo Aquilas aspexisset: & Augusto A-
quila [o], quæ puero panem rapuit, & quum
altissimè evolasset, iterum descendens in
manibus reposuit, imperium visa est por-
tendere; sicut [p] Vitellio adversùs Othonem
exercitum moventi victoriæ eadem avis au-
7 gurium fecit. Multa præterea sunt exem-
pla, quibus idem possit ostendi, quæ sciens
prætermitto satietatem reformidans; atque
hinc factum nonnulli putant, ut Aquilæ
signa legionum haberentur. Initium ejus
rei a Jove ductum Isidorus [q] existimat, cui
quum bellum adversùs Titanas gerenti A-
quila victoriæ fuisset augurium, instituit,
ut Aquila signum esset legionum, quare [r]
Ganymedem non ab Aquilâ raptum volunt,
sed a legione, quæ Aquilâ pro signo ute-
retur; Jovis autem exemplum sequutos Tro-
janos autumant Aquilam suis legionibus
prætulisse. Sed [s] & Cyrus, & Persæ, utpote
a Jove ducentes originem auream Aqui-
lam in exercitu pro signo habuerunt; &
Romani sive Trojanos imitati, a quibus o-
riundi putabantur, sive aliâ de causâ in sin-
gulis legionibus [t] singulas Aquilas conse-
crarunt, quæ legionum numina vocaban-
tur. Eas consulatu secundo primus dicasse
Marius [u] fertur; antea quippe cum signis
aliis Aquila ferebatur; nam & [x] Minotau-
ri, & Lupi, & Equi, & [y] Apri ordines an-
teibant; paulò ante Marium est institutum,
ut reliqua signa in castris relinquerentur, A-
quilæ solum in aciem efferrentur. Sed, ut
ad Poëtæ versus explicandos, unde digressi 8
sumus, revertamur; appellat Rhodum Poëta
Solis Insulam in illo carmine

.... Ἠελίου νῆσον, ὅτ' εἶχε Νέρων

nam Soli Rhodus habebatur sacra; qua de
re fabulam Pindarus [z] hujusmodi narrat.
Quum Dii terrarum Orbem inter se divi-
derent, regionesque sortirentur, quæ sin-
gulis numinibus cederent, oblitos esse ra-
tionem habere Solis absentis; quare, quum
Sol revertisset, voluisse Jovem sortem rur-
sus ducere, Solem autem vetuisse quidquam
immutari; ajebat enim videre se opertam
aquis insulam, eâ se, quum emersisset e
mari, contentum fore; erat autem ea insu-
la, quæ postea Rhodos est appellata, id quum
Superi omnes comprobassent, existere jus-
sam e fluctibus Rhodum Soli consecrarunt.
Quæ fabella ex eo nata est, quod quum Rho-
dus mari diutissimè latuisset, enata sponte
dicitur; videbatur autem Solis esse Rhodus
propter aëris peculiarem serenitatem; siqui-
dem Plinius [a] tradidit nunquam tantis nu-
bibus Cœlum obsideri, quin aliquâ diei par-
te Rhodi Sol aspiceretur. Jam terræ amœ-
nitas, Cœli temperies, aërisque salubritas, 9
Oppidorum nitor tanta fuerunt, ut insulæ
pulcherrimi sideris cultu dignissima cense-
retur. Quod si divitiæ non Ditis, ut Poë-
tæ vo-

---

[a] Plin. libr. 10. c. 29. [b] Pl. l. 8. c. 11. [c] Plin. libr. 8. c. 25. [d] Aristot. apud Plin. libr. 10. cap. 12. [e] Plin: libr. 8. cap. 18. [f] Aristot. hist. animal. libr. 8. cap. 28. & Plin. libr. 8. cap. 16. [g] Plin. libr. 8. cap. 33. & 36. in fine. [h] Virgil. Georg. l. 2. [i] Plin. libr. 10. cap. 29. [l] Sueton. in Tiber. cap. 14. [m] Theocrit. Encom Ptolem. & Xenophon. de exped. Cyri l. 6. [n] Liv. libr. 1 [o] Sueton. in August. cap. 94. [p] Idem in Vitell. cap. 9. [q] Isidor. Origin. libr. 18. cap. 3. [r] Fulgent. Mytholog. libr. 2. in Ganymede. [s] Xenophon de instit. Cyri libr. 7. [t] Vegetius de re militari libr. 2. cap. 6. [u] Saluft. in Jugurth. Plin. libr. 10. cap. 4. Plutarch. in Mario. [x] Plin. ibid. & Vegetius l. 3. c. 6. [y] Sextus Pomp. Fest. l. 14. [z] Pindar. Olymp. Od. 7. [a] Plin. libr. 2. cap. 52.

tæ voluerunt, sed Solis dona sunt, qui gignit aurum, & ceteras opes, meritò Soli Rhodus est consecrata; tantis enim opibus affluebat, ut in eâ Poëtæ finxerint [a] aurum pluisse, quum Minerva nasceretur. Sequitur epigrammatis ultimum distichum, in quo Poëta confirmat Aquilam Tiberii domum advolasse, eo quod non fugeret futurum Jovem; ubi est adnotandum Aquilam haberi [b] Jovi sacram, & Romanos Imperatores Joves a Poëtis appellatos; ita [c] Statius Domitianum vocat in hoc versu

Dum nostri Jovis hi ferantur Imbres

Nec aliò respicit [d] Martialis ubi sic ait

Aspice Tarpejum, Pallatinumque Tonantem;
Ausa nefas Lachesis lusit utrumque Jovem.

DISSERTATIO XXVII.

In Epigramma Antipatri de Ajace ex libr. III. Anthologiæ in Heroas

Dissertatio Prior.

De Ajace. De Sordidatis. De more tondendi crines ad sepulcra, qui duxit originem ex commento poëtarum, qui fabulantur Proserpinam morituris crinem abscindere; hinc refellitur Petri Victorii interpretatio Euripidis in Oreste.

Ajaces fuisse duos Veteres memoriæ prodiderunt, quorum alter Oilei filius, alter Telamonia fuerit; eorum uterque fortitus esse fertur exitum vitæ maximè miserabilem, & luctuosum; uterque Minervæ sapientissimæ Dearum irâ dicitur occidisse.
1 Nam Ajax [e] Oilei, quum Cassandræ Priami filiæ in Palladis templo vitium obtulisset, & post illud bellum decennale domum navigaret, ab eadem fulmine est interemptus. Ajax autem Telamonius, quum rebus ad Trojam præclarè gestis cum Ulysse contendisset, uter majora damna Trojanis intulisset, & Achillis arma præmium virtutis accipere deberet, essetque judicio victus, adeo molestè injuriam tulit, ut immisso a Pallade furore, sibi ipsi mortem consciverit. Hujus Ajacis casum ut pote funestum, & lacrymabilem, & indignum tanto viro poëtæ præcipuè miserantur, ac propterea de eo multi scripserunt, in quibus est Homerus, qui libro undecimo Odysseæ hanc Historiam tangit, & Sophocles Tragicorum princeps, qui Tragœdiam scripsit, quam Ajacem Mastigophoron, hoc est flagelliferum inscripsit; & ex Latinis [f] Ovidius, qui in libris Metamorphoseon & armorum judicium, & Ulyssis victoriam, & Ajacis mortem est ingeniosissimè persequutus. De hoc in Anthologiâ multa poëmata reperiuntur; nos unum dumtaxat & proponemus, & exponemus, quod est hujusmodi [g]

Σῆμα παρ' Αἰάντειον ἐπὶ ῥοιτηΐσιν ἀκταῖς
  Θυμοβαρὴς Ἀρετὰ μύρομαι ἑζομένα,
Ἀπλόκαμος, πινόεσσα, διὰ κρίσιν ὅττι Πελασγῶν
  Οὐκ ἀρετὰ νικᾶν ἔλλαχεν, ἀλλὰ δόλος:
Τεύχεα δ' ἂν λέξειεν Ἀχιλλέος, ἄρσενος ἀκμᾶς,
  Οὐ σκολιῶν μύθων ἄμμες ἐφιέμεθα

Hoc autem ita latinè posse transferri videtur

Ajacis tumulo Rhœtheo in litore virtus
Dum sedeo, mœstis imbribus ora rigo,
Sordida, tonsa comas, quòd iniquo gentis Achivæ
Judicio virtus exuperata dolo est;
Arma autem dicent Vulcania, vivida bello
Pectora, non fallax poscimus eloquium

Et ex verbis quidem non multa sunt notatu digna, neque tamen omittendum σῆμα 2
a Græcis dici sepulcrum, ex quo [h] Plato σῶμα corpus putat appellatum, quasi quoddam animæ sepulcrum; sapientissimis [i] quippe viris placuit, hanc, quam vivimus, vitam, mortem veriùs existimandam, animumque cœlestem, & immortalem in hoc corpore terreno, & caduco, tanquam in aliquo sepulcro, & carcere detineri; unde corpus etiam δέμας, quasi vinculum animæ nominarunt. Tullius [l] in libro de Republica sexto ad utrumque nomen respexit. *Immò verò*, inquit, *illi vivunt, qui ex corporis vinculis tanquam carcere evolaverunt*, & Seneca [m] ubi sic ait; *caro, ossa, nervi, vincula animorum, tenebræque sunt.* Neque prætereundum Ἀκτὴν Græcis dici litus, quod ipsum non esset adnotandum magnopere, nisi Latini eo vocabulo uterentur, & quidem rarò, ut fit etiam obscurius; utitur autem Cicero in Verrinis, & Virgilius [n] in illo carmine

At procul in solâ secretæ Troades actâ

Ubi acta pro litore accipitur; ἀκτὴ est etiam cibus Euripides δήμητρος ἀκτῆς *Cereris cibo*. Quibus de significatione verborum explicatis, ad artificium Epigrammatis contemplandum transeamus. Elegantet igitur 3
Poëta concipit imaginem magni mœroris, quum ait bellicam virtutem, quæ maximè omnium actuosa est, sepulcro Ajacis asside-

[a] Pindar. Olymp. Ode 7. & ibi Scholiast. [b] Virgil. Æn. libr. 12. & Ovid. Fast. libr. 5. [c] Stat. Silvar. libr. prim. in Kal. Decembris. [d] Martial. libr. 9. Epigramm. 88. [e] Homer. Odyss. δ & Virg. Æn. libr. prim. Horat. Epod. Od. 10. & Ovid. in Ibin.

[f] Ovid. libr. 13. Metam. in princ. [g] Anthol. libr. 3. de Ajace. [h] Plato in Cratylo. [i] Cicer. somn. Scipionis. [l] Cic. ibid. [m] Senec. de consolat. ad Helv. cap. 11. [n] Virgil. Æn. libr. 5.

re, nihil aliud agentem, quàm ejus infelicem, & lacrymabilem casum deplorantem quasi ejus viri morte fortitudo, quæ solere in acie inter vulnera, cædesque, & hostium tela versari, adeo fracta sit, & debilitata, ut sedens ad Ajacis monumentum muliebri luctu contabescat, & quæ præcipit aliis, ut mortem tranquillo, & constanti animo perferant, ipsa Ajacis mortem sine magnâ animi perturbatione, & incredibili mærore perferre non possit. Quanti est enim mæroris indicium, illam, quæ immortalitatem tantummodò spectet, defunctorum monumentis inhærere; & quæ palmas, triumphos, coronas semper cogitet, nunc sine ullo honore jacere squallentem, mæstam, sordidatam, abjectam? Nam, ut majorem virtutis exprimat luctum, sordibus oblitam etiam facit, in quibus esse Veteres in magnis calamitatibus, periculisque ad misericordiam commovendam, vel invidiam concitandam solebant. Quocirca reos
4 accepimus & obsoletiori veste usos, & sordidatos fuisse, quod Cicero testatur his verbis in oratione, quam habuit pro Sextio: *uno aspectu intueri potestis eos, qui cum senatu, cum boni omnibus rempublicam afflictam excitarint, & latrocinio domestico liberarint, mæstos, sordidatos, reos*; & in Pisonem; *nec minùs lætabor, quum te semper sordidum, quàm si paulisper sord datum viderem*; inde sordes reorum, quarum mentio est apud Suetonium in Augusto: *Diuturnorum*, [a] inquit, *reorum, ex quorum sordibus nihil aliud, quàm voluptas inimicis quæreretur, nomina abolevit*; & in [b] Vitellio: *castra verò ingressus, nihil cuiquam poscenti negavit, atque ultro ignominiosis notas, reis sordes, damnatis supplicia dempsit*. Non solùm autem, qui in judicium vocabantur, in sordibus erant; sed etiam
5 alii in amicorum, cognatorumque periculo sordidam vestem sumebant, ut facilè intelligi potest ex orationibus Ciceronis. Quocirca quum Cicero in exilium ejectus est, & senatus universus, & [c] viginti millia hominum veste mutatâ fuisse perhibentur. Quod tamen consequutis temporibus legibus vetitum, quum scilicet Principes hujus invidiam rei pertimescerent; nam *capite vigesimonono legis de injuriis, & famosis libellis* cavetur, ne quis in cujusquam, nisi conjunctissimi, periculo sordidam vestem sumat. Quum autem, qui in judicium vocabantur, & iis necessitudine aliquâ conjuncti sordidâ veste, & obsoletâ uterentur, apparet, quàm propriè Poëta noster inducat virtutem sordidatam, quæ & in judicium fuerat ab Ulysse vocata, & iniquis Græcorum sententiis victa in summo luctu, & calamitate versabatur. Nec minùs eleganter
tonsis crinibus ad Ajacis monumentum sedere virtutem dicit, in quo veterem est O- 6
ratorem imitatus, quem in libro tertio de Rhetorica laudat Aristoteles, qui quum eos laudibus celebraret, qui apud Salamina pro communi salute Græcorum ceciderant, dixit Græciam ad eorum sepulcrum comam totondisse. Solebant enim Veteres crines mortuorum afferre monumentis; ita Homerus [d] inducit Achillem comam, quam Sperchio amni voverat, in Patrocli exequiis recidentem. Ita Lycurgum [e] Statius filii cadaver colentem facit his verbis

> *...... tergoque, & pectore fusam*
> *Cæsariem ferro minuit, sectisque jacentis*
> *Obnubit tenuia ora comis......*

Atque hi, qui hoc munere defunctos largiùs afficissent, laudabantur; siquidem Homerus Patrocli cadaver a Græcis contectum omne crinibus refert. Quo magis est reprehendendus vir alioquin doctissimus [f] Pe-
trus Victorius, qui Euripidis locum in O- 7
reste putat aliò pertinere, qui quoniam nobilis est, & ad propositam rem spectat, subiicietur a nobis. Euripides igitur in Oreste inducit Electram Helenæ maledicentem, quòd illa, ne speciem deformaret oris, parciùs Clytæmnestræ sorori suæ crines afferret. Versus elegantissimi Poëtæ sunt hujusmodi.

> Ω φύσις, ἐν ἀνθρώποισιν ὡς μέγα εἶ κάκον,
> Σωτήριόν τε τοῖς καλῶς κεκτημένοις:
> Ἴδε παρ' ἄκρας ὡς ἀπέθριξε τρίχας
> Σώζουσα κάλλος: ἔστι δ' ἡ πάλαι γύνη,
> Θεοί σε μισήσειαν ......

hoc est

> *Natura, quantum in rebus humanis malum es!*
> *Et quanta possidentibus pulchrè salus!*
> *En ut recidit leviter extremam comam;*
> *Decus oris ut conservet, est qualis fuit;*
> *At te Dii omnes oderint ......*

Petrus autem Victorius existimat Electram Helenæ pulchritudinem admirari, quæ decisis crinibus, & maximo oris ornamento sublato, non minueretur, quasi verò id cum sequentibus cohæreat, in quibus Electra Helenam detestatur; aut Electræ vacaret in summo luctu positæ, & mærore confectæ, Helenæ, quam summopere oderat, laudare pulchritudinem, aut illud ἀποθρίζειν τὰς ἄκρας τρίχας significet *comam strictim tondere*, & non *summos crines, & extremos recidere*: sed Victorium a Joanne [g] Casâ confutatum satis omittamus, & eo unde digressi sumus,
revertamur. Ex hoc Antiquorum more cri- 8
nes mortuis dedicandi originem fortasse duxit commentum, quo Poëtæ tradunt eos, quibus Proserpina crines non abstulisset, diffici-

[a] Sueton. in August. cap. 32. [b] Idem in Vitell. capit. 8. [c] Plutarch. in Ciceron. [d] Homer. Iliad. σ. [e] Statius Thebaid. libr. VI. [f] Petrus Victor. in Epistolâ ad Jo: Casam. [g] Jo: Casa in Epistolâ ad Petrum Victor.

difficiles obitus habere; vel ab hoc poëtarum commento mos veriùs promanavit, quem respexit [a] Virgilius libro quarto, quo quum Didonem difficilè morientem, & quasi luctantem cum fatis induxisset, adjecit.

Nam, quia nec fato, meritâ nec morte peribat,
Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco

quod ille sumpsit ab Euripide in Alceste, ut [b] Macrobius libro quinto Saturnaliorum adnotavit.

DISSERTATIO XXVIII.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO POSTERIOR.

Ingenium, & prudentia viribus præferenda sunt etiam in bello; quod Sallustii, & Homeri auctoritate confirmatur, contra sententiam omnium fere poëtarum improbantium Græcorum judicium, qui arma Achillis non Ajaci fortissimo, sed Ulyssi sapientissimo adjudicarunt.

Quod Sallustius [c] historiæ Romanæ scriptor eximius tradit, inter Reges diu magnum fuisse certamen, vi ne corporis, an ingenio res magis militaris procederet; id in Ajace fortissimo, & Ulysse Græcorum sapientissimo Poëtæ veteres expresserunt. Quum enim Ajax manu promptus, ingenio hebes, & tardus, fortissimè dimicando, & subeundis
1 dis audacter periculis Græcorum rebus sæpenumero profuisset; Ulyssis gloriæ, qui consilio, & sapientiâ multò plura confecerat, sibi concedendum non existimavit, & quum Achillis arma præmium ei proponerentur, qui pluribus damnis Trojanos affecisset, publico judicio eum Ulysse contendit; sed communi Græcorum sententiâ victus ab eo, superatusque discessit. Id Poëtæ improbant factum, in eoque disputant non debuisse Ulyssem, qui vulpeculæ more semper astu fuerat usus, & dolis, Ajaci, qui generosi Leonis instar cuncta vi, & præstantissimâ virtute superaverat, anteponi. Nam ut omittam [d] Ovidium, qui Ulyssem dicendi copiâ, non magnitudine meritorum Græcos movisse latenter indicat his verbis

..... fortisque viri tulit arma disertus

Pindarus in Nemeæis Ode octava tradit Ulyssem variis mendaciis Achillis arma consequutum, & incertus auctor in Anthologiæ libro primo Judicium Græcorum, quo Ajaci præposuerunt Ulyssem, malum vocat, & Asclepiades in eo dolum valuisse queritur, non virtutem; quibus concinit Antipater, cujus explicavimus Epigramma. Quæ Poëtarum sententiæ ex falsâ, omninoque reprehendendâ vulgi opinione fluxerunt; nam quemadmodum, ut in officiis
Cicero ait, magis militiæ, quàm domi præ- 2
clarè gestam rempublicam plerique mirantur; ita in ipso bello vulgus apertam vim consilio, & his artibus, quas strategemata Græci nuncupant, anteponit. Sed pace dixerim tantorum Poëtarum, semper ego Sallustii [e] dictum probavi, qui negotio, atque periculis compertum dicit in bello plurimum ingenium posse, omninoque sapientius loquutum Homerum, quàm recentiores poëtas existimo, qui, ut ostenderet etiam in bello sapientiam viribus antistare, judicium illud, quo fortissimus Ajax ab Ulysse prudentissimo victus est, non fuisse Græcorum [f] affirmavit, sed Minervæ sapientissimæ Dearum; & alio in loco Ulyssem gloriantem facit dolis, quibus apud omnes homines celebrari se jactat, & gloriâ ad Cœlum ferri, neque immeritò. Neque enim credendum est summum Poëtam in summo viro malam fraudem, & vitiosam laudare calliditatem, sed bellicas artes, quibus quum Ulysses excelleret, aliorum, qui Trojanis temporibus floruerunt, Heroum gloriam obscuravit. Quapropter idem
Poëta velocitatem Achillis, Nestoris elo- 3
quentiam, Nerei pulchritudinem laudat, Regem virorum appellat Agamemnonem, bonum bello Menelaum, fortem Diomedem, Ajacem magnum, Ulyssem autem vocat urbis Trojæ populatorem, quasi non aliâ ratione, quàm consilio, & sapientiâ capiantur urbes, & maxima bella conficiantur, & his artibus primæ, ut in ceteris negotiis, ita in bello sint deferendæ. Cujus judicium gravissima Spartanorum civitas [g] comprobavit, quæ suis Imperatoribus, si vi, manuque bellum profligassent, Gallum immolare permittebat; sin astu, & prudentiâ Bovem: hoc videlicet legum præstantissimus conditor voluit, eam virtutem honoratiorem haberi, quam in rebus bellicis præstare intelligebat. Et sanè, si rerum natu-
ram contemplari diligenter velimus, nequa- 4
quam deceptos esse reperiemus Poëtam sapientissimum, & prudentissimam civitatem; nihil enim tam homines armat, quàm ingenium. Nam qua arte cum ceteras animantes, tum alios homines & superamus, & nobis parere compellimus, nisi ingenio? Soli quippe animantium nudi nascimur, & imbecilli; aliis [h] natura dedit vel pedum veloci-

[a] Virgil. Æneid. libr. IV. in fine. [b] Macrob. libr. V. cap. XIX. [c] Sallust. in Catilin. in princ. [d] Ovid. Metamorph. libr. XIII. fab. I. [e] Sallust. ibid.

[f] Homer. Odyss. λ. [g] Plutarch. in institut. Laconic. [h] Anacreon. Od. II.

velocitatem, vel corporis firmitatem, vel virium magnitudinem; alias unguibus, alias cornibus armavit, alias dentibus, alias rostris, plerasque durissimo corio contexit, aut villis, aut squamis omnem ictum respuentibus. Homini autem hujusmodi quidem præsidia denegavit; sed quod erat majus, ingenium, prudentiamque largita est, qua nobis insitâ ensem fabricavimus quo vis avium rostro, & ferarum unguibus acutiorem; & equos conscendimus velocissimos animantium, & armis corpora circumdedimus, quæ magis resistunt ictibus, quàm ulla ferarum tergora; jam verò calliditate, & astu sic adversùs belluas utimur, ut, quum illis longè simus infirmiores, ipsis tamen imperemus. Atque utinam iisdem artibus in mutuam perniciem non abuteremur! fe-
5 licius planè se res humanæ haberent, neque pulcherrimas urbes funditus eversas, neque potentissimas gentes occidione deletas, neque æquata solo monimenta vetustissima, non arva devastata, non injectas templis faces, non omnia divina, & humana jura violata, prædas undique crudeliter, avarèque abactas, virginum greges ad explendam Barbarorum libidinem adductos, feminas, puerosque, & Senes, quibus æquum saltem fuerat parci, pecudum more contrucidatos, non denique humanum genus paucorum libidini obnoxium cerneremus. Sed tamen ex his, quibus homines conflictantur cladibus, intelligitur, quantum in bello possit ingenium; nam qui ferarum impetus, aut quæ Cœli intemperies tantam afferre valet agris, & urbibus vastitatem, quantam afferunt armati exercitus; quia ratione, & arte adjuvantur? Quæ via immanes murorum moles, insanasque substructiones, & opera sæculis innumerabilibus duratura, potuit momento temporis labefactare, atque evertere, nisi hominum manus? illorum, inquam, hominum manus, quos maximè omnium imbecillos a naturâ querimur pro-
6 creatos? O miram igitur ingenii vim, o rationis potentiam singularem! Nam cujus hæc opera censenda, nisi rationis? hæc milites docet agnoscere signa, servare ordines, dicto Imperatoris esse audientes: hæc Imperatores nunquam nisi exploratò incedere, consilia hostium sagaciter indagare, occupare conatus, fortuita ad sapientiam vertere: hæc omnes opportunitatis articulos nosse, occasionem bene gerendæ rei nunquam omittere, opportunum castris locum capere, firmare subsidiis aciem modò diductam in cornua, modo quadratam, modo cuneatam, semper distinctam, nunquam divulsam, sed sibi ipsi firmiter cohærentem? Quid reliquas artes Imperatorum persequar, quæ sunt pæne innumerabiles? Hæc Lacedæmonios permulta sæcula invictos præstitit: hæc Græcos genus alioquin otio deditum, & pacis artibus militari gloriâ auxit, & decoravit: hæc Romanos, quamvis neque multitudine, neque corporis viribus pares Barbaris essent, victores reddidit omnium populorum. Quære [a] cur Xerxes il- 7
le, qui tantas habuisse dicitur copias, ut amnes exhauserit, montes perfoderit, maria contabularit, Themistocli Græcorum Imperatori concesserit, & invenies Themistoclis victum sapientiâ, qui ipsum in angustiis confligere coëgerit, ubi multitudinem navium suarum non poterat explicare: quære [b] cur Epaminondas invictos ad eam diem Spartanos Leuctrico prœlio vicerit, & profligarit; respondebit Epaminondas ipse

Consiliis nostris laus est attonsa Laconum:

quære cur [c] Xantippus Lacedæmonius Regulum victorem ceperit, & ejus invictum exercitum deleverit; & historiâ teste comperies, Xantippi factum solertiâ; ut multis cladibus debilitata Carthaginiensium virtus ad meliorem se spem rursus erexerit. Dies me deficiet, si omnia velim percen- 8
sere; huc enim spectat [d] Themistoclis in oraculo interpretando acumen, felices Hannibalis [e] astus, Fabii [f] laudata cunctatio; Neronis celeritas incredibilis, Scipionis artes [g] in Syphacis castris incendendis, Marii [h] in confirmandis militum animis consilium, callida [i] Luculli in hoste persequendo mora, Sertorii [l] in Caracitanis oppugnandis mira solertiâ, tot [m] Pompeii, tot Cæsaris, [n] tot Alexandri [o] callidissima consilia, neque enim ullius ducis plura strategemata memorantur, quam Cæsaris, & Alexandri, quos omnium Imperatorum præstantissimos fuisse constat. Atque utinam Alexander hac prudentiæ laude contentus gloriam fortitudinis non affectasset, minùs a Sapientibus reprehenderetur, neque multis in locis, & præcipuè apud Mallos Indiæ gentem se, vitamque suam, communemque Macedonum salutem in manifestum discrimen obtulisset. Rectiùs planè Hannibal, qui ab hujusmodi virtutis ostentatione sic abstinuisse dicitur, ut nullum unquam in acie vulnus acceperit. Quanto igitur sapientia præstantior est fortitudine, quò ex præclarissimis ducibus, qui nullum specimen edidit fortitudinis, laudetur; qui verò innumerabilia, hoc dumtaxat nomine improbetur?

DIS-

[a] Herodot. libr. 8. [b] Plutarch. in Pelopid. [c] Tit. Livius libr. 8. secundi belli Punici. [d] Cornelius Nepos in Themist. [e] Tit. Livius libr 21. & alibi. [f] Ennius apud Tit. Livium libr. 30. Virg. Æneid. libr. 6. [g] Tit. Livius ibid. [h] Plutarch. in C. Mario. [i] Plutarch. in Lucull. [l] Idem in Q. Sertorio. [m] Idem in Pompejo. [n] Cæsar in suis Commentar. & Plutarch. in ejus, & Alex. Vitâ. [o] Q. Curtius, & Arrianus de Expedit. Alexandri.

DISSERTATIO XXIX.

In Epigramma Germanici Cæsaris de Themistocle ex libro tertio in Fortes.

Dissertatio Prima.

De magnis Viris, qui sepulcro caruerunt. De Germanico, qui Augusti jussu a Tiberio adoptatus fuit, & deinde ab eodem veneno sublatus, ministerio Pisonis, quem licet acerbissimum inimicum in tempestate servaverat. Refellitur Petrus Crinitus, qui putat Quintilianum collocare Germanicum inter Epicos Poëtas, & multis rationibus ostenditur Quintilianum loqui de Domitiano, qui in adolescentiâ poëticæ studium simulavit; & hujus cognominis maximè cupidus fuit; & ideo passim a Poëtis Germanicus vocabutur. De voce ὕϐρις, & aliis verbis. De utraque Salamine.

Athenæ Græciæ princeps, & belli, pacisque artibus clarissima civitas, quamquam ceteris laudibus abundè florent, abundéque celebrantur; male tamen audiunt, & traducuntur, quòd cives optimè de republicâ meritos non modò præmiis eorum virtute dignis non affecerint; verùm etiam omnibus damnis, exilio, vinculis, morte mulctaverint. Sed [a] præcipuâ tamen invidiâ flagrant, quòd Themistoclem in exilium ejecerint Græciæ liberatorem, adeoque fuerint insectatæ, ut ne mortuus quidem, nisi clam, & invitia suis civibus, & longo post tempore, in patriâ terrâ huma-
1 retur. Habuit hoc clarissimus Imperator commune cum multis, & præclaris viris, ut ejus morti sepulcrum vix contingeret; egregios nimirum duces nescio quodnam magnis virtutibus iniquum numen insectari videtur. Carcere, & vinculis filii empta est Milciadis [b] Sepultura: vix invenit mors Alexandri [c] monumentum: Scipio [d] Africæ victor non in Patriâ, quam exitiabili bello liberarat; sed Linterni, ubi exularat, sepultus est: Pompejus [e] post actos de tribus terrarum partibus præclarissimos triumphos in Ægypti litore desertissimo injectâ furtim arenâ est tumulatus: ejus autem [f] Cæsar inimicus, quasi Pompejum ulciscente fortunâ, solitâ funeris pompâ caruit, & impetu populi subselliis, mensisque congestis raptim est in foro concrematus. Eadem accidit Themistocli [g] calamitas; sed habent clarissimi viri manes, quo se consolentur; nam præterquamquod ejus res gestæ famâ per terrarum Orbem celebrantur; Germanicus Cæsar ipsi condidit monumentum præclarius, diuturniusque Mausoleo, quum in ejus mortem Epigramma conscripsit. Nam
si laudari a laudato viro, ut ait vetus Poë- 2
ta, præclara laus est, quis laudatior Germanico laudatore Themistoclis? Is enim fuit, qui [h] Patre Druso natus, & Augusti jussu a Tiberio in spem imperii adoptatus, Agrippinæ feminæ spectatissimæ matrimonio, eximiâque concordiâ, & amore conjunctus cum eâ sine ullâ querimoniâ vixit. Adeo verò bellicis artibus præstitit, ut Germanos ferocissimam nationem plurimis, maximisque prœliis contuderit, & omnes inter Rhenum, Albimque gentes, & populos debellarit. Abstractus deinde parto decori invidiâ Tiberii, & ad Statum Orientis componendum missus tantâ mansuetudine egit, [i] ut Pisonem acerbissimum inimicum, quum in abruptâ tempestate raperetur, possetque mors ejus fortunæ imputari, triremibus subsidio missis servaverit; cujus, ut quidam volunt, ministerio, fraude Tiberii veneno sublatus, quum annum ageret trigesimum quartum, magnum [l] sui desiderium non solum populo Romano, externisque gentibus, verùm etiam hostibus ipsis reliquit. Hic & eloquentiâ præstitit; qua-
re mortuo clypeus inter oratores dicatus 3
est; & causas egit magnâ cum laude, quod & Suetonius in Caligulâ testatur, & Ovidius indicat libro primo Fastorum, quum ait

Quæ sit enim culti facundia sensimus oris,
Civica pro trepidis quum tulit arma reis.

Sed & poeticâ facultate excelluit, ut idem his versibus asseverat

Scimus, & ad nostras quum se tulit impetus artes,
Ingenii currant flumina quanta tui,

& Græcas comœdias conscripsit. Hunc Petrus Crinitus putat a Quintiliano [m] inter Epicos Poëtas collocari, & illis verbis laudari. *Hos nominavimus, quia Germanicum Au-*
gustum &c. Sed fallitur vir eruditus; nam 4
Quintilianus in eo loco Domitiano blanditur, quem Germanicum constat appellatum, ejusque cognominis ad Posteros propagandi fuisse tam cupidum, ut Septembrem mensem Germanicum jusserit nominari, ut Suetonius [n] tradit. Germanicum autem vocant

[a] Thucyd. libr. I. & Corn. Nepos in Vitâ Themistoclis. [b] Corn. Nepos in Vitâ Cimonis. [c] Ælian. Var. histor. libr. XIII. cap. XXX. [d] Valer. Max. libr. V. cap. III. & Orosius libr. IV. c. XX. Lucan. libr. VIII. [f] Appian. de bellis civilib. libr. II. [g] Vide Plutarch. in Themistocl. Vitâ in fine. [h] Corn. Tacit. libr. I. Annal. [i] Corn. Tac. libr. II. Annal. [l] Idem eod. loco. [m] Quintilian. libr. X. cap. I. [n] Sueton. in Domitian. cap. XIII.

cant omnes ejus temporis Poëtæ, ut Martialis [a]

Jamdudum tacito rides, Germanice, naso

& [b] Statius

An te Palladiæ talem, Germanice, nobis
Effinxere manus......

ut non mirum sit, ita etiam a Quintiliano vocati, ejusque versus laudibus ferri, quum in adolescentiâ poëticæ studium simulaverit, ut [c] Suetonius est auctor in ejus Vitâ. Laudari verò Domitianum, non Germani-
5 cum a Quintiliano, illa Quintiliani verba declarant: *Cui suas artes magis aperiret familiare numen Minervæ*; quæ Domitiano conveniunt, qui [d] Minervam præcipuâ veneratione dicitur coluisse, cui collegium instituit, & Quinquatria in Albano monte celebrabat, ideò [e] Martialis

Hic colat Albano Tritonida multus in auro.

Sed & illud manifestè demonstrat de Domitiano Quintilianum loqui, quod tanquam præsentem, viventemque alloquitur. Sic enim ait: *dicent hæc pleniùs futura sæcula; nunc enim cæterarum splendore virtutum laus ista perstringitur; nos tamen sacra litterarum colentes feras, Cæsar, si non tacitum hoc præterimus*; quæ de Germanico dicta esse non possunt; neque enim poterat Quintilianus, quum illa scribebat, alloqui præsentem Germanicum, qui septuaginta fere annis ante decesserat, at contra mirificè congruunt
6 Domitiano; nam quo tempore Quintilianus Oratorias institutiones edidit, Domitianus jam imperabat; qui etiam ipsi sororis suæ nepotum delegaverat curam, ut in procemio libri quarti testatur ipse Quintilianus. Quid? quod imperio donatû juvenem; quid? quod abstractum dicit a musis curâ terrarum; quid? quod Augustum appellat, quod nomen certe Germanico non convenit, nam filii Augustorum Cæsares, principes juventutis, Augusti nunquam appellabantur; hæc autem omnia in Domitianum cadunt, nec de alio capi possunt. Sed de his hactenus; nunc Germanicum ipsum, cujus Epigramma suscepimus explicandum, maximum ducem de maximo duce Themistocle loquentem audiamus

Α'ντὶ τάφυ λιθοῖο θὲς Ε'λλάδα, θὲς δ' ἐπὶ ταύτᾳ
Δύρατα βαρβαρικᾶς σύμβολα ναυφθορίας,
Καὶ τύμβῳ κρηπῖδα περίγραφε περσικὸν Α'ρη,
Καὶ ξέρξην, τύτοις θάπτε Θεμιστοκλέα,
Στάλα δ' ἁ Σαλαμὶς ἐπικείσεται ἔργα λέγυσα
Τἀμὰ, τί με σμικροῖς τὸν μέγαν ἐντίθετε;

Sic autem Græcum Epigramma latinè convertimus

Pone sepulcrali pro marmore Graciā, & hastas,
Pone mari victæ signa cruenta Asiæ,
Barbaricū Martē, Xerxemque inscribe sepulcro,
His clarum Neoclis contumulato genus,
Pro tristi Salamis dicet mea facta columnâ,
Quid magnum parvis me sepelire juvat?

Sed jam de verbis nonnulla dissetamus. δύρατα; δόρυ δόρατος dicitur hasta, & lignium, 7
ideo δουράτεος ἵππος apud Homerum [f] equus Trojanus, in quo conditi sunt Græci

...... κ̓ ἵππυ κόσμον ἄεισον·
Δυρατέυ

& alio [g] in loco Δυράτεον μέγαν ἵππον aliter ab Euripide dicitur δυρεῖος ἵππος

Δυρεῖος ἵππος, κρύπτον αμφίσκων δόρυ

quos imitati Latini Poëtæ nimis etiam audacter usi sunt eo vocabulo; nam Lucretius in primo libro de rerum naturâ

Nec quum durateus Trojanus pergama partu
Inflammasset equus nocturno Grajugenarum

Valerius autem Flaccus non equum modo, sed noctem duriam dixit

...... manet immotis nox duria fatis

videtur autem δόρυ significare Græcis etiam trabem, siquidem Apollonius libro primo ita loquitur

ἐν γὰρ δὴ δόρυ θεῖον ἐλήλατο, τὸ ῥ ἀνὰ μέσσην
Στεῖραν Α'θηναίη δωδώνιδος ἥρμοσε φηγῦ

Quo factum est, ut etiam δύρατα naves appellentur eadem figurâ, qua [h] Virgilius di- 8
xit

...... vastumque cavâ trabe currimus æquor

quam ob causam & hoc in loco δύρατα accipienda videntur pro navibus, nam quo pacto hastæ possint esse signa Persarum classis a Græcis devictæ? συμβάλλω *conjicio*, & *confero* significat, a quo verbo est Symbola, quæ confertur; ἀσύμβολος qui nihil confert, & Α'σύμβολος κώθων compotatio, in qua nihil conferunt convivæ; Archestratus apud Athenæum

Κώθων ὐ παράλειπτος ἀσύμβολος, ἀλλὰ διωκτὸς

& Symbolon anulus tam apud Græcos, quàm apud Latinos teste Plinio [i] dicebatur, quia anuli erant quasi signa, & indices dominorum; & Symbolum tessera: ςάλα Doricè pro ςήλη, ςήλη [l] Etymologus ἀπὸ τῦ ςῶ: Salamis [m]; duæ fuerunt urbes hoc nomine, quarum altera in Insulâ sibi cognomine erat sita; altera in Cypro, cujus Rex Nicocles; de priore loquitur [n] Horatius, quum ait

Ambiguam tellure novâ Salamina futuram

& alio [o] in loco

...... Teucer Salamina, Patremque
Quum fugeret, tamen uda Lyeo
Tempora populeâ fertur vinxisse coronâ;

& Poëta noster hoc Epigrammate; atque hæc de verbis; de rebus autem alio die disseremus.

DIS-

[a] Mart l. 5. Ep. 20. [b] Stat. Sylv. l. 1. in Equo Domit. [c] Suet. in Domitian. c. 2. [d] Suet. ibid. c. 3. [e] Mart. l. 4. ep. 1. [f] Hom. Odyss. θ. [g] Hom. ib.

[h] Virg. l. 3. Æn. [i] Plin l. 33. c. 1. [l] Schol. Aristoph. in Neb. [m] Plin. l. 5. c. 31. [n] Horat. l. 1. Od. 7. [o] Horat. ibid.

DISSERTATIO XXX.

In idem Epigramma

Dissertatio Secunda.

Themistocles vitiis in adolescentiâ laboravit; deinde verò adeo gloriæ cupidus fuit, ut noctu somnum capere non posset, quum, ut ipse dicebat, Miltiadis trophæo excitaretur; qua cupiditate ductus Victoriam ad Salamina strategemate usus consequutus est contra Xerxem, qui ad ostentandam potentiam, navibus terram pertransivit, & pedibus maria peragravit; & quum innumerabiles copias coëgisset, quomodo eas numeraverit. De pluribus inscriptionibus sepulcrorum, scilicet Ennii, Africani, Virginii Rufi, Nævii, Plauti, & Sardanapali.

THemistoclem, Xerxemque, & Salamina clarissimæ testem victoriç Germanici Cęsaris Epigramma celebravit, quod hesterno die nos aggressi sumus ad explicandum; quamobrem, quoniam angustiis temporis impediti de verbis dumtaxat, & Auctore carminis diximus, nunc reliqua persequemur, historiamque de Themistoclis victoriâ, & Themistocle repetemus; quoniamque de sepulcris Poëta loquitur, deque his, quæ sepulcris inscribi antiquitus, atque apponi solebant; de his etiam hodierno die verba faciemus; sic & ceteras inscriptiones sepulcrorum, quæ frequentes in Anthologiâ reperiuntur, eadem operâ illustrabimus. Sed quod ad Themistoclem pertinet, idem possumus dicere, quod Poëta Latinus [a] dicit

Omnia jam vulgata .....

& *Cui non dictus Hylas puer, & Latonia Delos*

Siquidem hic teste Cicerone Rhetorum campus de Salamine, de Marathone, de Plateis; quare non persequar omnia,

... *sed summa sequar fastigia* [b] *rerum*,

& ea potissimum dicam, quæ ad illustrandum
1 Germanici Epigramma spectabunt. Themistocles igitur Parente natus est Neocle non admodum nobili, ut [c] Plutarchus ait, licet contrarium [d] Cornelius Nepos tradat, matrem habuit vel Halicarnassiam Euterpen, vel Abrotonum Thraciam, de qua Græcum extat Epigramma

Ἀβρότονον Θρήϊσσα γύνη γένος, ἀλλὰ τεκέσθαι
Τὸν μέγαν Ἕλλησιν φασὶ Θεμιστοκλέα

Hunc ineunte ætate plerique confirmant moribus fuisse tam dissolutis, ut curru juncto cum quatuor scortis Lamiâ, Scione, Satyrâ, & Nannio per urbem veheretur. Quapropter quum & ob luxuriam malè audiret, remque familiarem negligeret, & dilapidaret, a Patre dicitur exheredatus, sed id Plutarchus [e] fictum putat, neque tamen inficiatur quibusdam vitiis in adolescentiâ laborasse; veruntamen ubi primùm ineuntis ætatis cupiditates deferbuerunt, animumque juvenilem incessit laudis, & gloriæ cupido, statim mores mutati, statim mens a libidine, atque inertiâ ad bonas artes, & rempublicam capessendam conversa. Quo
quidem tempore tanto gloriæ, & immor- 2
talitatis amore flagravit, ut neque noctu capere somnum, neque interdiu posset conquiescere, & se se diceret Milciadis trophæo excitari, cujus explendæ cupiditatis ipsi cum propria virtus, tum fortuna Græcorum magnam præbuit facultatem. Potentissimus quippe Rex Persarum Xerxes, ut Patrem, & patris exercitum, quem in Marathoniis campis Athenienses ceciderant, ulcisceretur, bellum Græciæ inferre statuit, & quum innumerabilem exercitum coëgisset, adeo ut nemo in universâ Asiâ relinqui miles videretur, classemque maximam comparasset; noluit superbissimus Rex traiicere in Græciam exercitum usitatâ viâ, sed ut navibus, copiisque terrestribus transitum moliretur, Hellespontum contabulavit, & Athonem montem perfodit, & navibus terram pertransivit, & maria pedibus peragravit. Quantæ copiæ Xerxi fuerint, quum in Græciam traduxit exercitum, non fere constat inter auctores; nam alii quinquagies centena millia; alii, in quibus est Herodotus [f], decies septies, qui tamen eum numerum fuisse fatetur pedestrium copiarum, & his addenda octoginta equitum millia, & infinitam multitudinem, quæ camelis, curribus, navibus vehebatur; alii decies tantùm centena millia, ut [g] Justinus; alii, ut Cornelius [h] Nepos, undecies fuisse confirmant. Maximas verò fuisse declarat, quòd earum numerus facilè non potuit iniri; sed Xerxes elegit locum, qui Dori-
scus [i] vocabatur, & decem millia militum 3
capiebat, & quum toties illum armatis militibus implevisset, quoties exercitus magnitudo patiebatur, eo modo collegit numerum innumerabilium pæne copiarum. Nec minore Græciam classe mari dicitur invasisse; nam [l] Justinus ipsum decem millia navium scribit habuisse, Cornelius Ne-

[a] Virgil. Georgic. libr. III. [b] Virgil. libr. primo Æneid. [c] Plutarch. in Vitâ Themistocl. [d] Cornel. Nep. in Vitâ Themistocl. [e] Plutarch. ibidem. [f] Herodot. libr. 7. cap. 60. 61. &c. [g] Justinus libr. II. [h] Cornel. Nepos in Vitâ Themistocl. [i] Herodot. libr. VII. cap. 59. [l] Justinus, & Cornel. Nepos ibid.

pos mille, ducentasque longas naves, quas
duo millia onerariarum sequerentur; Æs-
chylus autem mille, sed Æschylus, utpote
Poëta, rotundiorem numerum pro vero vi-
deatur posuisse, & simul bellicas duntaxat
naves numerasse. In hunc igitur hostem,
& adversùs tanti belli terrorem Themisto-
4 cles electus Imperator persuasit Athenien-
sibus, ut quoniam Pythia præcepisset, ut se
ligneo muro circumdarent, quàm maximam
possent, classem adornarent, & sese mari
committerent. Cui Themistoclis consilio
quum illi paruissent, concurrerunt apud
Artemisium infestæ classes; idque prœlium,
quum esset adhuc anceps fortuna certami-
nis, diremptum est; multum tamen Græci
profecerunt, quoniam eo sese pares mul-
titudini Barbarorum esse didicerunt; quam
ob causam existimo Artemisium fundamen-
tum Græciæ libertatis a Pindaro nominari;
nam eo successu confirmatis animis apud
Salamina feliciter dimicarunt, celebrem-
que illam, & sæculis omnibus memoran-
dam victoriam retulerunt, qua Græcia in li-
bertatem est vindicata, & Europæ succu-
buit Asia, quæ quidem non solùm incredi-
bili Themistoclis virtute, verùm etiam sa-
pientiâ singulari, ac pæne divinâ parta est.
Quum enim in concilio Græcorum id age-
5 retur, ut exercitu dissoluto unusquisque
ad Patriam suam defendendam discederet,
vehementer ei consilio Themistocles resti-
tit, propterea quod videbat rebus Græco-
rum exitio futurum. Sed quum alios ab in-
cepto adeo pernicioso non posset deterre-
re, simul ut Græcos invitos cogeret dimi-
care, simul ut Xerxem pertraheret ad pu-
gnam committendam in illis angustiis, ubi
multitudinem suarum navium non poterat
explicare, quod Græcis erat saluti futurum,
hominem sibi maximè fidum misit ad Xer-
xem, qui Regi suis verbis nunciaret sese
rebus Persarum occultè favere, ob eamque
causam cupere, ut quàm minimo labore illi
Græciâ potirentur; id autem fieri non pos-
se, nisi consilium, quod Græci inierant, im-
pediretur. Statuisse enim Græcos classe dis-
solutâ ad sua tuenda abire; quare matura-
ret pugnam committere, ne quos collectos
uno die, unaque victoriâ superare posset,
dispersos magno labore consectari cogere-
tur. His auditis Xerxes, vera monere The-
mistoclem ratus cum Græcorum classe con-
flixit in eo loco, ubi inutilis ipsi fuit na-
vium, qua multis partibus præstabat, mul-
titudo; ita consilium Themistoclis Persicæ
classis ingentem magnitudinem superavit.
Atque hoc est, quod Germanicus in Epi-
6 grammate, quod exponimus, dicit pro se-
pulcro Græciam ponendam Themistocli,
barbarasque naves argumenta maritimæ vi-
ctoriæ, Xerxemque devictum, Persarumque
bellum confectum inscribendum monu-
mento, & pro sepulcrali columnâ Salami-
na statuendam; neque enim magnum The-
mistoclem parvis tumulandum. Atque hoc
tam magnificum Epitaphium videtur imi-
tatus Lucanus octavo libro, quum dixit

...... temeraria dextra
Cur obicis Magno tumulum, manesque vagātes
Includis? Situs est, qua terra extrema refuso
Pendet in Oceano, Romanum nomen, & omne
Imperium Magno est tumuli modus......

& quum ait

Quod si tam sacro dignaris nomine saxum,
Adde actus varios, monimētaque maxima rerū,
Adde truces Lepidi motus, Alpinaque bella

Ceteras Pompeii res gestas deinde perse-
quitur; fuit enim in more positum apud
Antiquos, ut mortuorum laudes inscribe-
rentur sepulcris. Quapropter Plato libro de
legibus duodecimo sepulcrorum sumptum 7
resecans vetat Sepulcris lapides superstrui
majores, quàm ut quatuor versus hexame-
tros capiant. Hinc illa præclarorum viro-
rum elogia, Ennii [a]

Aspicite, o cives, senis Ennii imaginī formam,
Hic vestrûm panxit maxima facta patrum

Africani

A sole exoriente suprà Mæotī Paludes
Nemo est qui factis me æquiparare queat.

Virginii Rufi

Hîc situs est Rufus, pulso qui vindice quondam
Imperium asseruit non sibi, sed Patriæ

Quo quidem in genere Nævius [b] Poëta re- 8
prehenditur, quòd Campanâ planè super-
biâ monumento suo jusserit inscribi hoc
Epigramma

Immortales Mortales si foret fas flere,
Flerent Divæ Camœnæ Nævium Poëtam;
Itaque postquam est Orchio traditus Thesauro,
Obliti sunt Romæ latinâ linguâ loquier

& [c] Plautus, qui sepulcro mandavit hoju-
smodi carmen incidi

Postquam est morte captus Plautus,
Comœdia luget, scena est deserta,
Deinde risus, ludus, jocusque, & numeri
Innumeri simul omnes collacrimaverunt

Sed [d] omnium pessimè Sardanapalus, qui
bustum suum tali Epigrammate insignivit 9

Hæc habeo, quæ edi, quæque exsaturata libido
Hausit, at illa jacent multa, & præclara relicta

vel ut [e] Athenæus refert, *ego sum Sardanapa-
lus Rex filius Anacyndaraxis uno die Anchialen, &
Tarsum urbes ædificavi, ede, & bibe, & Venereis
voluptatibus indulge; reliqua verò non hoc sunt
digna*; adstabat autem Statua, qua gestus ho-
minis digitis edentis crepitum exprimeba-
tur; sed quoniam hodierno die longiùs pro-
vecti sumus de his, quæ sepulcris impone-
rentur, alio die differemus.

DIS-

[a] Apud Cic. Tusc. quæst. l. 1. & 5. [b] A. Gell. l. 1. c. 24. [c] A. Gell. ibid. [d] Cic. Tusc. quæst. libr. 5. & Strabo libr. 14. [e] Athen. libr. 12. cap. 7.

DISSERTATIO XXXI.

In idem Epigramma

Dissertatio Tertia.

De Sepulcrorum magnificentiâ. De Epulis, quæ dono afferebantur defunctis. Opinio Festi de Silicernio approbatur, & reprobatur Nonii Marcelli opinio. De Religione Veterum, ne funebres cæremoniæ cum Deorum cultu miscerentur.

Ægyptios accepimus non omnino rudem, & a sapientiæ studiis haudquaquam alienam nationem, sepulcra magnificentiùs ædificasse, quàm domos, quod Pyramidum [a] improbi sumptus, ceteraque Ægyptiorum monumenta declarant. Existimarunt nimirum majorem sepulcrorum curam habendam, quàm ædium; quum domus ad breve tempus vitæ constituta sint diversoria; sepulcra verò domus
1 nobis attributæ sint ad sempiternum. Ineptè quidem illi monumentorum magnificentiam ad mortuos pertinere quidquam crediderunt; quum potiùs jure laudetur ille, qui [b] dixit

Nec tumulum curo, sepelit natura relictos

vel qui cecinit

..... *Cœlo tegitur. qui non habet urnam*

Sed tamen hoc eorum judicium omnes fere gentes comprobarunt, quæ monumenta quàm magnificentissimè extruxerunt. Mausoleum condidit [c] Artemisia Regina Cariæ,
2 quod ambitu quadringentos pedes colligeret; in altitudinem verò vigintiquinque cubitis attolleretur; adjectâ vero Pyramide supra monumentum, quadrigâque marmoreâ centum quadraginta pedibus. Nec id splendidissimum ejus operis, verùm artificum laudatorum manus; nam ab oriente celavit Scopas, a septemptrione Bryaxis, a meridie Timotheus, ab occasu Leochares. Porsenæ verò Etrusci Regis monumentum tantâ magnitudine, ac tam egregio opere fuisse perhibetur, ut ab eo exterorum vanitatem Regum [d] Plinius testetur superatam. Athenienses verò tam immoderato sumptu sepulcra fecisse dicuntur, ut non semel coacti fuerint legibus eorum magnificentiam coërcere. Idem accidit Romanis, quorum in sepulcris condendis luxum in secundo de legibus Tullius reprehendit; neque id mirum est eo tempore evenisse, quum Theatro plaudente diceret [e] Ennius

Neque Sepulcrum, quo recipiat, habeat portum corporis.

Portum videlicet extincti corporis existimabant Sepulcrum; inde ejus exornandi 3
cupiditas, ex qua re fluxerunt illæ diris imprecationibus devoventium voces [f]

Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arenâ

& illæ [g]

Deque tuo fiat, licet hac sis laude superbus,
Insatiabilibus corpore rixa lupis

inde morientium preces [h]

Corpus humo patiare tegi......

& [i]

Et me, seu corpus spoliatum lumine mavis
Redde meis......

Inde Tyrannorum minæ in avium fore potestatem affirmantium damnatorum sepulturam; neque morte inimici finita odia Achillis in Hectorem, circaque Patrocli cadaver Græcorum certamen; quæ tanta sepulcrorum, exequiarumque cura ex ineptâ quidem, sed maximè vulgatâ opinione extitebat, qua sibi persuaserant aliquem sensum residere in defunctorum cadaveribus, umbrasque sibi fingebant circa sepulcra volitare, & luce cassis inhærere corporibus. Qua enim de causâ putem mortuis tot dona tanquam viventibus attulisse? de quibus nobis proposuimus hodierno die disserendum. Atque epulas quidem in sepulcris Veteres apposuisse constat, quod Donatus in- 4
terpres Terentii testatur his verbis. *Servum mittit ad patris monumentum, ut id aperiret illaturus epulas, quas pater post annum decimum caverat sibi inferri:* quò respexit [l] Tibullus, quum cecinit

Ipsa fame stimulante furens escasque sepulcris
Quærat, & a sævis ossa relicta lupis

& [m] Virgilius, ubi Æneam induxit Anchisæ manibus parentantem, & serpentem parentis famulum apparentem, subdidit

Ille inter pateras, & levia pocula serpens
Libavitque dapes, rursusque innoxius imo
Successit tumulo, & depasta altaria liquit

Catullus [n] autem, quum dicit

Vidistis ipso rapere de rogo cenam 5
de novendiali [o] cena loquitur, quæ nono funeris die mortuis dabatur; quam respicit Tertullianus in libro de carnis resurrectione, quum ait. *At ego magis ridebo vulgus, tum quoque quum ipsos defunctos atrocissimè exurit, quos postmodum gulosissimè nutrit, iisdem ignibus & promerens, & offendens*; & Apulejus in floridis: *procul igitur faces abi-*

[a] Plin. libr. 36. c. 12. [b] Mæcenat. versus. [c] Plin. libr. 36. cap. 5. [d] Plin. ibid. cap. 13. [e] Ennius Thyeste apud Cic. Tuscul. libr. 1. [f] Virgil. Æn. libr. 4. [g] Ovid. in Ibin. [h] Virgil. Æn. libr. 10. in fine. [i] Virgil. Æneid. libr. 12. in fine. [l] Tibullus libr. primo Eleg. V. [m] Virgil. Æneid. libr. V. [n] Catull. Epigr. de Rufa Epigr. 60. [o] Just. Lipsius ad libr. 6. Annal. Corn. Tacit. circa init. [p] Apulejus libr. 4. Florid.

gerent, procul ignes amolirentur, cenam feralem a tumulo ad mensam referrent; in hac autem apponebantur gammari, ovaque lens, & liba; Juvenalis [a]

...... *dimidio constrictus gammarus ovo*
Ponitur exiguâ feralis cena patellâ

Plutarchus [b] φάκας, καὶ ἅλας, ἃ νομίζουσι Ῥωμαῖοι πένθιμα, καὶ προτίθενται τοῖς νέκυσιν hoc est; *lentem, & salem, quæ luctuosa Romani putant, & mortuis opponunt* sed [c] Appianus eadem referens habet pro sale μάζαν idest *libamis*; quod Lipsius [d] mavult. Hanc cenam Sextus tradit silicernium appellatam, quod ego verius existimo, quàm quod Nonius Marcellus affirmat cenam, quæ in funere senum dabatur, dumtaxat ita nominatam. Sed, ut ad epulas, quæ non in ipso funere, sed quocumque tempore libuerat, mo-
6 numentis inferebantur, revertamur. Ad hunc usum in quibusdam sepulcris arbitror solitam poni mensam, sicut Cicero libro secundo de legibus testatur his verbis: *Nam super terræ tumulum noluit quid statui, nisi columellam tribus cubitis non altiorem, aut mensam, aut labellum*; quo quidem in loco sanè constat, cur sepulcris mensa apponatur; cur autem labellum, minimè constat; quod quærendum esse visum est. Ac mihi quidem rem diligentiùs reputanti a veritate non aberraturus videtur, si quis dicat, ideo labellum Sepulcris apponi solitum; vel ut infunderent lavacra, quæ defunctis Veteres afferebant, quod fieri consuevisse testatur Sophocles in Electrâ, ubi sic ait,

...... οὐ γάρ σοι θέμις,
οὐδ' ὅσιον ἐχθρᾶς ἀπὸ γυναικὸς ἱστάναι
Κτερίσματ' οὐδὲ λοῦτρα .....

hoc est

...... *neque enim fas tibi,*
Sanctumque dona a conjuge inimicâ foret
Statuere tumulo, nec lavacra mortuo
Afferre patri, sacra nec piamina

vel ut qui sacra mortui Manibus tulerant, aquâ se perfunderent, quod ab Antiquis,
7 posteaquam sacra defunctis celebrarant, factitatum, Virgilius locupletissimus testis confirmat sexto Æneidos libro

Idem ter socios purâ circumtulit undâ
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ,
Lustravitque viros. ....

Ex quibus intelligi potest post funebre illud sacrum solitos Antiquos aquâ lustrari, cui rei præparabatur labellum; est enim labrum non solum vas abluendis pueris, ut tradit Isidorus in originibus; verùm etiam omnibus, nam & in balneis labro ad lavandum utebantur, ut Cicero [e] ad Terentiam indicat, quum ait; *labrum, si in balneo non est, fac ut sit*, & Vitruvius libro quinto, ubi jubet labrum in balneis sub lumine fieri, ne stantes circum suis umbris lucem obscurent. Quæ declarant satis non alium usum labra in sepulcris præbere potuisse, quàm ut post sacrum perfectum abluerentur. Pu-
tabant enim Veteres attrectando feralia se 8
quodammodo contaminari, unde [f] Tiberium reprehendendi Germanicum sumpsisse tradunt occasionem, quum ille militibus, qui cum Varo ceciderant, suprema solvisset. Asseverabat quippe vaferrimus Princeps & ex metu, Germanici odio imbutus, Imperatorem auguratu, & vetustissimis cæremoniis præditum attrectare feralia non debuisse. Perinde verò ac si qui pietatem in Deos exercere se profiteretur, in homines esse pius vetaretur, aut Germanicus negligere deberet tot fortissimorum militum cinerem insepultum; quum qui unius dumtaxat neglexissent, impii, atque execrabiles haberentur, quod Sophocles in Antigone
testatur. Ineptè igitur Tiberius impiam pie- 9
tatem probabat, & Germanici factum improbabat, quo summam laudem merebatur; sed non tamen omnino sine causâ; magnâ siquidem religione Veteres obser-
vabant, ne manium cultum, & funebres 1
cæremonias cum cultu miscerent Deorum, neve præficarum nænias sacrificantium pæanibus conjungerent. Notissimum est post Cannensem Romani exercitus cladem Romæ [g] Sacra Cereris intermissa, quum in urbe universâ nulla domus esset expers luctus, neque a mærentibus domestico funere fas esset celebrari. Sacerdotes autem quosdam adeo a funestorum tractatione removebant, ut quemadmodum Festus docet, Flamini Diali funebres tibias audire neutiquam liceret, eidemque [h] fabam neque tangere, neque nominare fas haberetur, quod ea esset defunctis dicata. Jam omnes Sacerdotes a funestis arcebantur; quapropter Augustus, & Tiberius Pontifices Maximi, ne mortuorum aspectu profanarentur, de eorum laudibus velo interposito verba fecerunt.

D I S-

[a] Juvenal. Satyr. V. v. 85. [b] Plutarch. in Crasso [c] Appian. in Parth. [d] Just. Lipsius ad libr. VI. Annal. Cornel. Tacit. [e] Cicer. in Epistol. ad Familiar. libr. XIV. Epist. XX. [f] Cornel. Tacit. Annal. libr. primo. [g] Tit. Livius libr. XXXIV. [h] A. Gell. libr. X. cap. XV.

DISSERTATIO XXXII.

In idem Epigramma

Dissertatio Quarta

Cur Sepulcris afferrentur sanguis, lac, mel, vinum, & flores, & cupressus imponerentur; tum de aliis, quæ sepulcris imponebantur, veluti de columnis, statuis, Hermis, vasis ad excipiendas lacrymas, de Lucernis, quarum lumen numquam deficere falsò credidit Licetus, & de unguentis, & aliis quibus cadavere condebantur. De Nummo, qui in os mortuorum conjiciebatur, ut naulum Charonti persolverent.

EXponenda cetera mihi supersunt de cultu Sepulcrorum, qui vel ad vivorum solatium, vel ad mortuorum memoriam sempiternam manibus tribuebatur; quam ego orationem cum ad Anthologiæ multa Epigrammata intelligenda, tum ad antiquitatem præcipuè cognoscendam non inutilem futuram existimo, neque vobis, Auditores, injucundam. Nam licet haberi de re maximè tristi, funestaque videatur; neutiquam gravis, & acerba nobis esse debet commemoratio funeris, & sepulcrorum, quum, ut ait [a] Seneca, nos quotidie moriamur, & magnam vitæ nostræ partem, quæ jam effluxit, mors teneat, & hæc vita, quam vivimus, mors quædam esse videatur; & corpus hoc, quo tantopere delectamur, nihil aliud sit, quàm animæ Sepulcrum, ut sapientissimis [b] viris video placuisse. Tan-
1 tum enim abest, ut recordatio mortis dolorem, tristitiamque nobis afferre debeat; ut contra eâ se Veteres ad lætitiam, & hauriendas largiùs, & cupidiùs voluptates adhortari solerent. Quod testatur his verbis [c] Martialis

Frange thoros, pete vina, rosas cape, tingere nardo;

Ipse jubet mortis nos meminisse Deus

Sed nos ad inceptum revertamur. Inter
2 dona, quæ Sepultorum manibus afferebant, præcipua fuerunt, sanguis, & lac, mel, atque vinum, quod ostendi facilè potest citatis auctorum, quæ ad rem pertinent, locis. Virgilius enim sic libro quinto de Æneâ loquitur Anchisæ Genitori sacrum faciente

Hic duo rite mero libans Carchesia Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro

& libro tertio

Inferimus tepido spumantia Cymbia lacte,
Sanguinis & sacri pateras, animamque sepulcro
Condimus

Eodem respicit Epigramma, quod in secundo Anthologiæ libro reperitur, in quo leguntur hæc verba

Ζωῇ μοι, τί θέλεις, χάριτας, τέρψιν δὲ μεθύσκων
Ἤλλαξας ...

hoc est

Da mihi viventi, si quid vis; grata Lyæi
Si tuleris cineri dona, lutum facies

Sed in his mellis nulla mentio, quare, ne quod diximus, vacillare videatur, placet id Euripidis auctoritate confirmare, qui in Oreste sic ait 3

Μελίκρατ' ἄφες γάλακτος, οἰνωπόν τ' ἄχνην,
Καὶ τὰς ἐπ' ἄκρῳ χώματος λέξον τάδε

hoc est

Mulsum ingeras, & lactis, & spumam meri,
Tumulique stans in aggere hæc summo refer.

& Homeri, qui Odysseæ undecimo libro manes inducit Ulyssem placantem

Πρῶτα μελικρήτῳ, μετέπειτα δὲ ἡδεῖ οἴνῳ

hoc est

In primis mulso, dulcique exinde Lyæo

Cur autem mortuis mel dicaretur, ratio reddi potest, quòd habeat conservandi corpora, purgandique naturam, ut [d] Plinius, atque Porphyrius tradiderunt, vel quòd mellis dulcedo voluptatem repræsentet, quam anima in corpore experiebatur, quasi manes ejus gauderent imagine, quod illis olim gratissimum fuit. Certè minimè debet mirum videri mel animabus attributum, 4 quum etiam a Veteribus appellatæ sint apes; eodem ferè modo explicat [e] Porphyrius causam, cur lacte manes placarentur, quod Symbolum generationis habeatur, cujus est insita semper in animis cupiditas: nec de Sanguine potest esse dubium, quin animabus jure Sanguis offerretur, quum Sanguine vita sustentetur, & eo discedente statim extinguatur; quare [f] Critias, & Empedocles Animam nihil aliud esse, quàm Sanguinem putaverunt; & [g] Homerus umbras mortuorum facit ad hostiarum Sanguinem hauriendum cupidissimè irruentes. Spargebantur præterea flores; ideò cecinit 5 Virgilius [h]

Purpureos spargam flores; animamque nepotis
His saltem accumulem donis, & fungar inani
Munere......

& alio [i] in loco

Purpureosque jacit flores......

Quos cujus rei simulacrum esse dicam, nisi vitæ? sunt enim flores gaudium quodammodo naturæ, plantarum, & arborum decus;

[a] Senec. ad Lucil. Epist. prim. [b] Plato in Cratylo. [c] Martial. libr. 2. Epigr. 59. [d] Plin. libr. 22. cap. 24. [e] Porphyr. de abstinent anim. [f] Macrob. in somn. Scipionis libr. 1. cap. 14. [g] Homer. in Necyomantiâ in Odyss. [h] Virgil. Æneid. libr. VI. in fine. [i] Virgil. libr. V.

cus, hominum deliciæ. Nihil illis, aut ad aſpectum pulchrius, aut ad tactum mollius, aut jucundius ad odoratum; ſed tamen nihil citiùs conſeneſcit, quàm ille florum nitor, & pulchritudo, quos idem ſæpe dies & naſcentes videt, & morientes, magno mortalibus documento, quæ ſpectatiſſimè floreant, ea celerrimè marceſcere. Eodem modo nihil vitâ jucundius, aut amabilius; ſed nihil etiam brevius; quando [a] in exiguum temporis naſcimur, adeo verò caduco, & cauſario corpore utimur, ut a ſapientiſſimo Poëtarum [b] Homero foliis homines
6 comparentur. Hanc igitur vitæ brevitatem, ut Antiqui ſignificarent, mortuos honorabant florum ſparſione, & ſepulcra floribus coronabant. Quapropter Elegiacus Poëta cecinit

...... illius dona ſepulcro,
Et madefacta meis ſerta feram lacrymis

Alludit & [c] Statius hoc verſu

Sertaque, & Helyſios animæ ſubſternere flores

& [d] Plinius libro vigeſimo primo quum ait; *& jam tum coronæ Deorum honos erant, & lariuum publicorum, privatorumque, ac ſepulcrorum, & manium*. Sed idem teſtatur hiſtoria; nam Arrianus libro primo ſic tradit Alexandrum Achillis tumulum coronaſſe ἀλλ' ὅτι καὶ τὸ Ἀχιλλέως ἄρα τάφον ἐστεφάνωσε, Ἡφαιστίωνα δὲ λέγουσιν, ὅτι τὸ Πατρόκλου τάφον ἐστεφάνωσε, καὶ εὐδαιμόνισεν ideſt: *nonnulli narrant ipſum Achillis monumentum coronaſſe, ſicut Hephæſtionem Patrocli, & beatum prædicaſſe*. Nec e floribus tantùm conficiebatur corona mor-
7 tuorum; ſed ex aliâ etiam materiâ; quapropter [e] Suetonius tradit Auguſtum Alexandri Macedonis corpus aureâ coronâ impoſitâ veneratum, ſed hic impoſuit cadaveri coronam, quum ſoleret imponi columnæ, quæ ſuper tumulum erigebatur, quod in Anthologiæ libro tertio Poëta ſic indicat

Ἁ κόνις ἀρτίσκαπτος, ἐπὶ στάλας δὲ μετώπῳ
Σείονται φύλλων ἡμιθανεῖς στέφανοι

hoc eſt

Defoſſus nuper cinis eſt, ſupraque columnam
Serta Notus folio jam moriente quatit

Quibus verſibus illuſtratur Epigramma, quod ſuſcepimus explicandum, ubi carmen illud legitur

Stet Salamis decorum teſtis pro mole columnæ

Conſtat quippe Sepulcris columnas imponi ſolitas, quod etiam ex hoc Anthologiæ carmine intelligi poteſt

Quis, cujuſve uxor Phariæ ſuppoſta columnæ

Sed & Solon apud Ciceronem monumen-
8 tum, aut columnam violari, deiici, frangi vetat, & Archimedes, ut Cicero [f] memoriæ prodidit, tumuli columnæ Sphæram, & Cylindrum cavit imponi, quorum inter ſe rationem princeps invenerat; apponebantur & Sepulcris cupreſſus, ex quo Poëta dixit

...... tumulos teſtura cupreſſus

& [g] Virgilius

...... & ferales ante cupreſſus
Conſtituunt ......

& [h] Horatius

...... neque harum, quas colis, arborum
Te præter inviſas cupreſſus
Ulla brevem dominum ſequetur

Quæ [i] arbor & ad domos poſita ſignum funeris fuit, quia ſuccifa non regerminat, ſicut vita extincta non revocatur. Præterea 9
ſupra monumenta locabantur ſimulacra, quæ ſignificarent defuncti ſtudia, vel artes, vel etiam nomen; quapropter [l] Iſocrati ob incredibilem dicendi ſuavitatem, orationiſque dulcedinem Sirenis effigiem poſitam accepimus; Metellus [m] autem ſuper ejus tumulum, qui ipſi præcepta dicendi tradiderat, ſtatuit coruum, quod Corax primus artem dicendi ediderit, atque vulgaverit; unde Ciceronis jocus, qui *prudenter, Metelle, feciſti*, inquit; *nam ab eo magis volare, quàm loqui didiciſti*. Sepulcris eorum, qui cælibes vixerant, imponebatur eum Hydria puer, ut teſtis eſt Harpocration in voce Hydrophoros. Hunc autem morem in Anthologiâ reſpicit Epigramma, quo Poëta fingit ſupra monumentum Platonis Aquilam conſtitutam propter ipſius altiſſimam ſapientiam omnium ſublimium indagatricem. Sed ut
plurimùm ſtatuebant in ſepulcris Leones, 10
cujus moris originem ab Hercule ductam Hepheſtion apud Photium [n] tradit. Nam quum Hercules Nemeæum Leonem ſtrangularet, Leo dentibus ipſi digitum amputavit, qui Lacedæmone ſepultus eſt addito ſuper id Sepulcrum Leone; ex eo ferunt inſtitutum, ut lapideis Leonibus monumenta ornarentur. Addebantur & Hermæ, ut in ſecundo de legibus Tullius indicat (ſunt autem Hermæ Statuæ Mercurii manibus carentes, & pedibus) & vaſa lacrymis excipiendis, & lucernæ, ut in Domitiano ſcriptum reliquit Dio, & Pandectæ Digeſtis de manumiſſis teſtamento. Harum lumen nunquam defeciſſe, inextinctumque fuiſſe [o] Licetus, aliique docti viri crediderunt; qui tamen ab eruditiſſimo viro jure, meâ quidem ſententiâ, refelluntur. Solebant & pre- 11
tioſis unguentis monumenta perfundi, quam con-

[a] Senec. de Brevit. Vitæ cap. I. [b] Homer. Iliad. 6. [c] Statius libr. V. Sylvar. [d] Plin. libr. 21. cap. 3. [e] Sueton. in Auguſt. cap. 18. [f] Cic. Tuſc. quæſt. libr. 5. [g] Virgil. libr. 6. Æneid. [h] Horat. Carm. libr. 2. Od. 14. [i] Plin. libr. 16. cap. 33. Feſtus Pompejus & Roſinus antiquitat. Roman. libr. V. cap. 39. [l] Plutarch. in Vitis decem Rhetorum v. Cæl. Rhodig. libr. 17. cap. 20. [m] Cæl. Rhodig. ibid. [n] Photius in Bibliothecâ n. 190. de Ptolom. Hephæſt. [o] Fortun. Licet. de Lucern. Antiq.

consuetudinem lepidissimus [a] Anacreon eleganter irridet his verbis, ut vertit Henricus Stephanus

Tumulum quid est, quod ungas,
Vel humo quod ebibenda
Peritura dona fundas?

Condebatur & cum cadavere magna vis auri; quare [b] Hircanus dicitur e Davidis monumento tria millia talentorum eruisse. Quocirca Theodoricus apud Cassiodorum libro quarto variarum in quemdam animadverti severissimè jubet, qui, ut scrutaretur latentes in sepulcris thesauros, mortuorum ossa eruisset, & eodem in libro Epistolâ trigesimâ quartâ permittit, ut e Sepulcris Thesauri effodiantur, dummodo cineres neutiquam revellantur. Quem morem condendæ cum mortuis pecuniæ respicit Plautinus Jocus, apud quem servus, quum Technam reperisset, qua viginti minas argenti auferret hero seni, ait se se ex illo Vetere sepulcro viginti argenti minas erutu-
12 rum. Sed in hoc [c] lepidissimè lusit avaritiam Posterorum Semiramis, quæ sententiam hujusmodi sepulcro jussit incidi. *Si quis ex Posteris pecuniâ indigebit, hinc quantum voles accipito;* quum autem Darius in eo pecuniæ vim ingentem latere censeret, & Sepulcrum aperuisset, nihil aliud, quàm hanc inscriptionem invenit: *nisi nequissimus esses Mortalium, nunquam mortuorum cineres inquietasses.* Illud quoque in omnium funere observabatur, ut defunctum cum nummo sepelirent, quem δανάκην [d] Græci appellabant, hunc autem in os mortui conjiciebant, ut haberet ille Naulum, quod Charonti pro trajectione Stygiæ Paludis persolveret. Romani autem trientem defuncti ore includebant; idcirco Juvenalis [e] ait

Jam sedet in ripâ, tetrumque novitius horret
Porthmea, nec sperat cœnosi gurgitis alnum
Infelix, nec habet, quem porrigat ore trientem.

DISSERTATIO XXXIII.

In Epigramma ex libro secundo Anthologiæ in convivalibus Jocis.

Dissertatio Prima.

Plutus Deus divitiarum fingitur cæcus, & claudus, quòd opes indignis largiatur; dignos autem prætereat. De Asiâ, & ejus magnitudine, qua Europam, & Africam simul superat. Pollinctor quid sit. Quantum capiat, & pendat Cotyla mensuræ genus. Poetæ, & vulgus ad hilaritatem se se invitabant ob vitæ brevitatem; adeout in conviviis larva, aut cadaver circumferretur; quum tamen ea nos excitare deberet ad immortalitatem animi spectandam ex Aristotelis sententiâ juxta interpretationem Ciceronis, non Sallustii. De divitiis Regum Lydorum, & Persarum, & de Statuis aureis, & argenteis, quas præter aliam vim ingentem Auri, & Argenti Gyges, & Crœsus in templo Apollinis Delphici dicarunt.

Quum propter alias causas multas, Auditores, potentiam, honores, copias, omnia, quæ prima Mortalea putant, tum propter humanæ brevitatem vitæ Sapientes contemnenda, & pro nihilo ducenda esse putaverunt. Quid enim prosunt immensæ divitiæ, infinita camporum spatia, ignotum domino auri, argentique pondus, quid in urbium modum extructæ domus, & atria peregrinis pretiosa marmoribus, quid servorum numerus, & nationes, obsequia populorum, & horrentes nutum provinciæ, quid denique sceptra, fasces, coronæ ceteraque humani fastus insignia? Si hæc brevi relinquenda sunt, si tam potentibus, quàm humilibus instat a tergo mors, &, tanquam apud Inferos Tantalo [f] casurum imminet saxum, impendet omnium cervicibus? quo mihi ergo imperii magnitudo, si exiguum soli mortuus mox occupabo? quo altitudo fortunæ, si jam jam humillimis adæquabor? quo denique dignitatis, & gloriæ splendor, si cum obscurissimis, abjectissimisque miscebor? Inanes igitur omnes hominum cupiditates, inanior ambitio, inanissima verò in tantis angustiis vitæ superbia. Hæc, aliaque hujusmodi, quæ gravissimè, verissimèque Sapientes persequuntur, & deplorant, Poeta Græ-

[a] Anacreon. Ode IV. [b] Fl. Joseph. de antiquit. Judaic. [c] Herodot. libr. prim. cap. 180. [d] Sudas in V. δανάκη, & Magn. Etymolog. in eadem voce. [e] Juvenal. Satyr. III. v. 267. [f] Euripides in Oreste & Cicer. libr. IV. Tuscul.

Græcus in Anthologiæ libro secundo eleganter attingit, &, ut mos est Poëtis, quos ridendo dicere verum nemo [a] prohibet, in re maximè omnium seriâ, quasi ridens humanæ nos admonet fragilitatis. Hoc Epigramma nos hodierno die suscepimus exponendum, quod ad hunc modum se habet

Ἤθελον ἂν πλουτεῖν, ὡς πλούσιος ἦν ποτε Κροῖσος,
Καὶ βασιλεὺς εἶναι τῆς μεγάλης Ἀσίης·
Ἀλλ᾽ ὅταν ἐμβλέψω Νικάνορα τὸν σοροπηγὸν,
Καὶ γνῶ πρὸς τί ποιεῖ ταῦτα τὰ γλωσσόκομα
Ἀκτὴν πυ πάσσας, κ᾽ ταῖς κοτύλαις ὑποβρέξας
Τὴν Ἀσίαν πωλῶ πρὸς μύρα, κ᾽ στεφάνους

Sic autem versus Græcos totidem Latinis versibus reddidi

Olim opibus volui Crœsum æquiparare, potenti
Divitis atque Asiæ sceptra tenere manu;
Sed pollinctorem postquam Nicanora vidi,
Et cur hos loculos fabricet ille puto,
Appositis epulis dulci madefactus Iaccho
Vendo Asiam unguentis, purpureisque rosis

Quæ verò pertinent ad explicationem verborum cursim, & breviter attingemus Πλυτῶ *dives sum*; unde Plutus Deus divitiarum,
2 qui titulus est Aristophanis comœdiæ, qui cæcus, & claudus fingitur, propterea quod opes indignis largiatur, & dignos, quasi videre non possit, prætereat, & quòd tardè veniat. τῆς μεγάλης Ἀσίης magnam vocat Asiam, vel ut ab aliis distinguat; est enim etiam minor Asia, & regio circa fluvium Caystrum, quæ nominatur Asia, ut [b] Homerus in hoc versu testis est.

Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα

Quæ prima syllaba producta videtur pronuncianda, ut ex Homero, & ex hoc Virgilii [c] versu constat

...... *& quæ Asia circum*
Dulcibus in stagnis rimantur prata Caystri

vel quia verè magna est; siquidem & antiquitus, ut ait Pomponius Mela ingenti, ac perpetuâ fronte tantum ibi se in latitudinem effundit, quantum Europa, & Africa, & quod inter ambas pelagus immissum; & nunc detectâ magnâ Scythiæ Asiaticæ parte longè major est Africâ simul, atque Europâ; est & Asia oppidum [d] Lydiæ, unde Asiatis Cythara trium chordarum apud A-
3 ristophanem. σοροπηγὸν; σοροπηγὸς est qui thecas condendis cadaveribus fabricatur, ut ait Suidas [e], significatur autem hoc nomine etiam pollinctor, ut explicat Brodæus, est autem pollinctor, qui funus procurat, ut [f] Fulgentius, & Nonius docet, utitur eâ voce [g] Martialis

Jam scrobe, jam lecto, jam pollinctore parato

& Plautus [h] in Pœnulo

Quia mihi Pollinctor dixerat, qui eum pollinxerat

ἀκτὴ est cibus. Euripides, Δημητρὸς ἀκτῆς Cereris cibo [i] Cotyla est mensuræ genus, quæ tres cyathos capit, ut Rhemnius Palæmon docet, & pendit uncias novem. στέφανος, corona dicitur; appellatur etiam χόρωνος, ut apud Latinos corona [l] Athenæo teste, atque hæc de verbis, nunc ad sententiam carminis veniamus. Frequenter Poëtæ ve- 4
teres faciunt, ut se ad lætitiam, percipiendasque voluptates adhortentur propositâ brevitate vitæ. Sic [m] Anacreon ideo genio magis indulgendum seni putat, quod ei sit citò naturæ concedendum

...... τῦτο δ᾽ οἶδα
Ὡς τῷ γέροντι μᾶλλον
Πρέπει τὰ τερπνὰ παίζειν
Ὅσῳ πέλας τὰ μοίρης

hoc est, ut vertit Henricus Stephanus

.... *sed illud*
Certè scio decere,
Senem hoc magis vacare
Amoribus, jocisque,
Quo mors magis propinquat.

& alio [n] in loco largius utendum vino dicit, quod velocissimo cursu vita properet.

Rota nam velut curulis
Properat volucris ætas,
Tenuis jacebimusque
Cinis ossibus solutis.

Sic & [o] Catullus, qui ferè Latinorum habetur Anacreon

Vivamus mea Lesbia, atque amemus,
Rumoresque senum severiorum
Omnes unius æstimemus assis.
Soles occidere, & redire possunt;
Nobis, quum semel occidit brevis lux,
Nox est perpetua una dormienda.

& [p] Martialis

Jam vicina jubent nos vivere Mausolea,
Quum doceant ipsos posse perire Deos

Mitto Horatium, qui nimis etiam frequen-
ter hoc abutitur argumento, quod adeo cre- 5
brò in ore Poëtarum fuisse mirari non debemus, quum a vulgo passim usurparetur, & in conviviis Antiqui solerent mortis præcipuè recordatione sese ad vescendum paratis voluptatibus adhortari. Siquidem larvam, quæ mortui imaginem exprimebat, inter pocula, & epulas afferebant, quod Petronius

[a] Horat, libr. I. serm. Saty. I. [b] Homer. Iliad β. [c] Virgil. Georgic. libr. prim. [d] Etymolog. Magnum in V. Ασιάτις. [e] Suid. in V. σορός & Aristoph. in Nubibus. [f] Fulgentius de prisco Sermone ad Chalcidium. & Non. cap. II. v. Pollinctores. [g] Martial. libr. 10. Epigr. 97. de Numâ. [h] Plaut. in Pœnul. Prolog. v. 63. [i] Athen. libr. XI. cap. VIII. [l] Athen. libr. XV. [m] Anacreon. Ode 11. [n] Anacr. Ode IV. [o] Catull. Epigr. V. ad Lesbiam. [p] Martial. libr. V. Epigr. 65. ad suos Ministros.

tronius Arbiter licet subobscurè in Satyrico indicat his verbis: *larvam argenteam attulit servus sic aptam, ut articuli ejus, vertebræque locatæ in omnem partem flecterentur. Hunc quum super mensam semel, iterumque abjecisset, & catenatio mobilis aliquot figuras exprimeret, Trimalcio adjecit*

Heu heu nos miseros, quàm totus homuncio nil est!

Sic erimus cuncti, postquam nos auferet Orcus.

Quæ verba licet ignorantibus Antiquorum morem minùs perspicua esse videantur; facilè tamen aliis auctorum locis illustrantur. Nam de hac larvâ, & imagine mortui mentio est apud Plutarchum in libello de Iside, & Osiride, & in Convivio sept. m Sapientum, qui mos ab Ægyptiis manavit, de quibus Herodotus ita loquitur in Euterpe, quemadmodum nos vertimus: *in conviviis verò, ubi ex cenâ aliquid gustaverunt, circumfert homo cadaver in loculo e ligno factum, opere, picturàque quàm maximè imitans veritatem, unius cubiti, vel trium magnitudine, quod singulis ostendens convivis ait bibe, & oblectare, nam talis eris mortuus.* Sic imagine tristissimæ rei ad voluptatem, & lætitiam abutebantur, & exiguum vitæ spatium, quod nobis a naturâ datum est, arbitrabantur non in excolendo animo immortali, sed in oblectando corpusculo, quo tam breviter vivimus, consumendum; quasi verò nos non ad majora quædam natura genuerit; & hoc ille summus Auctor consilio nos procrearit, ut nunquam intermissis voluptatibus liquesceremus. Longè alia mens Aristoteli philosopho præstantissimo, qui in decimo
6 Æthicorum libro nos oportere ἀπαθανατίζειν, hoc est, ut ego interpretor, *immortalitatem spectare*, censet, quod non tam ad nominis nostri æternitatem pertinet, ut Salustius putat, qui nos jubet, quoniam vita, qua fruimur, brevis est, memoriam nostri quàm maximè longam efficere; sed potiùs ad mentis æternam felicitatem, ut Cicero in somnio Scipionis existimat, qui gloriam quidem admonet contemnendam; sed quoniam præcipua pars nostri animus est, ejus æternitati præcipuè consulendum, quam si non spectemus, expectemusve, meliùs tamen vivamus, & beatiùs, si non desidiâ, & deliciis hebetari mentem, & languere patiamur. Neque enim illi vivunt, qui nimis voluptatibus, ut ita dicam, ebrii assuetudine longâ earum sensum amiserunt; sed qui animo vegeto, & erecto auream mediocritatem consectantur, qui, ut in libro de vitæ brevitate ait Seneca, præteritum tempus gratâ recordatione comprehendunt, præsenti sapienter utuntur, futurum animo, & cogitatione præcipiunt. Sed ne Poëtam videar increpare potiùs, quàm explicare, ad ejus versus redeo; se Crœsi divitias 7
concupiturum fuisse, & Asiæ regna confirmat, nisi vitæ brevitas modum cupiditatibus imponendum, & rationem potius habendam voluptatis, quàm potentiæ admoneret; alludit autem ad duo regna, quæ fuisse feruntur in terris opulentissima, Lydorum, atque Persarum. Nam Lydiæ Reges opibus mirificè omnes abundarunt, ideo [a] Anacreon, quum significare vellet sibi non esse divitias cordi, dixit se non curare Gygem Sardium Regem

Ο"Τ μοι μέλει Γύγαο
Τȣ̃ Σαρδέων ἄνακτος,

& Horatius Regnum Crœsi tanquam opulentissimum nominat, ita enim loquitur: [b]

Contracto melius parva cupidine
Vectigalia porrigam,
Quàm si Mygdoniis regnum Halyattei
Campis continuem.....

& alio in loco de Phrygiâ dixit, quæ pars fuit Regni, quod in Asiâ Crœsus obtinebat, [c]

Aut pinguis Phrygiæ Mygdonias opes.

Et sanè siquis reputet solas divitias, quæ Delphis in Apollinis templo celeberrimo 8
Lydiæ Reges dedicarunt, vel eo dumtaxat argumento eorum opes ingentes fuisse intelliget. Nam Gyges, qui post Midam primus Barbarorum dona Apollini [d] Delphico consecravit, præter vim magnam Argenti sex crateres ex auro solido donavit Apollini; quorum singuli quinque talenta penderent; Crœsus autem centum septemdecim aureos crateres, quorum singuli centum viginti pondo fuerunt, & Leonem ex auro solido pondo sexcentorum, & duos crateres, alterum argenteum, alterum aureum, ex quibus aureus fuisse dicitur pondo quingentorum decem, argenteus sexcentarum amphorarum capax; & quatuor ex argento dolia, & duo vasa aureum, & argenteum, quibus aquâ lustrali templum ingredientes aspergebantur, & Statuam ex auro trium cubitorum, quæ feminæ effigiem referebat, & suæ conjugis imaginem ex auro a collo usque ad verticem capitis. Persarum verò opulentiam quid attinet per- 9
sequi, quum sciamus illud Horatii carmen proverbii vim obtinere [e]

Persarum vigui Rege beatior.

Quæ quanta fuerit, ostendit ultima Persarum calamitas; nam ab Alexandro, quum eorum Thesauros cepit, tot in Persarum Thesauris inventa sunt argenti, aurique talenta, ut in iis congestæ non unius Regis, sed Orbis terrarum opes viderentur.

M DIS-

[a] Anacr. Od. XVI. [b] Horat. libr. III. Od. XVI. [c] Horat. libr. II. Od. XII. [d] Athen. libro VI.

[e] Horat. libr. III. Od. IX.

DISSERTATIO XXXIV.

In idem Epigramma

Dissertatio Secunda.

Quo tempore, & a quibus unguenta reperta fuerint, quum Homerus nomen ignoraret. Initio quidem valetudinis gratiâ utebantur unguentis Veteres; postmodum autem voluptatis causâ in conviviis; adeout vinum unguento permixtum biberent, & coronas perfunderent; unguentorum etiam maximus usus erat in balneis, & in funeribus. Quantum conferat ad valetudinem Oleum.

DUarum rerum, quæ maximè in usu apud Antiquos, atque in deliciis fuerunt, in Epigrammatis extremo, quod nuperrimè suscepimus explicandum, mentio reperitur; ubi enim Poëta dixit, se de humanæ vitæ brevitate cogitantem divitias, & regna contemnere, continuo addit epulanti sibi, poculisque se capacioribus invitanti adeo inania, & despicienda videri ea, quæ cædibus, ferroque Mortales petant, ut unguenta, quibus perfunditur, & flores, quibus coronatur, divitiis omnibus, & regnis, atque honoribus anteponat. Placet itaque, Auditores, de utraque re nonnulla
1 breviter dicere, & quinam apud Veteres unguentorum, coronarumque fuerit usus, & quando ceperit, explicare. Plinius [a] igitur naturalis Historiæ libro decimo tertio Trojanis temporibus negat unguentum in usu fuisse, quod eo verisimilius debet videri, quòd, ut notat [b] Athenæus, Homerus antiquissimus Poëtarum unguenti Græcum nomen ignorat; siquidem Archilochus primus, *μύρον* appellavit; Homerus autem, si quando unguenti incidit mentio, oleum vocat rosaceum, vel ambrosium, ut, quum ait [c]

...... *ῥοδόεντι δὲ χρῖεν ἐλαίῳ*

aut quum [d]

...... *ἀλείψατο δὲ λίπ' ἐλαίῳ*
Ἀμβροσίῳ ἑανῷ .....

aliquando verò *κάλλος* unguentum [e] vocat, ut libro decimo octavo

Κάλλεϊ μὲν οἱ πρῶτα προσώπατα καλὰ κάθηρεν
Ἀμβροσίῳ ......

Ex quibus intelligi potest unguentum repertum recens fuisse, quum adhuc nomine careret. Illud etiam est argumento paulò ante Homeri tempora unguenti usum cœ-
2 pisse, quod ea ætate rarissimè usurpatum videtur; siquidem Poëta eo dumtaxat inducit utentes Deas; homines autem oleo, quod non in Heroibus tantùm, & militaribus viris observat; verùm etiam in imbellibus, & otio deditis, & voluptati, quales Phæaces fuerunt; alioquin dici posset a fortibus viris unguentum removisse, quòd hujusmodi delicias bellatores decere non existimaret, quod Princeps Tragicorum Sophocles judicavit, qui Palladem præsidem bellorum Deam oleo; Venerem amoris, & voluptatis parentem unguento fecit utentem; & Alexander ille Macedo, qui inter spolia Darii Regis Persarum, quum scrinium cepisset unguenti auro, gemmisque, & margaritis pretiosum, variis ejus usus amicis demonstrantibus, quòd tæderet unguenti bellatorem, & militiâ sordidum; *immò*, inquit, *Homeri librorum Custodiæ detur*. Idem nimirum sensit bellicosissimus Rex, quod 3
bellicosissimæ civitates Romanorum, & Spartanorum, quorum alteri exotica unguenta prohibuerunt; [f] alteri eorum confectores ejecerunt; [g] & meritò viri omnium fortissimi improbarunt, quod mollissimos constat invenisse. Nam si credimus [h] Plinio, Persæ luxu diffluens, & perdita deliciis natio, unguentum conficere primi docuerunt, sicut [i] Ægyptii unguentorum mixtiones principes excogitarunt; veteres autem Græci, veteresque Romani contenti erant oleo; neque enim delicias, & inanes voluptates, sed membrorum robur, & corporum salubritatem spectabant, quam optimè custodire eos, qui corpus oleo frequenter perfunderent, sapientes viri prodiderunt; & [l] Democritus præcipuè rerum naturalium scientissimus, qui interrogatus, quo pacto quis valetudinem tueri maximè posset, diutissimeque vivere, dicitur respondisse, si corporis interna melle, externa oleo frequentissimè irrigaret. Olei nimirùm moderatus calor membra recreat, & fovet, & levigat, aperitque corporis meatus; quapropter [m] Plinius hunc liquorem foris hominibus gratissimum dicit, vigoremque, & robur addere. His igitur de causis Veteres oleo, antequam exercerentur, utebantur; processit deinde paulatim 4
luxuria, & excogitavit rationem, qua non modo firmitati corporum, sed etiam voluptati consuleret. Hinc innumeræ species unguentorum, & Seplasia illa Campanorum nobilis, asotorumque deliciæ; sed primò quidem non ausa est apertè se ostendere; palam-

[a] Plin. libr. XIII. cap. I. [b] Athen. libr. XV. [c] Homer. Iliad. ψ. v. 186. & Athen. ibid. [d] Homer. Iliad. ξ. v. 172. [e] Homer. in Odyss. σ. v. 191. [f] Plin. libr. XIII. cap. III. [g] Athen. libro XV. [h] Plinius libr. XIII. cap. I. in princip. [i] Plin. libr. XIII. cap. III. in fine. [l] Athen. libr. V. [m] Plinius libr. XIV. in fine.

palamque studium voluptatis profiteri; sed initio valetudinis curam prætexuit, & in patrocinium medicos advocavit. Nam & Hippocrates doctissimus, vetustissimusque medicorum multa genera unguentorum suis libris est persequutus medicinæ, non delectationis causâ; quod item Dioscorides, ceterique medendi magistri fecerunt, & Pomponius Digestis de auro, argentoque legato Veteres unguenta quædam valetudinis gratiâ dumtaxat habuisse testatur, & Poëta [a] Græcus apud Athenæum unguentorum usum corporibus utilem sic esse confirmat

Ἐπαλείφεται δὲ τὰς ῥῖνας ὑγείας μέρος
Μέγιστον ὀσμὰς ἐγκεφάλῳ χρηστὰς ποιῶν

idest

Nares & ungit sanitatis, maxima est
Quæ pars, odores admovens cerebro bonos

Et hactenus poterant unguenta laudari, ni-
5 si luxuria longiùs processisset, omnemque modum excessisset, ut mos est ferme vitiis, quæ ubi specie virtutis, & umbrâ fefellerunt, homines, mentesque deceptas illecebris tenuerunt, sine ullo pudore dominantur. Fuit enim & usus unguentorum ex his, quæ apud Veteres maximè reprehendebantur; hinc [b] Vespesianus adolescenti unguentis delibuto, & Seplasiam redolenti, quum sibi pro impetratâ Præturâ gratias ageret, dixisse fertur, *Adolescens, mallem subolui͏sses allium*: hinc [c] Heliogabalus notatur, quòd calidis, frigidisque unguentis lavaretur; hinc [d] Nero, quòd cenationes fecerit laqueatas eburneis tabulis versatilibus, quibus flores fistulis, quibus unguenta desuper spargerentur: hinc [e] Seneca in epistolis sui sæculi vitia carpit, quòd homines unguentum bis die, terve renovarent. Utebantur autem Veteres unguentis in conviviis maximè, ut & Poëta noster in ultimo versu testatur, & [f] Plautus indicat his verbis

..... *ubi sit tibi lepidè victibus, vino, atque unguentis*

& Seneca Tragicus in Thyeste

Nitet fluente madidus unguento comam,
Gravisque vino; sæpe præclusæ cibum
Tenuere fauces.....

& [g] Martialis

Medio recumbit imus ille, qui lecto
Calvam trifilem segmentatus unguento

Sed hoc omnibus notum est, quis enim non hujus rei Latinus Auctor mentionem fecit? sed non æquè notum est, quod [h] Plinius
6 Veteres factitasse confirmat, & [i] Athenæus asseverat, qui docent Antiquos unguenta vino permixta bibere consuevisse, quo Juvenalis [l] respexit, quum cecinit

Quum perjusa mero spumant unguenta falerno

Et quod æquè signum est insolentiæ luxuriæ, & solita fastidientis, etiam coronas floribus textas unguento perfundebant, quemadmodum Plinius tradit, ut utraque res gratiam suam amitteret; quod Antalcidas Lacedæmonius [m] Regi Persarum dicitur exprobrasse, quum Barbarus ipsi cenanti misisset coronam unguento delibutam. Afferebantur autem unguenta secundis mensis, ut ex convivio Xenophontis intelligi potest, ubi Socrates de ipsis præclarissimè, gravissimèque disserit. Erat & alius usus unguentorum in balneis, ut [n] Petronius Arbiter testatur his verbis: *itaque intravimus balneum, & sudore madefacti momento temporis ad frigidam eximus, jam Trimalcio unguento perfusus tergebatur*; & Plautus [o] in Pænulo

Quid multa verba faciam, ubi tu laveris,
Ibi ut balneator faciat unguentariam

Quocirca [p] Heliogabalus nonnisi unguento nobili, & croco infectis piscinis natavit. 7
Utebantur & in funeribus, ut docet his versibus [q] Martialis

Unguentum fateor bonum dedisti
Convivis, here, sed nihil scidisti,
Res falsa est bene olere, & esurire.
Qui non cenat, & ungitur, Fabulle,
Is verè mihi mortuus videtur

In quibus tantam odorum copiam concremabant, ut [r] Plinius testetur Arabiam funeribus Romanorum beari, quæ non tantum annuo proventu producebat, quantum in novissimo Poppeæ die consumpsit Nero.

[a] Alexis apud Athen. libr. 15. [b] Suet. in Vitâ Vespas. cap. 8. [c] Æl. Lampr. in Heliogab. [d] Suet. in Nerone cap. 31. [e] Seneca Epist 86. [f] Plaut. Bacchid. Act. 5. Sc. 2. v. 62. [g] Martial. libr. 6. Epigr. 74. ad Esculanum. [h] Plin. libr. 13. cap. 3. [i] Athen. libr. 15. c. 11. & 12. [l] Juvenal. Satyr. 6. v. 303. [m] Athen. l. 2. [n] Petron. in Satyric. [o] Plaut. in Pænul. Act. 3. Sc. 3. [p] Æl. Lamprid. in Heliogab. Vitâ. [q] Martial. libr. III. Epigr. XII. in Fabullum. [r] Plin. libr. 12. cap. 18.

DISSERTATIO XXXV.

In idem Epigramma

Dissertatio Tertia.

Coronas in conviviis adhibere ceperunt Veteres ad minuendos capitis dolores, qui intemperantiùs bibentibus oborirentur, Æschylus tamen narrat a Prometheo usum fluxisse coronarum. Verisimilior autem hujusmodi usus ea est origo, quòd corona plenitudinem quandam, perfectionemque significat; ideo antiquitus sacrificabant coronati; quum autem Veteres nunquam carnes comederent, aut vinum biberent, nisi ea Diis priùs sacrificassent, atque libassent, ex quo factum, ut carnes, & animalia ἱερεῖα dicerentur, quæ vox sacrificium sonat; & quòd execrabilis haberetur, qui carnes animalium, quæ non sacrificasset, ederet; unde manavit proverbium de Impio: carnes edit non sacrificatas; *mansit itaque mos coronandi se, etiam postquam convivia a sacrificiis separari ceperunt. Coronas autem initio Veteres ex lanâ conficiebant, alii ex arundine, alii ex vimine, alii ex fæno; postea verò ex floribus, & præcipuè ex Rosis contexi solebant; aureæ etiam coronæ in usu fuerunt; Bacchus tamen medicinæ peritus censetur; quia ex hederâ coronam primus invenerit.*

Militarium laborum, sacrorumque certaminum præmia, & Regnorum insignia coronas ab Antiquis ad convivia voluptatemque translatas, & ebriorum capiti circumdatas quum jure multi mirarentur, etiam rei tam absurdæ causam investigandam multi putaverunt. Nam si quemadmodum [a] Philostratus ait de Indos in more positum fuisse testatur, ut ii dumtaxat coronarentur, qui essent cum Rege cenaturi, sic aliæ gentes facere consuevissent, magis
1 id consentaneum rationi videretur; neque
enim tam voluptatis esset illud convivium, quam dignitatis; nunc autem quum aliter se res haberet, quanto difficiliùs ratio reddebatur, tantò diligentiùs eam Veteres indagarunt, ac sic ferme exposuerunt. Quum vulgò homines vino intemperantiùs uterentur, & in ebrietatem frequenter inciderent, & capitis dolores oborirentur, animadverterunt [b] prodesse non parum ad eos minuendos, & mentis firmitatem, caput vinculis quibusdam illigare; hinc inventæ coronæ, quæ initio, ut notat Athenæus [c], ex qualibet materiâ conficiebantur; neque enim deliciarum, sed commodi gratiâ conviviis adhibebantur. Manseruntque diu quædam minimè speciosa genera coronarum, ut apud Lacedæmonios ex arundine contextæ corollæ, & apud Athenienses ex eadem, apud Cares ex vimine. Xenophon autem libro quarto de expeditione Cyri Græcos fæno se coronasse testatur; Veteres verò coronis utebantur ex
lanâ. Postea verò coronæ ceperunt ex flo- 2
ribus mirâ varietate contexi; quare Pausiæ Pictori [d] cum Glycerâ coronariâ, quam deperibat, certamen dicitur extitisse, quum colores, varietatemque florum, quos illa inter se necteret, exprimere conaretur, & arte superare naturam contenderet; quin & ex auro coronæ convivis dabantur; sicut Tacitus Annalium libro secundo testatur his verbis; *vox quoque ejus audita est in convivio, quum apud Regem Nabathæorum coronæ aureæ magno pondere Cæsari, & Agrippinæ, leves Pisoni, & ceteris offerrentur.* Sed & in Carani Macedonis convivio, quod Hippolochus apud [e] Athenæum describit, aureæ convivis coronæ fuint distributæ. Atque hanc, quam attuli rationem, & originem coronarum quamvis esse putem non absurdam, magis tamen arridet alia, quæ potest afferri. Testatur Plinius libro decimosexto naturalis Historiæ capite quarto:
nemini antiquitus coronam dari solitam ni- 3
si Deo; quapropter consentaneum rationi est antiquissimum fuisse morem, quo coronati sacrificabant, cujus rei causam quærit, & explicat Aristoteles ad hunc fermè modum. Quum nihil nisi plenum, atque perfectum Deorum honori sit tribuendum, & corona plenitudinem quamdam, perfectionemque significet, ut ex multis [f] Homeri locis, & ex hoc præcipuè carmine intelligi potest

Κοῦροι δὲ κρητῆρας ἐπεστέψαντο ποτοῖο hoc est.

Plena coronarunt jucundo pocula Baccho

ubi coronare est implere cumulatè; quum, inquam, coronare sit implere, & corona sit indicium plenitudinis, minimè mirum debet videri, si mos invaluit Diis coronas dedicandi, & caput in sacrificiis coronandi. Sciendum est autem tantâ religione Veteres egisse, ut nunquam carnes comede-
rent, neque vinum biberent, nisi ea Diis 4
immortalibus sacrificassent, atque libassent, quod ex [g] Homero percipi potest, qui quum convivio exceptos aliquos esse narrat, his boves dicit [h] sacrificatas

Τοῖσι δὲ, inquit, *βοῦν ἱέρευσεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων*

hoc est:

Immolat bis taurum populorum Rector Atrides

&

[a] Philostrat. in Vitâ Apollon. [b] Plutarch. Sympos. quæst. decad. 3. probl. pr. & Galen. libr. 2. Pharmac. [c] Athen. libr. 15. [d] Plin. libr. 21. cap. 2.

[e] Athen. libr. 4. in princ. [f] Homer. Odyss. β. [g] Homer. ibid. [h] Homer. Iliad. η.

& alio in [a] loco

Ε'ννῆμαρ ξείνισσε, καὶ ἐννέα βοῦς ἱέρευσεν

hoc est:

Ille novem hospitio luces indulsit, & aris
Admovit totidem lectâ cervice juvencos

& in Odysseâ [b] de Penelopes procis lo-
quens cecinit

Βοῦς ἱερεύοντες, καὶ ὄϊς, καὶ πίονας αἶγας
Εἰλαπινάζουσι, πίνουσί τε αἴθοπα οἶνον

hoc est.

Qui quum sacrificent & oves, nitidasque capellas,
Atque boves, ineunt convivia læta bibentes

Ex quo factum est, ut ἱερεῖα, quod nomen
sacrificium latinè sonat, græcè carnes, &
5 animalia dicerentur, ut locis ex Galeno al-
latis [c] Casaubonus probat, & nos Thucy-
didis auctoritate posse videmur ostendere,
qui libro primo sic ait θύουσι πολλοὶ οὐκ ἱε-
ρεῖα, ἀλλὰ θύματα τὰ ἐπιχώρια idest: *faciunt
autem non animantibus, sed quibusdam hostiis
patriis*, & Xenophontis, qui libro secundo
Παιδείας Κύρου sic loquitur Πρώην μέν γε ἔφη Κυα-
ξάρης ἔπεμψεν εἰς τὴν τάξιν ἑκάστην ἱερεῖα, καὶ ἐγέ-
νετο ἑκάστῳ ἡμῶν τρία κρέα, ἢ καὶ πλείω τὰ περιφε-
ρόμενα idest: *nuper* inquit *Cyaxares misit sin-
gulis ordinibus carnes, ut cuique nostrum tria,
vel plura carnium frusta, dum circumferrentur,
obtingerent* & libro quarto de expeditione
Cyri ἐνθαῦτα εἶχον πάντα τὰ ἐπιτήδεια, ὅσα ἐ-
στὶν ἀγαθὰ ἱερεῖα, σῖτον, οἴνους παλαιοὺς εὐώδεις, ἀστα-
φίδας, ὄσπρια quæ verba ita vertuntur: *hic
habuerunt omnia necessaria, quæcumque sunt
bona, idest carnes, frumentum, vetusta vina, &
odorata, uvas passas, legumina*. Atque id tan-
tâ religione observabatur, ut execrabilis il-
le haberetur, qui auderet edere carnes a-
6 nimalium, quæ non sacrificasset; unde il-
lud emanavit contritum vetustate prover-
bium de homine maximè impio, & scele-
rato ἄθυτα ἱερὰ κατεσθίει idest: *carnes edit non
sacrificatas*. Quapropter apud [d] Suidam Da-
mascius ita loquitur ἐδεῖτο μὲν οὖν σῶμα κρεω-
φαγίας: ἀθύτου δὲ οὐκ ἠνέσχετο μεταλαβεῖν quæ ita
explicantur: *ipsi corpus indigebat esu carnium,
non sacrificatas autem sumere haudquaquam to-
lerabat*. Quæ quum ita sint, & convivia a-
pud Antiquos lautiora cum sacrificiis co-
njungerentur, coronati autem sacrificarent,
7 neutiquam mirum est, si coronati etiam epu-
labantur, qui mos postea mansit, quum a sa-
crificiis convivia sunt separata. Atque hæ ra-
tiones, quas attulimus, vero sunt longè simi-
liores eâ, quam affert [e] Æschylus, qui a Prome-
theo narrat usum fluxisse coronarum, & nos
in ejus memoriam coronari solere. Quæ
ratio præterquam quod fabulosa est, minus
etiam, utpote tristis, atque luctuosa, con-
viviis convenit, & hilaritati, in quibus præ-
cipuè Veteres utebantur coronis, adeo ut
non solum capiti; sed etiam collo, & pe-
ctori circumdarent, ut [f] Athenæus docet, &
Casaubonus in animadversionibus in Athe-
næum. Erat autem e floribus præcipuè ma-
teria coronarum, quibus utebantur in con- 8
viviis, quamquam Bacchus a plerisque lau-
detur, peritusque medicinæ censeatur, quòd
ex Hederâ Coronam primus invenerit, &
Horatius [g] in Odis

Simplici myrto nihil adlabores

Inter flores autem, quibus convivales co-
ronæ contexebantur, Rosa principatum te-
nebat; hinc Lyricus [h] Poëta Amicum suum

Vina, & unguenta, & nimium breves
Flores amœnæ ferre jubet rosæ

hinc [i] Anacreon miscere gaudet vino ro-
sas, quum ait

Τὸ ῥόδον τὸ τῶν ἐρώτων
Μίξωμεν Διονύσῳ

Nec verò solum rosis coronabantur; sed e-
tiam in rosis epulabantur, quod his verbis 9
indicat [l] Cicero: *clamat virtus beatiorem fuis-
se, quam potantem in rosâ Thorium*, & Syba-
rites ille, quem esse dicunt questum, quod
in convivio folium rosæ parum diligenter
positum sibi cubitum discumbenti læsisset;
Heliogabalus [m] autem non solum spargebat
floribus lectos, verùm etiam tantam vim
rosarum sæpenumero jubebat effundi, ut
convivas suffocatos enecaret, sic nequissi-
mus Imperator, re maximè omnium in u-
sum lætitiæ, & hilaritatis natâ, ad explen-
dam animi barbaram immanitatem abute-
batur, & gaudia cum luctibus, epulas cum
cædibus, convivia cum funeribus misce-
bat; quantâ illum sævitiâ in suppliciis de-
bacchatum putamus, qui delicias, & con-
vivia in pœnas verteret amicorum? Sed ut
ad coronas revertamur, multæ fuerunt oc-
casiones, quibus Veteres caput coronabant,
de quibus & quia alio loco jam diximus,
& quia non pertinent ad illustrandum hoc
Epigramma, quod enarramus, docere su-
persedemus, contenti Poëtam nostrum il-
lustrasse, qui in conviviis indicat magnum
usum fuisse coronarum.

DIS-

[a] Homer. Iliad. ζ. [b] Homer. Odyss. 2. [c] Casaub. libr. 1 in Athen. cap. XI. [d] Suidas in V. ἄθυτος. [e] Æschylus apud Athen. libr. 15. [f] Athen. ibid. & Casaub. in eund. loc. [g] Horat. libr. 1. Od. 38. [h] Horat. libr. 2. Od. 3. [i] Anacr. Od. 5. [l] Cicer. libr. 2. de Finib. [m] Lamprid. in Heliogab.

DISSERTATIO XXXVI.

In Epigramma XXII. libri I. Anthologiæ de Mysteriis Cereris Eleusiniæ

Dissertatio Prima.

De significatione vocis σκίπων latinè scipio; unde Cornelius appellatus est Scipio, quòd parentem cæcum Scipionis vice regeret. De vocibus τελετὴ, τέλος, ἥλιος, & quæ ab hac derivantur; veluti, Heliades, heliæa, heliasticon, heliocaminus; & unde mysteria dicta sint. Ceres est eadem, ac Luna, seu Terra, inter quas maxima est similitudo; nam utraque tenebrosa est, & lumen a Sole mutuatur, & illum Luna in Terram regerit, & vicissim Terra refundit in Lunam; & sicut Terra, ita pariter & Luna montes habet. Ceres itaque eadem est, ac Terra; ideo Cereris Eleusiniæ sacra occulta, & nocturna erant, quum Terra maximè tenebrosa sit. Lunæ numine juxta Stoicos omnes Deæ continentur; quemadmodum etiam Solis numine omnes Dii.

MAgna fuit apud Antiquos religio Cereris [a] Eleusiniæ, magnaque cæremoniarum observatio; siquidem Castorem, & Pollucem ferunt, quum ob Helenæ raptum bellum Theseo, & Atheniensibus intulissent, eosque magnâ pugnâ devicissent, pacemque victis darent, non urbem in suam potestatem, ditionemque redigere, non tributum Atheniensibus imponere voluisse; sed fœderis æquas leges posuisse, ac
1 tantummodo postulasse, ut sibi urbem ingressis Cereris Eleusiniæ sacris initiari liceret. Quæ Mysteriorum auctoritas consequutis temporibus non modo non obsolevit; sed ipsâ vetustate crevit, illustriorque, & augustior facta est. Quapropter [b] Alcibiades quum esset ab exilio revocatus, se gratissimum populo munus existimavit daturum, si Cereris Eleusiniæ cæremonias bello intermissas instauraret; eaque illi res honori summo, & gloriæ fuisse perhibetur. Nec mirum; non enim Athenis modo, sed etiam ubique gentium Eleusinia Ceres famâ, & veneratione populorum celebrabatur, & Athenas innumerabilis hominum multitudo confluebat, ut sacris initiaretur, quod vetus Poëta testatur apud Ciceronem libro primo de Naturâ Deorum, ubi de Eleusine loquens ait

Ubi initiantur gentes orarum ultimæ

De his autem sacris in Anthologiâ præclarum legitur Epigramma, quod historiam continet hujusmodi; quidam luminibus captus, quum initiatus non esset, quod nefas alioquin habebatur, sacris interfuit, & Dearum beneficio amissum dicitur oculorum sensum recuperasse; versus autem Poëtæ Græci sic se habent

Σκίπων με πρὸς νηὸν ἀνήγαγεν ὄντα βέβηλον
Ο'Υ μοῦνον τελετῆς, ἀλλὰ κ̀ ἠελίου,
Μύστην δ' ἀμφοτέρων με θεαὶ θέσαν, οἶδα δ' ἐκείνῃ
Νύκτι, κ̀ Ο'φθαλμῶν νύκτα καθηράμενος:
Α'σκίπων δ' εἰς ἄστυ κατέστιχον, ὄργια Δηοῦς
Κηρύσσων γλώσσης ὄμματι τρανοτέρῳ

Hoc autem ad hunc maximè modum latinè convertimus, quamquam Græci Carminis elegantia satis exprimi Latino sermone non potuerit

Quum sacris foret arcanis, quum Sole carendus,
Ad Cereris baculo me duce templa fero;
Utrorumque Deæ sed Mysten esse dederunt,
Noxque oculis illâ nocte repulsa meis;
Inque urbem redeo baculo sine, & orgia Divæ
Prædico, qui linguâ certior est, oculo

Ex verbis autem hæc præcipua nobis occurrerunt. σκίπων est etiam verbum latinum 2
scipio, baculus, cui gradientes innitimur; unde Scipionum cognomen emanasse dicitur. Cornelius enim primus ita est appellatus, quòd parentem luminibus carentem Scipionis vice regeret, ut auctor est [c] Macrobius. οὐ μοῦνον τελετῆς; τελετὰς, ut [d] Athenæus prodidit, appellamus majora quædam sacra cum mysticis quibusdam tradita cæremoniis, ita appellata propter sumptus, qui in eâ fieri solent; τέλος autem, si credere volumus [e] eidem, sacrificium est: Euripides

...... *θεοῖσι μικρὰ θύοντες τέλη*
Τῶν βουθυτούντων ὄντας εὐσεβεστέρους

hoc est:

..... *Diis parva facientes sacra*
Magis esse, quàm aris qui admovent boves, pios

Sed Casaubonus [f] ab auctore suo dissentiens animadversionum libro secundo τέλη negat accipi debere pro sacrificiis, vel hostiis, affirmatque sumi potiùs pro sumptu τέλος etiam dicitur a Philosophis illud, cujus gratiâ omnia facimus, & quo omnia referun- 3
tur, quod ultimum, quod extremum, quod finem bonorum [g] Cicero nominavit. Ἀλλὰ κ̀ Ἠελίου; ἠέλιος, Ἥλιος hoc est *Sol* a Poëtis nuncupatur; unde Heliades filiæ Solis, & Ἡλιαία *forum*, *tribunal*, *concio*, quemadmodum testatur Interpres [h] Aristophanis & Ἡλιαστικὸν, quod ad concionem pertinet Aristophanes [i]

Οὐ πρῶτον ὄβολον ἔλαβον Ἡλιαστικὸν

&

[a] Aristides in Eleusin. Pausan. Eliac. Clem. Strom. Strabo libr. 9. Herod. libr. 2. Cicero in Orat. pro Corn. Balbo. [b] Plutarch. Alcib. [c] Macrob. Saturn. libr. 1. cap. VI. [d] Athen. libr. 2. [e] Athen. ib. [f] Casaub. libr. 2. animadv. in Athen. [g] Cic. de finibus. [h] Schol. Aristoph. in Equites. [i] Aristoph. in Nubib.

& Heliocaminus apud [a] Plinium libro secundo, & apud [b] Ulpianum de servitutibus urbanorum prædiorum, significat autem vaporarium quoddam solare: μύστην δ' Αμφοτέρων; μυστήρια sunt appellata ἀπὸ τῦ μύειν τὸ στόμα, ut [c] Aristophanis Interpreti, [d] Suidæque placet; μύειν est autem claudere; nefas enim habebatur vulgare mysteria; a mysteriis verò mysta dicitur. Quibus de si-
4 gnificatione verborum explicatis, quoniam & ad Epigrammatis interpretationem, & ad antiquitatis cognitionem pertinere duximus ea, quæ ab illustribus prodita sunt auctoribus de Cereris Eleusiniæ mysteriis, de hac etiam re more nostro nonnulla dicemus: & ut a loco primùm, in quo ea celebrabantur, ordiamur. Eleusis oppidum Atticæ fuit, quod, ut [e] Pausanias libro primo testatur ab Eleusine Heroë Dairæ, & Mercurii, vel, ut aliis placet, Ogygis filio nomen accepit. Id autem oppidum conditum a quibusdam narratur ab ipso Ogyge, ut Vossius in libro de Poëtis refert; ex quo constat antiquissimum fuisse; nam Ogyges regnavisse perhibetur plusquam septingentis annis antequam Troja caperetur, quo fit, ut antiqua omnia ogygia nuncupentur, ut [f] Suidas docet. Eo Rege contigit diluvium illud famâ celebratum, quod Ogygium nuncupatur; nihil autem id op-
5 pidum habuit inlustrius, quàm Cereris templum, quod mirâ religione, vel superstitione potius colebatur, in eo quotannis occulta quædam sacra Cereri fiebant, quæ Mysteria appellantur, de quibus antequam disseram, de Cereris numine pauca arbitror dicenda, ut appareat, qua de causâ ipsi occulta sacra tribuerentur. Cererem non aliam esse, quàm Lunam quibusdam placuisse, vel ex Virgilii carmine intelligi facilè potest, qui libro primo Georgicon Solem, & Lunam sic alloquitur:

..... vos, o clarissima mundi
Lumina, labentem Cœlo quæ ducitis annum,
Liber, & alma Ceres....

Quem locum Virgilii Servius explicans, ait Virgilium auctoritatem Stoicorum sequutum, idem Cereris existimasse Numen, ac Lunæ. Stoicos nimirum putare, quum duobus numinibus Mundus regatur Solis, at-
6 que Lunæ, quumque alterius luce illustretur, calore foveatur, alterius humore rigetur, secundeturque, omnes Deos ad Solem, Lunamque referendos. Quapropter eundem Solem esse, ac Liberum patrem, Herculem, Martem, ceterosque Deos; eandem esse Lunam, Cererem, Proserpinam, aliasque Deas, quas veræ religionis ignara adoravit antiquitas; a quo in Saturnalium libro primo Macrobius non dissentiens docet omnes Deos Solis numine, ac potestate contineri; a quibus Arnobius non discrepat, qui libro tertio adversus gentes ita loquitur; *non indocti apud vos viri, neque quod induxerit libido garrientes, Dianam, Cererem, Lunam caput esse unius Dei triviali germanitate pronunciant*: idem paulò superius quorundam refert opinionem, qui Cererem terram esse tradiderunt, *terram*, inquit, *quidam e vobis, quod cunctis sufficiat animantibus victum, matrem esse dixerunt magnam; eandem hanc alii, quod salutarium seminum frugem gerat, Cererem esse pronunciant*; quæ sumpta videntur a Cicerone, qui libro secundo de Naturâ Deorum sic ait: *mater autem a gerendis frugibus Ceres tanquam geres, casuque primâ litterâ itidem immutatâ, ut a Græcis; nam ab illis quoque Δημήτηρ, quasi γημήτηρ idest terra mater nominata est*; quod & Sextus Empiricus prodit. Quæ duę sententiæ, licet inter se diversæ, ac magnopere discrepantes esse videantur, mirificè 7
tamen consonant, inter seque consentiunt; siquidem eorum, quæ Cœlo continentur, maxima est Lunæ cum terrâ similitudo. Nam præter quam quod corporum, quæ Cœlo feruntur, citima terris Luna est, & nobis familiarissimum sidus; utraque suapte naturâ tenebrosa lumen a Sole mutuatur; utraque in alterius tenebrarũ remedium procreata videtur. Nam & Lunã, quod a Sole lumen accipit, regerit in terram, & terra vicissim Solis lumen refundit in Lunã, ut Maximus [h] nostri sæculi Philosophus ostendit argumentis nihil propemodum dubii relinquentibus. Quamobrem videmus, quum a coitu Luna revertitur, & quum pleno orbe nondum fulget, in eâ parte, quæ Solis luce non illuminatur, tenue quoddam lumen, quòd eo clarius nobis apparet, quo magis ex adverso aspectat eam terræ partem, quæ Solis lumine illustratur. Quid quod & Luna terris adimit interdum Solis aspectum, & terra, quasi ulciscatur injuriam opposita suo Lunæ sidus hebetat, & obscurat, quum ea laborare dicitur? quid verò, quod & in Lunâ tantos esse vertices constat, ut altissimorum, qui in Orbe terrarum reperiuntur, montium altitudines vincant, ut eodem [i] demonstrare compertum est. Quæ quum tantæ sint inter Lunam, terramque similitudines, apparet, si terram e Lunâ aspicere possemus, non aliam speciem terræ, quàm Lunæ cernamus, esse visuros; quapropter ut Macrobius libro primo in somnium Scipionis capite decimonono tradit, doctissimi viri Lunam terram, sed Ætheream vocaverunt. Quum autem

con-

a Plin. jun in Epist. I. b Ulpian. in l. Si arborem 16. ff. de servit. urb præd. c Schol. Aristoph. in Ranas. d Suidas in V. Μυστηρια. e Pausan. in Atticis. f Suid. in Ωγύγιον. g Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 17. h Galilæus in nuncio sydereo. i Galil. de lunar. mont. altitud.

constet eandem pæne naturam esse terræ, atque Lunæ, minimè mirum est, si Veteres utramque eidem Numini subjecerunt, & Æthercam, & hanc, quam incolimus,
8 terram Cereri sacram esse voluerunt. Alii tamen sic eas distinguunt, ut Proserpinam Lunam esse dicant, Cererem terram, quod commentum locum fabulæ fecit, quæ Proserpinam tradit a Patre [a] Dite raptam, & a Cerere diu quæsitam, repertamque apud Inferos eâ conditione Matri redditam, ut dimidium temporis apud Superos maneret, dimidium apud Inferos esset. Quæ quum ita se se habeant non difficile fuerit rationem reddere cur occulta sacra Cereri potissimùm dicarit Antiquitas, siquidem omnium elementorum tenebrosa maximè terra est, quum alia omnia vel per se luceant, vel acceptum aliunde lumen admittant, & illustrentur; sola verò tellus excludat, & tenebrarum sit, & noctis effectrix, neque solum interiores sui partes occulat, sed astrorum nobis invideat, Cœlique conspectum. Hanc autem terræ naturam Veteres ut significarent, ipsamque convenienter colerent, occulta ipsi sacra, & nocturna tribuerunt.

DISSERTATIO XXXVII.

In idem Epigramma

DISSERTATIO SECUNDA.

Vulcanus in Insulâ Lemno arcanis quibusdam sacris colebatur, quia est hic ignis terrestris, non ille cælestis, qui maximè occultus est; nam magna vis ignium in Terræ visceribus latet, & nulla est res tam frigida, aut obscura, in qua ignis non occultetur; itaut Stoici, & Cicero velint esse Mundi animum, quo nihil occultius, & olim futurum tempus, quo Mundus incendatur; & Cleanthes affirmarit Deos omnes præter ignem esse mortales; Heraclitus verò omnia ex igne constare. Significatio fabulæ, qua dicitur Vulcanus a Jove in terram dejectus crus infregisse.

Omnium elementorum densissimâ, obscurissimamque terram Cereris nomine a Veteribus appellatam docuimus; ob eamque causam diximus Antiquos Cereri nocturna sacrificia, & occulta maximè tribuisse. Nam quum Ceres idem Numen, ac Tellus haberetur, nulli magis Deo, Deæve Mysteriorum obscuritas, nocturnique sacrificii secreta conveniunt, quàm ei, quæ tenebrarum est, & noctis effectrix, magnamque naturæ partem aut opposita suo tegit, aut cæcis, altissimisque latebris recondit, & occultat. Veruntamen, quoniam sicuti Cicero libro secundo de naturâ Deorum testatur etiam Vulcano, quem ignem esse voluit antiquitas, quædam sacra ab Eleusiniis non multum discrepantia in insulâ Lemno celebrabantur, cur id fieret explicandum putavimus, ne minùs a nobis verè dictum videretur; ideo Cereri nocturnos esse ritus, 1
& occultas cæremonias attributas, quòd ea sit terra omnium rerum obscurissima; quum enim ignis lucidissimus eodem modo coleretur, a conjecturâ aberrare videamur, qui diximus terram occultis illis ritibus mactari solitam, utpote omnium maximè tenebrosam. Quæ quum fuero exequutus, etiam ceteros Deos, quorum Numen ad terram pertinebat, eodem arcanorum more sacrorum ab Antiquis coli consuevisse, demonstrabo; tum ea, quæ non abhorrere ab instituto nostro videbuntur, de Mysteriis Cereris Eleusiniæ subtexam. Atque ut ab eo, quod mihi primum ad dicendum proposui, proficiscatur oratio, quemadmodum Ponticus Heraclides in Allegoriis docet, Vulcanus habebatur non ignis ille cœlestis, cujus luce cuncta illuminantur; sed hic apud nos, qui detrusus in humilem, tenebrosum que locum, & corporibus aliis immixtus multùm a lucidissimâ illâ, atque Æthereâ, purissimaque naturâ descisicit. Atque hoc licet subobscurè, tamen elegantissimè significavit Poëtarum Princeps [b] Homerus, qui quodam
2 loco Deos, hoc est contrarias rerum naturas pugnantes inducens, Apollinem quidem cum Neptuno, Vulcanum verò cum flumine congredientem facit; versus autem maximi Vatis, ut ab erudito Viro translatos accepimus, ad hunc modum se habent

Contra Neptunum flavus confligit Apollo;
Tela tenēs pennata manu cum Pallade Mavors
Congreditur; jacit Arcitenens Diana Sagittas
Junonem contra; pedibus talaria nectens
Latonam aggreditur sumptis Cyllenius armis;
Parte aliâ ignipotens magno cū flumine pugnat
Mulciber, Ætherei Xanthū quod nomine dicūt
Cælicolæ, ... 3

Quid enim causę putemus esse cur, quum tam Vulcanus, quàm Apollo sint ignis, tamen non cum eodem hoste Neptuno pugnare dicantur, nisi quod Apollo, quem Solem esse, videlicet lucis, & caloris elementum accepimus, cum universo aquæ elemento jure congredi fingitur, & Vulcanus ea pars ignis, qua Mortales utuntur, cum flumine, hoc est cum aquæ parte humanis usibus desti-

a Hygin. fab. 146. Claud. de Rapt. Proserp. Hesiod in Theogoniâ. b Homer. Iliad. φ.

1 destinatâ certat. Nam quemadmodum ignis
ille cœlestis cum totâ humoris naturâ con-
greditur, dum eam depascitur, & attenuat
in vapores, ab eaque superatur vicissim, &
retunditur; unde Solem, [a] & sidera humo-
re nutriri Stoici tradiderunt; ita noster i-
gnis cum humidæ naturæ parte pugnat,
quum ab eâ extinguitur, eamdemque vi-
cissim consumit, & interimit. Nec minùs
3 eleganter [b] Homerus alio in loco, & eum
sequuti ceteri poëtæ hoc idem declararunt,
qui Vulcanum ferunt a Jove dejectum in
terras. Quum enim ignis in supremam il-
lam, altissimamque regionem suapte naturâ
feratur, in hanc humilem, atque infimam
descendere neutiquam potest, nisi summâ
vi deprimatur in terram, quam Jovis no-
mine fortasse poëtæ nuncuparunt; eodem-
que doctissimi viri fabulam pertinere dixe-
runt, qua Vulcanus [c] fertur crus infregisse,
quum e Cœlo decidisset, ac propterea ingre-
di, nisi innitatur, non posse, quod nihil
aliud significat, quàm ignem nostrum, ni-
si pabuli copiâ, quasi claudus baculo susti-
neatur, ac subinde reficiatur, extingui.
Quum autem Vulcanus ignis hic habeatur,
qui circa terrestrem locum, & in terrâ ma-
ximè continetur, bene, ac sapienter An-
tiqui arcana sacrorum ipsi dedicarunt. Nam
4 licet ignis eâ videatur esse naturâ, ut suâ
luce se prodat:

..... *quis enim*, inquit Ovidius, *celaverit ignem*,
Lumine qui semper proditur ipse suo?

Si rem tamen perpendere diligenter veli-
mus, nihil occultius omnino, aut magis
arcanum reperiemus. Nam præterquam
quod magna vis ignium semper ardentium
terræ visceribus occulta continetur; quis
est omnino in Universo locus, aut quæ res
tam concretæ, frigidæque naturæ, aut tam
obscuræ, tenebrosæque, ubi non occulte-
tur ignis? Est in manibus Ciceronis non
modo eloquentissimi Oratoris, verùm etiam
philosophi doctissimi liber de Naturâ Deo-
rum secundus, in quo probat ignem per
cuncta diffusum, omnia foventem, animan-
tem, vegetantemque latere. Nam & in a-
quis hujus elementi magnam copiam con-
tineri, & in terrâ, singulisque corporibus
delitescere; jam sata, stirpes, animantes,
arbores igneâ vi, & calore sustineri, ni-
hil denique in rerum naturâ reperiri, quod
ignis expers habeatur omnino. Atque hunc
esse Mundi totius animum, hunc princi-
pale naturæ regimen, & Universi mentem
contendit, quod & Stoici inprimis tradi-
derunt, & Magnus Hippocrates in libro
de principiis confirmat, quum sic ait: *mi-
hi autem videtur hoc; quod calidum appellamus,
immortale, & æternum esse, & omnia co-
gnoscere,*

Quæ sunt, quæ fuerunt, quæ mox ventura trahuntur.

Quod si ignis est animus, quis jure mira-
bitur, igni tanquam occultissimæ, maximè- 5
que abstrusæ naturæ arcanos ritus, & igno-
tas vulgo cæremonias consecrari? quid e-
nim occultius animo, qui quum omnia com-
prehendat, occultissima quæque perlustret,
& consequatur intelligendo, se ipsum ta-
men cognoscere haudquaquam potest? Un-
de tam [d] variæ, tamque discrepantes fluxe-
runt de animi naturâ philosophorum sen-
tentiæ. Sin autem id cuipiam repudiandum
videbitur, neque Antiquos putabit tantum
igni tribuisse, ut cœlestem animorum, im-
mortalemque naturam ex hoc elemento
constare censuerit; illud certè constanter
tenebimus in omnibus rebus ingentem vim
ignis additam occultari, in plerisque verò
adeo occultam ejus esse naturam, ut de-
prehendi nullo modo posse videatur. Quis
enim credat, aut in quibusdam liquoribus,
aut in lignis tantam latere vim ardoris ar-
cani, ut his admoto igne statim flamma ex-
citetur, aut in silice durissimo, frigidissi-
moque existimet occulta esse flammæ semi-
na, quæ simul atque chalybis ictu abstrusus
ignis, motuque carens commovetur [nam
motu viget ignis, & explicat vim suam] li-
bertatemque adipiscitur, excutiuntur. Quis
autem jure non admiretur nascentium ex
aquis ignium miracula, quæ ab Historicis 6
referuntur, ardentes terrarum tractus, mon-
tesque perpetuo incendio deflagrantes. Jam
attritu arborum Sylvas incensas, & fulmi-
na, quæ frigidissimis e nubibus eliduntur,
quis non latentis ubique ignis opera fatea-
tur? Quæ universa [e] Plinius reputans li-
bro secundo naturalis historiæ miratur,
quod non omnium quotidie conflagratio
consequatur; Stoicique [f] non ignobiles au-
ctores naturæ, verique censent olim futu-
rum tempus, quo universa mundi moles
incendatur. Ex quo [g] Cleanthes teste Plu-
tarcho Deos omnes præter ignem morta-
les esse confirmat. Hæc autem Stoicorum
sententia auctorem, ut opinor, habet He-
raclitum, qui [h] ex igne constare omnia au- 7
tumavit, quam non absurdam omnino ju-
dicabit, quicumque reputaverit omnia pro-
pemodum in ignem converti, quum illud
scitè dictum a philosophis videatur, in id
unumquodque migrare, dissolvique, quo
conflatum ab initio, compositumque fue-
rat. Quæ quum ita sint, occultam maximè
naturam ignis, & reconditam fateamur ne-

N cesse

a Macrob. Somn. Scip. libr. 2. cap. 10. b Homer. Iliad. α. c Lucian. Dialog. de Sacrific. d Macr. in Somn. Scip. libr. 1. cap. 14. e Plin. l. 2. c. 107. f Plutarch. de Oracul. defectu. g Plutarch. de placit. philosoph. h Laert. in Heraclito.

cesse est; quum non in omnibus tantùm lateat, sed etiam ex eo universa forsitan componantur, & alibi ille diffundatur in aquas, alibi pateat in immensa camporum spatia, alibi aëream, spirabilemque naturam induat, & concrescat in glaciem, & rigescat in nivem, ea denique omnia fiat, quibuscum pugnare maximè videatur. Quæ singula Veteres cogitâtes non minùs ignem, quàm Terram mysteriis coluerunt, non solùm in Insula [a] Lemno; sed etiam Romæ, & in Græciâ, ubi ignis inter Deæ [b] Vestæ secreta asservabatur.

DISSERTATIO XXXVIII.

De Sacris Cereris Eleusiniæ.

Dissertatio Tertia.

Dii Samothraces colebantur occultis sacris, quia terrestres erant, & quibus nominibus appellarentur. Bona Dea, & Vesta idem nomen habebatur, ac Terra; adeo ut Plotinus Vestam esse animam Telluris tradat; idcirco ipsis arcana sacra fiebant, a quibus arcebantur profani; neque mares interesse poterant Bonæ Deæ sacris, alioquin oculorum lumen amittebant. Cereris arcana qui vulgasset, detestabilis habebatur, quamobrem Æschylus quum imprudens ea aperuisset, parum abfuit, quin capitis damnaretur; & Numenius philosophus, & Pausanias somniis deterriti sunt, ne ea vulgarent. Sacrificabatur Porcus Cereri Eleusiniæ, Telluri, Bonæ Deæ, & Majæ. An vestem, in qua initiabantur, in templo dedicarent, & quare proverbium habeatur: vestis initiatorum, *quod usurpatur de Veste maximè lacerâ.*

Quoniam quæ ratio moverit Antiquos, ut Vulcano [c] in Insulâ Lemno Mysteria, sicut Athenis Cereri, celebrarent, satis, ut opinor, superiore dissertatione diximus; quoniamque secundo loco propositum nobis erat, ut ostenderemus, omnes Deos, quorum Numen referebatur ad Terram, arcanis quibusdam sacrificiis coli consuevisse, de hac etiam re hodierno die differemus. Ex quo perspici poterit non sine causâ a nobis dictum, ideo Cereri mysticas cæremonias attributas, quòd idem Cereris Numen censeretur, ac Terræ. Ut autem hinc præcipuè sumamus exordium, celebris inprimis fuit apud [d] Antiquos religio Samothracum Deorum, quos appellabant Cabiros, de quibus Juvenalis [e] 1

..... *jures licet & Samothracum,*
Et nostrorum aras. ....

His autem arcana quædam sacra celebrabantur, quibus, ut [f] Apollonius, & ejus Interpres tradiderunt, Ulysses, & Jason initiati pericula Maris incolumes evasisse perhibentur, qui ritus occulti, & mysteriorum honos illis habebatur, quòd omnes Dii terrestres essent. Nam licet [g] Plinius inter Samothracas Deos Venerem, Pothon, & Phaëtontem numeret, & [h] Macrobius libro tertio Saturnalium Jovem, Minervam, Terram, Junonem, magis me tamen auctoritas Græcorum movet, qui hæc diligentiùs persequuti sunt, a quibus quatuor Samothracum Dii recensentur, Axieros, [i] quo nomine significatur Ceres, Axiocersa, quam Proserpinam interpretantur, & Axiocersos, quem Plutonem; his addebant [l] Casmilum, quem tradunt esse Mercurium, quòd is tam apud Superos, quàm apud Inferos soleat diversari. Sed & aliis in locis, ubi Terræ numen colebatur, profani procul arcebantur, & in 2
operto sacra fiebant. Nam Bonam Deam non aliam, quàm Terram fuisse memoriæ proditum est, quemadmodum Macrobius libro primo Saturnalium capite duodecimo tradit, huic autem in occulto maximè sacrificabatur, neque maribus [m] licebat sacris interesse; quare [n] Tibullus vocat ea

Sacra Bonæ maribus non adeunda Deæ

Et hujus rei tanta religio fuit, ut ille, qui Bonæ Deæ sacris interfuisset, Deâ ulciscente oculorum lumen amittere crederetur, quo respexit [o] Tibullus, quum de sacris, & arâ Bonæ Deæ loquens ait

At mihi si credas, illam sequar unus ad aras,
Tum mihi non oculis sit timuisse meis

Qui locus illustrari potest his Ciceronis verbis in oratione pro domo suâ *quem unquam audisti majorum tuorum, qui & sacra privata coluerunt, & publicis Sacerdotiis præfuerunt; quum sacrificium Bonæ Deæ fieret, interfuisse? neminem; ne illum quidem, qui cæcus est factus; ex quo intelligitur multa in vitâ falsò homines opinari, quum ille, qui nihil viderit sciens, quod nefas esset, lumina amisit; istius, qui non solùm aspectu, sed etiam incesto flagitio, & stupro cæremonias polluit, pœna omnis oculorum ad cæcitatem mentis conversa est.* Hæc autem sacra Operta proprio nomine vocabantur. Cicero [p] in Paradoxis; *ut si,* 3
inquit,

[a] Cicer. libr. 1. de Nat. Deor. [b] Luc. Flor. libr. 1. cap. 2. [c] Cicer. libr. 1. de Nat. Deor. [d] Strabo libr. X. [e] Juven. Sat. 3. [f] Apollon. Rhod. libr. 1. Argon. [g] Plin. libr 36. cap. 5. [h] Macr. libr. 3. cap. 4. [i] Cæl. Rhodigin. libr. 16. cap. 20. & Scholiast. Apollon. Rhodii libr. 1. [l] Macr. libr. 3. cap. 8. [m] Juvenal. Sat. 6. Prop. libr. 4. El. 10. [n] Tib. El. 6. libr. 1. [o] Tib. ibid. & Cic. Orat. de haruspic. respons. [p] Cic. Parad. 4.

inquit, *in opertum Bonæ Deæ accessisses*, exulares, & in primo epistolarum, *quasi dicas in operto fuisse* ex quibus apparet, cur operta telluris [a] Virgilius dixerit in hoc versu

Sed non ante datur telluris operta subire

Nec minus eruditè eodem in libro, quum Sibylla cerneret adventantem Hecaten, quę Dea profanorum præsentiâ non gaudet, eos a facris [b] arcet

..... procul, o procul este profani,
Conclamat vates, totoque absistite luco

Quem imitatus Claudianus in primo libro de raptu Proserpinæ, de Cerere loquuturus, & ejus filiam quærentis errore, quæ res occultis Cereris Eleusiniæ facris exprimebantur, exclamat

..... gressus removete profani

& quemadmodum Virgilius dixit operta telluris, ita [c] Claudianus

..... & vestri secreta poli .....

& invocatio Numinum infernorum apud utrumque Poëtam pæne est eadem, nisi quod ad Virgiliani carminis gravitatem, majestatemque Claudianus aspirare non potuit. Sed ut ad sacra Telluris revertamur, etiam Vestæ Numen Veteres accepimus ad
4 Terram retulisse, ut ex his Euripidis versibus intelligi facilè potest

Ὦ γαῖα μῆτερ, ἑστίαν δέ σ' οἱ σοφοὶ
Βροτῶν καλοῦσιν ἡμένην ἐν αἰθέρι

quos ad hunc modum converto

O terra mater, corda sapientum virûm
Quam nuncupant Vestam situm in medio Æthere

Quapropter [d] Plotinus sectator Platonis eximius Vestam Telluris animam esse tradit. Quum autem Vesta idem, atque [e] Bona Dea, & Ceres numen censeretur, eodem modo sacrificiis occultis colebatur, ut Dionysius Halicarnasseus antiquitatum Romanarum libro secundo testatur, quæ causa est, ut Vestæ templum secretum sedem Virgilius [f] appellet libro secundo in illis carminibus

..... quum limina Vestæ
Servantem, & tacitam secretâ in sede latentem
Tyndarida aspicio, ...

& [g] Ovidius arcanam ædem

Adde, quòd arcanâ fieri novus ignis in æde
Incipit, & vires flamma refecta capit

Jam igitur constat non sine causâ Veteres
5 mystica facra Cereri dedicasse, quænam autem ea essent exponerem; sed animadverto Veteres mirâ religione observasse, ne Cereris, aliorumque Numinum mysteria evulgarent, ob eamque causam nihil ferme prodiderunt, quo, quid ea tandem essent, possemus agnoscere. Siquidem habebatur ille detestabilis, & hominibus juxta, ac Diis invisus, qui Cereris arcana in vulgus extulisset. Quapropter [h] Horatius cum eo navigaturum se negat, qui mysteria enunciasset

..... vetabo, qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanæ, sub iisdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat phaselum. ....

& [i] Æschylus quum imprudens ea, quæ in sacris Cereris Eleusiniæ fiebant, aperuisset, in judicium vocatus est, capitisque 6
damnatus fuisset, nisi ostendisset se non esse initiatum; & [l] Numenius philosophus, quum reconditarum rerum fanè quàm curiosus esset indagator, & Eleusinia sacra interpretanda suscepisset, sibi visus esse dicitur in somnis videre Deas Eleusinias habitu, cultuque corporis meretricio prostantes in fornice, quumque ille rei novitate permotus interrogasset, qua de causâ Deæ in tantâ turpitudine versarentur, respondisse ferunt, ab ipso se adyto pudicitiæ suæ vi abstractas, & passim adeuntibus prostitutas. Eodem planè modo [m] Pausanias libro primo scribit se deterritum somnio, quo minùs ea, quæ in templo essent Cereris Eleusiniæ, diligentiùs præscriberet; quibus rebus effectum est, ut Eleusinia mysteria minùs nobis innotescerent. Sed tamen ea, quæ ex optimis auctoribus collegimus, ut- 7
eumque trademus, ac primùm quærendum esse visum est, quamnam victimam in sacris illis immolarent; nec dubitatum fere, quin sue rem divinam Cereri facerent, quum Aristophanes dicat

In porculum mi mutuam Drachmam dato;
Nam me initiari oportet, antequam occidam

quibus Aristophanis versibus explicatur carmen [n] Tibulli, quo Porcum hostiam mysticam vocat, quum ait

Hostiaque e plenâ mystica porcus harâ

Constat quippe sacrificia Cereris appellata Mysteria, ac proinde hostiam Cereris jure mysticam dici; sacrificabatur autem hujusmodi victima Cereri, quod eadem Ceres, & Tellus haberetur; nam etiam Telluri sus prægnans mactabatur, ut libro primo Saturnalium [o] Macrobius est testis, & Bonæ Deæ, quæ eadem Telluri habebatur; ideo Juvenalis [p] cecinit

Atque Bonam teneræ placant abdomine porcæ

Quod etiam in Majæ facris observatum accepimus; ex quo [q] Macrobius colligit, Ma- 8
jam esse Bonam Deam. Illud etiam in more positum fuisse legimus, ut in qua quisque veste initiaretur, eam in templo dedicaret, quod [r] Melanthius in libro de Mysteriis

[a] Virg. Æn. l. 6. [b] Virg. ibid. [c] Claud. de raptu Proserp. l. 1. [d] Plotin. Enneade 4. l. 4. [e] Macr. Saturn. l. 1. c. 12. [f] Virg. Æn. libr. 2. [g] Ovid. Fast. [h] Horat. libr. 3. Od. 2. [i] Clem. Alexandr. Strom. libr. 2. [l] Arist. Ethic. libr. 3. c. 1. [m] Pausan. in Attic. [n] Tib. l. 1. Eleg. X. [o] Macrob. l. 1. c. 12. [p] Juv. Sat. 2. [q] Macr. l. 1. c. 12. [r] Apud Rhodigin. libr. 16. cap. 9.

ſteriis indicat his verbis *πάτριον ἐστὶ ταῖς θεαῖς ἀνιερῶν καὶ τὰς στόλας τοῖς μύσταις, ἐν αἷς τύχοιεν μυηθέντες* quæ ita convertuntur: *patrius mos eſt Myſtis conſecrare ſtolas Deabus, in quibus initiati fuerunt*; quamquam alii [a] rem aliter tradant, qui memoriæ prodiderunt non licuiſſe veſtem deponere, in qua Myſtæ ſacra Cereris Eleuſiniæ ſuſceperant; unde volunt fluxiſſe proverbium, de Veſte maximè lacerâ: *veſtis initiatorum*, quod Ariſtophanes fortaſſe reſpicit in Pluto.

DISSERTATIO XXXIX.

In idem Epigramma

Dissertatio Quarta.

Sacra Cereris Eleuſiniæ quàm ſimillima erant Iſidis Ægyptiæ ſacris, quum utraque occulta eſſent, & occultiſſimæ res philoſophiæ exprimerentur; & qui ipſis operabantur Venere abſtinebant; quare mulieres in ſacris Cereris Agnum herbam dormituræ ſubſternebant, quòd ea libidinis ardorem extinguere exiſtimatur; & ſicut cum Cerere conjunctus credebatur myſticus Jacchus, ſic in ſacris Ægyptiæ Iſidis colebatur Oſiris, qui eſt idem, ac Bacchus. Eupolis mordaciſſimum carmen compoſuit, quod Baptas a ſacerdotibus Cotyttus Deæ impudentiæ nuncupavit. Veteres exiſtimabant initiatos nihil a Diis petere, quod non conſequerentur; & poſt mortem honoratiorem locum apud Inferos obtinere; quod etiam Plato affirmat, verùm intelligit de initiatis in Philoſophiâ. Error Scaligeri detegitur, qui putavit myſteria quinto quoque anno celebrari. Quinque partes, ſeu gradus myſteriorum erant, quorum ſingulorum nomina recenſentur.

VEteres illi, quorum ſapientiam in ceteris admiramur, & ſi in his, quæ ad religionem, cultumque Divini Numinis pertinent, opinionibus a veritate longiſſimè abſuerunt; illud tamen in cæremoniis Deorum non imprudenter planè conſtituerunt, ut quibusdam quaſi myſteriorum involucris res divinas obtegerent, & ab oculis vulgi removerent, quibus rebus aſſequebantur, ut ſacris, quæ vulgata contemnerentur, mirificam quamdam venerationem, & eximiam auctoritatem conciliarent. Ha-
1 bet enim hoc omne ſecretum, dum oculos latet, imperitorum mentes afficit, & quo occultius habetur, eo majus apparet, & auguſtius; & quemadmodum noctu intuentes omnia majora, & magis formidoloſa exiſtimant; ſic animus, quæ quaſi per nubem, & caliginem videt, ampliora ferè ſuſpicatur, & eorum, quæ ignorat, ſuſpicit majeſtatem, & occulto quodam horrore perfunditur; quam arbitror cauſam fuiſſe præcellentiſſimis poëtarum, & doctiſſimis philoſophorum, cur plerumque quibusdam fabularum integumentis veritatem involverent, ne ea ſimplex, & nuda conſpecta deſpectui eſſet imperitis. Quem mo- 2
rem cum in aliis Veteres celebrarunt, tum in Cereris Eleuſiniæ ſacris maximè coluerunt; a quibus adeo profanos excluſere, ut, quemadmodum [b] Livius tradit, bellum Athenienſes graviſſimum ſuſceperint, quum duos juvenes Acharnanes, qui non initiati, quum ſacra fierent, interfuerant, occidiſſent; nec [c] miſeris prodeſſe in tali tempore quivit, quod moris illius, & religionis ignari cum reliquâ multitudine templum Cereris fuerant ingreſſi; neque ſolum templi aditu profanorum corpora prohibebant, ſed etiam animos a cognoſcendâ veritate quibusdam myſteriis arcebant. Teſtatur id Cicero libro primo de naturâ Deorum, qui ſic ait: *omitto Eleuſinam ſanctam illam, & Auguſtam*

Ubi initiantur gentes orarum ultimæ

& deinde: *quibus explicatis, ad rationemque revocatis rerum magis natura cognoſcitur, quàm Deorum*. Quæ verba declarant ſatis myſteriis illis arcana quædam naturæ, rationesque rerum occultas, atque involutas ſignificare Antiquos voluiſſe, quæ ad Cereris, id eſt Terræ numen pertinebant, quæ ſignificabantur eorum imitatione, quæ Cererem geſſiſſe in terris fabulæ ferunt; ſicut in ſa- 3
cris Ægyptiis, quemadmodum teſtis eſt Plutarchus in libello de Iſide, & Oſiride, occultiſſimæ res in philoſophiâ rebus ab Iſide, & Oſiride geſtis repræſentandis exprimebantur; ex quo Cicero quodam in loco ſcribit ex ipſis myſteriis intelligi poſſe eos, qui Dii, & immortales haberentur, homines aliquando fuiſſe. Illis videlicet myſteriis acta quædam Numinum ab humanis non diſcrepantia ſignificari videbantur; quapropter & in ſacris Eleuſiniæ Cereris Proſerpinæ raptus, & error Cereris filiam accensâ Ætnæ ſempiternis ignibus pinu quærentis, accenſarum facum jactatione referebatur. Seneca [d] in Hippolyto

Non inter Aras Atthidum mixtam choris
Jactare tacitis conſcias ſacris faces

Unde Claudianus libro primo de raptu Proſerpinæ ſic ait

..... *ſanctaſque faces attollit Eleuſis*.

Quocirca Cereris Sacerdotes Daduchi, hoc eſt, fa-

[a] Scholiaſt. Ariſtoph. in Plutum. [b] T. Liv. de bello Macedon. libr. 1. [c] Lucret. libr. 1. [d] Senec. in Hippol. Act. primo.

est, facem ferentes appellabantur, ut Xenophon Socratiuus indicat, & ejus Interpres animadvertit. Sed hi sacrorum ritus
4 omnibus fortasse, qui fuerant initiati, patebant; fuerunt & quædam sacra, cæremoniæque, quæ non omnibus tradebantur, neque licebat his interesse, nisi iis, qui longo tempore spectati fuissent; ad quem morem Seneca [a] respicit, quum ait libro septimo naturalium quæstionum: *non semel quædam sacra traduntur; Eleusis servat, quod ostendat revisentibus*, & Tertullianus adversus Valentinianos capite primo. *Nam & illa Eleusinia, Hæresis & ipsa Atticæ superstitionis, quod tacent, pudor est; idcirco & aditum prius cruciant, diutiùs initiant, quàm consignant, quum Epoptas ante quinquennium instituunt, ut opinionem suspendio cognitionis ædificent*. Quid autem illis adytis occultaretur, indicat paulò post idem Tertullianus, quum ait. *Ceterum tota in adytis divinitas, tot suspiria portarum, totum signaculum linguæ simulacrum membri virilis revelatur*; quod etiam in Isidis Ægyptiæ sacris accepimus usurpatum, cujus rei causam quærit, & explicat Plutarchus in eo libro, quem de sacris Isidis, & Osiridis conscripsit. In multis autem re-
5 bus Ægyptia sacra Eleusiniis fuerunt quàm simillima; nam quemadmodum qui sacris Isidis operabantur, abstinebant a Venere, quod in hisce carminibus indicat [b] Tibullus

Quid tua nunc Isis tibi, Delia, quid mihi prosunt
Illa tuâ toties æra repulsa manu?
Quidve, piè dum sacra colis, pureque lavari
Te memini, & puro secubuisse thoro?

& Ovidius in elegiâ de Tibulli [c] morte

Quid nos sacra juvant, quid nunc Ægyptia prosunt
Sistra, quid in vacuo secubuisse thoro?

sic & Cereri operaturi castitatem colebant; quapropter de Cerere queritur [d] Ovidius, quòd se amantem ab amicâ distrahat, quum ipsa debeat amantibus indulgere, utpote quæ Jasium perditissimè amarit; & mulieres in sacris Cereris Agnum herbam domituræ substernebant, ut Interpres Nican-
6 dri tetatur, quod ea libidinis ardorem extinguere existimatur; & sicut in sacris Ægyptiæ Isidis colebatur Osiris, quem idem Baccho numen esse [e] Tibullo credi convenit, sic & cum Cerere Mysticus Jacchus conjunctus credebatur, quod Claudianus indicat in primo libro de raptu Proserpinæ, qui ubi venientem Hecaten, Cereremque descripsit, addidit statim

lenisque simul procedit Jacchus

Huic autem Jaccho nocturna sacra celebrabantur; ex quo Cicero in secundo de legibus libro quum nocturna mulierum sacrificia sustulisset, intelligi dicit posse, se non probare morem Atheniensium, qui Cereri, & Jaccho sacra nocturna peragerent, Ceretique feminas initiandas eo ritu, quo Romæ initiabantur. Et sanè prudenter ille ex eâ, quam instituebat, Republicâ nocturnas cæremonias exclusit; in illis enim religio- 7
nis obtentu turpissimè, flagitiosissimeque peccabatur. Quod Senatus, populusque Romanus [f] judicavit, qui Bacchanalium ritus ejecit ex urbe, & in eos, qui illâ superstitione erant imbuti, severissimè animadvertit; & [g] Diagondas Thebanus, qui nocturna sacrificia perpetuâ lege sustulit; quantò rectius hic, & sapientius, quàm [h] Epimenides ille Cretensis, qui ut Athenas a Cylonio scelere expiaret, instituit impudentiæ nocturna quædam sacra, quasi in illis celebrandis non scelus majus, & flagitium susciperetur, quod poëtæ non tacuerunt, & [i] Eupolis inprimis auctor Comœdiæ veteris, qui Baptas (ita enim appellabantur impudentiæ sacerdotes) mordacissimum Carmen composuit, quo hujusmodi ritus, & cæremonias acerbissimè exagitabat, ob eamque causam a Baptis dicitur interfectus; vocabatur autem impudentiæ Dea Cotytto, ex quo [l] Juvenalis ita cecinit

Cecropiam soliti Baptæ lassare Cotytto

cujus carminis interpretationem [m] Angelo 8
Politiano debemus. Sed ut ad Cererem revertamur; sacra Cereris etsi eo dumtaxat nomine, quod noctu celebrarentur, a Cicerone reprehenduntur; sola tamen ex nocturnis laudantur in secundo de legibus libro ad hunc maximè modum. *Nam mihi cum multa, eximiaque videntur Athenæ tuæ peperisse, atque in vitâ hominum attulisse, tum nihil melius illis mysteriis, quibus ex agresti, immanique vitâ exculti ad humanitatem, & mitigati sumus, initiaque, ut appellantur, ita revera principia vitæ cognovimus; neque solùm cum lætitiâ vivendi rationem accepimus, sed etiam cum spe meliore moriendi*; ad quem locum intelligendum pertinet id, quod Aristophanis [n] Interpres tradit, Veteres existimasse eos, qui essent initiati, nihil a Diis immortalibus petere, quod non illis annuentibus consequantur, & quod [o] Diogenes Laërtius affirmat, eos, qui participes fuerunt initiorum in vitâ, post mortem honoratiores apud Inferos sedes obtinere, quod etiam [p] Aristides indicat, quum ait τῶν ἀῤῥήτων τελετῶν τοῖς μεταχοῦσι, κὶ μετὰ τὴν

---

[a] Sen. Nat. quæst. l. 7. c. 31. [b] Tib. l. 1. Eleg. 3. [c] Ovid. Amorum l. 3. El. 9. [d] Ovid. Amor. l. 3. El. 9. [e] Tib. l. 1. El. 7. [f] Liv. de bello Maced. l. 9. Cic. de leg. l. 2. [g] Plut. in Theseo. [h] Laërt. in Epimen. [i] Eupolis in Baptis. [l] Juven. Sat. 2. [m] Polit. Miscell. c. 10. [n] Schol. Arist. in Nubib. [o] Laërt. libr. 6. in Diogene. [p] Aristides Panathenaico.

τὴν τῦ βίυ τελευτὴν βελτίω τὰ πράγματα γίγνεται hoc est: *eorum, qui Mysteriis initiati sunt, post mortem res meliores existunt*; & Isocrates, qui in panegyricâ oratione, *participes*, inquit, *initiorum & de fine vitæ, & de omni præterea ævo meliores habent spes, & jucundiores*. Atque hæc fuit causa, cur Eleu-
9 sinia sacra innumerabili hominum multitudine frequentarentur, quod [a] Seneca testatur in Hercule furente, quum ait

Quanta, quum longæ redit hora noctis,
Crescere & somnos cupiens quietos
Libra Phœbeos tenet æqua currus,
Turba secretam Cererem frequentat

Omnes enim ea sacra appetebant, quibus & cum lætitiâ majore viverent, & cum spe felicitatis æternæ naturæ concederent. Nec verò Athenienses modò; verùm etiam ex omnibus populis multi initiabantur, quod adversùs Eumolpi legem, qui Eleusiniæ Cereris cæremonias instituit, usurpatum est; nam initio nulli Peregrino sacris illis initiari licebat. Quamobrem quum Hercules
10 postularet, ut in eorum consortium sacrorum admitteretur, & Athenienses nihil tanto viro negatum vellent, excogitarunt rationem, qua & legis inviolata constaret auctoritas, & Hercules voti fieret compos; itaque parva mysteria instituerunt, quæ in honorem Proserpinæ celebrabantur, quum magna Cereri essent attributa, quemadmodum tradit Interpres [b] Aristophanis; sed parva quidem Novembri mense, magna Augusto instaurabantur, ut Plutarchus in Demetrii vitâ memoriæ prodidit. Hæc autem ab inspectione vocabantur Epoptica, & qui horum participes essent, Epoptæ [c]; sicut fortasse parvis initiati, sunt Mystæ, quod indicare Suidas videtur in voce Epoptæ, ubi ait eos, qui initiantur, Mystas appellari, post annum verò Epoptas; nam priùs ad Proserpinæ sacra homines admittebantur, quàm ad Cereris; & Proserpinæ sacra uno fere anno, antequam Cereris, fiebant, ut in Demetrio Plutarchus notat. Equidem hæc
11 magis enucleatè persequi placet, Auditores, & quæ nobis lectione magistrâ comperta sunt, exponere, & quoto anno utraque mysteria celebrarentur, & quot eorum partes essent, notare. Parva igitur quotannis recurrebant, & interdum etiam majora, ut ex Herodoto constat libro septimo, sed majora sæpenumero in annum alterum, vel etiam longius tempus differebantur, ut Vossius animadvertit, idque eveniebat, quotiescumque Sacerdotes Mystas non satis præparatos putabant. Quapropter & in annum quinctum dilata accepimus; quæ res in eam opinionem Scaligerum adduxit, ut quinctô quoque anno mysteria crederet solita instaurari, qui mirâ incostantiâ usus in tradendo tempore mysteriorum deprehenditur. Nam alibi parva mysteria anniversaria esse arbitratur, alibi triennalia; verumtamen non mihi est in animo doctissimi viri vel negligentiam, vel inscitiam accusare; quapropter alia potius reprehensioni prævertamus. Theon igitur Smyrnæus non pænitendus auctor per quinque quasi gradus 12
affirmat Mystas ad sacrorum possessionem ascendisse, & quinque partes, quibus Ceteri homines initiabantur: primam fuisse eam, quæ καθαρμὸς dicebatur, latinè dici potest *purgatio*; nam ut in virtutibus primæ sunt eæ, quibus animus purgatur, & labes, quas contraxit, absterguntur, ita in sacris Cereris prima purgatio fuit; idcirco qui manus habebat impuras, qui vitio naturæ non articulatè loquebatur, arcebatur a mysteriis, qua de causâ apud [d] Philostratum Sacerdos Cereris Eleusiniæ se initiaturum negat Apollonium, causamque, quòd neget, esse dicit, quòd præstigiator esset; nec in iis, quæ pertinent ad religionem, purus esset. Aliam partem idem auctor esse tradidit τελετῆς παράδοσιν *sacrorum traditionem*; 13
tertiam ἐποψίαν *inspectionem*; quartam ἀνάδεσιν, ϗ̀ στεμμάτων ἐπίθεσιν *capitis religationem, & impositionem coronarum*; ac δᾳδουχίαν *facium* videlicet *gestationem* qua significatur ἱεροφαντία sive *Sacerdotium*; quinctam, quæ quasi fructus habebatur totius negotii εὐδαιμονίαν sive *felicitatem*, qua initia tribui putabantur. De quartâ, & quinctâ parte duo loci afferuntur Apuleii undecimo libro Metamorphoseon, primus hic est: *ac manu dextrâ gerebam flammis adultam facem, & caput decora corona cinxerat palmæ candidæ foliis in modum radiorum prosilientibus*; secundus locus est hic; *ex hinc festivissimum celebravi natale sacrum, & suaves epulas, & faceta convivia; dies etiam tertius pari cæremoniarum ritu celebratus, & spectaculum religiosum, & telete legitima consummatio; paucis dehinc ibidem commoratus diebus inexplicabili voluptate simulacri divini perfruebar, memorabili quippe beneficio pigneratus*. Sed hìc loquitur de felicitate, quæ initiatis, dum viverent, contingebat; Plato autem, qua post mortem ii- 14
dem fruebantur; sic enim loquitur in Phædone ὅτι δὲ ἀμύητος, ϗ̀ ἀτέλεστος εἰς ᾅδυ ἀφίκηται, ἐν βορβόρῳ κείσεται; ὁ δὲ κεκαθαρμένος τε, ϗ̀ τετελεσμένος ἐκεῖσε ἀφικόμενος μετὰ θεῶν οἰκήσει qui locus ita vertitur: *qui non initiatus, expersque sacrorum ad Inferos pervenerit, in cœno jacebit; qui verò purgatus, initiatusque illuc advenerit, cum Diis habitabit*. Sed Plato licet ad mysteria Cereris Eleusiniæ respexerit, tamen hanc felicitatem iis contingere putavit, qui sanctioribus mysteriis Philoso-

phiæ

[a] Senec. Herc. Fur. Act. 3. in Choro. [b] Scholiast. Aristoph. in Plutum. [c] Jul. Poll. libr. 2. [d] Philostrat. in Vitâ Apollonii Tyanei.

phiæ sunt initiati: Athenienses verò apud Diogenem Laërtium, qui persuadere volebant Diogeni Cynico, ut ea sacra susciperet, verè de mysteriis Cereris loquuntur, de quibus [a] Diogenes ad hunc modum scribit, ἀξιούντων Ἀθηναίων αὐτὸν μυηθῆναι, καὶ λεγόντων, ὡς ἐν ᾅδου προεδρίας οἱ μεμυημένοι τυγχάνουσι: γέλοιον, ἔφη, εἰ Ἀγησίλαος, καὶ Ἐπαμινώνδας ἐν τῷ βορβόρῳ διάξουσιν, εὐτελεῖς δέ τινες μεμυημένοι ἐν ταῖς μακάρων νήσοις ἔσονται, hoc est, *Atheniensibus postulantibus, ut initiaretur, & affirmantibus initiatos in honoratiori sede consistere; ridiculum fuerit, inquit, si Agesilaus, & Epaminondas in cœno versabuntur, quidam autem humiles, eo quod initiati fuerint, in beatorum insulis degent.*

DISSERTATIO XL.

In Epigramma ex libro tertio Anthologiæ in Viros non insignes.

Dissertatio Unica.

Qui philosophi lascivos versus factitarint. Platonis ne sint carmina, quæ sub illius nomine circumferuntur, an verò Aristippi, qui primus ea evulgavit. Multis locis poëtarum probatur, quod Amantes fieri se optant ea, quibus utuntur ii, quos diligunt. Poëtæ, & philosophi stellas Cœli oculos appellant, quin & cetera membra Cœlo tribuunt; id autem ex eo duxit originem, quod aliqui philosophi Mundum esse animal, immo Deum crediderunt, & quibus id argumentis probare conarentur. Quid significet fabula, qua proditur Mercurium interfecisse Argum.

NObile inprimis, & a Veteribus celebratum est Epigramma, quod elegantissimè, venustissimèque conscriptum est in adolescentem quendam venustissimâ formâ, qui Stella vocabatur, &, ut [b] Diogenes Laërtius tradit, Astronomiæ studio tenebatur, stellasque frequenter spectabat. Hoc propter insignem elegantiæ, numerorumque suavitatem, quum Græcorum Epigrammata explicaremus vobis, Auditores ornatissimi, subtrahendum non judicavi, est autem hujusmodi 1

Ἀστέρας εἰσαθρεῖς, ἀστὴρ ἐμός; εἴθε γενοίμην
Οὐρανὸς, ὡς πολλοῖς ὄμμασιν εἰς σὲ βλέπω.

Hoc autem distichum ad hunc modum convertit in commentario in [c] Catullum Muretus

Stella meus, stellas dum suspicis, ipse utinam (sim
Cœlum; oculis ut te pluribus aspiciam.

Putat autem [d] Diogenes Laërtius a Platone Philosopho compositum, quod etiam alii complures affirmant, afferuntque carmen ejusdem in eumdem adolescentem, quod perperam a quibusdam cum superiore conjungitur; neque enim hoc patitur argumenti diversitas; nam illud in Stellam stellas aspectantem, hoc in mortuum conscriptum videtur; & se ad hunc habet modum

Ἀστὴρ, πρὶν μὲν ἔλαμπες ἐνὶ ζωοῖσιν Ἑῷος,
Νῦν δὲ θανὼν λάμπεις Ἕσπερος ἐν φθιμένοις

sic autem verti potest

Inter viventes fulgebas Lucifer, idem
Mortuus extinctis Hesperus ipse micas

Marsilius autem Ficinus, qui Platonicam Philosophiam princeps instauravit, constantissimè negat hos amatorios versiculos, qui Platonis nomine circumferuntur, Platonis 2 esse, verùm Aristippi esse contendit, qui quum similem peccandi licentiam sibi dari vellet, optimi cujusque nomine lascivos versus in pueros, & scorta publicavit, ut, quum ipse defensor, assertorque voluptatis libidine arderet, Laidemque nobilem meritricem haberet, magnorum exemplo virorum peccare videretur. Et sanè constat Aristippum hos in libro de luxuriâ Veterum principem evulgasse, ut etiam factos ab eo suspicari possimus. Apulejus [e] autem non alienos arbitratur Sapientis gravitate hujusmodi lusus; nimirum complures alii philosophi tales versus factitasse dicuntur. Quemadmodum [f] Solon gravissimus legumlator, cujus tamen leguntur lascivissima poëmata, & [g] Zeno severissimus philosophorum, & sanctissimæ conditor sectæ ab his lusibus haudquaquam abhorruit, quod etiam de Cynico Diogene traditur. Verumtamen, quoniam multitudo peccantium non minuit delicti turpitudinem, ut a sapientissimis viris præclarè dictum accepimus, rectius opinabitur, si quis cum Gellio 3 [h] sentiet, ipso Apulejo non repugnante, qui lasciviores versus, qui Platoni tribuuntur, a Platone adolescente compositos putat, quum se ad tragœdias scribendas compararet. Etenim etiam Plato tragœdias conscripsit, nec tragœdias modò, verùm etiam Epica poëmata, quemadmodum in variâ Historiâ [i] tradit Ælianus; veruntamen quum sua carmina Homericis contulisset, & deteriora viderentur, consilium abjecit Heroicos versus componendi, & se ad tragœdias contulit, & jam ad certamen poëtarum se se comparabat, quum [l] audito Socrate, & Sirenis illius Atticæ facundiâ, & suavitate captus, ac delenitus tragœdias combussit, & ad philosophiæ studium animum appulit; ab eo igitur nondum philosophiam profitente credibile

[a] Laërt. in Diogene. [b] Laërt. in Plat. [c] Muret. in Catull. Epigr. 7. [d] Diogen. Laërt. ibid. [e] Apul. in Apologiâ. [f] Plut. in Solone. [g] Laërt. in Zeno. & Diogene. [h] Aulus Gell. libr. 19. cap. 11. [i] Ælian. var. hist. libr. 2. cap. 30. [l] Diog. Laërt. in Plat.

dibile est editos versus, qui lasciviores leguntur [a] in Agathonem, in Archianassam, in Dionem, in Xantippen. Ceterum di-
4 stichum, quod nos interpretandum suscepimus, sive a Platone conditum est, sive ab alio quopiam; si minùs Platonis gravitate, cujus tanta modestia fuisse perhibetur, ut nunquam effusiùs riserit, ingenio certè Platonis dignissimum est, utitur autem Poëta sententiâ, qua etiam alii poëtæ sunt usi, quum id se fieri velle dicat, quo suæ deliciæ delectantur; cupit enim Cœlum evadere, quod Stellam Astronomus frequentissimè suspiciebat; sic [b] Ovidius in elegiâ, quæ sic incipit

Anule formosæ digitum vincture puellæ

Anulum se optat fieri, quo puella usura videbatur; sic enim ait

Invideo donis jam miser ipse meis:
O utinam fieri subito mea munera possim
Artibus Ææx, Carpathiique senis

& [c] Anacreon mellitissimus poëtarum ita
5 cecinit

Ἠ Ταντάλυ ποτ᾽ ἔςη
Λίθος Φρυγῶν ἐν ὄχθαις,
Καὶ παῖς ποτ᾽ ὄρνις ἔπτη
Πανδίονος χελιδών.
Ἐγὼ δ᾽ ἔσοπτρον εἴην
Ὅπως ἀεὶ βλέπῃς με

Quæ carmina sic ab Henrico Stephano convertuntur

Nioben stetisse dicunt
Saxum ad fluenta Trojæ,
Pandionisque fertur
Hirundo facta quondam
Novis volasse pennis.
Speculum sed ipse fiam,
Ut usque specter a te.

Et in Anthologiæ libro septimo legitur in eandem fere sententiam Epigramma non inveniustum, quod nos hoc pacto [d] latinè convertimus

Oh utinam ventus fiam, & tu languida ab æstu
Excipias flatus pectore nuda meos;
Oh rosa nativo fiam spectabilis ostro,
Meque geras niveo, blanda puella, sinu;
Oh fiam manibus quæ gestas lilia, possim
Ut satur attactu corporis esse tui.

6 Nec minùs elegans, & usitata translatio est ea, qua utitur Poëta noster, quum Cœlo tribuit oculos, a qua omnis carminis lepor, & acumen Epigrammatis pendet; stellas autem Cœli oculos plurimi dixerunt, eidemque cernendi sensum tribuerunt, ut noster: Manilius [e]

..,... flammæque micantes,
Quæ mundi fecere oculos ......

& Catullus

Aut quàm sidera multa, quum tacet nox,
Furtivos hominum vident amores

& [g] Statius, ubi Achillem puellæ in modum ornatum noctu in agris Deidamiæ pudicitiam eripientem inducit, ita jucundum dicit hoc fuisse spectaculum sideribus, ut etiam riserint

..... risit chorus omnis ab alto
Astrorum, & teneræ rubuerunt cornua lunæ

Sed quid ego poëtas cito? etiam philosophi, aliique scriptores Cœlum oculatum 7
esse voluerunt; & [h] Macrobius quidem non oculatum modò, sed Argum etiam facit, qui ideo fingi dicit a Mercurio Argum interemptum, quod Sol, quem Mercurii nomine vult intelligi, sidera suis radiis obscuret, & Mundi tot oculos extinguat, quot in Argo a Mercurio dicuntur extincti; sed & [i] Plinius Mundi oculos agnoscit libro secundo capite quinto: *inde* inquit *tot stellarum collucentium illos oculos*, & Plutarchus ait: *stellæ, sicut oculi lucentes in Universi facie orbem suum peragunt*. Oraculum verò Nicocreonti Cyprioium Regi redditum non oculos modò, sed etiam cetera membra Mundo tribuit his versibus, ut Lipsius vertit

Sum Deus, & talis, qualem describam ego meipsum;
Cœli arx mi caput est, ventrem dico mare magnum,
Terra pedes, aures ponuntur in aëre puro;
Longè splendentes oculos dic lampada Solis

Quæ poëtarum, Philosophorumque translationes ex eo ductæ sunt, quod animal esse 8
Mundum sapientissimi viri prodiderunt; neque enim solus Mantuanus Poëta dixit [l]

Principio Cœlum, ac Terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore misicet

& [m] Manilius

Hoc opus immensi constructum corpore Mundi,
Membraque naturæ diversâ condita formâ
Aëris, atque ignis, terræ, pelagique jacentis,
Vis animæ divina regit, sacroque meatu
Conspirat Deus, & tacitâ ratione gubernat

Sed etiam præstantissimi philosophorum idem confirmarunt; siquidem [n] Stoici omnes animal esse Mundum, & ratione præditum, & beatum, & ad extremum Deum tradiderunt; ex quo apud [o] Ciceronem irridentur ab Epicureis, quòd Deum rotundum effecerint, quum ipse Epicurus irridendus

dendus

---

a Laert. in Plat. b Ovid. Amor. libr. 2. Eleg. 15. c Anacreon. Od. 20. d Antholog. libr. 7. Epigr. Εἴθ᾽ ἄνεμος γενόμην. e Manil. libr. 5. f Catull. Epigr. 7. g Stat. Achill. libr. 1. ad finem. h Macrob. Saturn. libr. 1. c. 19. i Plin. libr. 2. cap. 5. l Virg. Æn. l. 6. m Manil. Astron. l. 1. n Lact. Firm. l. 2. de orig. Err. c. 6. o Cic. de Nat. Deor.

dendus magis videatur, qui omni actione Deum privarit, perflabilemque, & pellucidum, & humanâ formâ præditum finxerit. Platonici autem & si non summum Deum, quem neque mente comprehendi, neque
9 oculis cerni, neque verbis describi posse censent; tamen secundarium Deum Mundum putant, [a] Plato οὗτος δὴ πᾶς ὄντος ἀεὶ λογισμὸς θεοῦ περὶ τὸν ποτὲ ἐσόμενον θεὸν λογισθεὶς λεῖον, κ) ὁμαλὸν πανταχῇ τε, καὶ ἐκ μέσου ἴσον, κ) ὅλον, κ) τέλεον ἐκ τελέων σωμάτων σῶμα ἐποίησεν, quæ sic a [b] Cicerone convertuntur: *Deus is, qui erat, de aliquando futuro Deo cogitans (de mundo videlicet) levem eum effecit, & undique æquabilem, & a medio ad summum parem, atque absolutum ex absolutis, atque perfectis.* Aristoteles autem, si [c] Plutarchum audimus, Cœlum putavit animatum, terram, & omnia sub Lunâ animâ carentia, nec mirum, quum in his etiam, quæ extant, operibus alicubi Mundum animal vocet, citeturque ejus Auditor Theophrastus, qui hanc sententiam dixerit esse omnium, qui quidem hoc nomine digni fuerunt, philosophorum. Nec verò sine causâ tantus in hac re
10 extitit philosophorum consensus; siquidem credibile est Artificem præstantissimum voluisse Mundum facere præstantissimum; animans autem non animante præstantius; & sic, ut illi volunt, consequens est animantem a Deo effectum esse Mundum; neque enim aliter præstantissimus esse posset. Item cujus partes sunt animatæ, id totum esse animatum necesse est; Mundi verò partes non solùm animatæ, verùm etiam animalia; Mundus igitur animatus. Præterea quærit apud Xenocratem Socrates, unde animam, rationemque hauserimus, si rationis, animæque non sit particeps Mundus; nam quemadmodum, si non esset in Mundo terra, nihil esset in corporibus nostris concretum, atque terrenum, & si non esset in Universo humor, humoribus careremus; eodemque modo, si deesset aër, ducere animam de Cœlo non poss. mus; & si ignis, non esset in nobis calor, quo vita continetur; sic animum, rationemque fuisse nobis defuturam, si eâ Mundus careret; ex quo efficitur animantem esse Mundum, atque intelligentem. Ad hæc absur-
11 dum videtur Philosopho præstantissimo apud [d] Ciceronem existimare brutum hoc elementum, quod terram appellamus, tot generibus animalium esse refertum; in generibus infinitam multitudinem conspici, tam verò facilè terram ex se se gignere corpora, quæ motu cientur interiore, & suo; cœlestem autem naturam, quæ ad vitalem, animalemque spiritum largiendum videtur aptissima, animantibus carere, esse omnino brutam, quum tamen tanta sit animæ, & cœlestium corporum similitudo, ut Stoici nihil aliud esse putaverint animam, quàm cœlestis ignis particulam, e stellisque nostros animos haustos esse, & delibatos; & Heraclitus [e] dixerit animam scintillam esse ex gene sidereo decerptam. Quæ quamquam a verâ longè ratione recedunt, tamen moverunt excellenti sapientiâ viros, ut animâ, atque intelligentiâ præditum crederent Universum. Alii verò longiùs processerunt, & quod Plato repudiaverat, asciverunt, membraque Mundo tribuerunt, in quibus est Poëta noster; non igitur minùs Parnasso dignum, quàm Lyceo, & Academiâ est epigramma, quod enarravimus.

DISSERTATIO XLI.

In Epigramma ex libro primo Anthologiæ de Votis.

Dissertatio Unica.

Recensentur plurimæ poëtarum sententiæ maximè affines philosophorum præceptis. Valetudo, vires, pulchritudo, divitiæ, honores, gloria plurimis nocuerunt, ut exemplis clarissimorum virorum ostenditur; ideo minimè hæc a Deo petenda sunt, sed generatim bona.

Mirum est, quàm multa reperiantur apud poëtas, quæ divinitus dicta, & ex oraculo prolata videantur, quibus hominum vita non minùs ad bene, beatèque vivendum, quàm sapientissimis illis, ac pæne divinis philosophorum præceptis possit erudiri; neque id apud Heroicos tantum, tragicosque poëtas, sed etiam apud comicos, leviorésque licet observare. Præcipiunt philosophi, ut inconstantiam, levitatemque fortunæ, variosque Mortalium 1
casus, humanasque vicissitudines cogitemus, ut nunquam adversa nos opprimant imparatos; ita futurum, ut leviùs doleamus, quum aut in mala inciderimus, aut boni quippiam amiserimus. Inde illa meritò [f] laudata Anaxagoræ vox promanavit, qui quum ei filius mortuus nunciaretur, dixisse fertur, sciebam me genuisse mortalem; at id quàm breviter, & quàm eleganter mimorum præcipit [g] scriptor, quum nos admonet nihil esse tam inopinatum,

O quod

[a] Plat. in Tim. [b] Cic. de Univers. [c] Plut. de plac. phil. l. 2. c. 3. [d] Cic. de Nat. Deor. [e] Macr. in somn. Scip. l. 1. c. 14. [f] Laërt. l. 2. in Anaxagor. Val. Max. l. V. c. 10. Ælian. var. hist. l. 3. c. 2. Plutarch. de irâ cohibend. [g] Publ. Syrus apud Sen. l. de tranquillitate animi cap. XI.

quod cuivis accidere aliquando non possit, quum ait

Cuivis potest accidere, quod cuiquam potest.

Laudat [a] Aristoteles in plerisque mediocritatem, in eaque vitam beatam Peripatetici
2 sitam arbitrantur; non eleganter minùs eandem commendat non [b] Horatius modò, Alcæus Mitylenæus, aliique graviores poëtæ; sed etiam Comicus in [c] Andriâ, quum dicat

..... non injuriâ,
Nam id arbitror apprime in vitâ esse utile,
Ut ne quid nimis .....

Dissentiunt Stoici a Peripateticis, & non mediocritatem affectuum putant, sed vacuitatem consectandam; ad quam pervenire nos posse confirmant, si [d] nihil aut appetamus, aut aversemur eorum, quæ in nostrâ non sunt posita potestate; non minùs utiliter id hominum vitæ quamquam sub levi personâ præcipit [e] Terentius in Andriâ, ubi servum sic inducit herili filio consilium dantem

Quæso ædepol, Carine, quoniam id fieri, quod vis, non potest,
Velis id, quod possit .....

Quo ego dicto omnem statuo sapientiam contineri, nam si homines ea dumtaxat appeterent, quæ consequi nullo negotio possunt, minus penderent a rebus externis, neque toties inanissimâ spe dejecti lugerent & in mærore summo, & calamitate versarentur. Dies me deficiet, si persequi velim dicta etiam leviorum poëtarum, quibus docemur, domitas habere cupiditates, obtemperare rationi, humana contemnere; neque enim in laudatis poëtis laudatarum vocum, & philosophiâ dignissimarum est usquam penuria. Sed inter omnes poëtarum sententias non ultimum locum tenet ea Poëtæ Græci, quæ in Anthologiâ posita est, qua quo pacto Deo optimo maximo preces adhibendæ, & vota facienda sint, admonemur, cujus epigramma nos hodierno die suscepimus illustrandum, quod ad hunc modum se habet [f]

Ζεῦ βασιλεῦ τὰ μὲν ἐσθλὰ ϗ εὐχομένοις, ϗ ἀνεύκτοις
Ἄμμι δίδυ, τὰ δὲ λυγρὰ ϗ εὐχομένων ἀπερύκοις

Quod ita converti latinè potest

Quæ bona sunt, nobis & non poscentibus affer,
Summe Deûm, mala sed quamvis cupientibus arce,

Hujus autem carminis tanta est gravitas, tantumque præclarissimæ sententiæ pondus, ut Plato Philosophorum coryphæus in Alcibiade secundo hujus auctoritate uti non dubitaverit; & ex eo nobilem illum dialogum, qui de voto inscribitur, expresserit. & Theognis gravissimus poëtarum, & ad mores hominum conformandos aptissimus eadem sententiâ [g] utatur his verbis, ubi Deo vota faciens ita loquitur

..... σὺ δὲ μοι κλῦθι, ϗ ἐσθλὰ δίδυ

hoc est

..... tu verò me exaudi, & da bona

Cujus gravitatem sententiæ prudentissima Spartanorum [h] Civitas admirata nunquam a 4
Deo precabatur, neque magnitudinem imperii, neque opes, neque potentiam, neque copias, neque prosperitatem in bellis, neque in pace tranquillitatem, & civium concordiam; sed tantummodo orabat, ut sibi bona cū honestate conjuncta contingerent. Non probabat nimirum gravissima Civitas eorum inscitiam, qui quum se bonorum, malorumque judices satis idoneos arbitrentur, ea petunt a Diis immortalibus, quæ consequuti sæpenumero in summum luctum, & maximas incidunt calamitates, de quibus Juvenalis [i] ita cecinit

Evertêre domos totas optantibus ipsis
Dii faciles; nocitura togâ, nocitura petuntur
Mrbitetû .....

Qui quamvis vulgò haud ita frequentes esse videantur; tamen opinione multo plu- 5
res reperiuntur; neque poëtæ sine causâ finxerunt [l] Theseum, quum a Neptuno impetrasset, ut quidquid voto exposceret, id consequeretur, optasse mortem filii, qua summæ spei adolescentem non minùs animi, quàm corporis pulchritudine excellentem, impudicissimæ novercæ insidiis circumventum amiserit, ac deinde frustra desiderarit, ac summo cum animi dolore luxerit innocantem. Abundat enim exemplis eorum vita, quos vota sua perdiderunt, quibus exitiosum fuit adipisci ea, quæ summopere expetiverant; adeo in difficili sita est bonorum, malorumque cognitio, & in tantâ nos utilium rerum ignoratione versamur, ut & boni specie decepti mala nobis exoptemus, & bona aversemur tanquam mala; quod non tam ingenii culpâ humani evenire credendum est, quàm quod, ut in Ægypto [m] Homericâ permultæ salubres herbæ permixtæ nocentibus fuisse dicuntur; ita in rerum naturâ mala ubique permixta bonis adhærescunt; & quemadmodum in Ægypto non mediocris artis fuit a noxiis herbis distinguere salutares; ita in vitâ summæ prudentiæ est eligere utilia, vitantem contraria; neque enim solùm Deus, ut in Phædone [n] Socrates ait, dolorem, voluptatemque conjunxit, & copulavit, ut alterum sine altero esse non possit, sed omnia etiam,

quæ

---

[a] Aristot. Ethic. ad Nicomach. libr. 2. c. 5. [b] Horat. libr. 2. Od. 10. [c] Ter. Andr. Act. 1. sc. 1. [d] Epictet. Enchirid. cap. 4. [e] Ter. Andr. Act. 2. sc. 1. [f] Anthol. libr. 1. εἰς εὐχὴν Ep. 4. [g] Theogn. in sentent. Elegiac. in princ. [h] Plato in Alcib. 2. [i] Sat. X. in princ. [l] Senec. in Hippol. V. Plut. in Thes. [m] Hom. Odyss. 4. [n] Plat. in Phædone.

quæ commoda videntur, cum incommodis commiscuit, atque confudit, ut secerni difficillimè possint, & separari. Quod enim purum, quod syncerum est in rebus humanis bonum, a quo non tanquam a fonte manent plurimæ sæpenumero calamitates? bona fortunæ persequar, an bona corporis, an utraque simul? utraque enim reperiemus non sine magnâ mercede doloris, & luctus aliquando contingere. Inter bona quippe corporis principatum obtinet vale-
6 tudo; sine qua neque divitiæ expetendæ,
neque exoptanda vita, neque dulces voluptates, neque jucundi amici, neque virtutes ipsæ magno usui esse possint; & tamen ipsa valetudo multis nocuit sæpe, nocetque quotidie; quod licet in omni passim vitâ possit animadverti, neque diligentiùs quærenda sint hujus rei documenta; nescio tamen quo pacto exemplis delector clarorum virorum. Nonne [a] igitur utile fuit Crasso diutino morbo potius implicari, quàm ad Parthicam expeditionem proficisci, in qua visurus esset tot milites suam fidem sequutos a Barbaris trucidatos, ipse verò oppetiturus mortem anteactâ vitâ indignissimam? nonne Pompejo expediebat, quum paulo ante civile bellum in [b] Campaniâ in gravem, periculosumque morbum incidisset, & pro salute ejus vota publicè susciperentur, tamdiu ægrotare, donec illud fatum funestum reipublicæ, ipsi perniciosum transiret? ille verò se millies mori maluisset, quàm aspicere apud [c] Philippos Romani exercitus cladem, & Cæsarem Romanorum cervicibus insultantem, & ad ignotam fidem [d] confugere, & barbaram gentem trepidâ fugâ cum unâ dumtaxat navi petere millenarum olim navium ductorem, piratarumque [e] perniciem, & ad extremum omni ope destitutum, & a quibus minimè decebat, proditum præbere cervicem gladio [f] turpissimi satellitis? Quid [g] Cæsar, nonne si illo die, qui fuit ipsi vitæ supremus, parum commodè valuisset, conjuratorum manus effugisset, & modica invaletudo intentos in ejus jugulum gladios avertisset? possent in eamdem sententiam multa dici; neque enim deest exemplorum copia. Quid corporis vires
7 nonne perniciem multis attulerunt? nonne
virium fiduciâ elatus Milo [h] Crotoniensis a feris laceratus est; & Polydamas [i] obrutus incidentium ruinâ saxorum? Quid pulchritudo animorum domina, blanda conciliatrix amoris, & benevolentiæ, mentium quantumlibet barbararum, severarumque domitrix, quàm multos perdidit? Ob pulchritudinem Troilus ab Achille dicitur [l] interemptus: ob eamdem Ganymedes, quum a Tantalo raperetur, & a suis defenderetur, suorum, & amatoris manibus fertur esse [m] discerptus. Didonem [n] autem quæ causa compulit ad necem, nisi infelix pulchritudo, qua nimiùm Jarbæ Regi placuerat? Eadem exitio fuit [o] Virginiæ, atque Lucretiæ [p] feminis præstantissimis: eadem Silio Romanæ juventutis pulcherrimo: eadem Eliensi [q] Miccæ: eadem [r] Cammæ mulieri apud Galatas formâ præcellenti exitium attulit. Divitiæ autem quàm plurimos Mortales pessumdederunt! Evolve Veterum
monumenta, & hanc fuisse causam reperies, 8
cur innumerabilis hominum turba ab immanissimis tyrannis occideretur: sic [f] Imperator Caligula, sic Domitianus eorum mortem expetebant, quorum opibus inhiabant. Licet eadem de honoribus dicere, licet de rerum gestarum gloriâ, quæ semper multis damnis præstantes viros affecerunt. Sic [t] Athenienses cives utraque re florentes in exilium ejecerunt: sic [u] Tarquinius Superbus filio, sic [x] Periander Thrasybulo præcepit, ut eminentissimum quemque in civitate tolleret. Quapropter Socrates, quum Athenis triginta sævirent tyranni, tenuitati fortunæ suæ gratulari solebat, & Juvenalis prodigio similem esse dixit in nobilitate [y] senectutem

Prodigio par est in nobilitate senectus

Eodem sanè modo exemplis ostendi facillimè possit etiam cetera, quæ Mortales
expetunt, nihil habere solidi, nihil synceri 9
boni, & insidiosa esse fortunæ munera, ac de illis meritò dici posse, quod de inimicorum donis dicit [z] Sophocles

Ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα, κοὐκ ὀνήσιμα.

Jure igitur Poëta præcipit, neque divitias petendas esse, neque valetudinem, neque robur, neque potentiam, neque alia, quæ primi Mortales putant, quum an ea sint nobis profutura, nesciamus, ne mala, & exitium nobis, iisque, quos caros habemus, ignari imprecemur, sed bona esse a Deo votis exoptanda. Ille, cui nihil ignotum est, obscurum nihil, qui scit, quid nobis

 expe-

[a] Appianus in Parth. Plutarch. in Vitâ Crassi L. Florus libr. 3. cap. 11. Justin. libr. 42. circa finem, & Plin. Natural. Hist. libr. 2. cap. 56. [b] Plutarch. in Vitâ Pompeii. [c] Plutarch. in Vitâ M. Bruti. [d] Lucanus libr. 8. Plutarch. in Vitâ Pompeii, & Plin. de viris illustrib cap. 77. [e] Plutarch. in Vitâ Pompeii, & Plin. libr. 7. cap. 25. & de viris illustribus cap. 77. [f] Plutarch. in eod. loc. & Plin. de viris illustrib. ibid. [g] Sueton. in Vitâ Cæsaris c. 82. [h] Pausan. in Eliac. posterioribus. [i] Rhodigin. libr. 13. cap. 36. [l] Lycophron in Alexandr. Virg. Æn. lib. 1 [m] Eustath. Iliad. υ. v. Max. Tyrium serm. 8. in princ. [n] Virg. Æn. 4. [o] Liv. ab V. C. libr. 3. [p] Idem ab V. C. libr. 1. [q] Plut. de virtutibus mulierum. [r] Plutarch. in amatorio circa finem. [f] Suet. in Calig. & Domit. [t] Corn. Nep. in Vitis Imperat. Græc. [u] Liv. ab V. C. l. 1. [x] Aristot. Politic. l. 3. c. 13. quamvis Herodot. l. 5. c. 92. Thrasybulum Periandro hoc consilium dedisse afferat. [y] Juv. Sat. 5. [z] Soph. in Ajace.

expediat, noceatque, si rite ipsi preces adhibuerimus, bona largietur, quum nihil, nisi optimum a summâ bonitate proficiscatur.

DISSERTATIO XLII.

In Epigramma CXCV. Libri primi.

DISSERTATIO UNICA.

Pueri comam alebant, ideo Cirrati, & Capillati dicebantur; antiquitus verò etiam viri barbam, & comam nutriebant; hinc barbatus, & capillatus accipitur pro antiquo; quare disseritur, quando institutum, ut tonderentur, & quando radi ceperint, & quo tempore tonsores e Siciliâ in Italiam venerint. Eodem quidem die comam, & barbam ponebant, quem insigni lætitiâ celebrabant, & plerumque comam alicui Deo vovebant, sed præcipue fluminibus; nequaquam verò eodem die tondebantur, quo togam virilem sumebant, & prætextam deponebant. Lanugo adolescentium plerumque ab Auctoribus flos appellatur, sed ab hoc Poetâ dicitur messis, quia serius adolescentes barbam ponebant; hinc de ætate, qua multi barbam posuerunt, disseritur. Quatuor anni tempestates, quatuor hominis vitæ partibus respondent. Elegia inventa est ad mærorem, luctumque declarandum, & unde hoc nomen deducatur.

MUltos habuere vitę dies Antiqui, quos, & sacrificiis, & insigni lætitiâ celebrarunt; nam & natalem [a] quotannis Genio sacra facientes, & lautissimas epulas amicis exhibentes honorabant, & diem,
1 quo prætextâ depositâ virilem togam sumebant, ingenti gaudio, & celebritate insignire solebant; & eum, quo primùm barbam, comamque tondebant, omni religione sacrum, & cultu celebrem, & hilaritate lætum habuerunt; quæ diei celebritas ex eo duxit originem, quod [b] quum barbæ primitias, & crinium alicui Deo vovere mos esset, eâ [c] luce vota exolvebant, & religione animum liberabant. Accedebat eodem, quod infirmiore ætate jam decursâ ad annos, qui non indigent opis alienæ se pervenisse jam lætabantur; ob eamque causam animi lætitiam omni significatione promendam, declarandamque esse censebant. Hujus autem moris mentio cum apud nonnullos auctores, tum apud Apollonidam Græcum Poëtam, cujus in Anthologiâ extat epigramma, reperitur; quod ad hunc modum se habet

> Ἡδὺ παρηΐδων πρῶτον θέρος ἤματι τούτῳ
> Κείρεο, καὶ γενύων ἠϊθέους ἕλικας,
> Γάϊε, σὺν δὲ πατὴρ χερὶ δέξεται εὐκτὸν ἴουλον
> Λεύκιος, αὐξομένου πουλὺν ἐς ἠέλιον.
> Δωρεῦνται χρυσέοισιν: ἐγὼ δ' ἱλαροῖς ἐλέγοισιν,
> Οὐ γὰρ δὴ πλούτου μοῦσα χερειοτέρη

Quos versus ita sumus interpretati

> *Hac tu luce genis formosæ deme juventæ*
> *Primitias dulces, & juvenile decus.*
> *At pater hoc multos tibi qui florebis in annos,*
> *Excipiet letâ Lucius ipse manu;*
> *Aurea dona dabunt; elegos ego nobile munus,*
> *Pierides vincunt aurea dona Deæ*

Eleganti verò Poëta utitur translatione, quum primam illam adolescentulorum barbam appellat θέρος, quo nomine significatur æstas, & ut auctor est Suidas in eadem voce, 2
fructus quoque, qui æstate percipiuntur, & messis. Eodem planè modo, quo apud Latinos messis accipitur pro æstate, ut Virgilius [d] accepit in hoc versu

> *Ante focum, si frigus erit; si messis, in umbrâ*

Nam quum in quatuor partes hominum vita dividatur, pueritiam videlicet, adolescentiam, ætatem virilem, senectutem, eæ quatuor partes, quatuor anni temporibus aptissimè comparantur. Veri quippe quàm simillima pueritia est; ut enim ver humore affluit, & calore moderato fovetur, ita puerorum ætas utraque vi abundat; & sicut omnia vere sunt immatura, & tamen declarant, ostenduntque spem futuri proventus; ita in pueris omnia sunt inchoata; & tamen in illo ætatis flore plerumque apparet, quinam sint in aliis ætatibus ingenii, prudentiæ, virtutis fructus proventuri. Veris autem amœnitas, & pulchritudo, & lætitia anni quasi renascentis nonne similitudinem refert ejus ætatis, quæ omni suavitate, & lepore condita est, & pulchritudine antecellit, & omni hilaritate refertissima est? Ardor verò juventutis nonne æstati flagrantissimæ meritò comparatur? tunc enim non 3
modò flores, verùm etiam fruges, & fructus incipiunt apparere, & assequi quandam maturitatem. At virilis ætas ardore adolescentiæ jam refrigerato, gloriæ, virium, virtutis assequuta maturitatem, similis autumno videtur. Nec minùs est hiemi senectus conferenda, quum omnium ætatum tristissima habeatur, & insito a naturâ calore destituta, & aliis super alios oppressa morbis, & curis confecta, hiberni Cœli tristitiam, imbresque, & nubes imitetur. Quum igitur adolescentia æstatis præseferat similitudinem, Poëta non absurdè primam adolescentium barbam messem appellavit; nam

[a] Tibull. l. 2. El. 2. & Censorin. de die Nat. [b] Cæl. Rhod. l. 7. cap. 23. [c] Dio libr. 48. & Sueton. in Ner. c. 12. & Tertull. de Animâ, & Censorin. de die Nat. cap. 1. [d] Virg. Ecl. V.

nam ut messis æstatis initio adulta esse incipit; ita principio juventutis adolescit in viris barba index sexus fortioris. Alii poë-
4 tæ lanuginem, qua adolescentium genæ vestiuntur, florem solent appellare; ita Virgilius [a] dixit

Tum mihi prima genas vestibat flore juventa

& Poëta non ignobilis

..... primo vix flore genarum
Conspicuus .....

Utuntur & alii scriptores hac translatione; Herodianus [b] ἰυλοῖτε αὐτῷ κατιόντες ταῖς παρειαῖς ἐπήνθει idest: *lanugo genis proserpens florescebat*: & [c] Macrobius: *post ter septenos an-*
5 *nos genas flore vestit juventus*. Sed Poëta noster maluit messem, quàm florem dicere; propterea quod serius adolescentes barbam solebant ponere. Siquidem [d] Augustus vigesimo quincto demum ætatis anno rasisse barbam dicitur, Nero [e] vigesimo primo, Caligula [f] vigesimo, & adolescentes aluisse barbam [g] constat ex nonnullis locis Ciceronis; Itaque quum barba illa, quæ juvenibus tondebatur, non esset flos ille lanuginis; quo primulum epheborum genæ convestiuntur, immo potius tenuiter adumbrantur, de quo Ovidius

Quid mirum, si me primæ lanuginis ætas
Abstulit; atque anni, quos vir amare potest?

sed adultior, & hirsutior barba, maluit Poëta messis uti, quam floris vocabulo, quod jucundius videbatur, præsertim quum de eâ resecandâ ageretur, & quasi demetendâ. Quapropter, quum θέρος, idest *messem* bar-
6 bam dixisset, usus est verbo κείρειν, quod tam metere, quam tondere significat; quamvis eo tempore barbam plerumque Romani raderent, ut intelligi potest ex Dione libro quadragesimo octavo, qui de Augusto primùm barbam ponente sic ait ἀμέλει τὸν πώγωνα ὁ Καῖσαρ τότε πρῶτον ξυράμενος, αὐτός τε μεγάλως ἑώρτασε, καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασι δημοτελῆ ἑορτὴν παρέσχε, hoc est: *Cæsar tum primum barbam radens, & ipse diem eum planè festum habuit, & aliis publicè festum indixit*: nec verisimile est alio modo juvenes primæ barbæ, alio viros esse detonsos; viros certum est consuevisse radi, initio ejus rei orto ab Africano Scipione, qui teste Plinio [h] radi primus instituit. Antiquitus Romani barbam aluerunt, & [i] tonsoribus omnino caruere; ideo scriptores priscos illos homines barbatos vocant; Juvenalis [l] de Tarquinio Superbo sic ait

facile est barbato imponere Regi

& Cicero in oratione pro Murena *Hæc jam tum apud barbatos illos ridicula credo videbantur*, & in oratione pro Cœlio: *aliquis mihi ab Inferis excitandus est ex barbatis illis non hac barbulâ, qua ista delectatur; sed illâ horridâ, quam in statuis antiquis, & imaginibus videmus*; quadringentesimo [m] quinquagesimo quarto demum ab urbe conditâ anno tonsores in Italiam e Siciliâ venerunt; nec tamen radi solitos arbitror priscos illos Romanos initio, sed tonderi. Nam & in Græ-
ciâ [n] quum tonsores haud dubiè fuerint antiquiores, ætate demum Alexandri Magni est institutum, ut viri raderentur; antea id probro ducebatur. Quocirca quum Diogenes [o] Cynicus juvenem conspexisset equo insidentem, rasâ barbâ, unguento delibutum, diu se dixit dubitasse, quid esset Hippopornus; sed tum demum invenisse: idemque Philosophus alium quum videret mento deraso, levemque; numquid, inquit, naturam accusas, quòd ea non te mulierem, sed virum fecerit? & in Cretâ lex [p] fuit, quæ barbam radere prohibebat, quæ tamen adeo tacito omnium consensu est antiquata, ut ejus criminis integer accusator non reperiretur; & [q] Byzantii non licebat tonsoribus habere novaculam. Eodem modo crediderim principio turpe Romanos putasse radi, consequutis deinde temporibus, longo intervallo, id passim nobilibus viris usurpatum, ut [r] Gellius animadvertit. Quare verbum κείρειν, quo Poëta utitur potiùs messis convenit vocabulo, quum propriè usurpatum est; neque enim κείρεσθαι, sed ξύρεσθαι nobiles adolescentes solebant. Nisi forte
post Hadriani Cæsaris tempora id epigram- 8
ma conscriptum est, qui Cæsarum primus barbam dicitur [s] aluisse, quo auctore potuit hispidis genis honos accessisse, & turpe, & effeminatum videri viros omnino leves, & glabros aspici. Itaque [t] Gellius miratur antiquitus homines haudquaquam adolescentes barbam radere consuevisse; & Clemens [u] Alexandrinus affirmat barbam vel nutriendam, vel tondendam esse, non radendam. Quod præceptum contempsit Constantius Imperator, qui, ut loquitur Ammianus Marcellinus, molli capillo, rasis assiduè genis lucentibus ad decorem erat; &, ut quibusdam videtur, Theodosius, si verum est, [x] quod Aurelius Victor memoriæ prodidit, evulsis pilis genas, mentumque solitum levigare. Sequitur carmen, quo Poëta noster dicit Patrem filii lanuginem manu excepturum;

quò

[a] Virg. Æn. 8. [b] Herodianus libr. 1. de Commodo. [c] Macrob. libr. 1. cap. 6. in somn. Scip. [d] Colligitur ex Dione l. 48. anni ab V. C. 715. vide Just. Lipsium in comment. ad 14. libr. Ann. Corn. Tac. paulò post initium. [e] Sueton. in Neron. cap. 12. & Lipsius ibidem. [f] Sueton. in Caligulâ cap. 10. [g] Cicer. Orat. de lege agraria, & pro M. Cœlio, & libr. 1. ad Atticum. [h] Plin. libr. 8. c. 59. [i] Varro de Re rust. l. 2. c. 11. [l] Juv. Sat. 4. [m] Pl. l. 8. c. 59. & Varro de Re rust. libr. 2. cap. 11. [n] Chrysippus apud Athen. libr. 13. c. 2. [o] Laërt. in Diog. [p] Chrysippus de honesto, & voluptate apud Athen. libr. 13. cap. 2. [q] Idem ib. [r] Gell. libr. 3. cap. 4. [s] Ælius Spartian. in Vitâ Hadrian. [t] A. Gell. libr. 3. cap. 4. [u] Clem. in Pædagogo libr. 3. cap. 3. [x] Sex. Aur. Victor. in Epitome.

quò pertinet id, quod a [a] Suetonio in vi-
tâ Neronis narratur: quum ad amitam æ-
grotam invisendam venisset Nero, eam ju-
9 venis lanuginam demulcentem dixisse: quũ
hanc excepero, mori volo. Ex quo Sue-
tonii loco constat parentes, & cognatos
adolescentium, qui barbam, capillumque
ponebant, eum manu excepisse, quod si-
gnificatur hoc carmina, in quo lanugo il-
la juvenilis εὐκτὸς; idest *optata* appellatur:
ad eumdem modum [b] Statius dixit

Atque genis optatas honos, jurataque multum
Barba tibi......

Solent enim & pueri optare sibi annos fir-
miores, & parentes cupere, ut filii ex ephe-
bis excedant; ideo [c] Divus Augustinus me-
morat suum patrem, quum in se indicia
pubertatis conspexisset, mirificè esse læta-
tum. In ultimo verò disticho Poëta ait *ἀω-
ρεύντοι χρυσέων* propterea quod principibus
viris esset in more positum primam barbam,
10 capillumque auro inclusum dedicare; ita
Nero [d] barbam in auream pyxidem pretio-
sissimis margaritis ornatam condidit: ita
Statius [e] Earini comam inclusam auro esse
tradit in his carminibus

Ite comæ, facilemque, precor, transcurrite
Pontum,
Ite coronato recubantes molliter auro

Se verò non aurum dicit, sed hilares ele-
gos esse donaturum; neque enim auro vi-
liorem esse Musam; ubi non sine causâ, &
argutè se se affirmat hilares elegos esse obla-
turum, ne lugere videatur, quod erat læti-
tiâ maximâ celebrandum. Nam elegiacum
carmen inventum ad mærorem, luctumque
declarandum; idcirco cecinit Ovidius

Flendus amor meus est, elegeja flebile carmen

& [f] Horatius

Albi ne doleas plus nimio memor
Immitis Glyceræ, neu miserabiles
Decantes elegos.....

Atque elegiam nonnulli ferunt *ἀπὸ τοῦ εὐ-
λογεῖν τοὺς τεθνηκότας* a *celebrandis defunctis* ap-
11 pellatam; quam sententiam sequitur [g] Pro-
clus, cujus hæc verba citat Photius in Bi-
bliothecâ *τὸ γὰρ θρῆνος ἔλεγον ἐκάλουν οἱ παλαιοί,
καὶ τοὺς τετελευτηκότας δι' αὐτοῦ εὐλόγουν* hoc est:
*nam lamentationem elegum veteres appellabant,
& per ipsum defunctos celebrabant*: alii *παρὰ
τὸ ἔλεος* dictum esse malunt, quòd eo carmi-
nis genere mortuos miserabantur: alii de-
nique *παρὰ τὸ ἒ ἒ λέγειν*: certè constat a lu-
ctu nominatam, quò respicit his versibus
Ovidius [h]

Flebilis indignos elegeja solve capillos;
Ah nimis ex vero nunc tibi nomen erit

Quapropter Sidonius Apollinaris libro se-
ptimo epistolâ decima septimâ luctuosa car-
mina elegos vocat. Quum igitur elegia la-
mentis accomodatum carmen habeatur, be-
ne Poëta nos admonet elegos etiam esse læ-
tos, ne rem lætissimam luctuoso carminis
genere prosequi videatur. Nam quum dies
ille, quo [i] primitias barbæ ponebant, non
solùm afflueret lætitiâ, sed votis etiam, &
precationibus Deorum, & sacris celebrare-
tur, absurdè faceret, siquis gaudio domus
aliquid funestum immisceret, & sacrificiis
Dei, cui votus jam crinis, & barba dedi-
cabatur, lugubre carmen inferret. Qui mos
Deo pascendi [l] sacram comam ab heroicis 12
usque ductus est temporibus, & primùm
quidem omnibus fere crinem, barbamque
consecrabant; siquidem [m] Achilles fluvio
Sperchio vovisse comam dicitur; quam quũ
videret propter imminentem mortem fore,
ut dedicare non posset, in Patrocli funere
reciderit; & Mamnon Auroræ filius voti-
vam comam Nilo consecravit. Quod non-
nullâ ratione est institutum; nam [n] fluvio-
rum humida natura cum vitæ, tum crini-
bus alendis apta videbatur. Neque id per-
petuum, Theseus [o] enim instituit, ut ado-
lescentes Delphos profecti comam Apolli-
ni dedicarent; & [p] Sicyone Virgines Hy-
giæ, quæ Dea sanitatis est, comam deton-
debant; & Ambraciæ capillum puerilem A-
pollini offerebant; & Euripides Hippolytó
testatur Virgines Trœzenias Hippolyto co-
mam solitas consecrare; & Romæ capilla-
tam, vel capillarem arborem dictam tradi- 13
derunt; ex qua resectas Epheborum comas
alicui sacras numini suspendebant; & Vir-
ginum [q] Vestalium capillus ad loton arbo-
rem deferebatur: Earini [r] comam Æscu-
lapio missam testatur his verbis Martialis

Consilium formæ speculum, dulcesque capillos
Pergameo misit dona sacrata Deo

idemque significat alio [s] in loco ad hunc
modum

Latonæ venerande nepos, qui mitibus herbis
Parcarum exoras pensa, brevesque colos;
Hos tibi laudatos dominorum voce capillos
Ille tuus Latiâ misit ab urbe puer

Nero verò Capitolino Jovi primitias bar-
bæ, crinesque dedicavit; sed plerique A-
pollinem [u] eo munere afficiebant, quia is 14
Deus imberbis fingebatur, & comæ pul-
chri-

---

[a] Sueton. in Nerone cap. 34. [b] Statius Sylv. libr. 2. Epic. in Glauciam Melioris. [c] Div. August. libr. 2. cap. 3. Confess. [d] Sueton. in Vitâ Neron. cap. 12. [e] Stat. Sylv. libr. 3. Sylv. 4. in princip. [f] Horat. libr. 1. Od. 33. [g] Photius in Bibliothecâ in excerptis Chrestomathiæ Procli. [h] Ovid. libr. 3. Amor. Eleg. 8. [i] V. Supra in princip. hujus Dissertat. [l] Cæl. Rhodigin. libr. 7. cap. 22. [m] Hom. Iliad. ψ. [n] Cæl. Rhodigin. libr. 7. cap. 22. [o] V. Plut. in Thes. [p] Pausan. Corinthiac. sive libr. 2. [q] Plin. libr. 16. cap. 44. [r] Martial. libr. 9. Epigr. 17. [s] Martial. libr. 9. Epigr. 18. [t] Sueton. in Neron. cap. 12. [u] Cæl. Rhodigin. libr. 7. cap. 23.

chritudine gloriari putebatur, id indicat hoc epigrammate [a] Martialis

Has tibi, Phœbe, voves totas a vertice crines
Encolpus domini centurionis amor:
Grata Pudens meriti tulerit quum præmia pili,
Quàm primùm longas, Phœbe, recide comas

& in Anthologiâ Epigramma [b]

Ὄρπον ἀνθήσαντας ὑπὸ κροτάφοισιν ἰούλους
Κειράμενος γενύων ἄρσενας ἀγγελίας
Φοίβῳ θῆκε Λύκων πρῶτον γέρας.....

Nec verò solùm Diis barba, & coma, sed etiam victimæ, & liba sacrabantur [c] Juvenalis

Ille metit barbam, crinem hic deponit amati,
Plena domus libis venalibus....

& [d] Nero votivam Jovi posuit barbam inter Buthysiæ apparatum, quum gymnici agones celebrarentur; quin & Juvenalia [e] ludos eadem de causâ dicitur edidisse. Sed ut juvenes, qui ex ephebis excedebant,
15 Deos his muneribus colebant; sic a clientibus, & servis aliis donis colebantur, quod significare videtur [f] Juvenalis in loco, quem citavimus, ubi quum celebritatem descripsisset domus, in qua servus domino ætatis flore dilectus primam barbam, crinemque resecaret, hæc addidit.

...præstare tributa clientes
Cogimur, & cultis augere peculia servis

Atque huc fortasse respicit epigramma, quod explicandum suscepimus his verbis

Δωρεῦνται χρυσέοισιν, ἐγὼ δ' ἱλαροῖς ἐλέγοισιν

Sanè quotiescumque dies illuxisset, qui esset domino lætior, servos cogi solitos eum colere donis, testis est [g] Terentius in Phormione, sic enim loquitur

Nam Herilem filium ejus duxisse audio
Uxorem; ei credo munus hoc corraditur,
Quàm iniquè comparatum est; ij, qui minus habent,
Ut semper aliquid addant divitioribus?
Quod ille unciatim vix demenso de suo
Suum defrudans genium comparsit miser,
Id illa universum abripiet, haud existimans
Quanto labore partum, porrò autem Geta
Ferietur alio munere, ubi hera pepererit.
Porrò autem alio, ubi erit puero natalis dies,
Ubi initiabunt, omne hoc mater auferet.

Eodem autem die, quo barbam resecabant,
16 capillos etiam primùm tondebant; idcirco Statius [h], quum Earinum a Domitiano uniceè dilectum puerum cæsariem totondisse dixisset, & barbam positurum fuisse confirmat eodem tempore; nisi nondum latâ lege, qua pueri execari vetabantur, virilitas adempta fuisset adolescenti. Pueri verò comam nutriebant; idcirco [i] Persius pueros Cirratos dicit hoc versu

Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendas?....

alludit & [l] Tibullus, qui sic ait

Solis æterna est Phœbo, Bacchoque juventa;
Nam decet intonsus crinis utrumque Deum

& [m] Martialis his versibus

Ludi Magister parce simplici turbæ;
Sic te frequentes audiant capillati

Quod antiquitus etiam viris fuit commune; illis enim temporibus ut barbam, ita capillum minimè tondebant, quò fortasse 17
respexit [n] Juvenalis hoc versu

Ipse capillato diffusum consule potat,
Calcatamque tenet bellis socialibus uvam

Dies verò ponendæ barbæ non fuit idem, atque sumendæ virilis togæ; siquidem Macrobius testatur liberam togam sumi solitam decimo septimo ætatis anno, prætextamque deponi, quod tamen non semper est usurpatum. Nam [o] Julius Cæsar circiter annum decimum sextum deposuisse prætextam videtur; & [p] Augustus decimo sexto, & Antoninus [q] Philosophus decimo quincto, & Caligula [r] vigesimo; in quo fuit illud peculiare, quod eodem die & prætextam posuit, & comam, & barbam; sed alii multis annis priùs virilem togam sumebant, quàm barbam resecarent, ut ex exemplis allatis intelligi potest.

DIS-

[a] Martial. libr. 1. Epigramm. 32. [b] Antholog. libr. 6. ἀπὸ νίων Epigr. 4. [c] Juv. Satyr. 3. [d] Sueton. in Nerone cap. 12. [e] Rosin. antiq. roman. libr. 5. cap. 22. [f] Juv. ibid. [g] Ter. Phorm. Act. 1. Sc. 1. [h] Stat. Sylva 4. libr. 3. Sylvarum. [i] Persius Satyr. prim. v. 29. [l] Tibull. libr. 1. El. 4. ad Priapum. [m] Martial. libr. 10. Epigr. 62. [n] Juvenal. Satyr. V. [o] Ex Sueton. in Vitâ Cæsaris cap. prim. [p] Ex Sueton. in Vitâ Augusti cap. 8. [q] Jul. Capitolinus in Vitâ Antonini Philosophi. [r] Sueton. in Vitâ Caligul. cap. 10.

DISSERTATIO XLIII.

undecimum Epigramma Libri III. Anthologiæ.

Dissertatio Unica.

Terra est omnium parens; ideo appellatur Mater, & omniparens; ipsamque & marem, & feminam esse prodiderunt; quare a vi femininâ dicta est Tellus, Tellumo verò a vi masculinâ. Est autem eadem, ac Rhea, seu Opis, & Vesta, atque Venus. Terram Mortuis injiciebant Veteres, ne ejus ventis disflaretur, sed eam ipsis levem esse precabantur; arbitrabantur enim aliquid incommodi accessurum Defunctis, si terrâ vehementiùs premerentur; quin etiam animum utpote igneâ naturâ constantem ruinæ impetu dissipari posse putabant.

Quoniam de Sepulcris Veterum Sermonem instituimus, & pleraque nuper complecti conati sumus, quæ ad eam Anthologiæ partem illustrandam pertinerent, quæ Sepulcrorum continet inscriptiones, non omittendum videtur elegans in primis Epigramma, quod in Lysigenem defunctum argutè conscriptum est, & duobus lepidissimis versibus est absolutum hoc modo

> Παμμῆτορ γῆ, χαῖρε, σὺ τὸν πάρος οὐ βαρὺν εἰς σὲ
> Λυσιγένην, καὐτὴ νῦν ἐπέχοις ἀβαρής.

Sic autem latinè convertitur

> *Omniparens, tibi quando gravis non extitit ante,*
> *Lysigenæ, tellus, nunc levis esse velis*

Appellat autem Poëta terram παμμήτειρα,
1 quod *omniparentem* dixerunt Latini; Virgilius in sexto Æneidos libro

> *Nec non & Tityon terræ omniparentis alumnum*
> *Cernere erat, cui tota novem per jugera corpus*
> *Porrigitur......*

& Lucretius libro sexto de rerum naturâ terram appellat his verbis:

> *Omniparens, eadem rerum commune Sepulcrum*

Frequentissimè verò poëtæ tam Græci, quàm Latini terram parentem vocant: Euripides

> Ω γαῖα μητὲρ, ἡλίου τ' ἀναπτυχαὶ,

& [a] Virgilius

> *Illam terra parens irâ irritata Deorum*
> *Extremam, ut perhibent, Cœo, Enceladoque sororem*
> *Progenuit......*

& incertus auctor Gigantomachiæ

> *Terra parens quondam cælestibus invida regnis*

Quin & Rheam, quam Opem Latini dicunt, omnium Deorum parentem eamdem, at- 2
que [b] terram esse confirmant. Qua de causâ [c] illam turribus fingunt redimitam, quòd terra innumeris oppidis, & turribus ornetur ubique, & quasi coronetur. Atque hoc est, cur in sacris, ut [d] Macrobius testatur, magna mater tellus vocaretur; quò respexit [e] Ovidius, quum dixit

> *Ossaque post tergus magnæ jactate parentis;*

ubi ossa magnæ parentis dicuntur esse lapides, quos Deucalion, & Pyrrha jactare post tergum jubentur; ideo qui ludi in honorem Cybeles [f], vel Rheæ sunt instituti Megalesis dicebantur. Nam Rhea alma 1
parens appellabatur [g] Virgilio teste, qui sic cecinit

> *Alma parens Idæa Deûm ......*

Sed & quum dicunt Matrem, eamdem intelligunt: Catullus in Atty

> *.......tua, mater, initia ......*

Unde μητραγύρται apud [h] Dionysium Halicarnasseum appellantur hi, qui in honorem matris Deûm stipem colligebant. Quum autem poëtæ magnam matrem terram nomi- 3
narint, ipsam in splendidum matrimonium sanè collocarunt; nam [i] ei ætherem conjugem tribuerunt; quapropter Statius [l] ita cecinit

> *..... ipsum in connubia terræ*
> *Æthera, quum pluviis rarescunt nubila, solvo.*

Quod elegantiùs dixerat [m] Virgilius

> *Tunc pater omnipotens fecundis imbribus Æther*
> *Conjugis in gremium lætè descendit, & omnes*
> *Magnus alit magno permixtus corpore fetus*

& Euripides in jucundissimis illis carminibus, quorum initium est

> Ἐρᾷ μὲν ἁγνὸς οὐρανὸς τρῶσαι χθόνα

Et sanè, ut constat ex Hygini fabulis, multos filios ex hoc conjugio natos esse tradiderunt; natum esse dolorem, dolum, iram, luctum, mendacium, jusjurandum, ultionem, intemperantiam, altercationem, socordiam, timorem, oblivionem, egestatem, pugnam, Oceanum, Themidem, Tartarum, Pontum, Titanes, Briareum, Gygem, Steropem, Atlantem, Polum, Hyperionem. Satur-

---

a Virgil. Æneid libr. IV. b Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 10. c Lucret. libr. II. de Natur. rer. Servius ad libr. 3. Æneid. v. 113. & ad libr. 10. v. 254., & ipse Virgil. eod. loco Claud. in libr. 2. in Eutropium, & libr. 3. de laudib. Stilich. & Fulgent. libr. 3. Mythologic. d Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 10. e Ovid. Metamorph. libr. 1. v. 383. f T. Livius libr. 29. g Virgil. Æn. libr. X. h Dionys. Halicarn. Antiq. Rom. libr. 2. cap. 19. i Homer. in hymn. 29. v 17. in Matrem, Hesiod. in Theogon. l Statius Sylvar. libr. 1. Epithalam. Stellæ &c. m Virg. Georgic. libr. 2.

Saturnum, Opem, Monetam, Dionen, furias. Atque ex eo, quòd hæ nuptiæ Ætheris, & Terræ nobilissimæ viderentur, factum est, ut præesse nuptiis Cœlum, & Tellus putaretur. Idcireo, sicut Proclus in Timæum refert, Atheniensium legibus est institutum, ut antequam nuptiæ fierent, Cœlo, Terræque nupturi sacrificarent, quod *προτελεῖν τοὺς γάμους* dicebatur. Sed quid ego
5 poëtas cito? etiam Philosophi terram rerum matrem esse voluerunt; nam ut omittam Xenophanem, qui duo principia fecit Universi, terram, & aquam, [a] tribuens, ut opinor, aquæ movendi vim, terræ suscipiendi facultatem; quod est munus proprium matris; Aristoteles [b], & Cicero Terram, & Aquam feminæ loco esse putaverunt, aërem, & ignem maris. Atque ego eodem suspicor pertinere, quod [c] Parmenides ait, antequam hic Universi admirabilis ornatus existeret, omnium primum Amorem, ac deinde Terrâ esse procreatam; Amorem videlicet tanquam causam effectricem, movendique principium; Terram verò tanquam materiam Amori subjectam, ex qua omnia gignerentur. Neque abhorret ab hoc loco sententia [d] Stoicorum, qui Terram omnium antiquissimam faciunt; neque enim omnium mater esse posset; nisi esset
6 antiquissima. Tradunt autem apud [e] Stobæum præclari sapientiæ auctores Deum a Terrâ Universi fabricam incepisse tanquam a centro; principium quippe sphæræ esse centrum; nec Plato dissentit in Timæo, qui tradit Mundi architectum ignem, & terram principes procreasse. Atque hanc ego arbitror esse causam, cur Antiqui Vestam tanquam vetustissimam Deorum venerarentur; & ipsi ante omnes Deos rem divinam facerent, quod [f] Homerus in Hymnis non siluit, qui sic ait

...... πρώτῃ
Ἑστίῃ ἀρχόμενος σπένδει μελιηδέα οἶνον

hoc est

...... primæ
Incipiens Vestæ delibat dulcia vina

Quò Plato etiam respexit in Cratylo, qui sic loquitur *ἀφ' Ἑστίας ἀρχώμεθα κατὰ τὸν νόμον: exordiamur a Vestâ, sicuti lex jubet:* Virgilius autem omnis philosophiæ peritissimus, hanc Terræ vetustatem notat, quum [g] Vestam canam appellat his verbis

7 *Assaracique larem, & canæ penetralia Vestæ*

Canam videlicet appellavit, quia antiquissima est, & ex eâ omnia duxerunt originem, ex eaque sunt omnia procreata. Est Vesta igitur [h] Tellus, & Tellus antiquissima Deorum, quia omnium mater; quapropter & Venerem eandem esse dixerunt, ut [i] Macrobius testatur, qui partem superiorem Orbis terrarum habitam esse Venerem scriptum reliquit; ideo Veneris, & Vestæ numen quidam confuderunt, quod Beatus [l] Augustinus indignatur, quia quum nihil sine Venere procreetur, meritò Terram, a qua sint omnia, tanquam a communi parente procreata, Venerem esse voluerunt; nam omnia sine Venere gigni non poterant, nec alia esse Venus antiquior Terrâ, quæ est omnium rerum vetustissima; quin etiam, ut magis exprimerent hanc Terræ fecunditatem, facultatemque cuncta procreandi, ipsam & marem, & feminam esse prodiderunt, & duobus diversis nominibus Tellumonem, & Tellurem appellarunt, quod Varro doctissimus Romanorum apud Augustinum libro septimo de Civitate Dei capite vigesimo tertio scribit his verbis: *una eadem Terra habet geminam vim; & masculinam, quòd semina producat, & femininam, quod recipiat, atque nutriat; unde a vi femininâ dicta est Tellus; a vi masculinâ Tellumo,* non igitur sine causâ Poëta noster Terram *παμμήτορα* hoc est *omniparentem* nuncupavit.
Quod si quis absurdum existimet Terram 8
omnium matrem appellare; at hominum, & animalium communem quandam parentem fateatur necesse est. Nam quamquam Phœnicum, Ægyptiorumque penitus explodenda sententia est, quos [m] Porphyrius tradit affirmasse cum homines, tum ceteras animantes nullo semine, suâ tantum sponte e Terræ visceribus extitisse; reprehenditurque jure Arabum princeps Avicenna, qui in libro de diluviis hoc idem temerè confirmavit; tamen consensum philosophorum spectanctibus e Terrâ quodammodo genitos homines nobis apparebit. Colligit Justus Lipsius varias de hominis ortu Sapientum opiniones in libris de Physiologiâ Stoicorum, quæ nos originem nostram Terræ magnâ ex parte debere confirmant, quod etiam vulgus comprobavit; unde enim factum est, ut ii, quorum parentes ignorarentur, terræ filii dicerentur; 9
quod ex hoc Persii [n] loco intelligi potest

...... presto mihi Manius heres
Progenies terræ; quære ex me, quis mihi quartus
Sit pater, haud promptè dicam, tamen adde etiam unum,
Unum etiam, Terræ est jam filius ....

& ex Minutio [o] Felice, qui Saturnum tradit, quum fugatus esset a filio, in Italiamque venisset, Cœli filium dictum, quòd soleamus

P mus

[a] V. Plutarch. l. 1. de Placit. Philos. c. 6. [b] Arist. Meteor. l. 4. c. 5. V. Senec. natur. quæst. l. 3. c. 14. [c] Plato in Sympos. & Plut. in amator. [d] Plat. in Timæo, & Cæl. Rhod. libr. 1. c. 4. [e] Stob. in Ecl. Phys. [f] Hom. in hymn. in Vestam, & Merc. v. 6. [g] Virg. Æn. l. 9. & l. 5. [h] D. Aug. de Civ. Dei l. 7. c. 14. & Varro l. 4. de ling. latin. & Cæl. Rhod. l. 1. c. 21. [i] Macr. Sat. l. 1. c. 21. [l] Aug de Civ. Dei ib. [m] V. Porphyr. de abst. an. & Plat. in Menex. [n] Pers. Sat. 6. [o] Min. Fel. in Octavio

mus eos, quorum virtutem miremur, ad quos repentino advenerint, Cœlo[a] cecidisse dicere; Terræ autem, quòd ignotis patibus natos Terræ filios[b] nominemus. Unde, inquam, factum, ut ignobili genere ho-
10 mines, Terrâ editi viderentur; nisi quod primos illos homines ex eadem genitos existimabant; ac proinde Terram omnium parenrentem habendam esse censuerunt? Nec verò nos Terra genuit; sed non aluit, non fovit, non instruxit, non ornavit? Sed tot rerum genera quotidie fundit ex se se, procreatque, partim ad vitæ necessarios usus, partim ad corporum salubritatem, morborumque medicinam, partim etiam ad delicias hominum, & voluptates, ut studiosorum ætates longissimas conteri videamus in investigandis, enarrandisque naturis, & potestatibus earum. Quis enim percensere valeat tot herbarum, fruticum, lapidum, plantarumque innumerabiles usus, facultatesque mirabiles? quis tot lapidum multitudinem, gemmarumque varietatem, quibus ad medicinam utimur corporis, vel ad luxum, atque ornamentum? quis animantium tot, ac tam varia genera, quorum pellibus tegimur, vel villis, lanaque vestimur, vel lacte, & carnibus jucundissimè vescimur? Adde odorum suavitates, adde colorum va-
11 rias jucunditates, adde saporum miras dulcedines, adde avium musicos cantus, adde florum amœnitates; jam communem hanc matrem non modò usibus, & saluti nostræ consuluisse fateberis; verùm etiam delectationi. Jam illa quàm jucunda, quàm obvia nobis passim exhibet Terra spectacula, fontium gelidas perennitates, tranquillos fluminum lapsus, pratorum viriditates, sylvarum opacitates, latitudines camporum, altitudines montium, vallium profunditates, speluncarum abditos recessus, solitudinum desertas vastitates, saxa, rupes, omnium rerum admirabilem varietatem. Mitto, quod ea sola nascentes nos excipit, fovet, educat, nutrit; quod in Universi meditullio sita nobis tutissimam sedem præbet; quod ventos ex se gignit, quibus aër perflatur, salubriorque redditur, & pluviæ, & serenitates efficiuntur; quod ferro lacerata, & altiùs etiam perfossa, dum metalla scrutamur, injurias beneficiis compensat, fruges, & divitias Mortalibus profundendo; hæc eadem fato defunctos materno sinu recipit, & a ferarum laniatu piè defendit; & ita amplectitur, ut nihil aliis rebus debeamus.
12 Quapropter hujus unius numen, tanquam solum nobis post fata propitium, placatum, & non grave precabantur Antiqui, cujus exemplum rei est in epigrammate, quod enarramus; orat enim terram Poëta, ut Lysigeni sit levis, quoniam Lysigenes ipsi gravis non fuerit. In quo est adnotandum homines impios, & conscleratos Terræ graves esse dici; sicut probos, & honestos leves, & jucundos; quapropter[c] Homerus hominem nequam, & nullius pretii *ἄχθος ἀρούρης terræ pondus* appellat. Laudat igitur Lysiginem Poëta, quòd ob suam probitatem Terræ gravis non fuerit; nec quidquam commiserit, quod huic hominum communi parenti grave esset, & odiosum. Nec dissimulo posse notari etiam Lysigenis gracilitatem, qualis[d] fuit Philetæ elegiaci poëtæ, quem ferunt fuisse tam tenuem, ut plumbo pedes firmare cogeretur, ne ventis, aut prosraretur, aut in sublime raperetur; vel dici posse ætate puerili decessisse, ob eamque causam, quum parvus esset, non fuisse Terræ gravem, gravare autem scelera hominum Terram, & ideo terræmotus aliquando existere oratoriè magis, quàm verè Plinius di-
xit. Est autem similia huic lusus[e] Martia- 13
lis in tonsorem

Sis licet, ut debes, Tellus placata, levisque,
Artificis levior non potes esse manu

& in Erotium[f] puellam, ubi sic ait

Mollia nec rigidus cespes tegat ossa, nec illi,
Terra, gravis fueris, non fuit illa tibi

Ovidius[g] etiam in elegiâ de morte Tibulli, defuncto terram levem ita comprecatur

Ossa quieta precor tutâ requiescite in urnâ,
Et sit humus cineri non onerosa tuo

& Meleager Heliodoræ in hanc fere sententiam

Sed jam defletam complectere mollibus ulnis,
Cunctorum nutrix Terra benigna, precor

Arbitrabantur nimirum defuncto aliquid incommodi accessurum, si terrâ vehemen-
tiùs premeretur; quocirca quemadmodum 14
Seneca testatur, quidam magis horrebant mortem, quam ingens ruina, & abruptæ terræ casus intulisset, quàm eam, quæ quovis alio modo accidisset; nec e vulgo modo homines, sed etiam sapientiam professi; animum quippe igneâ naturâ constantem ingenti aliquo ruinæ impetu posse putabant dissipari; quò Statius respexit, ubi de illis agit, qui aurum fodientes terræ casu obruuntur

..... *jacet*, inquit, *intus monte soluto*
Obrutus, ac penitus fractum, immersumque cadaver,
Indignantem animam propriis non reddidit astris

Sed hoc in Phædone[h] Socrates confutat,
& irridet sapientissimè; illud etiam time- 15
bant, ne cinis ventis diflaretur; idcirco ter-

[a] Arnobius libr. 8. [b] Cicer. in Epist. ad Fam. libr. 7. Epist. 9. & libr. 1. ad Attic. Epist. 2. [c] Hom. Iliad. σ. v. 104. [d] Athen. libr. 12. c. 13. [e] Martial. libr. 6. Epigr. 52. [f] Martial. libr. 5. Epigr. 35. [g] Ovid. Amor. libr. 3. Eleg. 8. [h] Socrat. apud Platon. in Phæd.

terram mortuis injiciebant: Horatius [a]

Injecto ter pulvere curras

& in eadem Ode

At tu, nauta, vagæ ne parce malignus arenæ
Ossibus, & capiti, inhumato
Particulam dare.

Hinc illa [b] Martialis imprecatio, & jocus

Sit tibi terra levis, mollique tegaris arena,
Ne tua non possint eruere ossa canes

qui jocus etiam in [c] Anthologiâ reperitur.

DISSERTATIO XLIV.

In Epigramma in Statuam Bacchi proximam Statuæ Palladis, ex libro quarto capite: in Deorum Statuas.

Dissertatio Prima.

Conviviorum tria genera sunt. Pallas unde ita appellata sit. Quid significet Dæmon; quod nomen tributum est Aristoteli, sicut divinus dictus est Plato. Dii, qui similitudine aliquâ conjuncti videbantur; etiam statuis, & templis conjungebantur; quum itaque Bacchus, & Pallas inter se maximè dissideant, ineptum videtur eorum Statuas conjunxisse; nihilo tamen secius non omnino hoc est improbandum; nam Bacchus ferox quoque fingitur, & a quibusdam Tauro comparatur, fortè quià Taurus sit animal maximè iracundum, & vinum largiùs haustum iracundos faciat. Verumenimvero poëtæ Bacchum modò mollem, modò bellicosum inducunt, quia vini potus initio jucundus; intemperanter verò utentes, licet lenissimos, ad arma sæpe compellat. Ceterùm fabulosum esse censendum est, quod aliqui tradiderunt Bacchum continuis choreis operam dantem incautos Orientis populos oppressisse.

Observatum inter cetera a Veteribus animadvertimus, ut Deorum Numina, qui naturæ, munerumve similitudine aliquâ, vel quasi cognatione conjuncti putarentur, etiam templorum honore, simulacrorumque conjungerentur; ita [d] Marcellum ferunt captis Syracusis templa Virtutis, & Honoris conjuncta dedicasse, quòd
1 honos virtuti cognatum quiddam habeatur, alterumque vicissim oriatur ex altero; ita [e] Veteres Cererique, & Libero, Liberæque; itemque [f] Castori, atque Polluci eandem ædem consecrarunt; Apollinem verò, & Dianam non eodem templo solùm, verùm etiam Numine copularunt. Siquidem Janus ille vetustissimus Latinorum Deus, ut affirmat libro primo Saturnalium [g] Macrobius, nihil aliud, quàm Diana, & Apollo habebatur, ac propterea bifrons fingebatur; eodemque modo Minervam, & Mercurium conjungebant ob sermonis, & sapientiæ cognationem in Statuis illis, quas Hermathenas composito vocabulo nuncupabant, quarum mentio est apud [h] Ciceronem libro primo epistolarum ad Atticum. Contra verò Deos, inter quos
esset magna diversitas, etiam sacrificiis, & 2
cetero cultu separabant; quem morem in sacris Herculis præcipuè coluerunt, in quibus nullum alium [i] Deum invocabant, quòd quum Hercules mortalis aliquando fuisset, inter ipsum, ceterosque Deos immane discrimen intercedere opinabantur. Jure igitur Poëta non inelegans, quum Palladis, & Bacchi simulacra essent in propinquo collocata, mirantem hospitem inducit, quòd Statuarius ille belli præsidem, & conviviorum loci vicinitate conjunxerit. Cui Bacchus respondet, neutiquam mirandum, si communes cum Pallade sedes haberet; ego enim in multis sum Palladi simillimus. Illa enim bellis præest; ego sum belli studiosus inprimis; illa inventrix oleæ, ego vitis: illa sine matre nata est; ego sine matris dolore: illa e capite patris, ego verò e femore. Sed jam Poëtam Græcum Græcè, ac deinde Latinè loquentem audiamus

Εἰπὲ τί σοι ξυνὸν, καὶ Παλλάδι, τῇ γὰρ ἄκοντες,
Καὶ πόλεμοι, παρὰ σοὶ δ' εὔαδον εἰλαπίναι.
Μὴ προπετῶς, ὦ ξεῖνε, θεῶν πέρι τοῖα μετάλλα:
Ἴσθι δ' ὅσοις ἴκελος Δαίμοσι τῇδε πέλω.
Καὶ γὰρ ἐμοὶ πολέμων φίλιον κλέος; οἶδεν ἅπας μοι
Ἠῷος δμηθεὶς Ἰνδὸς ἀπ' Ὠκεανοῦ.
Καὶ μερόπων δὲ φυὴν ἐγεγήραμεν; ἡ μὲν ἐλαίῃ,
Αὐτὰρ ἐγὼ γλυκεροῖς βότρυσιν ἡμερίδος.
Καὶ μὴν οὐδ' ἐπ' ἐμοὶ μήτηρ ὠδῖνας ὑπέτλη.
Λῦσα δ' ἐγὼ μηρὸν πάτριον: ἥδε κάρη

hos autem versus ita Latinè reddidimus

Quid commune tibi cum Pallade, mitis Iacche?
Huic fera bella; tibi fercula lauta placent.
De Superis, Hospes, temerè ne talia quære;
Disce quot & similis sit mihi Diva modis;
Nam mihi dulce decus belli, scit subditus Indus,
Lucidaque Eoam quæ Thetis ambit humum;
Quin & Mortales donis ditavimus ambo;
Hæc oleâ, dulci munere vitis ego.

 Me

---

[a] Horat. libr. 1. Od. 28. [b] Martial libr. 9. Epigr. 30. [c] Anthol. libr. 2. εἰς πονηρούς. [d] Plut. de fort. Roman. & in Marcello. Val. Max. l. 1. c. 1. Liv. libr, 29. [e] Corn. Tac. Ann. libr. 2. Dionys. Halic. antiq. Roman. libr. 6. & Tit. Liv. libr. 41. in fin. [f] Dion. Halic. l. 6. & T Liv. l. 2. [g] Macr. Sat. l. 1. c. 9. [h] Cic. Epist. ad Att. l. 1. Ep. 4. [i] Plutarch. in quæst. Roman.

Me quoque non sensit mater paritura dolores,
Ipse femur solvi Patris, at ista caput.

Antequam verò ea dicamus, quæ videbun-
tur ad rem pertinere, de verbis nonnulla
3 differemus, in quibus hæc adnotanda pu-
tavimus. ξυνὸν est *commune*, Pindarus

ξυνὸν ἀνθρώποις, Στέφανον τ' ἀρετᾶς.

Εἴναδον εἰλαπίναι tria sunt, ut [a] Athenæo placet, genera conviviorum γάμος, idest *nuptiæ*; ἔρανος *symbola*, in quam singuli partes conferebant; cujus mentio est apud [b] Terentium in Eunucho

Heri, inquit, *aliquot adolescentuli coimus*
in Piræo
In hunc diem, ut de symbolis essemus

Εἰλαπίνη denique tertium genus, *festum convivium*, ut [c] Suidas ait, dictum ἀπὸ τοῦ ἀφειδῶς δαπανᾶν: λάπτειν γὰρ τὸ ἐκκενοῦν hoc est *a consumendo largè*; λαπτειν [d] quippe significat *exinanire*; vel ut [e] Eustathius putat ἀπὸ τοῦ κατὰ ἴλας πίνειν: Homerus [f] hæc tria genera unico versu complexus est

Εἰλαπίν', ἠὲ γάμος, ἐπεὶ οὐκ ἔρανος τάδε γ' ἐστὶ

Pallas Minerva dicta est ἀπὸ τοῦ πάλλειν τὸ δόρυ
4 eo quod hastam [g] vibret, quare Pallas apud
Homerum [h] fere semper est epithetum Mi-
nervæ, sicut [i] Phœbus Apollinis; vel, ut Eu-
stathius [l] censet, a Pallante Gigante, quem
Minerva interfecit; nec desunt [m] qui Pal-
lantem putent Minervæ fuisse patrem, quem
sibi vim afferentem Minerva occiderit. Vel,
ut idem [n] tradit, est Pallas appellata, quòd
Pallantes juvenes vocarentur; vel ideo quòd
παλλακὶς dicta est, vel quòd quum Semele
est combusta, Minerva tulerit Jovi Bacchi
καρδίαν ἔτι παλλομένην. Δαίμονι τῇδε πέλω; Δαί-
μονες appellati sunt quasi Δαήμονες idest *scien-*
5 *tes*; unde [o] Aristoteles a quibusdam dictus
est Dæmon, sicut Plato θεῖος idest *divinus*.
Dæmon autem hìc accipitur pro Deâ; nam
Minerva non solùm Dea, sed etiam e duo-
decim Deis, qui quasi patritii, & majorum
gentium habebantur, quos [p] Ennius his
versibus comprehendit

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Ve-
nus, Mars,
Mercurius, Jovi', Neptunus, Vulcanus, A-
pollo

Frequenter autem Dæmon significat Deum. Isocrates [q] ad Demonicum τίμα τὸ δαιμόνιον ἀεὶ μὲν, μάλιστα δὲ μετὰ τῆς πόλεως hoc est: *Deum cole semper quidem, præcipuè verò quum publicè sacra fiunt*: Euripides

Φοῖβου δ' ἀδελφὴν Ἄρτεμιν, Διὸς κόρην
Τιμᾷ μεγίστην δαιμόνων ἡγούμενος

hoc est

Phœbi sororem, filiam magni Jovis
Colit Dianam maximam Divûm ratus

Contra verò Dæmon in malam partem ac- 6
cipitur apud Plutarchum in convivio se-
ptem Sapientum, quo in libro refert, quum
Amasia ab Æthiopum Rege quæsivisset, quid
esset damnosissimum, Æthiopum Regem re-
spondisse, omnium damnosissimum esse Dæ-
monem. Quid autem propriè significet Dæ-
mon explicat Apulejus in libro de Deo So-
cratis, [r] Plutarchus, & Maximus [s] Tyrius
de eodem. Dæmon etiam pro fortunâ ac-
cipitur: Aristophanes [t] in Pluto

Τοῦ σώματος γὰρ οὐκ ἐᾷ τὸν κύριον
Κρατεῖν ὁ Δαίμων, ἀλλὰ τὸν ἐωνημένον

hoc est

Nam possidere corpus emptorem sinit
Fortuna iniqua, proprium Dominum vetat

Καὶ μερόπων δὲ φύσιν meropes dicuntur homi-
nes, ut [u] Suidas ait ἀπὸ τοῦ μεμερισμένην ἔχειν
τὴν ὄπα hoc est *eo quod partitam habeant vo-*
cem, & distinctam. Quibus de significatione
verborum explicatis opportunum videtur, 7
ut ad res ipsas transeamus. Eleganter Poë-
ta miratur Dionysum vini repertorem, si-
ne quo friget [x] Venus, cum Pallade castis-
simâ Dearum quidquam habere commercii.
Eadem mens est Poëtæ veteris, cujus extat
elegans in [y] Anthologiâ lusus in vitem,
quæ innitebatur oleæ, & ejus ramos clavi-
culis circumplicabat, quem ita vertit An-
gelus Politianus [z]

Quid me implicatis palmites
Plantam Minervæ, non Bromî?
Procul racemos tollite,
Ne virgo dicar ebria

Et jure volunt hi poëtæ bellum quoddam intercedere inter Palladem, & Bacchum; Bacchus quippe mollis quidam, & voluptarius Deus a poëtis inducitur, quem etiam, ut [a] Arnobius adversus gentes testatur, Catamitum ferunt, & sui corporis copiam Prosumno facturum se fuisse pollicitum, si sibi, qua ad Inferos iretur, viam ostenderet. Certè non bello, sed choreis idoneum, & Joco [b] Horatius habitum esse tradit, ubi canit

Quamquam choreis aptior, & joco
Ludoque dictus, non sat idoneus
Pugnæ fereberis .....

et Ti-

[a] Athen. libr. 8. [b] Ter. Act. 3. Sc. 4. in princip. [c] Suid. in V. εἰλαπίνη [d] Suid. ib. [e] Eustath. in Odyss. α. [f] Hom. Odyss. α. [g] Eustath. in Il. α. [h] Hom. Iliad. α. v. 400. δ. 78. ε. v. primo Odyss. α. v. 125. θ. v. 7. & alibi. [i] Hom. Iliad. α. v. 43. & alibi eodem libro, & Odyss. γ. v. 279. [l] Eustath. in Il. α. & Suid. in V. παλλάς. [m] Cic. de Nat. Deor. libr. 3. [n] Eustath. ib. [o] Rhodig. libr. 2. cap. 2. [p] Ennius apud Apulejum de Deo Socrat. & Martian. Capell. in Nupt. Philologiæ. [q] Isocr. ad Demonicum post exordium. [r] Plutarch. de genio Socr. [s] Max. Tyr. in dissertation. Quæ Socratis ars amatoria. [t] Arist. Pluto in princ. [u] Suid. in V. μέροψ. [x] Terent. in Eunuch. Act. prim. Scen. 5. [y] Antholog. libr. primo εἰς δένδρα Epigr. 8. [z] Politian. in l. Epigramm. [a] Arnob. adv. gentes libr. V. [b] Hor. l. 2. Od. 19.

& Tibullus [a] de Baccho, quem Osirin appellat [b]

Non tibi sunt tristes curæ, non luctus, Osiris,
Sed chorus, & cantus, lenis, & aptus amor,
Sed varii flores, & frons redimita corymbis,
Fusa sed ad teneros lutea palla pedes

Quum autem adeo imbellis Deus Bacchus
8 habeatur, quid, inquit Poëta noster, illi cum Pallade, quam armatam e Jovis capite exilientem, hastamque vibrantem Cœlum, & Terram horruisse solitâ spiritus magnificentiâ [c] Pindarus tradit; potius illi cum Horis [d], Nymphisque [e] conveniat, a quibus molliter olim dicitur educatus; nam a Minervâ quantum, Dii boni, dissidet Bacchus! illa [f] studiorum præses, & [g] belli; hic otii, ludorumque princeps: illa dux honestatis; hic libidinis, & voluptatis hortator: illa sapientiæ inventrix; hic auctor insaniæ: illa modestiæ parens, Veneris pernicies, magistra castitatis; hic tumultuum concitator, intemperantiæ monstrator, amoris conciliator, & socius. Quare separetur a Pallade Dionysus, ne Dea virgo Satyrorum lasciventium, Faunorumque conspectu contaminetur, & decoris custos, & sapientiæ Baccharum insaniâ, & clamoribus offendatur. Veruntamen, inquit Poëta, non oportet temerè Diis maledicere, minimeque fas est credere, quæ turpia de Diis, eorumque filiis prædicantur. Atque hoc in loco palinodiam quodammodo cantat, &
9 enumerat ea, quibus Bacchus Palladi similis videatur; non enim imbellem esse dicit Bacchum [h] Indiæ domitorem, cui totum Orientem subigenti Orbis terrarum prius defecerit, quàm virtus. Sanè poëtæ quamvis multis in locis Bacchum mollem, lascivumque inducant, ferocem tamen interdum, neque a bellis alienum faciunt: Horatius [i]

Tu, quum parentis regna per arduum
Cohors gigantum scanderet impia,
Rhœcum retorsisti Leonis
Unguibus, horribilique malâ

Quæ fortasse ille sumpsit ab Homero; nam Homerus [l] in hymnis Bacchum se in Leonem, quum Tyrrhenos ulcisceretur, convertisse fabulatur: alii verò non Leoni Bacchum, sed Tauro comparant: vetus apud Athenæum [m] Poëta

Ἄδαμνον παῖδα ταυρωπὸν, νέον ὁ νέον

hoc est

Indomitum puerum taurinâ fronte timendum
Et juvenem haud juvenem.....

Quin, & [n] cornua ipsi affingunt: [o] Ovidius, qui sic ait

Accedant capiti cornua, Bacchus eris

& [p] Propertius

Quod superest vitæ, per te, & tua cornua vivã,
Virtutisque tuæ, Bacche, poëta ferar

& [q] Horatius

Te vidit insons Cerberus aureo
Cornu decorum.....

Quod commentum originem duxit [r] a fabulâ, qua fertur Jupiter in draconem mutatus Proserpinam compressisse, & ex eâ, taurinâ specie editum Bacchum, quod mysterium Sabaziorum initiis celebrabatur; unde natus est versiculus ille, qui ab Antiquis canebatur, quem [s] Arnobius citat

Taurus Draconem genuit, & taurum draco

Athenæus [t] autem ideo putat Tauro comparari Dionysum; quòd vinum se se largius ingurgitantes faciat iracundos; est enim animal Taurus iracundum; quapropter Græcus [u] Poëta sic ait

Ταυροῖς ὑβρισταῖ, κ' εἰς κέρας θυμούμενοι

quem imitatum esse [x] Virgilium constat, quum cecinit

..... atque irasci in cornua discit.

Et [y] Plinius de Taurorum irâ sic loquitur: *Sed tota comminatio prioribus in pedibus stat; irâ glisente alternos replicans, spargensque in altum arenam, & solus animalium eo stimulo ardescens.* Et sanè non sine causâ cum ceteri, tum Poëta noster in Epigrammate, 11
quod suscepimus explicandum, Dionysum modò lenem, & cupidum voluptatis inducunt, modò ferocem, & bellicosum; nam vini potus quamvis initio jucundus esse videatur, mentesque lætitiâ solvere, & oblivionem afferre curarum; intemperanter utentibus animum perturbat, rixas excitat, & sæpe lenissimos homines ad arma compellit, quas turbas metuens [z] Horatius ita sodales admonet

Natis in usum lætitiæ scyphis
Pugnare Thracum est; tollite barbarum
Morem, verecundumque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis

Quem autem Thracum morem fuisse Horatius affirmat, *etiam* Germanos usurpasse Tacitus [a] prodit his verbis: *crebræ apud vinulentos rixæ; rarò conviciis, sæpiùs cæde, & vul-*

---

[a] Tibull. libr. 1. El. 8. [b] Diodor. Sicul. Biblioth. libr. 1. [c] Pind. Olymp. Od. 7. [d] Dionysiac. libr. 9. apud Demarchum. [e] Homer. in hymn. in Dionys. Athen. Deipnosoph. libr. 11. cap. 3. & Ovid. Metamorph. libr. 3. [f] Ovid. Fast. libr. 3. [g] Homer. in hymn. in Venerem, Ovid. libr. 5. Fastor. Stat. libr. 4. Sylv. 5. [h] Ovid. de Arte amandi libr. 1. & libr. 3. Fast. Martial. Epigr. 26. libr. 8. Plin. l. 8. c. 2. [i] Horat. l. 2. Ode 19. [l] Hom. in hymn. in Bacch. aut latrones. [m] Jon Chius apud Ath. l. 2. in princ. [n] Eurip. in Bacchis, Diod. l. 3. Eust. in 2 Il. [o] Ov. Epist. 21. Sapph. Phaon. [p] Prop. l. 3. El. 15. [q] Hor. l. 2. Od. 19. [r] Clem. Alex. in Protreptico, & Cæl. Rhodig. l. 7. cap. 15. [s] Arnob. adv. gent. lib. V. [t] Athen. libr. 2. c. 2. [u] Euripid. apud Athen. l. 2. c. 2. [x] Virg. Georg. 3 [y] Plin. libr. 8. cap. 45. [z] Horat. libr. 1. Ode 27. [a] Tac. de mor. Germ.

vulneribus transfiguntur. Sed hi barbari, &
12 alioquin immanes; quid homines humanissimi, quid in mediâ Græciâ Philippus? nonne [a] parum abfuit, quin temulentus Alexandrum filium clarissimum Græciæ lumen extingueret? quo domestico condocefactus exemplo, admonitusque suo periculo debuerat Alexander ab immodico potu abstinere, et non clementiæ, et mansuetudinis famam, qua meritò celebratur, dedecorasset cædibus amicorum; neque [b] Clytum nutricis filium servatorem suum inter pocula interfecisset; neque nobilissimam Persarum regiam incendisset. Sed immodica vini cupiditas effecit, ut Regis alioquin humanissimi convivia Lapitharum, Centaurorumque epulæ viderentur. Jure igitur poëtæ non modò lenem, placidumque Bacchum, sed etiam ferum, immanemque fingunt. Quod [c] Antiqui reputantes antequam epularentur, bono dæmoni libabant, nihil aliud precantes, quàm ut Bacchus illis non ferox, & immitis, sed placatus adesset, & bonus; non enim solum corpus, & mentem excitat Dionysus; sed & perturbat, labefactat, evertit; &, ut, Comicus [d] ait, luctator est dolosus. Possunt etiam poëtæ, quum Bacchum modò
13 placidum, modò ferum, immansuetumque faciunt, ad historiam respexisse; Bacchus enim plurimas nationes dicitur subegisse; sed ejus belli gerendi ratio non fuit, qualis aliorum Imperatorum, qui militibus armatis, exercitu instructo, machinisque bellicis urbes capiunt, prædas agunt, arva populantur, omnia ferro, ignique devastant; sed alia, ut Polyænus libro primo strategemarum tradit, in speciem placidior; non enim armis apparentibus ejus utebatur exercitus; sed miles vestimento tenui, pellibusque cervinis indutus erat, quibus arma occulebantur: hederâ circumplicabantur hastæ, cuspides thyrso tegebantur. Erat autem species non bellantium virorum, sed commessantium; cuncta cymbalis, tympanisque perstrepebant; Baccharum cantu, ululatuque valles, montesque personabant; undique chori, solemnisque saltatus, & lætitiæ signa, & pacis argumenta conspiciebantur; quibus homines incauti, & doli nescii, rudesque fraudium decepti, & ad potandum, ludendumque conversi a militibus armatis opprimebantur. Atque hac ratione fertur Dionysus Indiam domuisse, quod indicat Poëta noster his verbis

..... οἶδεν ἅπας μοι
Ἠῶος δμηθεὶς Ἰνδὸς ἀπ' Ὠκεανοῦ.
..... *scit subditus Indus*,
Lucidaque Eoum quæ Thetis ambit humum,

Quæ Megasthenes, qui conscripsit Indica, & ad Indos missus est legatus, & alii admodum pauci crediderunt; [e] Strabo, & plerique scriptores fictas fabulas esse arbitrantur.

DISSERTATIO XLV.

In idem Epigramma.

Dissertatio Secunda

De Baccho.

Quemadmodum Hercules in Occidente præcipuè facinora edidit; & nihilominus etiam quædam in Oriente gessit; sic & Bacchus triumphavit quidem in Oriente, sed tamen in Occidente Tyrrhenos, & *Lusitaniam subegit; fuit enim Bacchus Rex, cujus dux Pan, ex cujus strategemate Timores Panici appellati sunt; plura autem facinora memorantur Herculis, quàm Bacchi. Cicero quidem affirmat quinque fuisse Bacchos, & quibus quisque parentibus ortus esset, tradit; verùm quamplures alii sibi nomen Bacchi asciverunt, qui recensentur; ideo apud diversos populos diversis nominibus appellatur Bacchus; quæ autem ea sint, Ausonius tradit.*

DUos Jovis Filios admirata est, & maximè celebravit antiquitas, & quamvis mortales genitos fateatur, templis tamen, & Deorum immortalium honoribus consecravit; Herculem, & Liberum Patrem; quorum utrumque magnas nationes bello subegisse; terrarum Orbem victoriis peragrasse, Reges feros, immanesque Tyrannos sustulisse; omnia denique sic gessisse credidit, aut credi voluit, ut digni immortalitate, quam consequuti dicuntur, digni origine cœlesti, cujus famam sibi vindicarunt, viderentur. Sed [f] de Hercule multa diximus anno superiore, quum epigramma secundum Anthologiæ explicaremus; nunc autem, quoniam suscepimus exponendum carmen, in quo de rebus a Dionyso gestis mentio est, de ipso Dionyso nonnulla dicemus. Atque ut hinc, unde videtur aptissimum, sumamus exordium; 1
Hercules videtur plura gessisse, quàm Bacchus, majusque terrarum spatium peragrasse; ejus certè fama latiùs Orbem terrarum pervagata est; nulla siquidem regio fuit antiquitus, in qua non aliquod virtutis Herculeæ vestigium

[a] Plutarch. in Alexandr. Vitâ. [b] Q. Curt. libr. 8. [c] Plutarch. & Cæl. Rhodigin. libr. 18. cap. 25. [d] Plaut. in Pseudol. Act. V. Scen. I. [e] Strabo libr. XI. [f] Diss. 7., 8., 9.

fligiam extaret impressum, nulla verò gens tam barbara, tamque ab omni humanitate remota, quæ non Herculem maximè omnium laudibus ferret; Dionysi verò res gestæ Indiæ fere finibus continentur. Quapropter Arrianus libro primo de expeditione Alexandri miratur potuisse Bacchum Semele natum tot, & tam barbaras, bellicosasque nationes adire, quum nullam aliam præter Indorum gentem armis domuerit; pleraque [a] eorum, quæ gessit, apud Indos gessisse [b] memoratur; nam & Nysam [c] urbem condidisse tradunt, & legum, quibus Indi uterentur, auctorem fuisse, ipsosque terram conserere, vitesque ponere docuisse; & Deos colere, & satyricam saltationem, quæ a quibusdam cordax appellatur, & mitras gerere, & unguentis ungi ostendisse. Nec solùm Indos pacis artibus instruxisse, sed belli, & armis ipsos quibusdam armasse, & cymbalorum, tympanorumque sonitu ad prælium ire, & virtutem accendere cantu docuisse, & Regem Indorum constituisse Spartembam. Alii verò minùs angustis,
2 ut ita dicam, terminis Bacchi gloriam circumscribunt; nam, quemadmodum [d] Strabo prodit, Herculem in Occidente, Bacchum in Oriente toto præclara fecisse facinora tradiderunt; Euripides [e] autem sic itinera, laboresque suos Liberum Patrem inducit commemorantem

Λιπὼν δὲ Λυδῶν τὰς πολυχρύσους γύας,
Φρυγῶντε, Περσῶν θ' ἡλιοβλήτους πλάκας,
Βακτριάτε τείχη, τήντε δύσχειμον χθόνα
Μήδων ἐπελθὼν, Ἀ'ραβίαντ' εὐδαίμονα,
Ἀσίαντε πᾶσαν.....

Quos versus ita interpretamur

Ditis relinquens Lydiæ auriferum solum,
Ustasque nimio sole Persarum domos,
Camposque Phrygiæ, arcesque Bactrorum inclytas,
Et hieme sævâ triste Medorum solum,
Arabumque ditia regna, felices plagas,
Asiamque totam.....

Cui tertio Metamorphoseon astipulatur Ovidius his verbis

.. .. Oriens tibi victus ad usque,
Decolor extremo qua cingitur India Gange

Sunt enim nonnulli, qui non in Græciâ
3 natum ferunt, sed in Lydiâ, ex eaque profectum omnibus, quas adiret, gentibus perdomitis ad extremam Indiam pervenisse, quod indicare videtur mitra, qua Bacchæ utebantur, & Bacchus; nam Mitra Lydorum gestamen: Propertius [f]

Cinget Bassaricas Lydia mitra comas.

& Virgilius libro quarto Æneidos

Mæoniâ mentum mitrâ, crinemque madentem
Subnixus rapto potitur.....

ubi Mæonia exponitur Lydia, quia Lydia alio nomine Mæonia appellatur, ut [g] Eustathius est testis in eum [h] Homeri locum

Ὡ's δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ.
Μῃονὶς, ἠὲ Κάειρα παρήιον ἔμμεναι ἵππων

Ideo Ovidius in epistolâ Dejaniræ ad Herculem, Herculem ab Jole Lydorum Reginâ inducit mitrâ redimitum

Ausus es hirsutos mitrâ redimire capillos;
Aptior Herculeæ Populus alba comæ

Sed quemadmodum Hercules, etsi præcipua rerum in Occidente dicitur confecisse, tamen etiam Orientis populos adiisse 4
traditur, & apud eos præclara suæ virtutis monumenta reliquisse; ita Bacchi propria quidem laus est Orientem domuisse, sed tamen ejus nonnullæ in Occidente res gestæ prædicantur; nam & [i] Lycurgum Thraciæ Regem occidisse, & Lusitaniam peragrasse, quæ etiam teste [l] Plinio a Liberi Patris lusu nomen accepit, & infestantes maria subegisse Tyrrhenos, & quæ de [m] Pentheo poëtæ fabulantur, ad victorias Bacchi referenda sunt. Quæ quum poëtæ finxere, nihil aliud indicare voluerunt, quàm a Baccho universum perdomitum Orbem terrarum fuisse; nam subactus Occidens per Tyrrhenos, Lusitaniamque; Oriens autem per Indiam significatur, quod testatur his verbis [n] Aristides Ἴνδους, καὶ Τυῤῥηνοὺς λέγουσιν, ὅτι κατεστρέψατο, αἰνιττόμενοι, δοκεῖν ἐμοὶ, διὰ μὲν τῶν Τυῤῥηνῶν τὰ πρὸς Ἑσπέραν, διὰ δὲ τῶν ἑτέρων τὸν πρὸς ἕω τόπον τῆς γῆς, ὡς ἁπάσης αὐτὸν ἄρχοντα hoc est: *Indos, & Tyrrhenos dicunt subegisse indicantes meo judicio per Tyrrhenos Occidentem; per alteros, quæ vergunt ad Orientem loca, quasi ipse toti terrarum Orbi imperaret*: Fuit enim Rex Bacchus; quod antiqua Bacchi simulacra declarant, quæ cum diadema- 5
te conspiciuntur; usus est autem plurimum in bellis quodam duce, qui Pan appellabatur, cujus hujusmodi [o] strategema a Polyæno memoratur. Quum haberet castra Dionysus in concavo saltu, nunciatum est innumerabiles hostium copias trans illum saltum castrametari; magnum ea res metum incussit Baccho, sed non item Pani; verùm signum militibus dedit, ut noctu quàm maximum possent, ederent clamorem, quem quum illi sustulissent, repercussum petræ, concavique saltus multò majorem reddiderunt; hostes autem ex ingenti illo sono, qui terribilis auribus accidebat, magnitudinem hostilium copiarum metientes, simulque nocturnis tenebris vanum incutien-

[a] Polyæn. l. 1. c. 1. [b] Hæc omnia in Arrian. rerum Ind. libro. [c] Arrian. de Expedit. Alexandri libr. V. in princip. Strab. libr. 15. in princip. [d] Strab. libr. 3. & libr. 15. [e] Eurip. in Bacchis in prologo.

[f] Propert. l. 3. El. 15. [g] Eustath. in Il. 4. [h] Homer. Il. δ. v. 142. [i] Pausan. libr. 1. [l] Plin. libr. 3. cap. 1. [m] Ovid. Metam. libr. 3. [n] Arist. orat. in Bacchum. [o] Polyæn. strategem. libr. 1. c. 2.

tientibus terrorem, perculsi extemplo fugæ se mandarunt; ex quo factum est, ut & Echo amica Pani crederetur, quia ejus beneficio exercitus Bacchi periculo est liberatus; & ut repentini, & sine causâ in exercitibus existentes metus Panici nuncupentur; sed de Panicis terroribus eruditè multa colligit in Miscellaneis [a] Angelus Politianus. Ceterum quod ferunt Bacchum
6 imperio potitum Orbis terrarum, id eorum sententiam confirmat, qui Bacchos fuisse plures memoriæ prodiderunt; nam quo pacto idem & Indiam subigere, & Hispaniam, & extrema Occidentis perdomare potuisset? sciendum est igitur Dionysos quinque a Cicerone libro tertio de naturâ Deorum numerari; quorum primus e Jove sit natus, & Proserpinâ; secundus Nilo, qui Nysam dicitur interemisse; tertius Caprio Patre, quem Asiæ Regem dicunt præfuisse, cui Sabazia sunt instituta, quartus Jove, & Lunâ, cui sacra Orphica confici putabantur; quinctus Niso natus, & Thyone, a quo trieterides constitutæ censebantur. Nec mirum debet videri tam multos
7 fuisse Reges, illustresque viros, qui se Dionysos haberi, appellarique voluerint, & opinione hominum sint Deorum immortalium honores consequuti. Nam etiam recentiore ævo multi Bacchi nomen sibi vindicarunt, vel populis deferentibus minimè repudiarunt. Tralliani quippe Mithridatem, ut in oratione pro Flacco testis est Cicero, quòd bis fulmine fuerit appetitus, Dionysum vocaverunt; & [b] Antigonus unus e successoribus Alexandri se Liberum Patrem dici sumptis pro Causiâ, & Diademate Macedonico, hederâ, & pro sceptro, thyrso, imperavit; & [c] Marcus Antonius quum eamdem appellationem sibi arrogaret, Athenienfesque, ut item alii populi, ipsum Liberum Patrem appellassent, addiderunt se despondere ipsi, & in matrimonium collocare Minervam suam, & rogaverunt, ut duceret; atque Antonius ductùrum se confirmavit, sed dotis nomine se illis mille talenta dixit imperare; tum Græculus quidam sanè quàm argutè dixisse fertur *κύριε, ὁ Ζεὺς τὴν μητέρα συ Σεμέλην ἄπροικον εἶχε* hoc est: *Domine, Juppiter Semelen tuam matrem indototam habebat*. Sed ut ad Liberum Patrem revertamur; quemadmo-
8 dum Mithridates, & Antigonus, & Antonius Liberi Patris nomine sunt appellati; ita vetustiores Reges eamdem appellationem fortasse concupiverunt, & consequuti sunt. Ex quo factum est, ut apud omnes fere gentes Bacchi Numen quamvis diversis nominibus coleretur; nam apud [d] Ægyptios Osiris, apud Romanos [e] Liber, apud Indos [f] Dionysus, apud Arabas Adonei nomine & appellabatur, & adorabatur; quæ omnia nomina [g] Ausonius his versibus complectitur

Ogygia me Bacchum vocat,
Osirin Ægyptus putat,
Mystæ Phanacen nominant,
Dionyson Indi existimant,
Romana Sacra Liberum,
Arabica Gens Adoneum,
Lucanianus Pantheum.

DISSERTATIO XLVI.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO TERTIA.

De Baccho.

Alia ab aliis Bacchi Patria statuitur; sicut etiam disceptatur de inventione vitis; hinc proditum est canem peperisse ramum, qui consitus uvas protulerit. Illud autem constat ante Bacchum Semeles filium vinum repertum fuisse, quum Amphictyon filius Deucalionis diluere vinum aquâ docuerit. Sed non unus apud Scriptores profanos vini repertor habetur; ideo plures Bacchi fuisse feruntur; tot nimirum, quot apud diversas nationes vitis inventores extiterunt. Ceterum credibile non est Bacchum universum terrarum Orbem victoriis peragrasse; nulli enim ex his, qui plurimas victorias obtinuerunt, istud contigit, quod singulis recensendis patet; nec ipsi Herculi, sed quidquid gloriosum ubique terrarum gestum est, Herculi tribuerunt, præsertim quum ludo Bacchum gentes domuisse fabulentur; qui cujusmodi esset, narratur. Verum enimvero quum tradunt Bacchum totum Orbem domuisse, significare volunt, quod omnes gentes vino, aut aliâ simili potione utuntur; quare Diodorus Siculus tradit Osirin docuisse Germanos potionem ex hordeo conficere, quia qui primus eam potionem monstravit illis Osiris cepit appellari. Bacchus, & Osiris idem numen est, ut colligitur ex actionibus omnibus quæ utrique communes sunt.

PHilostratus non inelegans, neque ineruditus auctor in libro de Apollonii vitâ secundo magnum inter Indos, Græcosque certamen de Patriâ Bacchi fuisse perhibet, utrisque Deum apud se natum con-

[a] Angel. Polit. in Miscell. cap. 28. [b] Herod. l. 1. in princ. [c] Plut. in Anton. & Athen. libr. 4. cap. 12. [d] Cedrenus in Histor. comp. [e] Virg. Georg. l. 1. Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 18. & Ovid. Metam. libr. 4. [f] Arrian. de exped. Alexandr. libr. 5. in princ. [g] Auson. Epigr. 29.

contendentibus. Et Græci quidem ut o-
stenderent Bacchum e Græciâ profectum
in Indiam pervenisse, testabantur inscri-
ptionem argentei disci, qui Delphis in A-
pollinis templo visebatur, quæ ita se ha-
bebat; *Bacchus Semeles, & Jovis filius ab In-
dis Apollini Delphico sacravit*. Indorum ve-
1 rò de Baccho diversæ fuere sententiæ; nam
plerique ex Assyriâ venisse dicebant; non-
nulli verò in Indiâ natum ex Indo flumi-
ne confirmabant. Eodem modo, ut in se-
cundo libro de Amoribus Clitophontis, &
Leucippæ testatur Achilles Tatius, de vitis
inventione certabatur, quum Athenienses
in Atticâ, Tyrii in Phœniciâ repertam con-
tenderent; Athenæus [a] autem in Thessaliâ
prodit inventam, qui fabulam narrat hu-
jusmodi. Orestheum Deucalionis filium ca-
nem habuisse, quæ mirabili partu non ca-
tulos, ut naturæ leges postulabant, sed ra-
mum pepererit, quem consitum uvas protu-
lisse, & ex illis expressum vinum; Ore-
stheum autem filium sibi postea natum ex
eo casu Phytium appellasse. Quæ vitis, vi-
nique inventio licet fabulose narrata, si
2 non abhorret omnino a veritate [quod fie-
ri posse video; solet enim plerumque ve-
tustas res veras fictis occultare fabulis, quò
vulgo admirabiliores esse videantur] non
Bacchus [b] Jovis, & Semeles filius vini re-
pertor in Græciâ est habendus, quum il-
lud invenerint Deucalionis filii, antequam
Bacchus Thebis nasceretur; floruit enim
Deucalion trecentis triginta, vel quadragin-
ta duobus annis ante excidium Trojæ, Bac-
chi verò ortum centum sexaginta, vel e-
tiam septuagintaduobus; quod etiam de-
monstrat historia, qua apud [c] Athenæum
narratur Amphictyon Rex Atheniensium,
qui fuit [d] Deucalionis filius vinum aquâ
diluere, ac miscere primus docuisse, ob
eamque causam ingentes honores dicitur
consequutus, Araque est ei erecta, & di-
cata Recto Deo, quasi ipse homines vino
oppressos, & dejectos princeps erexisset.
3 Quæ declarant satis non unum apud scri-
ptores profanos haberi vini repertorem,
quum etiam [e] ab Oeneo, qui vinum ab uvâ
primus expresserit, οἶνος græco sermone vi-
num appellatum reperiamus, ac proinde
non esse mirum, si Bacchi plures fuisse di-
cantur; tot nimirum, quot apud diversas
nationes vitis inventores extiterunt; nam
illud absurdum potuisse Bacchum Semele
natum universum terrarum Orbem victo-
riis peragrare, omnia manu pacantem, gen-
tesque, quas adiret, omnes mansuefacien-
tem, & ab agresti feritate ad pacis artes,
& agriculturæ studia convertentem; nam
cui Mortalium Deus immortalis tantam con-
cessit facultatem? Neque enim Hercules
ille, quem fabulæ maximè omnium cele-
brant, tantum terræ peragravit, quantum
poetæ ferunt, quum plures Hercules fue-
rint, & Argivo, quemadmodum [f] anno
superiore ostendimus, multorum gesta tri-
buantur; vel certè, ut Cornelius Tacitus
in libro de moribus Germanorum suspi-
catur, quidquid ubique terrarum magnifi-
cè, splendidèque, & fortiter gestum est,
id ab Hercule gestum prædicetur. Neque,
ut a fabulis abeamus, Sesostris Ægyptius,
qui plurimas nationes dicitur subegisse, ul- 4
lam aliam terram, ut [g] Herodoto princi-
pi historicorum credi convenit, adivit,
quàm Asiæ partem, & nonnullas Europæ
regiones; Ninus autem, & Semiramis, &
Cyrus [h], quem Græci maximè laudibus fe-
runt, Europam, Libyamque fere non atti-
gerunt, & in ipsâ Asiâ Indiam, ut [i] Stra-
bo testis est locupletissimus, non penetra-
runt; neque Scythas, ut de aliis interim
taceam, maximam, ferocissimamque Asiæ
nationem profligare potuerunt. Ille ipse
Alexander [l], qui defuturam sibi vincenti
terram existimabat, non magnam, si cum
toto compatetur, Orbis partem in potesta-
tem suam, atque ditionem redegit; Adeo
nemini concessit hanc laudem Deus, ut vi-
ctor omnium gentium verè diceretur. Quod
si nemini eorum contigit, qui maximè ce- 5
lebrantur, quorumque res gestæ in illustri
positæ monumento leguntur, nec Baccho
quidem credibile est contigisse; præsertim
quum absurdâ quadam ratione Orbis ter-
rarum imperium consequutus esse dicatur;
non enim virtute gentes, & armis fertur
domuisse, sed ad ludum, hilaritatemque
conversas ad obsequium compulisse. Ope-
ræpretium est autem audire, quis nam fue-
rit Bacchi, Baccharumque lusus, cui gen-
tes omnes cessisse Græci fabulantur; hunc
verò fusissimè describit [m] Catullus his ver-
sibus

Quæ tum alacres passim lymphatâ mente fu-
rebant
Evoe bacchantes, Evoe capita inflectentes,
Horum pars tectâ quatiebant cuspide thyrsos,
Pars e divulso jactabant membra juvenco,
Pars sese tortis serpentibus incingebant,
Pars obscura cavis celebrabant orgia cistis,
Orgia, quæ frustra cupiunt audire profani,
Plangebant alii proceris tympana palmis,
Aut tereti tenues tinnitus ære ciebant,

Q *Multa-*

[a] Athen. libr. 2. [b] Cedrenus in Histor. Compend. ad ann. 3413. Orb. Cond. [c] Athen. libr. 2. c. 2. [d] Pausf. l. 1. Attic. & l. 10. Phocic. [e] Athen. l. 2. in princ. & Suid. in v. οἶνος. [f] Dissert. 7. in Antholog. [g] Herodot. libr. 2. [h] Herodot. libr. 1. in fin. Xenuph. de Exped. Cyri. [i] Strab. libr. 15. in princ. [l] Arrian. de Exped. Alex. Plutarch. in ejus vitâ, & Q. Curtius in Histor. [m] Catull. in epithal. Pelei, & Thet.

Multaque raucisonos efflabant cornua bombos,
Barbaraque horribili stridebat tibia cantu

Complectitur autem Poëta hoc in loco omnia, quæ sparsim apud alios leguntur; nam, ut ea, quæ sunt notiora, prætermittam, quod
6 ait Bacchas juvencos lacerare solitas, & se cingere serpentibus, id fieri consuevisse in Bacchi sacris testatur [a] Euripides his verbis

Καὶ τὴν μὲν ἂν προσῶδες εὔθηλον πόριν
Μυκωμένην ἔχυσαν ἐν χεροῖν δίχα,
Α῎λλαι δὲ δαμάλας διεφόρυν σπαράγμασι

& in [b] choro

Στεφάνωσαν τε δρακόντων
Στεφάνοις, ἔνθεν ἀγρὰν
Θηρότροφοι μαινάδες ἀμφιβάλλον-
ται πλοκάμοις ......

Cui [c] Plutarchus astipulatur, qui Olympiada Magni Alexandri matrem grandes contrectantem serpentes manibus thyasos celebrare solitam refert; & Clemens [d] Alexandrinus, qui sic ait Διόνυσον μαινόλην ὀργιάζουσι βάκχοι ὠμοφαγία τὴν ἱερομανίαν ἄγοντες, καὶ τελίσκουσι τὰς κρεωνομίας τῶν φόνων ἀνεστεμμένοι τοῖς ὄφεσιν ἐπολολύζοντες εὐάν. Ubi adnotandum Bacchas in illis furoribus erudis carnibus vesci consuevisse. His autem præstigiis de-
7 lusum terrarum Orbem unius hominis imperio paruisse quis credat, & Bacchantium muliercularum insaniam, & ludum plusquam tot bellicosarum gentium arma valuisse? Mirantur historici, quòd Alexandrum Macedonem sacra Liberi Patris in Indiâ celebrantem fuerit adortus nemo; nemo Macedones intentos ludo, & per aliquot dies ebrios, & bacchantes oppresserit. At Dionysus non solùm Orbem terrarum incolumis peragrasse; verum etiam, quum eodem modo fureret, dicitur hunc gisse. Quæ si absurda videantur, illud statuamus oportet, quum omnes gentes vino, vel aliquâ potione artificiosè confectâ utantur; ideo Bacchum universum Orbem peragrasse fingi, quòd ubique gentium aliquis inventor extiterit vini, vel hujusmodi potionis. Ita Siculus Diodorus [e] Osirin
8 obivisse Germaniam testatur, Germanosque docuisse ex hordeo, & aliis herbis conficere potionem, non quia Osiris Ægyptius fortasse ad ea loca pervenerit; sed quia qui Germanis eam monstravit potionem, Osiridis nomine ceperit a Germanis coli, qui vini perhibetur inventor; sicut apud eosdem teste [f] Tacito colebatur Isis, quæ fruges dicitur invenisse; nam Osiris idem Numen habebatur, [g] ac Liber, ut Suidas in voce Osiris, ac [h] Plutarchus docent, & multa declarant. Nam tam Osiridi, quàm Baccho Panem fuisse comitem expeditionis Diodorus [i] tradit; uterque Gigantes domuisse fertur, uterque ab Inferis revertisse, quod de Baccho testatur [l] Arnobius, de Osiride Plutarchus in libro de Iside, & Osiride;
uterque Lycurgum [m] Thraciæ Regem pe- 9
remisse, ut de Osiride Berosus Chaldæus tradit, de Baccho Plato, omnesque poëtæ; utrique denique sacra quædam occulta cistis asservabantur, ut Catullus [n] in his, quos citavimus, versibus indicat, & [o] Tibullus in elegiâ septimâ libri primi, & ut Osirin Typhon [p] dicitur discerpsisse, ita Bacchum Titanes, ut auctor est Clemens [q] Alexandrinus. Mitto alia, quæ possent afferri, quibus idem Osiridis, ac Bacchi Numen ostenditur; quæ si vera credantur, Ægyptii testes adversùs ea, quæ diximus, citabuntur; qui Osirin suum Regem omnes terrarum plagas obivisse, & gentes universas in suam ditionem, potestatemque redegisse pertinacissimè contendebant; quæ quomodo intelligi possint, neque iis, quæ diximus, adversentur, alis sermonibus fusiùs exponemus.

DIS-

[a] Eurip. in Bacchis. [b] Euripid. in Bacchis Chor. 1. antistr. 1. [c] Plut. in Alex. [d] Clem. Alex. in Protreptic. [e] Diod. Sic. biblioth. libr. 1. [f] Tac. de mor. Germ. [g] Diod. Sic bibl. l. 1. [h] Plut. de Iside, & Osiride. [i] Diod Sic. l. 1. bibl. [l] Arnob. adv. gent. [m] Homer. Iliad. ζ. v. 130. & Eustath. ad eum locum, & Hor. libr. 2. Od. 19. [n] Catull. in Nuptiis Pelei, & Thetid. & Theocr. in Bacchis Idyll. 26. [o] Tib. Eleg. 7. libr. 1. [p] Plutarch. de Iside, & Osiride. [q] Clemens Alexandr. in Protreptic.

DISSERTATIO XLVII.

In idem Epigramma.

Dissertatio Quarta.

De Baccho.

Tres fuerunt apud Veteres de Diis opiniones; una populi, alia poëtarum, tertia philosophorum; non enim sapientissimi viri, quæ de Diis apud vulgus invaluerant, credebant, neque Mortales ullos adorabant; verùm sub nominibus commentitiorum Deorum cuncta regentem Deum colebant. Bacchum itaque esse Solem censebant; ideo universum terrarum Orbem peragrasse affirmabant, quia nulla Terræ pars est, quæ Solis radiis non illustretur, & Bacchi Sacerdotes in Liberalibus puniceo peplo, & maculosâ pelle, ac zonâ aureâ utebantur, quæ mirificè Soli convenire declaratur. Ostenditur etiam, quòd Bacchus, & Apollo idem numen esset, quia utrique Parnassus, laurus, & hedera dicata erant; quin etiam vaticinium utriusque proprium habebatur, licet aliter sentire Tibullus videatur; præterea & Bacchus Leonis effigie denotabatur, & Solis Leonem esse symbolum constat. Quare quum Orpheus commentus est Bacchum singulis Cœli orbibus præesse, nihil aliud significare voluit, quàm Solis vim omnibus globis cœlestibus, Universoque dominari. Nisi fortè dicatur hujusmodi commentum significare Bacchum in mentibus illis divinis, quibus Pythagorici tradunt stellas animari, esse æternum illud gaudium, quo inebriantur mentes beatæ.

QUi Deorum naturam sapientiùs apud Veteres contemplati sunt, quum animadverterent vulgi de Diis immortalibus opiniones futiles esse, & plenas ineptissimæ vanitatis, ut aliquid de Cœlestibus veriùs opinarentur, & tamen multitudini religionem Majorum funditus tollere non viderentur, excogitarunt rationem, qua iisdem quibus vulgus, numinibus supplicarent, & de rebus divinis sanctius quiddam, prudentiusque sentirent; ex quo [a] tres, ut Varro doctissimus Romanorum docet, de Diis disserendi rationes extiterunt; una populi; alia poëtarum; tertia philosophorum. Quarum ultima a ceteris longè plurimum discrepabat; neque enim sapientissimi viri rebus inanimis, aut olim mortalibus divinos honores deferebant; verùm sub nominibus commentitiorum Deorum Dei cuncta regentis imperium, & providentiam, etsi non eâ religione, qua debebant; eâ tamen, qua poterant, adorabant. Quapropter non Capitolinum [b] Jovem barbatum, aut Hammonem cornutâ specie, aut galeatam [d] Minervam, aut [e] sospitam Junonem cum pelle caprinâ, cum scutulo, cum hastâ, cum calceolis repandis; neque imberbem [f] Apollinem, claudum [g] Vulcanum, fuscinâ [h] armatum Neptunum; neque iisdem [i] vagam, latrantem [l] Anubin, Osirin discerptum [m] a suis; neque Eleusiniam illam nocturnorum sacrorum consciam venerabantur; sed Jovem opinabantur esse Mundum, & illum, ut ait Poëta, [n] 1 2

Sublime fusum immoderatum Æthera

Veruntamen, ut Varro testatur, sicut homines animo sapientes, non corpore habentur; ita [a] Mundum non corpore, sed animo Deum arbitrabantur; Minervam autem in animo Mundi mentem illam purissimam, a materiaque secretam, & ab omni corporis contagione separatam putabant; sicut [p] Junonem aërem, qua mente regitur, immortali; Neptunum spiritum per omnia maria pertinentem; Cererem Terram non, quatenus bruta quædam est, & immobilis moles; sed quatenus animô cietur, & mentis est particeps, & rationis. Eodem [q] planè modo Bacchum, & Osirin, non eos 3 arbitrabantur esse, quos vulgus motibus incompositis, vibrandoque thyrsos, & simulatione quadam furoris absurdè colebat; sed Mundi publicam lucem Solem, qui, ut ait [r] Plinius, Cœli tristitiam discutit, atque etiam humani nubila animi serenat. Atque hanc arbitror esse causam, cur tam Ægyptii Osirin, quàm Græci Bacchum Orbem terrarum peragrasse crederent, & suæ ditioni subjecisse; siquidem nulla est Terræ pars, quæ Solis radiis non illustretur; eorum verò, quæ Cœlo, terrisque continentur, Sol dominus habetur, & rector. Quocirca siderum, Cœlique consultissimus Interpres Julius [s] Firmicus ita Solem appellat. *Sol optime, maxime, qui mediam Mundi possides partem, mens Mundi, atque temperies, dux omnium, princepsque*; & Plinius libro se-

[a] August. de Civit. Dei. [b] Cic. de Nat. Deor. libr. 1. [c] Ovid. de Arte Aman. libr 3. in fine, Lucan. libr. 9. Sylv. Italic. libr. 9. Punic. [d] Cic. de Nat. Deor. libr. 1. [e] T. Livius libr. 23. & Cic. libr. 1. de Nat. Deor. [f] Callimach. Hymn 2. in Apollin. v. 35. [g] Homer in hymn. in Apollin. & Lucian. in dial. de Sacrificiis. [h] Hygin. fab. 169. Virg. libr. 1. Georgic. Ovid. libr. 1. Metam. & libr. 6. Apollodor. l. 1. [i] Plutarch. de Iside, & Osiride. [l] Virg. l. 8. Æn. Prop. l. 3. El. 11. Ov. l. 9. Met. [m] Plut. de Isid. & Osir. [n] Eurip. ap. Cic. de Nat. Deor. l 2. [o] Theocr. Idyl. 17. in Ptolem. & Aratus, & Virg. Eclog 3. & Macr. in somn. Scip. l. 1. c. 17. [p] Herod. l. 1. Paus in Att. Plut. in Crassi Vitâ, Cic. de Nat. Deor. l. 2. & Jul. Firmic. libr. de errore prof. relig. & Macrob. in somn. Scipion. libr. 1 c. 17. [q] Macr. Saturn. l. 1. c. 21. [r] Plin. l. 2. c. 6. [s] Jul. Firm. Mathes. in princ.

cundo [a] naturalis historiæ de Sole ad hunc
modum loquitur: *eorum medius Sol fertur
amplissimâ magnitudine, ac potestate; nec tem-
porum modò, Terrarumque, sed siderum etiam,
Cœlique rector* Jure igitur Bacchum Terra-
rum Regem Græci nuncuparunt, quum
4 non modo Terræ, sed etiam Cœli Sol mode-
rator habeatur; jure etiam poëtæ dixerunt [b]

Solis æterna est Phœbo, Bacchoque juventa,
Nam decet intonsus crinis utrumque Deum

quum Sol æternâ semper, ut ita dicam,
luce pubescat, & perpetuis radiis tanquam
crinibus intonsis niteat. Sed ne temerè vi-
deamur affirmare Antiquis idem fuisse Nu-
men Solis, & Bacchi, id est nobis fusiùs o-
stendendum. Virgilius igitur doctissimus
poëtarum in primo Georgicon Bacchum
sic alloquitur

..... vos, o clarissima Mundi
Lumina, labentem Cœlo quæ ducitis annum,
Liber, & alma Ceres.....

Quo in loco quis non videt clarissima Mun-
di lumina Solem dici, Lunamque, eadem-
que Cereris, & Liberi nomine appellari;
sed & [c] Orpheus idem confirmat hoc versu

Η'λιος, ὃν Διόνυσον ἐπίκλησιν καλέουσι

hoc est

*Sol Hyperionides, quem dicunt nomine Bac-
chum*

& [d] alio in loco

Εἷς Ζεὺς, εἷς ᾅδης, εἷς ἥλιος, εἷς Διόνυσος.

hoc est

*Sol unus, Plutoque, & Juppiter, unus Jac-
chus.*

Idem verò rationem reddit, cur Bacchi Sa-
cerdotes in Liberalibus sacris puniceo pe-
plo inducerentur nebride superinductâ, &
5 aureâ zonâ cingerentur; puniceum enim
peplum imitamentum Solis est radiorum;
nam & Sol simili veste a poëtis velatus in-
ducitur, Ovidio [e] teste, qui de Sole cecinit

..... purpureâ velatus veste sedebat
In solio Phœbus claris lucente smaragdis

Et Aurora puniceis invecta rotis [f] Virgi-
lio describitur; maculosa verò pellis nihil
aliud significat, quàm Cœlum stellis innu-
meris admirabili varietate distinctum; aurea
verò zona Solis Orientis radios Oceani
verticibus incidentes, qui speciem circu-
li reddunt. Quod si argumenta spectemus,
magis id, quod diximus, apparebit; nam
eamdem esse naturam Solis, & Apollinis
constat; Apollinem [g] verò, Bacchumque u-
num Veteres credidisse sanè quàm multa fa-
teri nos compellunt. Nam [h] Bœotii quum
6 Parnassum montem Apollini dicerent con-
secratum, in eodem non minùs [i] Bacchum
venerabantur, [k] & laurus Apollini dicata
etiam Baccho tribuitur, Homero teste, qui
in Hymno Dionysi ita de ipso loquitur

Δὴ τότε φοιτίζεσκε καθ' ὑλήεντας ἐπαύλεις
Κισσῷ, καὶ δάφνῃ πεπυκασμένος.....

idest

Tunc incedebat silvosâ valle virenti,
Ornatus flavos hederâ, lauroque capillos.

Et vicissim hederam non alienam esse ab
Apolline Lacedemonii ostendebant, qui in
Hyacinthiis [l] Apollini sacris eâ corona-
bantur. Jam proprium fuisse [m] Phœbi va- 7
ticinium quis ignorat? atqui & hoc Dio-
nyso tribuit antiquitas; neque enim audièn-
dus est [n] Tibullus, qui id negat in his ver-
sibus

Sed proles Semeles Bacchus, doctæque sorores
Dicere non norunt, quid ferat hora sequens

Nam in [o] Thraciâ apud Ligurios Bacchi
consulebatur oraculum, in quo vaticinan-
tes non quemadmodum in [p] Clario aquâ
potâ, sed plurimo mero hausto responsa
reddebant. Atque ego eodem arbitror per-
tinere, quod Ægyptii Bacchum Leonis ef-
figie denotabant; nam [q] Solis esse Leonem
symbolum constat; neque abhorret ab hoc
loco fabula, qua fertur Bacchus ad Ocea-
num confugisse, a Nymphisque nutritus
fuisse, quam licet [r] Athenæus ad vini con-
ficiendi rationem referat, qua mustum aquâ
marinâ miscetur, possumus interpretari sic,
ut dicamus Bacchum ad Oceanum fugien-
tem, nihil aliud significare, quàm Solem
radios in humidam naturam immittentem,
a qua Bacchus alitur, hoc est vini liquor
perficitur, & Solis calore pervenit ad ma-
turitatem. Eodemque modo possumus ex-
plicare commentum, quo singulis orbibus 8
Cœli [s] Orpheo docente præsidere dicitur
Bacchus; nam lunari globo Bacchus Licni-
tes, Mercurii Silenus, Veneris Lysius, So-
lis Trietericus præest, Martis orbi Bassareus,
Jovis autem Sabazius, Saturni Amphietes,
Perichthonius octavo stellarum inerrantium
orbi, Eribromus Mundo; quod quid aliud
significat, quàm Solis vim, potestatemque
in omnibus globis cœlestibus, Universo-
que dominari? Nisi verò aliò rem spectare
dicamus; nam Bacchus in mentibus illis
divinis, [t] quibus Pythagorici stellas dicunt
animari, est illud æternum gaudium, verum
nectar, ab omni solicitudinis, & mæroris
fæce defæcatum, purum, simplex, incor-
ruptum, quo inebriantur mentes beatæ,
neque extrinsecùs petitâ voluptate vescun-
tur;

[a] Plin. libr. 2. cap 6 [b] Tib. libr. 1. El. 4. ad Priap. [c] Orph. in hymn. [d] Apud Procl. in Tim. & alios. [e] Ovid. Met. libr. 2. v. 23. [f] Virgil. Æneid. 12. [g] Macr. l. 1. Sat. c. 18. [h] Justin. l. 24 & Macr. l. 1. Saturn. cap. 18. [i] Suid. in v. παρνάσιοι. Cat. in Nupt. Pelei, & Thetid. & Serv. in 10. Æneid. [l] Pauf. in Laconic. sive libr. 3. & Athen. l. 4. c. 7.

[m] Apollod. l. 1. & Virg. Æn. l. 6. [n] Tibull. l. 3. El. 4. [o] Pauf. in Bœot. sive l. 9. [p] Plin. l. 2. cap. 103. [q] Cæl. Rhod l. 13. c. 8. [r] Athen. l. 1. cap. 20. [s] Apud Cæl. Rhod. libr. 22. cap. 2. [t] Diogen. Laert. libr. 8. in Vitâ Pithagor. & Cæl. Rhodigin. libr. 1. cap. 19.

tur; sed in se ipsis perpetuæ felicitatis, & inexhaustæ possident fontes. Neque [a] enim credendum est Superos Juventute pocula ministrante lætari; neque ambrosiâ pasci; neque ad Æthiopum mensas accedere; sua illi gaudia in se habent; suas mente delicias complectuntur; atque hæc in illis vis Bacchus habebatur, & dicebatur.

DISSERTATIO XLVIII.

In idem Epigramma Anthologiæ.

Dissertatio Quinta.

De Baccho.

Bacchus quatenus idem, ac Jupiter, & Sol habebatur, præerat ebrietati, qua perfundi animas ex contemplatione divinæ pulchritudinis tradit Musæus; quatenus verò Pluto dicebatur, præerat illi ebrietati, qua captas animas Plato affirmat in corpus descendere, quod earum carcerem, & sepulcrum, immo Inferos esse sapientissimi Viri prodiderunt. Quamobrem jure Orpheus Orgia Baccho instituit, in quibus Bacchantes insanis motibus, & jactationibus perturbationes animarum, qui in corpus descenderunt, referebant. Præerat itaque Bacchus generationi, & proinde humidæ naturæ, quæ eius fons est, & causa, quum Ægyptii ex Aquâ cuncta constare dixerint, & Homerus Oceanum patrem Deorum, & Thetin rerum primordium appellet. Homerus Empedocles, Plato, & Heraclitus quum de commentitiis illis antris tam multa verba faciunt, intelligunt de Mundo, cujus simulacra sunt speluncæ, & ideo Dionyso dicatæ sunt. Quoniam verò Bacchus idem est, ac Osiris, ideo Typhoni, qui igneam vim significat, quæ fecunditati infestissima est, Osirin maximè inimicum finxerunt; ita pariter quia Bacchus generationi præest, eundem esse, ac Priapum prodiderunt, & in Pamyliorum Festo simulacrum quoddam Priapi triplici membro virili instructum circumferebant, quia Aqua tribus Elementis generatis omnia produxisse videatur, quæ Thaletis Milesii sententiæ consonant.

Vetus opinio est, quam [b] Platonis excellens, & divina quædam præcipuè nobilitavit sapientia, animas hominum cœlestes, atque immortales nunquam in corpus hoc mortale, terrenum, fluxum, caducum descensuras fuisse, nisi ejus amore captas, & illecebris irretitas felicitatis illius beatissimæ paulatim cepisset oblivio. Nam quo pacto animus mentis particeps, atque intelligentiæ, lucem sempiternam cum his tenebris, gaudium cum luctu, sapientiam cum inscitiâ, cum tempestate sævâ placidissimam tranquillitatem, 1
cum miserrimâ servitute beatissimum regnum, vitam cum morte commutare voluisset; nisi vehementi aliquo perturbationis genere commotus in cæcitatem quandam, atque insaniam, & furorem miserabilem incidisset? Atque hæc est illa fuga a Deo, & ille error infelix, quem [c] Plotino teste Heraclitus, Empedoclesque celebrarunt: hic lethæus ille fluvius decantatus a poëtis, ad quem animas [d]

..... *Deus evocat agmine magno,*
Scilicet immemores supera ut convexa revisant,
Rursus & incipiant in corpora velle reverti

hæc denique illa ebrietas, qua animam trepidantem, Plato [e] descendere in corpus affirmat, quæ quidem ebrietas ab eâ longè diversa est, qua Musæus inducit in Helysiis campis animas justorum temulentas; nam illa oritur ex beatissimâ contemplatione divinæ pulchritudinis, & bonitatis; hæc autem ex ingenti quidem, sed miserâ voluptate, qua animæ captæ in has corporis angustias, tenebrasque descendunt; quod illi sapientissimi [f] viri carcerem animorum, & sepulcrum esse voluerunt. Utriusque autem Ebrietatis præses habebatur Dionysus; 2
sed illius præses Dionysus, ut diximus in superiore dissertatione, Jupiter appellatur, & Sol, quòd mentes illustret, & juvet; hujus autem Pluto, siquidem & Plutonem Bacchum accepimus nominatum; quod & Clemens [g] Alexandrinus affirmat, & Ausonius [h] eruditus inprimis poëta testatur hoc versu

Βακχὸς ἐνὶ ζώοισιν, ἐνὶ φθιμένοις Ἀϊδωνεύς

hoc est

Bacchus apud vivos, Pluto inter luce carentes.

Atque hic est Bacchus, cui [i] Orpheus orgia, arcanasque cæremonias, & nocturna sacra dicitur instituisse, qui in Eleusiniis mysteriis unà cum Cerere, & Proserpinâ colebatur; neque enim, ut jam ostendimus, ulli Deo, nisi terrestribus, infernisque numinibus nocturna sacrificia, & occulta celebrabantur. Huic thyrsos [l] vibrabant; huic Bacchæ capita jaciebant, hunc crotalorum, [m] tympanorumque strepitu, hunc & clamoribus incon- 3
ditis, & motibus incompositis, & furore simulato colebant. Quæ non sine causâ ab Orpheo

[a] Cic. Tusc. disp. l. 1. [b] Plato in Phædr. [c] Plotin. de Bono in fin. [d] Virg. Æn. 6. [e] Plato in Phæd. Macr. in somn Sc. l. 1. c. 12. [f] Plato in Gorg. & Cratylo, Cic. in somn. Scip. & Macr. ib. l. 1. c. 11.

[g] Clem. Al. in Protr. [h] Auson. Ep. 28. [i] Serv. in 6. Æn. [l] Dionys. in Cosmographiâ, Ov. Met. libr. 6. Virgil. libr. 4. Æneid. [m] Horat. libr. 2. Od. 19

pheo sunt instituta; nam si Bacchus esse creditur vis illa, qua illectæ animæ, & irretitæ corporibus miscentur, jure status hic animarum [a]

Quæ metuunt, cupiuntque, dolent, gaudentque, nec auras
Respiciunt clausæ tenebris, & carcere cæco

exprimitur insanâ jactatione, & motibus inconcinnis ebriorum; verè enim animus
4 in hoc corpore cupiditatibus incensus insanit, & debacchatur, & quodammodo ebrius voluptatibus furit; perturbationibus autem ita commovetur, agitatur, differtur, & malis omnibus premitur, & ardescit irâ, & mœrore, luctuque contabescit; ut Veteres, quemadmodum tradit [b] Macrobius, nullos esse voluerint Inferos, nullum Cocytum, aut Phlegetontem, nulla, ut ait Poëta vetus apud [c] Ciceronem,

Acherontia templa alta Orci pallida,
Lethi obnubila, obsita tenebris loca

præter hoc corpus, in quo demersus animus tot modis miserrimè conflictatur; quorum sententiâ clarissimè ratio explicatur, cur hic Dionysus, qui præest animis in corpora descendentibus, & his, qui jam descenderunt, Pluto nuncupetur. Siquidem Inferi [d] sunt corpora, & Pluto Inferorum Deus; atque hunc [e] humidæ naturæ præsidem esse voluerunt, quam materiam semper fluentem, nunquamque easdem servantem formas interpretantur; ex quo a-
5 nimas, quæ propensione quadam naturæ cum materiâ conjungi, eique adhærescere concupiscunt, Nymphas appellatas in commentario de Nympharum antro Porphyrius tradit. Quam arbitror causam fuisse, ut Antiqui Dionyso speluncas, atque antra præcipuè consecraverant; quod in Insulâ [f] Naxo, ubi antrum Dionyso sacrum colebatur, & in [g] Parnasso monte legimus factitatum; nam antra, ut auctor est Porphyrius, simulacra [h] sunt hujus aspectabilis Mundi; quapropter Empedocles, & Plato, & Heraclitus, & ante omnes Homerus, quum de commentitiis illis antris tam multa verba faciunt, nihil [i] aliud intelligunt, quàm Mundum. Jure igitur Deo materiæ præsidi hujus Mundi corporei simulacra dedicabant, in quo efficiendo, ut Aristoteles docet, omnis absumpta materia est. Neque ab horum opinione dissentiunt [l] Ægyptii;
6 nam hi ex aquâ cuncta Deum effecisse confirmant; ajuntque [m] Homerum Ægyptiorum auctoritatem sequutum Oceanum patrem Deorum, Thetin rerum appellasse primordium. Osirin autem, quem idem, atque Bacchum numen ostendimus, humidam naturam, hoc est materiam, ex qua omnia procreantur, existimant. Quod ex multis rebus percipi facilè potest; nam & Osirin [n] Typhoni perhibent adversarium esse, eum eoque sæpenumero conflixisse; quod nihil aliud significat, quàm [o] humidam naturam omnium rerum procreatricem pugnare cum igneâ vi, squallentique, quæ infestissima est fecunditati, quæ vis Typhon appellatur; nam τύφειν græcè dicitur comburere; propterea color Osiridis [p] niger fingitur propter abundantiam humoris,
qua de causâ, & taurus [q] ipsi nigerrimus 7
immolabatur, & Osiridis cultoribus fontis os [r] obstruere, & obturare non licebat; quasi nefas esset eum, qui se humidæ naturæ Deum præsidē colere profiteretur, prorumpentem humorem impedire. Eodem modo, quum Aqua elementorum fecundissima habeatur, ut ostenderent Osiridis naturam ab Aquæ non discrepare naturâ, Osiridem fecunditatis auctorem agnoscebant; ac propterea in [s] pompâ, quæ in ejus honorem ducebatur, ficulneum folium in penis figuram deformatum præferebatur. Quod si Osiris, & Bacchus idem Numen, Osirin autem humidam naturam Ægyptii arbitrabantur, consequens est & Bacchum censuisse
se Sed quid Ægyptios loquor? nonne Græ- 8
ci eadem confirmant? nonne Aristo Chius Bacchum Najadis filium fuisse tradit? Najades autem Deæ fontium habebantur? nonne Bacchum eodem modo Græci colebant, & ut indicarent esse humidæ naturæ, omnisque fecunditatis auctorem, Phallos in Dionysiis [t] circumferebant? sunt autem Phalli ficulnea veretra e collo propendentia, ut auctor est Herodotus [u] libro secundo. Quin etiam Priapum idem esse numen, ac Bacchum putaverunt, quemadmodum Suidas in voce Priapus, & interpres Theocriti tradiderunt; Priapum verò quis ignorat rebus præesse generandis; ac propterea ab humore non esse diversum? Quod ut Veteres indicarent, in Pamyliorum festo absurdum quoddam Priapi simulacrum triplici membro virili instructum circumferebant, cujus rei rationem hujusmodi doctissimi viri reddiderunt. Priapum ideo tria instrumenta gignendi habere fingi, quia Aqua tribus elementis generatis omnia produxisse videatur; hæc autem Thaletis Milesii [x] sententiæ mirificè consonant. Quæ sive vera est, sive falsa, certè constat Aquam elementorum omnium esse ad gignendum aptissimam, ac proinde si Bacchus est præ-

ses

[a] Virgil. Æn. 6. [b] Macr. in somn. Scip. l. 1. c. 10. [c] Cic. Tusc. quæst. libr. 1. [d] Diodor. Sicul. l. 6. [e] Plutarch. de Iside, & Osiride. [f] Cæl. Rhodig. libr. 24. c. 17. [g] Justin. l. 24. [h] Cæl. Rhod. l. 7. cap. 1. [i] Eustath. in Odyss. ν. [l] Plutarch. de Iside, & Osiride. [m] Hom. Il. ξ. v. 201. & v. 302.

[n] Diod Sicul. biblioth. libr. 1. [o] Plutarch. de Iside, & Osiride. [p] Plutarch. ibid. [q] Plutarch. ib. [r] Plutarch. ibid. [s] Plut. ib. [t] Diod. Sicul l. 1. [u] Herodot. libr. 2. cap. 49. [x] Plutarch. de Placit. Philosoph. libr. 1. cap. 3.

ses fecunditatis, ab Aquæ non alienum esse
naturâ; sed de humoris fecunditate, quum
de Imagine Veneris emergentis e mari ex-
plicavimus [a] epigramma, verba fecimus.

DISSERTATIO XLIX.

In Epigramma VI. libri primi Anthologiæ.

Dissertatio Prima.

In qua de Lycurgo Spartanorum Legumlatore differitur.

Peloponesum in tres partes diviserunt Herculis Posteri, quarum unam Messenii, aliam Argivi, tertiam Lacedæmonii tenuerunt, & Messena obtigit Cresphonti dolo ipsius. Lycurgus bellicæ tantùm virtutis curam habuit, ceteras autem licet præferendas neglexit, in quo a Platone, & Aristotele reprehenditur; sed ignoscendum Lycurgo ob temporum illorum conditionem, quoniam tunc verissimum accidebat illud, quod Plato refert nonnullos opinari inane Pacis nomen esse, omnibus autem urbibus adversùs omnes perpetuum bellum, & inexpiabile semper esse. Quare Græci ἀταςθαλίαν injustitiam appellent. Lacedæmonii pecuniâ hostes primi corruperunt.

PEninsularum longè clarissima Pelo-
ponesus in tres ferè partes uni-
versa fuit olim distributa; quarum
unam Messenii, aliam Argivi, ter-
tiam Lacedæmonii [b] tenuerunt;
has quum inter se sortiri Herculis Poste-
ris Temeno, & Cresphonti, & Aristodemi
liberis placuisset, & Cresphontes Messenam
cum virorum multitudine, tum soli u-
bertate præstantem cuperet obtinere, reli-
quis persuasit ita rem componere, ut cu-
jus prima sors exiret, is Lacedæmonem,
1 aut Argos acciperet; Messena verò tertiæ
sortis esset; quam ut sortiretur ipse, hujus-
modi strategem commentus dicitur. Quum
sortes ex albo lapide constantes in situlam
aquæ plenam coniicerentur, ipse candidam
glebam lapidi quamsimillimam demisit, quæ
quum humore in intimas ejus partes per-
vadante esset dissoluta, & ceteræ sortes e-
xissent, Messenæ regno, sicut optaverat,
potitus est. Hanc historiam fortasse respe-
xit [c] Plautus in illis versibus

Sed utinam tua quidē, sicut Herculeis prædicant
Quondam prognatis, ita in sortiendo sors
delicuerit

Ex hac autem constat Messenios Reges, Ar-
givos, ac Lacedæmonios ex iisdem ortos
radicibus; ac propterea, quum inter eos æ- 2
mulatio oriatur maximè, qui se vicinitate
loci, generis propinquitate, studiorum si-
militudine attingunt, atque hæc omnia iis
populis adessent; magna inter eos virtutis
æmulatio, & gravissimæ contentiones, &
diuturna etiam bella, & gravissima extite-
runt. Argutè igitur Græcus poëta Lacedæ-
monium Athletam se se Messeniis, & Ar-
givis Athletis comparantem facit, & eorum
gloriam tanquam dolo, & quibusdam te-
chnis vincere soleant, elevantem, & se vi
Lacedæmoniorum more palmam consequi
gloriantem; quasi dicat, en quantum Patriæ
disciplina valet! Argivi, & Messenii ejus-
dem Peloponesi incolæ, eorumdem Hera-
clidarum imperio subjecti, quàm longè ta-
men absunt a Lacedæmoniorum fortitudi-
ne! nos enim virtute freti superamus; illi
dolo: nos animi præsentiâ, ut in palæstrâ,
sic in bello; illi calliditate, & astutiâ, quas
indignas Spartanorum moribus judicamus;
& argumentum quidem epigrammatis tale
est; epigramma verò hujusmodi

Ο'ΰτ' ἀπὸ Μεσσάνας, ὄυτ' ἀργόθεν εἰμὶ παλαιςάς,
Σπάρτα μοι, Σπάρτα κυδιάνειρα πατρίς:
Κεῖνοι τεχνάεντες; ἔγωγε μὲν, ὡς ἐπέοικε,
Τοῖς Λακεδαιμονίων παισὶ, βίᾳ κρατέω.

Hoc autem totidem verlibus latinis ita con-
vertimus

Non ego Messanæ luctator, & editus Argis;
Sparta mihi Patria est laude superba virûm.
Arte illi vincunt, ego vi; Lacedæmone natos
Sic virtute decet, non superare dolo.

Et in verbis quidem explicandis hodierno
die non immorabimur; nihil enim habent
reconditum, nihil, quod eruditum inter- 3
pretem desideret. Ceterùm quoniam Poë-
ta sanè quam graficè, & eleganter describit
Lacedæmoniorum morem non solùm, ut
ait [d] Cicero, inflammatum cupiditate vin-
cendi, sed etiam solam ex virtutibus for-
titudinem amplectentem, & in laude po-
nentem; placet hodierno die nonnulla di-
cere de moribus, institutisque, & discipli-
nâ Spartanorum, ut ostendamus, quàm ar-
tificiosè Poëta Lacedæmonium tantoperè
suæ virtuti confidentem faciat; simul ut
rem tam illustrem, & a Scriptoribus oppi-
dò celebratam, quoniam se nobis obtulit
occasio, non omittamus; cujus explicatio
rei lucem afferet nonnullam multis epi-
grammatis Anthologiæ, quibus Lacedæmo-
niorum virtus, & disciplina celebratur.
Lycurgus [e] igitur severissimatum legum
conditor ita civitatem Spartanorum tempe- 4
ravit, ita suorum civium animos confor-
mavit; ut nihil antiquius, pulchrius, ex-
cellentius, admirabilius animi magnitudi-
ne du-

[a] Diss. 20. in Anth. n. 6. & seqq. [b] Pauf. in Lac. [c] Plaut. Cas. Act. 2. Sc. 6. [d] Cic. de Off. l. 1. [e] Plut. in Lyc.

ne ducerent; nihil abjectius, turpius, detestabilius ignaviâ, mortis formidine, & laborum, dolorisque impatientiâ. Et illud in primis in condendis legibus, constituendaque Republicâ spectavit, ut Lacedæmonii quam optimi bellatores evaderent; ut autem ceteris virtutibus excellerent, nisi quatenus hæ fortitudini conducerent, non magnopere laboravit. Existimavit nimirum vir bellicæ virtutis apprime studiosus id, quod Plato in primo libro de legibus nonnullos opinari notat, inane pacis nomen esse; omnibus autem urbibus adversùs omnes perpetuum bellum, & inexpiabile semper esse; qua quidem in re Lycurgum Plato, ipso in secundo Politicorum libro Aristotele [a] consentiente, reprehendit. Quũ enim præcipua civitatum felicitas in virtu-
5 te consistat, & omnis honesti vis in quatuor partes dividatur, is, qui tribus earum neglectis quartam dumtaxat assumit, nonne majorem felicitatis partem negligit, & eam mancam quodammodo, ac debilem, imperfectamque suis civibus tradit? quid quòd ea pars virtutis, ad quam Lycurgus omnia retulit, est illa quidem laudanda; sed cum ceteris virtutibus comparari nullo modo debet; ceterarum quippe virtutum vis omnis in animo sita est; bellica verò virtus, quam præcipuè spectavit Lycurgus, etiam corporis viribus indiget; & illas quidem cum Diis immortalibus, hanc autem cum feris quodammodo communem habemus; nam & feræ pro suis catulis fortissimè pugnant, & vi vim illatam repellunt; & in ipsa pericula magno cum impetu feruntur; at prudentiæ, justitiæ, temperantiæ ne leviter quidem adumbrata, nedum impressa vestigia in ipsis apparent. Quæ quum ita sint, quomodo non reprehendendus Ly-
6 curgus, qui minimè omnium laudabilem virtutem sit amplexus; excellentissimas reliquerit, suos cives appetentes cædis, & sanguinis, æqui, bonique studiosos non fecerit? Hæc dicuntur ab iis, qui leges improbant Spartanorum fortasse verissimè; neque enim repugno; veruntamen quicunque reputaverit, quibus temporibus Lycurgus leges tulerit, minimè mirabitur; quum duo sint Rerumpublicarum tempora, pacis, & belli, illum de bello tantummodo cogitasse; nam antiquitùs nondum hominum moribus mansuefactis, erat verè civitatibus universis adversùs omnes bellum prope sempiternum, & tantum quisque obtinebat, quantum armis, & viribus consequebatur.
7 Quamobrem quemadmodum Thucydides libro primo testatur, Græci veteres arma nunquam deponebant, quo respexit Apollonius libro quarto, quum de Phæacibus ad forum deducentibus Regem sic cecinit:

Τῷ δὲ καὶ ἐξείης πολεμήια τεύχεα δύντες
Φαιήκων οἱ ἄριστοι ὁμίλαδον ἐστιχόωντο.

hoc est

..... *post hunc induti fulgentibus armis*
Phæacum Proceres veniebant agmine facto

Qui mos, sicut alii multi Antiquorum apud Germanos diu mansit, quos nihil publici, privatique negocii gessisse, nisi armatos Cornelius [b] Tacitus est auctor. Erat autem id Antiquis maximè necessarium, urbibus
quippe nondum munitis, semper inter se 8
bellum gerebant, quum, ut ait [c] Thucydides, prædas quotidie ex agris vicinis agerent, ferrentque; neque enim, ut intelligi potest ex Homero, turpe habebatur latrocinari; neque civitates modò adversùs civitates, sed singuli etiam cum singulis de victu ferarum more quotidie dimicabant; ex quo factum est, ut *ἀτασθαλίαν* [d] injustitiam, improbitatemque Græci veteres appellarent quemadmodum tradit [e] Athenæus libro primo Dipnosophistarum; nam quum in conviviis, quæ θαλίαι Græcis vocantur, maximè peccaretur, & propter cibos rixæ quotidie orirentur, cædesque frequentissimè fierent, omnia improbè facta *ἀτασθαλίαι* ceperunt appellari; quum autem præstanti prudentiâ, ac justitiâ viri cuperent obviam ire tantæ immanitati, instituerunt, ut singulis partes in conviviis tribuerentur; unde *Δαῖτας ἐΐσας cenas æquales* fere semper Homerus [f] appellat; quem morem non modò Græci, sed etiam Romani diurissimè retinuerunt. Atque hæc satis esse possunt ad illustrandum præsens Epigramma,
reddendamque rationem, cur Poëta noster 9
inducat Lacedæmonium solam ex virtutibus fortitudinem in laude ponentem, & victoriam respuentem, quæ non vi, sed arte, doloque contingeret; quod de Athletis dictum verissimum est, nam Lacedæmonii palæstris non præficiebant magistros, qui *παιδοτρίβαι* appellantur, ut esset virium non
artis illud certamen. Ceterum in bello longè aliter se gerebant; nam primi dicuntur hostes pecuniâ corrupisse teste [g] Pausaniâ, quum Messenios magnâ pugnâ devicerunt Aristocrate Arcadum Rege ad socios prodendos magnis donis invitato, atque impulso; & [h] ad Ægospotamon Athenienses profligarunt corrupto, ut creditur, Adimanto Atheniensium Duce; quapropter ab Euripide Lacedæmonii *δολιὰ βουλεύματα dolosa consilia* appellantur.

DIS-

[a] Aristot. de Repub libr. 2. cap. 6. [b] Corn. Tacit. de morib. German. [c] Thucyd. libr. 1. [d] Suid. in V. ἀτάσθαλα. [e] Athen. l. 1. c. 10. [f] Homer. Odyss. λ v. 184. [g] Pausʃ. in Messen. sive libr. 4. [h] Pausan. in Phoc. sive libr. 10.

DISSERTATIO L.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO SECUNDA.

2 Pergit agere de Lycurgo, & Lacedæmoniorum legibus.

Vetustissimis temporibus tantum quisque possidebat, quantum armis obtinere poterat; ideo fortitudinem omnibus aliis virtutibus anteponebant; adeo ut quidam nullos alios Deos præter arma haberent. Idcirco Lycurgus in legibus condendis bellicam præcipuè virtutem spectavit, & ab instituendâ juventute orsus est; idque adeo est consequutus, ut Spartani adolescentes eâ modestiâ essent, ut pudorem virginum longè superarent, eâ verò fortitudinis gloriâ inclaruerint, ut etiam philosophi ab ipsis exempla fortitudinis peterent. Quo tempore floruerit Lycurgus; Duo fuerunt Lycurgi.

Quemadmodum verisimile est, Auditores ornatissimi, primos illos homines, qui propiùs aberant ab origine suâ cœlesti, atque divinâ, nondum depravatâ naturâ fuisse justissimos; ita posteaquam corruptis paulatim moribus humanum genus a naturæ legibus descivit, nondum jure civili constituto, injectoque licentiæ freno maximè ferum, immane, barbarum extitisse necesse est; quod esse veritati consentaneum cum ex multis intelligi potest, tum ex iis, quæ superiori dissertatione demonstravimus. Ostendimus enim Heroicis temporibus, & ætatibus, quæ proximè consequutæ sunt, tam immanes hominum fuisse mores, adeò omnia passim cædibus, bellis, latrociniis infesta, ut omnes semper in armis esse cogerentur, & tantum quisque possideret, quantum vi, ferroque posset obtinere; quum autem pleraque vi gererentur, minimè mirum est, si, ut Athenæus [a] ait, Antiqui fortitudinem omni-
1 bus virtutibus anteponebant, & omnia illi ferebant accepta. Quocirca quidam tam impii, atque immanes extiterunt, ut nullum, nisi in armis numen esse existimarent, in quibus fuit ille Cæneus, quem Apollonii Scholiastes tradit hastam dumtaxat adorasse; & Idas ille, quem sic in Argonautis Apollonius inducit loquentem

Ἴστω νῦν δόρυ θοῦρον, ὅτῳ περιώσιον ἄλλων
Κῦδος ἐνὶ πτολέμοισιν ἀείρομαι, οὐδέ μ' ὀφέλλει
Ζεὺς τόσον, ὁσσάτιόν περ ἐμὸν δόρυ.....

hoc est

Per contum juro, quo maxima gloria belli
Uni parta mihi est, nec tantum Juppiter auget,
Fulmineo quantum me fraxinus acta lacerto

Quorum impietatem respiciens Latinorum poëtarum princeps Mezentium facit ad hunc modum loquentem [b]

Dextra mihi Deus, & telum, quod missile libro

Et ut a fabulis, & poëtis abeamus, certè constat Antiquos tanti fecisse fortitudinem, ut eam virtutis nomine maximè significarent, ut docet Nonius Marcellus, & Ju- 2
stinianus [c] alicubi notat, quasi verò fortitudo sola esset, & genuina virtus, præque eâ omnes aliæ contemnendæ, neque satis eo nomine dignæ putarentur; quod & Tyrtæus [d] poëta nobilis inprimis declarat, qui nihili esse hominem omnibus laudibus ornatum affirmat, si unâ tantùm bellicâ virtute destituatur; quam opinionem vetustissimis quibusque temporibus maximè vigentem non est mirandum esse Lycurgum sequutum. Floruit enim Lycurgus, ut ex A-
ristotele tradit [e] Plutarchus, Iphiti tempo- 3
ribus, hoc est viginti tribus ante urbem conditam annis; atque hic juniorem, quàm ceteri Lycurgum fecit; nam [f] Clemens Alexandrinus ex Eratosthene Lycurgum refert vixisse annis plusquam centum ante primam Olympiadem; quam opinionem Cicero comprobavit, qui oratione pro Flacco affirmat Lacedæmonios septingentorum annorum intervallo iisdem semper usos esse legibus; quam etiam opinionem utpote maximè consentaneam veritati sequitur [g] Petavius. Vellejus autem Paterculus leges condidisse tradit anno centesimo octogesimo octavo post excidium Trojæ; Suidas [h] autem octavo, qui de alio Lycurgo fortasse loquitur; duo quippe Lycurgi extiterunt, nisi forte ex errore exciderint duo priores numeri, & solum superfuerit tertius, & proinde de eodem anno mentionem faciat. Quarum opinionum
quælibet Lycurgum antiquissimum fuisse 4
declarat, ac proinde nemini mirandum debet videri illum in condendis legibus, quid ea tempora postularent, hominumque mores, qui tum vivebant, respexisse; illud magis miteris, quibus artibus fuerit assequutus, ut mortem Spartani tantopere contemnerent, & cum Græcis, tum Barbaris bellicâ virtute præstarent; quod ipsum cogitanti, quibus urbem fundarit legibus, minùs mirum sanè videbitur. Nam quemad-

R mo-

[a] Athen. libr. 14. cap. 6. [b] Virg. Æn. X. [c] L. solent 2. & seq. ff. de Alea lus. & Aleat. & Auth. Ut omn. obed. Judic. &c. in princ. [d] Pausf. in Messenic. Justin. libr. 3. [e] Plut. in Lycurgo, & Cedrenus hist. Compend. [f] Clem. Alexandr. Stromat. l. 1. [g] Petavius in ration. Tempor. [h] Suid. in v. Λυκοῦργος σπαρτιάτης νομοθέτης.

modum in Euthyphrone Plato præclarè docet, quum primum sit habenda puerorum, adolescentiumque cura Rempublicam rectè gubernantibus, Lycurgus eam ætatem minimè neglexit, quæ facillimè omnium vel in vitium flectitur, vel ad omnen honestatem conformatur; & quum in aliis urbibus Liberos arbitratu suo cuique liceat educare, ipse institutionem puerorum publicum munus judicavit; itaque ipsorum curam non servorum nequissimis, ut in ceteris
5 ferme civitatibus fieri solebat, sed spectatæ gravitatis viro, ex eorum numero, qui principem in Republicâ locum obtinebant, demandavit, qui ex [a] re Pædonomus appellabatur. Is delinquentes severè puniebat, & ad eam rem habebat circa se juvenes cum flagellis, qui Pædonomi jussa exequebantur; &, quia sæpenumero accidebat, ut Pædonomus aliquo negotio impeditus adesse non posset, permisit [b] cuivis, ut siquid puerum peccantem vidisset, cum plecteret, & siquid honestum duceret, ipsi imperaret; qua re consequutus est, ut tantâ modestiâ pueri, & adolescentes conspicerentur, ut quemadmodum Xenophon tradit [c] pudorem virginum, verecundiamque longè superarent. Jam verò [d] ad labores,
6 inediam, doloremque perferendum teneros puerorum animos ita confirmavit; Principio pedibus nudis jussit incedere; eademque veste per hiemem, æstatemque uti, modico cibo esse contentos. Ut autem solertiores ipsos, & ad bellum efficeret aptiores, siquando fame laborarent, [e] permisit, ut esculenta furarentur; tametsi deprehensos verberibus affici jussit, quod ille non fine causâ sancivit; siquidem necesse est eum, qui furari velit, vigilare noctu, fallere, struere insidias, exploratores parare, quæ omnia plurimum conducunt eximio bellatori futuro; deprehensos autem multari jussit, ut assuescerent esse cautiores. Illud autem quàm duriter, & severè Lacedæmonii Liberos educarint, argumentum
7 est [f] vel maximum, quod ad aram Orthiæ Dianæ, sicut Xenophon in Lacedæmoniorum Republicâ, & Plutarchus in Lycurgi vitâ memoriæ prodiderunt, pulcherrimum habebatur, quàm plurimos furari caseos, & tamen, qui id fecisset plurimas plagas accipiebat, quas si patienter pertulisset, virtutis ergo coronabatur, ut Nicolaus in libro de moribus gentium scriptum reliquit. Atque hæc est illa celebris verberatio, de qua sic [g] Cicero scribit in Tusculanis; *Spartæ verò pueri ad aram sic verberibus accipiuntur, ut multus e visceribus sanguis exeat; nonnunquam etiam, ut, quum ibi essem, audiebam, ad necem*; quod tamen illi gloriæ cupiditate patientissimè ferebant; adeo ut ne vocem quidem emitterent; idem Cicero *quorum non modò nemo exclamavit unquam; sed ne ingemuit quidem*. Eamdem tolerantiam doloris in Lacedæmoniorum pueris Arrianus in dissertationibus Epicteti li- 8
bro primo capite secundo significat his verbis *πληγαὶ ἀλ. εἰσὶν ἀφόρητοι τῇ φύσει, τίνα τρόπον; ὅρα ὅπως Λακεδαιμόνιοι μαστιγοῦνται μαθόντες, ὅτι εὔλογόν ἐστι*; hoc est: *plagæ non sunt intolerabiles naturâ; quo pacto? Vide quomodo Lacedæmonii verberantur, quum didicerint id esse consentaneum rationi*: quod autem Cicero [h] audivisse se dicit Spartanos pueros ad necem usque interdum cædi, Plutarchus id in Lycurgo se vidisse testatur, adeo Lycurgus teneram ætatem ad duritiam vitæ, laborumque patientiam, dolorumque firmavit, ut aliorum ætas robusta, & Philosophorum severissimi a Spartanorum pueris exempla petant fortitudinis, & patientiæ. Sed quum nos in præsentiâ satis multa verba fecerimus, de reliquis Lycurgi legibus, institurisque Lacedæmoniorum sequentibus diebus disseremus.

DIS-

[a] Arist. l. 7. Politic. cap. 1. [b] Xenoph. de Laced. Rep. [c] Xenoph. ibid. [d] Suid. in v. Λυκοῦργος. [e] Xenophon. de Exped. Cyri libr. 4. & in Laced. Rep. [f] Suid. in v. Λυκοῦργος. [g] Cicer. Tusc. libr. 2. eadem ferè habentur libr. 5. [h] Cic. ib.

DISSERTATIO LI.

De Legibus, institutisque Spartanorum.

Dissertatio Tertia.

Ubi aliud Anthologiæ Epigramma ex libro primo in Fortes proponitur, & de Spartanis præcipuè Feminis agitur.

Virtutes in feminis, ac in viris an sint eædem, dissentiunt inter se Plato, & Aristoteles. Gymnosophistæ, & gymnasia unde ita appellentur; phthongi quid, & quot sint; vox κὐρανες, & aliæ quid significent. Feminæ Spartanæ venatione, & cursu non secus, ac viri exercebantur; quin etiam nudæ in palæstris decertabant; quod institutum licet Aristoteles damnet, Plato tamen comprobat eâ ratione, quia quemadmodum militares sunt milites, qui tam dextrâ, quàm sinistrâ uti possint; sic etiam Civitates, quæ feminis pariter, ac viris ad Rempublicam administrandam uti valeant.

Aristoteles [a] præclarus inprimis auctor intelligendi feminarum, virorumque virtutes toto inter se genere diversas esse confirmat, magisque Gorgiæ [b] sententiam, & examen illud virtutum, quod eodem auctore in Menone Platonis indu-
1 citur, quàm Socratis opinionem probat, qui virtutibus universis inesse quiddam commune arbitratur. Contra Plato ille, ut ita dicam, philosophorum Deus, in quinto de Republicâ libro plus tribuere feminis videtur; neque [c] Thucydidis comprobare sententiam, qui eam feminam maximè laudabilem dicit, cujus nomen extra domesticos parietes ignoratur; nam quamvis mulierum, quàm virorum deterior in aliquantò, imbecilliorémque naturam esse fateatur; tamen easdem utrorumque virtutes, eadem in Rempublicam officia esse debere contendit; & quemadmodum milites eos laudat, qui tam dextrâ uti, quàm sinistrâ ad rem gerendam possint; ita civitates, quæ non minùs feminis uti, quàm viris ad Rempublicam administrandam valeant. Et sanè, quamquam Aristotelis auctoritas tanta est, ut gravissimi pondus habeat argumenti, tamen & Platonis auctoritate infirmatur, & exempla sententiam Platonis veriorem esse declarant. Nam, ut de aliis taceam, Spartanæ mulieres satis ostenderunt 2
non verecundiam modò, modestiam, pudicitiam; sed fortissimo viro dignam animi magnitudinem, constantiamque singularem esse feminarum virtutem; quem enim e fortissimis viris anteponemus illi [d] Spartanæ, quæ filium abjecto clypeo turpissimè fugientem e prœlio, & in Patriam redeuntem graviter increpitans arreptâ hastâ transfodit? Neque enim Brutus, & Manlius, quorum alter, ut Patriæ saluti consuleret, alter, ut disciplinam militarem gravi documento [e] sanciret, filios interfecerunt, majorem animi magnitudinem præsetulerunt. De hac Heroinâ epigramma Græcum est in [f] Anthologiâ, quod nos hodie exponemus, tum illa de legibus, & disciplinâ veterum Spartanorum, quæ supersunt, explicare pergemus; Epigramma autem ad hunc modum se habet

> Γυμνὸν ἰδοῦσα Λάκαινα παλίντροπον ἐκ πολέμοιο
> Παῖδ' ἑὸν ἐς πάτραν ὠκὺν ἱέντα πόδα,
> Αὐτὴ ἀΐξασα δι' ἥπατος ἤλασε λόγχην
> Ἄρρενα ῥηξαμένη φθόγγον ἐπὶ κταμένῳ
> Ἀλλότριον σπάρτας, εἶπεν, γένος, ἔρρε ποθ' ᾅδαν,
> Ἔρρ' ἐπεὶ ἐψεύσω πατρίδα, καὶ γενέταν.

Quod Epigramma totidem Latinis versibus ad hunc modum convertimus

> *Vidit ut abjectâ fugientem prœlia parmâ*
> *In Patriam Natum ferre Lacæna pedem,*
> *Irruit adversa, atque hastam sub pectore condit,*
> *Et super extincto talia dicta dedit.*
> *Degener i manes, & tristia Tartara, matrem*
> *Mentitus quoniam es, cum Patriaque genus*

Γυμνὸν ἰδοῦσα; γυμνὸς nudus, unde [g] Gymnosophistæ Indorum Sapientes, quod nudi philosopharentur, quasi nudi sophistæ sunt appellati; unde etiam γυμνάζω, quòd [h] nudi exercerentur in palæstrâ, significat exerceo, ex 3
quo gymnasium locus ubi luctabantur, & gymnas apud Statium ... *hic tibi fessa*
Gymnas, & insontes juvenum sine castibus iræ
Hic tamen γυμνὸς non est nudus, id est sine veste, sed sine armis, vel potiùs sine clypeo; non enim apud Lacedæmonios alia, arma amisisse [i] tam indecorum, quàm clypeum abjecisse; id verò flagitium militare habebatur severissimè puniendum; nec apud [l] Spartanos modò scutum reliquisse turpissimum ducebatur, sed apud alias etiam gentes; hinc Poëta Lyricus [m] dixit

> *Tecum Philippos, & celerem fugam*
> *Sensi relictâ non bene parmulâ*

Παλίντροπον; τροπὴ *fuga*, *conversio*, unde

[a] Arist. Politic. libr. 2. [b] Plutarch. de virtut. mulierum in princ. [c] Thucyd. libr. 2. [d] Vide Plutarch. in Apophthegm. Lacænarum. [e] Liv ab V. C. libr. 2 & 4. [f] Anth. l. 1. εἰς ἀνδρείους, καὶ ἀνδρείους. Epigr. 1. [g] Cic. Tuscul. quæst. libr. 5. Plutarch. in Alex. & Q. Curt. l. 8. [h] Suid. in v. γυμνάσια. [i] Plutarch. in Agesilao. [l] Arist. Rhetoric. libr. 2. cap. 6. [m] Horat. libr. 2. Ode 7.

Tropici ea puncta, quæ ubi Sol attigit, re-
4 trocedere videtur, & Heliotropium herba, quæ folia convertit ad Solem etiam, si Plinio [a] credimus, nubilo Cœlo; & *τρόπαιον ἀπὸ τῆς τροπῆς τῶν πολεμίων*; *παλίντροπος* est ergo *reversus*, nam *πάλιν iterum, retro*: *ὠκὺν ἔοντα*; *ὠκὺς velox* unde *ποδώκυς velox pedibus*, quo nomine semper apud [b] Homerum Achilles insignitur; & [c] *Ὠκεανὸς ἀπὸ τοῦ ὠκέως νάειν* quamquam aliter sentit [d] Suidas: *ἴεντα*: *ἵημι* est *mitto*, unde Apollinem sic invocabant *ἴε παιὰν* hoc est *immitte feriendo*, qua voce Latonam [e] Macrobius tradit usam, quum Apollinem adhortaretur, ut Pythonem sagittis vulneraret

Ἄρρενα ῥηξαμένη φθόγγον ἐπὶ κταμένῳ

ῥήγνυμι est *rumpo*; eodem autem loquendi
5 genere utuntur etiam [f] Latini

Compositò rumpit vocem, & me destinat aræ

φθόγγος hic significat vocem, propriè tamen a Musicis *φθόγγος* definitur *ἐλάχιστον μέρος φωνῆς minima pars vocis*; vigintiocto autem *φθόγγοι* a musicis numerantur: *ἔρρε πόθ' ἅδεν*; *φθείρω* est *perdo, corrumpo*, a quo Æolicè fit *εἴρω*, & *ἔρρω pereo*, Xenophon *ἐπεὶ γέλως ἐξ ἀνθρώπων ἀπόλωλεν, ἔρρει τ' ἀμὰ πράγματα nam postquam risus periit, res meæ funditus perditæ sunt*; hinc *ἔρρ' ἐς κόρακας abi in malam crucem* quo Aristophanes proverbio frequenter utitur; *κόρακες* enim locus, ubi damnati ultimo supplicio afficiebantur, ut intelligi ex interprete [g] Aristophanis potest; pro eodem Græci dicunt *ἐς μακαρίαν*, Poëta Comicus [h] apud Athenæum

Ἐς μακαρίαν τὸ λύτρον, ὡς διέθηκέ με

Ἅδης est Deus inferorum, qui in Samothraciis mysteriis appellabatur *ἀξιόκερσος*, ut au-
6 ctor est interpres [i] Apollonii. *Ἅδης* est etiam aër, si credimus [l] Cælio Rhodigino. Sed jam opportunum est, ut ad Spartanorum Rempublicam, quemadmodum initio polliciti sumus, revertamur. Minimè est igitur mirum, Auditores, tantam animi magnitudinem in Lacedæmoniorum fuisse feminis; non enim, quemadmodum apud alios populos mulieres molli cultu, & lanificio dumtaxat intentæ Lacedæmone habebantur; sed iisdem, quibus mares, exercitationibus [m] utebantur. Existimavit nimirum vir sapiens in primis, Lycurgus quum, ut ait Poëta [n] nobilis,

Fortes creentur fortibus

Lacedæmoniorum virtutem majorem futuram, si parens eorum uterque virtute præstaret, & non solùm a patre pueri, sed etiam a matre fortitudinem docerentur. Quapropter [o] & venatione virgines, & cur-
su jussit exerceri, & quod perabsurdum, 7
perque ridiculum fortasse videatur, nudas in Palæstrâ decertare, sicut Ovidius in Epistolâ Paridis ad Helenam tradit, & [p] Propertius in elegiâ, quæ sic incipit

Multa tuæ, Sparte, miramur jura palæstræ

Quocirca non sine causâ [q] Martialis Spartam libidinosam vocat, quum ait

..... & Libidinosæ
Ledæas Lacedæmonis Palæstras

& Euripides in Andromachâ Peleum dicentem facit non esse mirandum Spartanorum feminas pudoris jura sæpenumero resolvere, quum in conspectu marium publicè sese exerceant. Plato tamen Philoso-
phorum Homerus in quincto de Republicâ 8
libro hoc Lacedæmoniorum institutum vehementer comprobat, eodemque modo in eâ, quam instituit, civitate feminas exercendas esse præcipit; Aristoteles verò secundo [r] libro civilis doctrinæ a Platone dissentiens hunc morem præcipuè damnat, & audaciam in feminis reprehendit, utpote quæ ad aliam rem nullam sit utilis, quàm ad bellum, in quo tamen Lacedæmoniis nihil mulierum profuerit fortitudo; quod eo tempore compertum esse dicit, quo Thebani Lacedæmonem invaserunt; tunc enim magis impedimēto pugnantibus viris, quàm adjumento fuisse confirmat; damnat [f] etiam licentiam Lacænarum, & luxuriam, intemperantiamque sugillat, & jure fortassis. Ve-
runtamen [t] Xenophon gravis inprimis au- 9
ctor nihil ejusmodi de moribus Lacænarum scriptum reliquit, quum omnes Laconicæ
Reipublicæ partes diligentissimè perscri- 1
pserit. Quin etiam Spartanarum mores laudat, totamque Reipublicæ formam comprobat, & tamen idem fatetur ipsius ætate Lacedæmonios a priscis moribus non nihil descivisse; quod ansam dedit Aristoteli non feminas modo Spartanas, sed etiam viros reprehendendi; nam [u] Lysander primus dicitur Laconicam civitatem corrupisse, & divitias in eam invexisse, quarum cupiditate lapsam deinde magis, ac magis crediderim veterem disciplinam, ut verisimile sit corruptiores fuisse mores Lacedæmoniorum Aristotelis ætate, quàm Xenophontis.

DIS-

[a] Plin. nat. histor. libr. 2. cap. 41. [b] Homer. Iliad. β. in fine, & π. v. 134. & alib. [c] Etymolog. in Ὠκεανὸς. [d] Suid. in V. Ὠκεανὸς. [e] Macrob. Saturn. libr. 1. c. 17. [f] Virg. Æn. libr. 2. [g] Schol. Aristoph. [h] Aristoph. in Equitibus Athen. libr. 1. [i] Schol. Apoll. in libr. 1. Argonaut. [l] Cæl. Rhodigin. libr. 10. cap. 18. lect. antiq. [m] Plut. in Lycurgo. [n] Horat. libr. 4. Od. 4. [o] Plutarch. in Lycurgo. [p] Propert. libr. 3. El. 12. [q] Martial. libr. 4. cap. 55. [r] Arist. de Repub. libr. 2. cap. 9. [f] Arist. ibid. [t] Xenoph. in Rep. Laced. [u] Plutarch. in Vitâ Lysandri, & Athen. libr. 6. cap. 4. Item Plutarch. in Instit. Laconic.

DISSERTATIO LII.

De Republicâ Spartanorum.

Dissertatio Quarta.

Ex plurimis dictis, & factis Spartanarum mulierum constat illas non fuisse luxu, & libidine dissolutas; verùm fortitudine æquasse, aut etiam superasse fortissimos viros, & in Philosophiâ principes, licet extarent nonnullæ leges, quæ aliquam licentiam dare feminis viderentur. Quæ privilegia concessa essent tam apud Lacedæmonios, quàm apud Romanos iis, qui Liberos suscepissent, & quid esset jus trium, vel quatuor Liberorum.

MAgnum, & audax facinus aggressus est Lycurgus, qui neque Spartanas mulieres voluit intra domesticos parietes continere, & tamen a pudicitiâ, modestiâ, probitate, quibus ille sexus laudibus floret, vetuit desciscere, & res inter se dissimillimas, ac maximè discrepantes; audaciam, & pudorem; fortitudinem, & verecundiam; altitudinem animi, & obsequium, modestiamque; virorum licentiam, & feminarum castitatem conjunxit, & copulavit; cujus rei difficultatem reputans Aristoteles [a] Lycurgo se paulò, quàm ceteri, præbuit iniquiorem, totamque Laconicæ Reipublicæ formam vehementiùs incu-
1 savit. Sed profectò nihil est, quod publici mores, & disciplina non consequantur; nam si consulamus historiam, plena Verorum monumenta Lacænarum laudibus reperiemus, neque eas tam libidini deditas, quàm videri vult [b] Aristoteles, fuisse intelligemus; ea [c] quippe Spartanarum dicta, factaque memorantur, quæ nihil humile, demissum, fractum, effeminarum præseferant. Nam quomodo potest sexus ille suapte naturâ imbecillis, si luxu, licentiâ, omni præterea libidine debilitetur, atque frangatur, tantam præseferre indolem robustissimæ virtutis, quantam in Lacænis fuisse memoriæ proditum est? Quod exempla declarant matrum filios ad bellum euntes di-
2 mittentium, scutumque tradentium [d] cum dicto: *aut cum hoc fili, aut super hoc*: declarant earum, quæ filios ex acie timidè excedentes occiderunt, quod fecisse perhibetur [e] Damatria, & hæc, de qua est epigramma scriptum, quod exposuimus; & alia, quæ memoratur a Plutarcho in apophthegmatis Lacænarum: declarat denique Pausaniæ mater, quæ filium servitutem Patriæ nefariè molientem in æde Minervæ, quæ Chalciœcos appellabatur, inclusum fame necavit; ut auctor est Cornelius Nepos in Pausaniæ vitâ. Nam quid de illâ dicemus, quæ quum
pompam duceret, & ei filium in acie qui- 3
dem vicisse, sed multitudine vulnerum mori, nunciaretur, non flevit, non ingemuit, non ejulavit, non solvit capillos, non vestem discidit, non denique umisit pompam; sed omni luctu, altitudine animi devorato, & represso, tranquillo vultu conversa ad proximas: quantò [f] meliùs est, inquit, in acie vincentem mori, quàm Olympiæ vincentem vivere! O generosam verè vocem, & Spartano dignam! Quid enim dicam Spartanâ, quum majorem etiam indolem, quàm viri, declarare videatur? Quàm germanum hoc factum Xenophontis Philosophi facto! qui [g] quum sacrificaret, & filium audisset extinctum, non intermisit sacrificium, sed tantummodo coronam deposuit; quum autem accepisset illum fortissimè dimicantem occubuisse, coronam capiti rursus imposuit, quasi filii morte non doleret, quæ cum tantâ laude esset conjuncta. Eadem laus est Spartanæ mulieris, & in dispari sexu longè major; adeò Lacænarum virtus ne a fortissimorum quidem virorum, & in Philosophiâ principum virtute superatur. Sed non hæc tantum, sed aliæ innumeræ extiterunt, quæ mortem fuo-
rum forti; & magno animo pertulerunt, 4
quæ quàm amarent Patriam, dederunt documenta maxima; quæ [h] pudicitiæ, fidei, pietatis, prudentiæ insigne specimen ediderunt; neque verò ulla Respublica unquam fuit, exceptâ Romanâ, in qua tot exempla numerentur illustrium feminarum. Fuerunt tamen nonnullæ Lycurgi leges, quæ feminis potuisse nonnullam licentiam dare peccandi videntur; quemadmodum [i] illa; qua licebat, si quis ex aliquâ muliere virtute, & fecunditate præstanti Liberos vellet suscipere, concedente viro cum eâ congredi; & illa, qua sanciebatur, ut [l] siquis jam senior uxorem adolescentem haberet in matrimonio (quod tamen perrarò contingebat; nam Lycurgi legibus, ut omnes in ipso ætatis flore, atque robore uxorem ducerent, cavebatur) juniori, cujus indolem, moresque probaret, concederet, ut ex eâ Liberos procrearet; quod etiam apud
Romanos legimus usurpatum; nam [m] Cato 5
Marciam Hortensio dedit, & eo defuncto

viduam

[a] Aristot. de Republ. libr. 2. cap. 9. [b] Aristot. de Rep. l. 2. c. 9. [c] Plut. in Apophthegm. Lacænarum. [d] Plutarch. ibid. [e] Plutarch. ibid. [f] Plutarch. in Apophthegm. Lacæn. [g] Valer. Maxim. libr. V. cap. X. Ælian. libr. III. cap. III. Sen. in Consol. ad Marc. cap. XIII. de Pulvillo. [h] Plutarch. in Apophth. Lacæn. [i] Xenophon Laced. Repub. circa init. [l] Xenophon. ibid. [m] Plut. in Caton. Vitâ.

viduam recepit. Atque hæc tamen universa Lycurgus non sine gravi causâ, prudenterque constituit; illud [a] autem præclarissime, quòd legem tulit, ne viri quotiescumque vellent cum uxoribus congredi, possent, sed voluit esse turpe viris conspici, quum ad suas conjuges concubituri commearent, idque ab illis clam, furtimque faciendum sancivit; sic enim fiebat, ut amor ille conjugalis ex nimiâ copiâ, & satietate, neutiquam languesceret, & filii robustiores gignerentur, & feminæ fecundiores redderentur; siquidem a doctissimis viris animadversum accepimus, frequenti [b] nimis Veneris usu semen dilutius, infecundumque fieri. Quocirca Ægeo redditum ferunt
6 oraculum, quum is Deum consuluisset, quo pacto posset Liberos procreare, quo admonebatur, ut a concubitu diutius abstineret his [c] versibus

Ἀσκοῦ τὸν προὔχοντα πόδα, μέγα φέρτατε λαῶν,
Μὴ λύσῃς, πρὶν δῆμον Ἀθηναίων ἀφικέσθαι.

hoc est

Ne solvas ex utre pedem, qui prominet, ante,
Cecropiæ pingues quàm sis delatus in agros.

Utrem videlicet appellabat Deus ventrem, ex quo qui promineret, πόδα hoc est *pedem* nullo, inquit, Muretus [d] opus est Oedipo ad intelligendum; sic enim loquitur & Persius [e]

. . . . , quum tibi, Calve,
Pinguis aqualiculus protento sesquipede extet.

ex quibus quid oraculum præciperet manifestum est. Apparet autem fuisse studiosum
7 sobolis propagandæ Lycurgum; nam, ut Aristoteles [f] tradit, legem tulit, qua cives ad operam dandam Liberis invitabantur; siquidem, qui tres genuisset, non cogebatur excubare custodiæ causâ, qui quatuor, ei omnium munerum immunitas lege tribuebatur, quam imitati Romani præmia longè plura constituerunt illis, qui [g] Liberos procreassent; nam qui plures genuisset, in consulatu [h] fasces prior habebat, & in petitione consulatus præferebantur, quibus Liberi plures, & in sorte [i] provinciarum magistratus, quas qui plures Liberos sustulisset, diutiùs obtinebat; & in [l] curiâ, &
8 in collegio primi sententiam rogabantur; & in [m] petendis honoribus fiebat ipsis annorum gratia; & in [n] urbe tres Liberos habentes, in Italiâ quatuor, in provinciis quinque a tutelâ excusabantur. Ex quo celebre illud emanavit jus trium liberorum, cujus mentio est apud [o] Auctores frequentissima, & quatuor, cujus meminit Suetonius in Claudio capite decimonono, quum ait: *feminis jus tribuit quatuor Liberorum.* Ex quibus constat eodem modo Romanos, atque Lacedæmonios, eos, quibus tres Liberi, aut quatuor essent, premiis affecisse.

DISSERTATIO LIII.

De Republicâ Spartanorum.

Dissertatio Quincta.

Lycurgus maximè est celebrandus, quòd quum leges omnium severissimas tulerit, illis nec Reges ipsi parere detrectaverint; & quòd Lacedæmonios ex pessimis Græcorum optimos fecerit, quod & ex poëtis, & ex historicis constat, quare meritò Xenophon eum sapientem inprimis, ac pæne divinum prædicat; nec enim audiendus Aristoteles, qui facile fuisse leges Spartanis condere affirmat, quòd eo tempore grave, perdiuturnumque bellum gererent adversùs Messenios, & Argivos; difficiliùs enim legibus obsequuntur bello assueti.

CUm in homine rationem, tum in civitate legem quasi quandam auream catenam esse Plato ille divinus in primo de legibus dicit; quâ non aliter, quàm [p] Homericâ Mundus, homines devinciri possint, attrahique; non quò cupiditates, tanquam ferreæ catenæ rapiunt, sed quò lex suprema naturæ, & Deus auctor nos vocat. Quod 1
si leges hoc modo placet appellare, multò dignior est profectò Lycurgus, quàm ille ipse, ex quo prognatus est Hercules, qui aureis quibusdam catenulis ex ore prodeuntibus mentes hominum devinxisse dicatur, ejusque simulacrum ita fingatur, quemadmodum in Galliâ fictam imaginem Herculis tradit [q] Lucianus. Verè enim cupiditatibus hominum Lycurgus injecit aureos frenos, vel, si vim, diuturnitatemque spectes legum Spartanarum, potius adamantinos; neque enim fuerunt eæ similes illarum legum, quas [r] Anacharsis natione barbarus, sapientiâ Græcus, araneorum cassibus comparabat, quæ tenues, & invalidos tenent, a potentioribus perrumpuntur, atque violantur; siquidem in Lacedæmoniorum Republicâ quantò quisque opibus va- 2
lidior,

[a] Xenoph. Lac. Rep. circa init. [b] Plurarch. de sanitate tuendâ. [c] Plut. in Vitâ Thesei in princip. Eurip. in Medeâ. [d] M. Ant. Muret. Var. Lect. l. 3. c. 14. [e] Persius Sat. 1. v. 56. [f] Arist. in Polit. l. 2. c. 9. [g] Dion. hist. Rom. libr. 43. [h] A. Gell. Noct. Attic. l. 2. c. 15. [i] Dion. hist. Rom. l. 53. [l] L. 9. C. de Decur. [m] L. 2. ff. de minor. [n] Gloss. in L. 2. §. 1. verb. determinatum ff. de excusationibus L. 1. C. Qui num. liberor & Instit. libr. 1. tit. 25. de Exc. Tut. vel Cur. [o] C. Plin Epist. 2. libr. 10. & Sueton. in Galbâ cap. 14. Martial. libr. 9. Epig. 63. & Dion. libr. 55. [p] Homer. Il. 8. in pr. [q] Lucian. in Alloquutione, seu Hercule. [r] Val. Maxim. libr. 7. cap. 2. & Laert. in Anach. vit.

lidior, aut famâ clarior habebatur, tantò legibus obsequentiùs obtemperabat; neque unquam Reges ipsi, ut multis exemplis ostendi potest, earum imperium detrectabant. Hoc autem mirabilius debet videri; quòd illæ omnibus aliarum gentium legibus duritiâ, & severitate præstabant; his ut parerent animum induxisse homines, seque omnibus vitæ commodis libentes privavisse, vix credibile videretur, nisi omnium scriptorum testimonio confirmaretur. Neque enim [a] Aristoteles est audiendus, qui faciliùs fuisse Spartanis leges condere idcirco existimat, quòd eo tempore grave, perdiuturnumque bellum gessissent, gererentque adversùs Messenios, & Argivos; ac propterea magis essent idonei ad accipiendam legum, & virtutis disciplinam, quoniam militia multas habeat partes virtutis; quasi verò minùs arduum sit legum frenos imponere militari licentiæ, quàm civili modestiæ, ac non illud Romani Oratoris [b] dictum
3 oraculi vice accipi debeat: *silent leges inter arma*: aut Numa [c] ille Pompilius minorem laudem mereatur, quòd agrestem multitudinem, & bellis assuetam sapientissimis legibus in officio continuit, & cum summâ laude rexit, quàm si illas easdem pacato populo condidisset, eumque satis obsequentem legibus habuisset. Enimvero mihi magis Xenophontis gravissimi Philosophi candor probatur, qui libro, quem de Spartanorum Republicâ scipsit, nihil de laude Lycurgi detrahit, sed eum sapientem inprimis, ac pæne divinum fuisse prædicat. Et verò, cujus fuit sapientiæ homines inter bella natos ad tantam vitæ modestiam compellere, & effrenatam militiæ licentiâ, exultantemque multitudinem tam mansuetam, obedientemque, ut ait Poëta vetus, insistere imperii jugo validis legum habenis compressam, & quum antea Spartanorum mores diffluerent luxu, eos repente ad tantam parsimoniam, continentiamque revocare. Est enim hoc etiam in laudibus Lycurgi, quod Lacedæmonios Lycurgus accepit pes-
4 simos Græcorum, optimos fecit. Testatur hoc Justinus, qui libro tertio mores eorum solutos appellat: testatur [d] Herodotus historiæ pater in primo libro, ubi Lacedæmonios ex omnibus ferè Græcis pessimis moribus præditos fuisse confirmat. Sed & poëtæ luxum Spartanorum notant; siquidem Homerus Menelai domum Spartani Regis pretiosâ supellectile refertam, & splendidam regio luxu facit, quam aliorum Regum, ut Ulyssis, & Nestoris longè minùs opulentam, humilioremque describat. Nam de Menelai domo illa dicit [e],

Ὥστε γὰρ Ἠελίου αἴγλη πέλεν, ἠὲ σελήνης
Δῶμα καθ' ὑψερεφὲς Μενελάου κυδαλίμοιο

hoc est

Nam veluti Solis radii, Lunæque nitebant
Per tectum, Menelae, tuum, clarissime Regum,

& alio in loco ita loquitur [f]

Φράζεο, Νεστορίδη, τῷ ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ
Χαλκοῦ τε στεροπὴν, καὶ δώματα Ἠχήεντα
Χρυσοῦ τ'; Ἠλέκτρου τε, καὶ ἀργύρου, ἠδ' ἐλέφαντος

hoc est

Nestore nate, animo, longè charissime, nostro,
Æris, & Electri reputa fulgore nitentem,
Argentoque, auroque domum, sectoque elephanto

Quem luxum tribuit Alcinoo Regi Phæacum; quos voluptati deditos, & molles fuisse constat; Menelaus verò Spartanorum Rex, 5
ut Plato in convivio notat, μαλθακὸς αἰχμητὴς hoc est, *mollis quidam bellator* fingitur, & Euripidos in Andromachâ inducit Peleum Menelao mollitiem animi exprobrantem, & ipsum tradit, quum Helenam vellet occidere, & ulcisci lecti maritalis injurias, eaque illi nudas papillas ostendisset, adeo delinitum, ut nequissimam feminam tanti belli facem, communem Græciæ, Asiæque pestem complecteretur, & ei turpissimum crimen condonaret. Sed quid hæc a poëtis mutuor? nonne historia temporum testis, magistra veritatis loquitur Lacedæmonios ante leges a Lycurgo latas non optimâ disciplinâ fuisse; ut enim [g] Suidas re- 6
fert in voce Lycurgus, quum Spartani male rem gererent adversùs accolas, & animum jam despondèrent, Lycurgus; ut ipsis ostenderet eorum opes accisas non aliâ de causâ, quàm solutis moribus, & corruptâ disciplinâ, virtutemque omnem acceptam educationi referri debere, duos canes in concionem adduci jussit iisdem parentibus editos; sed diversâ ratione nutritos, & educatos; alterum molliter habitum in urbe sub tecto, & herili mensæ assuetum; alterum ruri, sub dio, & feris quotidie persequendis exercitum, his & quædam edulia obiici imperavit, & damam; qui canis inertiæ assueverat, relictâ damâ faciles, & paratos cibos appetivit; qui venationi, feram instituit sequi, comprehendit, occidit, laniavit; tunc Lycurgus haboisse fertur concionem, qua populum admonebat fortes viros nequaquam nasci, sed tales fieri disciplinâ. Nam quemadmodum duos canes vidissent eodem genere natos, tamen inter se plurimùm discrepare; alterum quippe ignavum; alterum acrem, & impigrum ex educatione evasisse; ita & homines non multum inter se naturâ differentes, fieri tamen diverso vitæ genere dissimillimos; nam qui otio languidi, & luxu diffluentes vitam egissent, eos Mortalium ignavissimos esse, qui-

[a] Arist. in Polit. libr. 2 cap. 9. [b] Cic. pro Milone. [c] L. Florus libr. 1. cap. 2. [d] Herod. l. 1. c. 65.

[e] Hom. Odyss. δ. v. 45. [f] Hom. Odyss. δ. v. 71. [g] Suid. in V. Lycurgo legislatori.

qui verò corpus, & ingenium exercuissent, cum domi feliciter vivere, & administrare Rempublicam, tum foris præclarissimè res gerere Quapropter adhortatus est eos, ut mores mutarent, & leges acciperent; emendatâ publicâ disciplinâ omnia ex animi sententiâ eventura. Ita populo persuasit, ut se quàm optimum esse vellet, & sibi publicæ disciplinæ formandæ negotium daret.

DISSERTATIO LIV.

De Republicâ Spartanorum.

Dissertatio Sexta.

Cives ad mores Principum civitatis conformantur; quare Lycurgus maximo Lacedæmoniis incitamento fuit ad virtutem, quum eximiæ lenitatis, & justitiæ exempla ediderit. Profuit etiam magnopere ad parsimoniam, quod omnes publicè vescerentur, & nummi ferrei, sive e corio; quibus addebantur continuæ adolescentium exercitationes, in quibus Lacedæmonii Romanos superarunt. Quid essent Phiditia, seu Philitia.

VErissimam semper existimavi, &
dignam oraculo [a] Ciceronis vo-
cem, qua nos admonet tales es-
se plerunque cives, quales Prin-
cipes civitatis; exempla nimi-
rum præpotentium virorum in illustri po-
sita loco vehementiùs mentes movent, &
incitant ad imitandum universos; ita Nu-
1 mæ Regis pietas, & religio Romanos a bel-
li studiis ad cultum Deorum immortalium,
pietatemque traduxit, quum se, ut ait Hi-
storicus [b], ad Regis velut unici exempli
mores formarent: ita [c] Vespasianus Impe-
rator antiquæ severitatis civitatem Roma-
nam luxu diffluentem ad priscam propemo-
dum parsimoniam, continentiamque revo-
cavit: ita semper homines Principum mo-
res imitatos exempla pæne innumerabilia
declarant, in primisque Lycurgi, & [d] La-
cedæmoniorum, quibus ille non tam legi-
bus condendis, quàm exemplo profuit;
neque enim justitiam, frugalitatem ceteris
præcepit, ipse injustè, molliterque, & de-
licatè vixit; sed justitiâ tantâ fuit, ut quum
regnare sine ullâ propemodum invidiâ pos-
set, regnum Charilao [e] fratris filio sponte
2 restituerit; lenitate verò tantâ, ut quum
ipsi Alcander [f] in seditione oculum bacu-
lo excussisset, & populus percussorem in
ejus potestatem tradidisset, non solum non
sit ultus injuriam, verum etiam eum ita tra-
ctaverit, ut ex inimico amicissimum red-
diderit. His virtutibus instructus, & admi-
rabili morum gravitate, sanctimoniâ, con-
tinentiâ ornatus, tantum apud suos cives
auctoritate valuit, ut leges ferre potuerit,
quibus laboriosissimum vitæ genus omni-
bus præscribebatur. Nam artes omnes, quæ
sunt administræ voluptatis, ejecit ex urbe;
neque verò cuiquam civium permisit, ut
artem sedentariam exerceret; sed omnes
militiæ, venationi, perpetuis laboribus as-
suefecit; & ne cui lautius epulari liceret,
constituit, ut omnes in publico vesceren-
tur; quæ convivia Phiditia, vel Philitia sunt
appellata; quæ quàm essent [g] parca, Syba- 3
ritæ dictum declarat, qui quum Phiditiis
interfuisset, dixisse fertur: jure sunt om-
nium fortissimi Lacones; nemo enim men-
tis compos non mori malit, quàm ita par-
ce, ac duriter vivere. Habebant autem hu-
jusmodi convivia mixtos voluptatibus la-
bores, ut ait [h] Suidas; neque enim lecti ster-
nebantur; sed ligno, vel lapide supposito
cubito innitentes discumbebant, tantum-
que aberat, ut in illis turpe quid loqueren-
tur, ut fieri in conviviis amat, ut etiam,
quod quisque præclarè in Republicâ fecis-
set, exponeretur; sic adolescentes ad vir-
tutis amorem quotidie excitabantur; hoc
autem victu tam tenui, parcoque quum u-
terentur, minimè mirum est divitias non
appetivisse, quum in illis ipsis conviviis
non qui plurima suppeditarent, honoratis-
simi haberentur; sed qui plurimum labo-
ravissent. Illud etiam adversus divitiarum
cupiditatem commentus est: aurum, gem- 4
mas, argentum in urbem importari vetuit,
& nummum ferreum cudi jussit, ut auctor
est [i] Plutarchus; quamvis Nicolaus Dama-
scenus in libris de moribus gentium e co-
rio fuisse tradat nummum Lacedæmonio-
rum. Quo Lycurgi consilio magna divitia-
rum effecta contemptio est; quis enim hu-
jusmodi pecuniam magnopere concupisce-
ret, quæ speciem haberet nullam, pretium
perexiguum, pondus verò tantum, ut plau-
stria esset vehendum, quod minarum de-
cem pretium adæquaret, ut ait [l] Xenophon;
quo fiebat, ut accipere pecuniam ob rem
judicandam, aut aliquid fraudis omnino
committere nemo posset, quin statim fla-
gitium detegeretur; neque enim tantum
pecuniæ pondus, aut occuli commodè po-
terat, aut domum comportari, quin id vi-
cinis omnibus innotesceret, aut saltem ser-
vi domestici persentirent. Quamquam ni-
hil

a Cic. l. 2. ad fam. Ep. 9. b Liv. ab V. C. l. 1. c Suet. in Vesp. c. 11. d Plut. in Lyc. e Plut. ibid. in pr. f Pl. ib. g Ath. l. 4 c. 6. & l. 12. h Suid. in v. φιλίτια

i Plutarch. in Lycurgo. l Xenophon. de Lacedæm. Rep.

5 hil prorsus erat, cur homines lucri cupiditate peccarent, quum divitiarum nullus usus esset omnino; nihil enim in supellectile pretiosum, nihil in mensâ lautum, & sumptuosum, nihil elegans, aut splendidum in vestitu Spartanorum fuit, quum corporis ornamentum, non pretiosam vestem, sed bonam habitudinem ducerent; honores autem virtuti perspectæ, non opum abundantiæ deferebantur. Neque verò splendidè ædificandi cupido divitiarum in illis cupiditatem poterat excitare, quum omnis ædium magnificentia legibus prohiberetur, quibus cautum erat, ne quis ad fastigium domus ornandum alio instrumento, quàm securi, ad fores alio, quàm serrâ uteretur Quapropter [a] quum Leotychidas Spartanus Corinthi versaretur, & tabulata domus videret sumptuosa, hospitem interrogavit; num apud eos ligna quadrata nascerentur? Quantumlibet in secundo Politicorum reprehendat [b] Aristoteles Lacedæmonios, quasi lucrum turpiter appetentes, nunquam prudentibus persuadebit his legibus, institutis, moribus pecuniæ studium innasci potuisse.
6 Studium illis virtutis erat, & quidem acerrimum; nam ut nihil dicam de educatione puerorum, de qua multa jam dixi, qui excesserant ex ephebis non minùs, quàm antea modestiæ, fortitudinis, temperantiæ studio operam dabant; nam [c] iis, quum in publico ambularent, neque circumspicere, neque loqui fas erat; a quolibet autem cive poterant jure plecti, tantâ verò modestiâ uti compellebantur, ut manum etiam sub veste continerent; in quo Romanos adolescentes Lacedæmonii superabant; nam Romani per annum dumtaxat unum id observabant, sicut his verbis [d] Cicero testatur: *nobis quidem olim annus erat unus ad cohibendum brachium togâ constitutus*; quod etiam ex Artemidoro colligi potest; & Romanis licebat, quum virilem togam sum-
7 psissent, liberiùs vivere. Quapropter Ovidius [e] liberiorem togam vocat eam, quam sumebant, quum excesserant ex ephebis

Liberior fratri sumpta, mihique toga est

quod etiam [f] Persius indicat, quum ait

..... *totaque impune Suburrâ*
Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo.

Lacedæmonii verò adolescentes eadem severitate in officio continebantur; ad fortitudinem autem his exercitationibus eru-
8 diebantur. Ephori [g], qui potentissimus est in civitate magistratus, tres eligebant; his autem, ut singuli centum legerent, permittebant, qui tamen cogebantur rationem reddere, qua de causâ alios legerent, alios præterirent, & [h] Hippagretæ vocabantur; atque hic existebat ingens æmulatio virtutis; nam præteriti, utpote injuriâ affecti vehementer indignabantur, & diligentissimè eorum, qui fuerant lecti, vitam, & acta observabant, & siquid adversùs leges delinquerent, eos accusabant, qua contentione accensi, ubicunque sibi invicem occurrissent, pugnis inter se contendebant; quorum tamen pugnam dirimebat quilibet è populo; sic & pueros exercebant Spartani, & procedere longiùs iras eorum non patiebantur. Omnino autem qui apud
Lacedæmonios excesserant ex ephebis plu- 9
res labores ferre cogebantur, quàm pueri, pluribus occupationibus distineri, nec is ei ludus ætati, nec ea licentia concedebatur, quæ solet in aliis urbibus permitti, in quibus adolescentes puerilis ætatis spatiis decursis, remotoque pædagogo suo vivunt arbitratu; Spartæ verò ea ætas pæne durioribus, quàm puerilis, legibus astringebatur. Quod si quis aut labores recusasset, aut severiorem vivendi rationem esset aspernatus, licentioremque sequutus, totâ vitâ infamis, & detestabilis habebatur; nec ei honores mandabantur, nec ulla reipublicæ pars committebatur; eodemque loco erat, quo in aliis urbibus mancipia ære empta, aut ii, qui sunt ignominiâ notati. Et jure Lycurgus eam ætatem arctè, contenteque habendam censuit, quæ & libidine incitata fertur, & omni cupiditate effervescit, & exultat licentiâ, & vix ullo potest freno coërceri. Nec aliæ ætates suis exercitationibus caruerunt, & ut verbo absolvam, tota vita Spartanorum nihil aliud fuit, quàm virtutis quædam meditatio; nam alias omnes artes Lacedæmonii contemnebant, nec ullus civis fuit, qui aut sedentariam artem exerceret, aut [i] agriculturæ operam daret.

[a] Plutarch. in Lycurg. [b] Arist. Politic. l. 2. cap. 9. [c] Xenoph. de Rep. Laced. [d] Cic. Orat. pro M. Cœlio. [e] Ovid. l. 4. de Trist. El. 10. [f] Persius Satyr. 5. v. 32. [g] Arist. in Polit. l. 2. c. 9. & Xenoph. de Laced. Rep. [h] Xenoph. in Laced. Rep. [i] Xenoph. ibid.

DISSERTATIO LV.

In Epigramma Platonis Libri primi in minas.

Dissertatio Prima.

Venus Cypris passim dicitur a poëtis, quòd in Cypro plurima loca Veneri sacra habebantur; immo tota Cyprus; plures autem hujus rei causæ ab Auctoribus afferuntur. Paphi colebatur Venus cælestis, quam Uraniam vocant, & eadem est, ac Juno, Luna, Dictynna, & Diana; pertinet etiam Veneris numen ad Tellurem, ita ut superior pars Orbis terrarum Venus, inferior Proserpina habeatur. Quin etiam ipsa anima, qua Mundum regi omnes ferè philosophi prisci sunt arbitrati, his exceptis, qui Divinam Providentiam sustulerunt, quatenus in generationem descendit, Venus est habita. Hinc Pausanias quum tres Parcas enumeret; nimirum Venerem, Fortunam, & Fatum, seu Mortem, meritò vetustissimam Parcarum Venerem appellat.

Elegantissimum Platonis Epigramma hodierno die, Auditores ornatissimi, suscepimus enarrandum, ubi summus ille philosophus, & poëta præstantissimus inducit Venerem Musis cultum sui Numinis imperantem, & parere recusantibus minantem sese Cupidinis arma in earum perniciem illaturam; Musas autem respondentes se ejus minis minimè commoveri; neque enim Amorem pertimescere, cujus est infirmus arcus, obtusæ sagittæ, segnis volatus, impetus nullus, ubi castissimæ studiorum præsides Deæ sunt violandæ. Et sententia qui-
1 dem Carminis talis; Carmen est hujusmodi

Α' Κύπρις μώσαισι, κοράσια, τὰν Α'φροδίταν
Τιμᾶτ', ἢ τὸν Ε'ρον ὔμμιν ἐφοπλίσομαι.
Χ'αἱ Μῶσαι ποτὶ κύπριν; Α'ρει τὰ σωμύλα ταῦτα,
Η'μῖν δ' ὀ πέτεται τῦτο τὸ παιδάριον

Quod Epigramma nos ita verti non incommodè posse censemus, Auditores

Me colite, Aonides, dixit Cytherea, puellæ,
Aut in vos acuet spicula sævus amor.
At Veneri Musæ: jactabis talia Marti;
Nobis non alas iste puellus habet

Sed ad illustrandum epigramma jam accedamus. Venerem *Κύπριν* vocat usitato poëtis nomine, sic [a] Homerus dixit

..... Κύπριν ἐπῴχετο νηλέϊ χαλκῷ

hoc est

...... immiti Venerem ferus ære petivit

& [b] Phocylides

Μήτε γαμοκλοπέειν, μήτ' ἄρσενα Κύπριν ὀρίνειν

hoc est

Nec furtiva tibi placeat, nec mascula Cypris

Dicitur etiam Venus *κυπρογένεια*, quasi Cypro genita: Anthologiæ [c] epigramma centesimum quinctum ita Venerem appellat his verbis

Ζεὺς δὲ πατὴρ δικάσειεν, ἄνευθε δὲ κυπρογενέης

hoc est:

Juppiter ipse esto, dum sit sine Cypride, judex

appellatur & Latinis Cypria: sic [d] elegiacus poëta dixit

Et faveas conchâ, Cypria, vecta tuâ.

Sed hæc sunt admodum pervulgata; quis enim Venerem nescit Cyprin appellari? quum Euripides Hippolyto inducat ipsam Venerem se non proprio nomine; sed Cyprin nominantem

Πολλὴ μὲν ἐν βροτοῖσι κοὐκ ἀνώνυμος
Θεὰ κέκλημαι Κύπρις......

quæ verba sic verto

Magna inter homines, inclytique nominis
Ego Diva Cypris nuncupor......

Causa autem, cur Venus Cypris appelletur, est, quia [e] in Insulâ Cypro eximiè cole- 2
batur; multa enim in Cypro loca sacra Veneri habebantur. Nam in ea fuit [f] Aphrodisium Veneris nomine civitas appellata, & in Olympo [g] Cypri monte Veneris Acraeæ templum, quod adire, & videre mulieres vetabantur, & [h] Pedasium promontorium, ubi collis Veneri sacer, & Amathus urbs, quam Veneris cultu nobilem [i] Virgilius esse prædicat hoc versu

Est Amathus, est celsa mihi Paphos, atque Cythera,

a qua urbe Venus Amathusia [l] appellatur Catullo:

Nam mihi quā dederit duplex Amathusia curā

fuit & Solus urbs, ubi teste [m] Strabone egregium Veneris delubrum visebatur, & Golgos oppidum, & Idalium, de [n] quibus Catullus dixit

Quæque regis Golgos, quæque Idalium frondosum

& [o] Theocritus

Δέσποιν', ἃ Γολγώς τε, καὶ Ἰδάλιον ἐφίλασας,

hoc est

Regina, Idalium quæ pulchrum, & Golgon amasti

& Palæpaphus, & [p] Paphus urbes, quæ Ve- 2
neris cultu insignes habebantur, idcirco Virgilius [q] dixit

Ipsa

---

[a] Iliad. libr. 5. v. 330. [b] Phocyl. in princ. poëmat. admonitor. [c] Anthol. libr. 1. *ἐς γάμον* Epigr. 4. [d] Tibull. libr. 3. Eleg. 3. [e] Horat. libr. 1. Od. 3. & libr. 3. Od. 26. [f] Strabo libr. 14. in fine. [g] Strabo ibid. & Pausan. libr. 1. Attic. in princip. [h] Strabo ibidem. [i] Virgil. libr. 10. & Cæl. Rhodig. libr. 14. cap. 6. [l] Catull. Epigr. 69. [m] Strab. l. 14. [n] Catull. de Nupt. Pel. & Thet. [o] Theocr. Idyll. XV. in Adoniaz. [p] Apuleius libr. 11. Metam. & Plin. l. 2. c. 96. & Lactant. de fals. rel. libr. 1. cap. 15. [q] Æn. libr. 1.

Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque revisit
Læta suas, ubi templum illi, centumque Sabæo
Thure calent aræ, sertisque recentibus halant

ubi Poëta ritum tangit, quo Venus Paphia colebatur; neque enim victimarum cæde
3 Paphiæ Veneris ara cruentabatur; sed floribus [a] tantummodo coronabatur, adolebaturque thure, & pretiosis odoribus. Ideo Virgilius mentionem facit dumtaxat thuris, & coronarum, & [b] Homerus templum Veneris Paphiæ vocat odoratum, quum floribus, & aromatum omni genere semper halaret. Sed quid ego tempus, Auditores, tero in urbibus Cypri, & locis recensendis, in quibus eximiè Venus colebatur, quum tota Cyprus Veneri sacra putaretur? cur autem Cyprus Veneri dicaretur, causam [c] Eustathius censet esse nomen, quod Cyprus ἀπὸ τῦ κύειν πόρεσθ, ἤγεν ποείζεσθ hoc est: *a suppeditando conceptum* dicta esse videatur; quod est Veneris munus, nam Venus quum sit κύπρις teste [d] Suidâ, Cypri nomini consonat. Phurnutus [e] autem Cyprū Veneri sacram esse tradit, quia est κρύψει videlicet *occultationi* id nomen simillimum, qua Venus gaudet; nam & [f] Elegiacus Poëta dixit:

.... *celari vult sua furta Venus*:

Sed ego non arbitror, tantum in nomine
4 fuisse momenti, ut tota Insula Veneri sacraretur, & tot Deæ templa conderentur, tot autem in locis, & tantâ superstitione coleretur. Propiùs [g] vero esse crediderim hanc superstitionem a Cinyrâ Cypri Rege vetustissimo duxisse originem, qui quum egregiâ formâ scortum misere deperiret, non abstinuit divinis honoribus, quibus & viventem puellam coluit, & defunctam Veneris nomine consecravit, & in ejus honorem Orgya instituit, in quibus initiatis pugillus salis, & Phallus dabatur, ut Clemens [h] Alexandrinus Admonitione ad gentes docet. Quum autem hæc Veneris meretricis religio latiùs per totam insulam manasset, credibile est totam Cyprum Veneri sacram esse habitam; hanc verò famam auctam moribus Cypriorum, quos ex Athenæo [i] voluptatibus deditos fuisse, & suas virgines prostituisse constat volentium explere libidinem cupiditati; auctam quoque insulæ amœnitate, & aëris temperie nunquam ferè hiemis inclementiæ obnoxii, & omnium rerum ubertate, & copiâ, quibus Cyprum egregiè abundasse memoriæ prodidit [l] Strabo, quæ omnia accommodata Deæ videbantur, quæ amorum, & cupidi-
dinum, & voluptatis mater diceretur. Cui 5
sententiæ libenter acquiescerent; sed animadverti [m] Pausaniam præclarum inprimis Auctorem scriptum reliquisse Paphi, quæ omnium urbium propter Veneris cultum maximè celebratur, Venerem Cœlestem, quam Uraniam vocant, adoratam. Quæ Venus Cœlestis nihil habet commune cum Cinyræ scorto; nam [n] Apulejus libro nono testatur idem esse Paphiæ Veneris Numen, Dictynnæ, Junonis, Dianæ, quæ omnes Deæ, quia referuntur ad Lunam, eandem Lunam, & Venerem Cœlestem esse statuendum est. Quod apertiùs Philochorus apud [o] Macrobium indicavit, qui sic de Venere loquitur: *Philochorus quoque in Attide eandem affirmat esse Lunam, & ei sacrificium facere viros cum veste muliebri, mulieres cum virili.* Veneris etiam sidus pro Venere Cœlesti colebatur, quòd & [p] Lunæ humida natu-
ra, & ejus astri rebus procreandis apta vi- 6
debatur. Hanc [q] autem Veneris Cœlestis religionem ab Assyriis, & Palæstinis, & fortasse ab Ægyptiis Cyprii acceperunt; nam & Veneris nomen ab Oriente in Etruriam, ac deinde in Latium venisse, doctissimi viri tradiderunt. Illud est etiam argumentum a Cypriis non vulgarem Venerem solitam coli consuevisse, quòd [r] Hesychio teste Venus ἔγχειος, hoc est *hastâ armata* ab ipsis adorabatur; sicut [s] & Lacedæmoniis Venus armata colebatur, quod ostendit eandem esse Cypriorum Venerem, & Junonem; nam & Juno [t] Curitis ab hastâ, quam gerebat, dicebatur; & Juno [u] nihil aliud esse, quàm Luna, & [x] Stella Veneris, quæ auctore [y] Plinio stella etiam Junonis dicitur, putabatur. Et quoniam eò sumus oratione delati, ut quid esset Venus, diceremus, non omittendum [z] Veneris Numen ad Tellurem quoque pertinere, eò tamen discrimine, ut superior pars Orbis terrarum, quam incolimus, Venus, inferior Proserpina haberetur. Quidquid denique ad gignendum naturam movet, ad Venerem spectare, & esse Venerem creditum est; nec [a] aliud esse eam Deam, quàm procreandi, gignendique vim,
ac facultatem. Quin [b] etiam ipsam ani- 7

 mam,

[a] V. Empedocl. versus apud Ath. libr. 12. in princ. [b] Hom. in hymn. in Venerem v. 58. [c] Eustath. in Odyss. β. [d] Suid. in V. κύπρις. [e] Phurnut. de nat. Deor. cap. 24. de Venere. [f] Tibull. libr. 1. El. 2. [g] Clem. Alexandrin. in Protrept. Arnob. adv. gent. libr. 4. Firmic. de errore profan. relig. [h] Clem. Alexandrin. in Protrept. [i] Athen. libr. 12. cap. 3. [l] Strabo libr. 14. in fine. [m] Pausan. in Atticis libr. 1. [n] Apulejus Metamorph. libr. 9. [o] Macrob. Saturn. libr. 3. cap. 8. & Augustin. de Civit. Dei libr. 7. cap. 15. [p] Cæl. Rhodig. libr. 1. cap. 16. [q] Pausan. in Attic. libr. 1. [r] Hesych. in ἔγχειος. [s] Lactant. de fals. relig. libr. 1. cap. 20. [t] Plutarch quæst. Roman. quæst. 87. Rosin. Ant. Rom. libr. 2. cap. 6. [u] Macr Saturn. libr. 1. cap. 15. [x] Macr. Saturn. libr. 3. cap. 8. [y] Plin. libr. 2. cap. 8. [z] Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 21. [a] Plato in Cratylo. [b] Hoc fortasse innuit Lucr. in Invocatione libr. 1. in princ.

mam, qua Mundum regi, atque administrari omnes ferè philosophi prisci sunt arbitrati, his exceptis, qui divinam providentiam sustulerunt, quatenus descendit in generationem, Venerem esse habitam videor advertisse. Nam animus Universi, quum illi exemplari æterno, quod in mente divinâ conspexerat, similem sibi Mundum fabricaverit, nonne fuit omnium procreationum origo, fons, & primordium? Atque hanc esse Venerem censeo, quam Pausanias [a] τῶν μοιρῶν πρεσβυτάτην *vetustissimam Parcarum* appellavit: & meritò, quum enim tres Parcæ ab eo numerentur; nimirum Venus, [b] Fortuna, & Fatum, sive [c] Mors; antiquior sanè est Mundi animus Fortunâ, quum sit antiquior Mundo, sine quo Fortunâ esse non potuit; antiquior est etiam Morte, quum sit principium vivendi, & vita Mortem præcedat; est etiam anima Mundi Parca, idest administra Fati; quid [d] enim est Fatum, nisi Dei voluntas, & sempiterna lex in mente divinâ, qua omnia diriguntur, & administrantur? Hujus autem legis inest in animâ Mundi ratio, quum omnium rerum rationes ea complectatur, qua omnium, quæ eveniunt, series explicatur; est igitur anima Mundi administra Fati, & Parcarum vetustissima, ut voluit [e] Pausanias, & Venus; quum omnibus nascendi principium, & ipsi quoque Mundo præbuerit, auctoribus præstantissimis philosophorum.

DISSERTATIO LVI.

In idem Epigramma Platonis.

Dissertatio Secunda.

Musæ appellantur quasi indagatrices, vel a voce מוּסָר, Mussàr, *quæ apud Hebræos significat disciplinam, vel demum ab instituendis doctrinâ hominibus. Vox* κόρη *significat* puellam, *&* pupillam oculi; *sicut apud Latinos* pupilla, pupa, *&* pupula *significat puellulam; qua in re Xenophontis dictum defenditur, licet illud reprehendat Longinus. Variæ autem a diversis Auctoribus rationes afferuntur, cur eodem nomine* pupilla, *&* puella *denotentur.* Κόρη, *&* puella, *quin &* virgo, *seu* Virago *appellatur interdum etiam ea, quæ virum passa est. Amor cur cæcus fingatur, & cur Venus* Ἀφροδίτη, *& Mars* Ἄρης *dicantur.*

QUum Epigramma Platonis explicaremus, ubi summus Auctor inducit Venerem Musis minantem, Musasque minanti respondentes, & de verbis diceremus, Venerem Cyprin appellari confirmavimus, Auditores, & cur ita vocaretur, exposuimus. Hodierno die de iisdem verbis verba faciemus, de quibus quædam scitu non injucunda in medium afferemus: sed operæpretium est antequam ad dicendum accedamus, carmen ipsum rursus proponere

Ἁ Κύπρις Μούσαισι, κοράσια, τὰν Ἀφροδίταν
Τιμᾶτ', ἢ τὸν Ἔρον ὔμμιν ἐφοπλίσομαι.
Χ' αἱ Μοῖσαι ποτὶ Κύπριν: Ἄρει τὰ στωμύλα ταῦτα,
Ἡμῖν δ' οὐ πέταται τοῦτο τὸ παιδάριον

Cujus Epigrammatis ea versio est

Me colite, Aonides, dixit Cytherea, puellæ,
Aut in vos acuet spicula sævus amor.
At Veneri Musæ: jactabis talia Marti,
Nobis non alas iste puellus habet

Musæ sunt appellatæ doricâ dialecto [f] μῶσαι, ut Suidæ videtur, a verbo μῶ, quod signi- I
ficat *inquirere*, quòd artes, atque disciplinæ sine longâ indagatione haudquaquam compararentur. Sunt igitur Musæ, Mosæ, quasi quædam indagatrices Deæ; quæ Suidæ sententia [g] Platonis auctoritate fulcitur, qui Musas ab inquirendo, philosophandoque putat nominatas. Nec defuerunt doctissimi viri [h], qui a voce מוּסָר, *Mussàr*, quæ linguâ Hebræorum significat *artem*, & *disciplinam*, nuncupatas existimarent; [i] Diodorus au-

[a] Pausan. in Atticis libr. 1. [b] Pausan. in Achaicis libr. 7. [c] Idem in Eliac. prior. sive l. 5. [d] Cicer. Academic. quæst. libr. 1. Marsilius Ficinus in Argument. in libr. 12. Legum Platonis. [e] Pausan. ibid. [f] Suid. in V. μῶσαι Photius in Biblioth. in Helladii Besantin. Chrestomath. & Bud. in Comment. in V. μουσῶσαι. [g] Plato in Cratyl. [h] Dan. Heins. in Aristarc. Sacr & Becman. de Orig. ling. Lat. [i] Diodor. Sicul. Biblioth. libr. 4.

autem Siculus ἀπὸ τοῦ μύειν τοὺς ἀνθρώπους, hoc est, *ab hominibus doctrinâ instituendis, ac veluti initiandis* [a] μύσας, ac deinde Musas credit appellatas. κοράσια. Κόρη dicitur puella decenti formâ, & eo nomine plerumque virgo significatur; significatur & oculi pupilla, ex quo veteris Oratoris jocus [b] non inficetus emanavit, qui de quodam impudente dixit; ejus κόρας, idest *pupillas οὐκ εἶναι κόρας, ἀλλὰ πόρνας*: hoc est, *non esse virgines, sed meretrices*. Et Xenophon [c] agens de modestiâ adolescen-
2 tium Spartanorum ait eos esse pudentiores, quàm τὰς ἐν ὀφθαλμοῖς κόρας hoc est, quàm *eas, quæ sunt in oculis virgines*; quam sententiam [d] Longinus de sublimi genere dicendi, tanquam nimis frigidam reprehendit, & indignam tanto viro arbitratur; nec ego pro Xenophonte pugnaverim, nec contra Longinum steterim; tamen non possum diffiteri magnam inesse vim sententiæ Xenophontis. Nam oculi sunt sedes pudoris, & pudor in oculis habitare dicitur, ut Aristoteles [e] libro secundo Rhetoricorum testatur. Hos deiicimus, quum pudore afficimur, ideò [f] Poëta Sulmonensis cecinit:

Sive aliqua est oculos in humum dejecta modestos,
Uror, & insidiæ sunt pudor ille meæ:

& impudentem κυνῶπα [g] Homerus appellat, & alio in loco [h] dicit habere caninos oculos

Οἰνοβαρὲς, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο

propter ejus animalis impudentem audaciam, quasi cujus oculi pudore carent, is
3 impudentissimus habeatur. Atque ea forsitan causa est, cur Amorem cæcum poëtæ finxerint, quòd quum amantes nihil pudeat, Amorem carere eâ corporis parte voluerunt, qua pudor continetur. Quum autem pudor in oculis, & in eâ parte præcipuè, quæ pupilla dicitur habeat sedem, adeo ut, qui pudore confunduntur, tenebras quærant, ne videant, aut videantur, & interdum optent, ut dehiscente terrâ obruantur, Virgilio [i] teste, qui Turnum pudore sociorum in Martis discrimine relictorum dicentem inducit.

..... *Oh! quæ satis ima dehiscat*
Terra mihi? ....

& [l] Homero, qui sic ait

..... τότε μοι χάνοι εὐρεῖα χθών

Mirificè Xenophon expressit pudorem adolescentium Spartanorum, quum dixit pudentiores esse, quàm pupillas, quibus pudor omnis continetur, quasi toti verecundiâ sic afficerentur, ut ea pars corporis,
quam sedem pudoris natura constituit. Cur 4
autem tam Græci, quàm Latini oculi partem, qua videmus, puellæ nomine appellarint [nam & *pupilla*, & *pupula* Latinorum nihil aliud significat, quàm *puellulam*; *pupula* enim *puella* [m] Martiali teste, qui dixit

Dicit se vetulam, quum sit Cærelia pupa

& a *pupâ* per diminuendi figuram *pupilla*, & *pupula* deducitur] cur, inquam, oculi partem, in qua viget visus, puellæ nomine tam Græci, quàm Latini appellarint; eam rationem doctissimi viri attulerunt; quòd in eâ parte videantur imagines; imagines verò Latinis *pupæ*, Græcis κόραι nuncupentur: [n] Persius:

Nempe hoc, quod Veneri donatæ a Virgine pupæ

& [o] Varro: *magna pars in desiderium puparum, & sigillorum veniebat*, & Plato in Phædro: νυμφῶντε τινῶν, καὶ Ἀχελώου ἱερὸν ἀπὸ τῶν κορῶντε, καὶ ἀγαλμάτων ἔοικεν εἶναι, & Dio Chrysostomus oratione ad Rhodios: ὁμοίως δίδοτε τοὺς ἀνδρίαντας, ὥσπερ οἱ τὰς κόρας ταύτας ὠνούμενοι τοῖς παισὶν, καὶ γὰρ ἐκεῖνοι διδόασιν οὕτως, ὥστε λυπεῖσθαι μετ' ὀλίγον συντριβέντων: hoc est: *simili modo statuas datis, sicut qui pupas pueris emunt; etenim & illi ita dant, ut hi mærore afficiantur paulo post confractis, atque contritis*. Ab hac voce κοροπλάθοι dicebantur, qui 5
pupas fingebant, ut [p] Suidas docet. Fingebantur autem pupæ ex cerâ, vel gypso, ut constat ex [q] eodem. Atque hanc hujus nominis originem eruditissimi viri comprobarunt; sed quoniam Isidorus aliam affert originem, & ait; illud, quo cernimus pupillam appellari, quia tam sit purum, & incorruptum, quàm puella esse debet; & eloquentissimus Christianorum Patrum Joannes Chrysostomus, qui propriè κόρην dici putat nobilissimam oculi partem, & ab eâ κόρας virgines nominari, quia sicut pupillæ palpebris clauduntur; ita virgines domi clausæ debeant permanere, & eadem diligentiâ virgines, qua oculorum pupillæ sint custodiendæ; nihil absurdum videmur esse facturi, si & nos aliquid audeamus, aliamque vocabuli hujusce notationem afferre conemur. Nihil oculis carius natura nobis procreavit; ideò elegorum Scriptor clarissi- 6
mus dixit

..... *seu quid carius est oculis*

& [r] Aristoteles maximè omnium cernendi sensum a nobis diligi affirmavit; quin etiam & in oculis gerere dicimur, quos carissimos habemus, & apud [s] Plautum oculissimus

[a] Budæus in Comment. in V. μουσῶσαι. [b] Plutarch. de vitioso pudore in princ. [c] Xenophon. de Laced. Republ. [d] Longin. de sublimitate sect. 4. [e] Arist. Rhet. libr. 2. cap. 6. Athen. libr. 13. cap. 2. [f] Ovidius Amor. libr. 2. El. 4. [g] Hom. Iliad. α. v. 159. [h] Iliad. α. v. 225. [i] Virgil. libr. 12. [l] Homer. Iliad. δ. v. 182. [m] Martial. libr. 4 Epigr. 20. [n] Persius Satyr. 2. in fine. [o] Varro de Orig. [p] Suid. in V. κοροπλάθοι. [q] Suid. ibid. [r] Aristot. Metaph. libr. 1. in princ. [s] Plaut. Curcul. Act. 2. Sc. 2.

mus homo significat jucundissimum; sic enim loquitur anus: *salve oculissime homo*. Quid igitur vetat oculi partem, in qua visus inest, Græcè κόρην, Latinè pupillam appellari, quia tam nobis grata est, quàm sunt suis amatoribus puellæ? Græci τὰ παιδικὰ vocant, quæcumque in deliciis habent, quia nihil gratius, nihil jucundius amatoribus, quàm pueri, quos diligunt; eadem ratione dici possunt κόραι *pupillæ*, quia tam sunt nobis gratæ, tam diliguntur, quàm a-
7 matorculis puellæ, quas depereunt. Puellæ ab amantibus oculorum nomine cohonestantur; ideo apud [a] Plautum ita loquitur adolescens

Meus ocellus, meum labellum, mea salus,
meum savium

Quin etiam ostium domus, ubi puella amata habitabat, Phædromus adolescens in Curculione oculissimum dicit, sic [b] enim ait

Huic proximum illud ostium oculissimum,
Salve; valuisti ne ostium oculissimum?

Cur ergo & vicissim oculi puellæ nomine non appellentur, quum translationes sæpe reciprocentur? dicimus juventutem [c] ver ætatis

Jocundum quum ætas florida ver ageret

& ver dicimus anni juventutem: Pindarus [d] nimbos hibernarum nubium exercitum sævum appellavit χειμερίων νεφέλων στρατὸν ἀμείλιχον & [e] Virgilius exercitum nimbum

Insequitur nimbus peditum, clypeataque totis
Agmina funduntur campis .....

Veruntamen de ratione, qua oculi pars potior κόρη Græcè, Latine pupilla nomina-
8 tur, satis diximus; illud sciendum κόρην non significare semper virginem, sed interdum eam, quæ virum passa est, dummodo sit formâ liberali, quod ex multis Homeri locis Eustathius colligit, quos mihi repetere non est necesse; quemadmodum apud Latinos puella non semper pro virgine usurpatur: Horatius [f]

..... pueri, & puellæ
Jam virum expertæ male nominatis
Parcite verbis

Ovidius [g]

Certè ego, quæ fueram te discedente puella,
Protinus ut redeas, facta videbor anus

Loquitur autem de Penelope, quæ jam Telemachum pepererat; imo etiam virgo in-
9 terdum appellatur, quæ cum viro concubuit. Maro [h] de Pasiphaë, quæ jam mater erat trium liberorum:

Et fortunatam, si nunquam armenta fuissent,
Pasiphaen nivei solatur amore juvenci:
Ah virgo infelix, quæ te dementia cepit!

& Calvus Virginem dicit Io, quam Juppiter constuprarat, his verbis

O virgo infelix, herbis pasceris amaris

& [i] Virgilius de Juturnâ

Hoc concussa metu mentem Juturna virago

quæ certè non erat virgo, quæ stagnis, & fluminibus præsidebat, quia [l]

..... hunc illi Rex Ætheris altus honorem
Juppiter ereptâ pro virginitate sacravit

& [m] Terentius Eunucho Virginem vocat, quam adolescens Chærea vitiarat, his verbis

..... hoc, quod fecit, res ipsa indicat;
Virgo ipsa lacrymat, nec quum rogites, quid
sit, audet dicere

Illud etiam adnotandum etiam Proserpinam
κόρην [n] nuncupari, vel quòd propter excel- 10
lentiam puella sola dici mereatur, vel quòd sit Cereris filia; quapropter a Latinis Libera appellatur: Cicero ultimâ Verrinâ. *Teque Ceres, & Libera, quarum sacra, sicut opiniones hominum, ac religiones ferunt, longè maximis, atque occultissimis religionibus continentur*, & Livius libro vigesimo tertio: *ex argento mulctatitio tria signa ænea Cereri, Liberoque, & Liberæ posuerunt*. Qua de causâ & Bacchum Liberum vocaverunt, & cum Liberâ [o] semper conjunxerunt, quia [p] tam Bacchus, quàm Proserpina [q] Cereris, & Jovis Liberi habeantur. Est etiam dicendum
aliquid de altero nomine, quod hoc epi- 11
grammate Veneri tribuit Plato, quum ipsam Ἀφροδίτην nuncupat; Aphroditen autem Venerem nominari Platoni in Cratylo, & [r] Hesiodo, & [f] Aristoteli, & Phornuto, & Fulgentio placuit ἀπὸ τοῦ ἀφροῦ a *spumâ*, scilicet [s] vel quòd e spumâ fingitur procreata, vel quòd feminis natura spumosa est Nec defuerunt qui Ἀφροδίτην crederent appellatam tanquam ἀφροσύνης idest *imprudentiæ, vecordiæ, stultitiæ* causam, in quibus est [u] Euripides, qui quòd ἄφρονας, *imprudentes*, & *vecordes* faciat Ἀφροδίτην dictam arbitratur. Nec omittendum Martem
a Græcis Ἄρην dici, ut Suidas [x] docet a ver- 12
bo ῥῶ, quod est *dico* & A litterâ, quæ privandi vim habet, quòd in prœlio non sit opus verbis, sed factis, ut [y] Homerus affirmat. Ex quo constat primam in hac voce syllabam debere corripi, sicut corripuit

Scri-

[a] Plautus in Pœnul. Act. 1. Sc. 2. [b] Idem in Curcul. Act 1. Scen 1. [c] Catull. ad Mallium Epigr. 69. [d] Pindar. Od. 6. Pyth. [e] Æn. libr. 7. [f] Horat. libr. 3. Od. 14. [g] Ovid. in Epistol. Penelopes. [h] Virgil. Eclog. 6. [i] Æn. libr. 12. [l] Virg Æn. l. 12. [m] Terent. Eunucho Act. 4. Sc. 3. [n] Pausan. in Arcad. libr. 8. & Cæl. Rhodig. libr. 7. cap. 15. [o] Claud. de Raptu Proserp. libr. 1. [p] Orph. in hymn. in μίσην. [q] Hesiod. Theogon. & Pausan. in Arcadic. & Claud. de Raptu Prof. [r] Hesiod. Theogon. v. 195. [f] Arist. de Generat. animal. libr. 2. cap. 2. in fine. [s] Cic. de Nat. Deor. libr. 3. Cæl. Rhodigin. libr 16. cap. 15. [u] Euripides in Hecub. [x] Suid. in V. Ἄρης. [y] Hom. Iliad. libr. 16.

Scriptor hujus Epigrammatis, licet propter liquidam consequentem [a] Homerus interdum produxerit, dixeritque

Ἄρες, Ἄρες βροτόλοιγε, μιαίφονε, τειχεσιπλῆτα

quod [b] Martialis carpit his verbis

Dicunt ἀειφνὸν tamen poëtæ,
Sed Græci, quibus est nihil negatum,
Et queis Ἄρες Ἄρες licet sonare.
Nobis non licet esse tam disertis,
Qui Musas colimus severiores.

DISSERTATIO LVII.

In idem Epigramma.

Dissertatio Tertia.

Homines libidini dediti existimant castos esse stultos; nec Regum, aut etiam Deorum vitam sine Veneris deliciis expetendam. Musas Virgines esse prodiderunt, quia Venus non est apta studiis, quum ingenium hebetet; ceterùm poëtæ omnes Deas, quæ in aliquâ arte occupatæ sunt, Virgines esse tradiderunt; quia animus, qui seriò incumbit in disciplinas, minimè impuro amore incenditur; etenim otium est esca voluptatum. Dii, qui homines aliquando fuerunt, vitiis obnoxii sunt; qui verò nunquam inter Mortales ætatem exegerunt, & ex hominum studiis nati sunt, vitiis caruerunt. Fortuna quot locis, & quot nominibus coleretur. Musæ tres dumtaxat primitus fuerunt, & quomodo novem factæ, & singulis ab Hesiodo nomina indita sint.

Quum hactenus, Auditores, in illustrandis verbis Epigrammatis, quod suscepimus explicandum, versati fuerimus, restat, ut de rebus ipsis nonnulla dicamus; ac primum artificium carminis contemplemur, deinde, quæ ad ejus lucem pertinent, in medium afferamus. Convenienter igitur personæ Veneris inducit Poëta Deam succensentem, quòd Musæ nuptiarum expertes a suis voluptatibus abhorrerent, minan-
1 temque sese in earum exitium Amorem armaturam. Est enim [c] in fabulis Hippolytum, quia omnes Veneris voluptates aspernaretur; Veneris irâ atrocissimè esse punitum, & ab equis distractum, laceratumque miserrimo exitii genere occidisse. Est etiam
8 proditum Venerem, quum Soli irasceretur propter [d] ejus adulterium cum Marte detectum; in omne Solis genus diu sævisse, nec unquam satiatam esse pœnis eorum, qui a Sole ducebant originem; [e] Pasiphaën tauro, quem amabat, subdidisse; [f] Ariadnam hospitis amore accensam paternam domum relinquere coëgisse, Phædram [g] incestis flammis incendisse, Medeam [h] ad advenæ nuptias appetendas, prodendum patrem, fratrem germanum trucidandum, Liberos occidendos, & ad alia sævissima facinora perpetranda compulisse; ipsumque Solem cupiditate Leucothoës [i] inflammasse; quam properè sævitiâ Patris extinctam luxit. Quapropter Euripides Venerem sic inducit loquentem

Τὺς μὲν σέβοντας τἀμὰ πρεσβεύω κράτη,
Σφάλλω δ᾽, ὅσοι φρονῦσιν εἰς ἡμᾶς μέγα

hoc est

Illos honoro, qui meum imperium colunt,
Perdoque, quorum mens superba despicit

Nec minus artificiosè Venerem facit contemptim Musas appellantem, & præ con-
temptu puellulas, non Deas vocantem; est 2
enim is mos eorum, qui se libidini penitus dediderunt, ut aspernentur eos, & stultos esse putent, & insanire, qui castè, sobriè, & moderatè vivunt. Quocirca Servius illum [l] Virgilii locum explicans

Non licuit thalami expertē sine crimine vitam
Degere more feræ, tales nec tangere curas?

affirmat Virgilium expressisse morem levitatibus amatoriis deditorum, qui sine deliciis Veneris vitam, non hominis vitam existimans, sed feræ cujusdam silvestris, & immansuetæ; & [m] Simonides ait: τίς γὰρ ἀδονᾶς ἄτερ θνατῶν βίος ποθεινός; ἢ ποία τυραννίς; τᾶς ἄτερ οὐδὲ θεῶν ζηλωτὸς αἰών; hoc est, ut ego Sapphicis carminibus expressi

Quæ voluptatis viduata sensu
Vita non sordet? cupienda Regum
Sceptra sunt nulli, sine qua nec æquum.
Dulce Deorum.

En putat vitam Deorum, nisi voluptatibus affluat, non habere quidquam expetendum, ut in hoc Epigrammate Venus Musas, quia suis voluptatibus careant, non Deas, sed puellulas, idest expertes prudentiæ, & stultas existimat, cui concinit [n] Tibullus, qui vitam, quæ sine Venereis voluptatibus traducitur, stultam vocat his verbis

Vidi jam juvenem, premeret quum serior ætas,
Mœrentem stultos præteriisse dies

& [o] Alexis in Comœdiâ, quæ Traumatias inscribitur, sic ait

Τίς οὐχὶ φήσει τὺς ἐρῶντας ζῆν μόνυς;

hoc est

Quis pernegei solos amantes vivere?

Contemnenti autem Musas Veneri non 3
minore contemptu Musæ respondent; nam ut il-

[a] Hom. Il. 4. [b] Mart. l. 9. Ep. 12. [c] Eurip. in Hipp. Senec. in ejusdem nominis Trag. & Prop. l. 4. El. 5. [d] Ov. l. 2. de A. A. l. 4. Metam. fab. 5. & l. 1. Amor. El. 9. & Stat. l. 3. Theb. & l. 1. Silv. silv. 2. & Val. Flacc. l. 2. Argon. [e] Virg. Ecl. 6. & Æn. l. 6. Apollod. l. 3. Ov. in Ep. Ariadn. Propert. libr. 2. Eleg. 32. [f] Plutarch. in Theseo. Ovid. in Ep. Ariadn. & libr. 3. Fast. [g] Euripid. in Hippol. & Senec. in Tragœd. ejusdem nominis. [h] Senec. in Med. Ovid. Met. l. 7. [i] Ovid. Metam. l. 4. fab. 5. [l] Virg. Æn. l. 4. [m] Apud Ath. l. 12. c. 1. [n] Tibull. l. 1. El. 4. [o] Alexis apud Athen. l. 13. c. 2.

ut illa puellulas Musas, non Deas appellat; ita Musæ Cupidinem, cujus potentiâ regnum Veneris nititur; quod ipsa Venus apud [a] Virgilium his verbis fatetur

Nate, meæ vires, mea magna potentia solus;

non Deum, non hominum, Deorumque tyrannum, ut Poëta summus Amorem appellat, sed puerulum vocant, quo quid dici contemptius potest? Venus exprobrat Musis, quasi criminis loco pudicitiam, & castitatem, quam nemo non summam laudem feminarum esse ducit, Musæ autem Veneri Martis adulterium, quod summum probrum esse nuptarum nemo non fateatur. Est igitur acrior, ut esse debet, oratio Musarum, quæ lacessuntur, quàm Veneris lacessentis. Sed quum de artificio carminis diximus, ad dicendum de rebus, quæ carmine continentur, accedamus. Musas omnes [b] ferè virgines esse prodiderunt,
4 qood Poëta noster tangit alludens; cur autem Musæ virgines esse dicantur, ea ratio a doctissimo philosopho [c] Marsilio Ficino redditur. Non est apta studio litterarum Venus, nam obtundit ingenium, exhaurit, & consumit spiritus illos tenues, & subtiles, quibus efficimur ad indagandum sagaces, ad inveniendum acuti, ad intelligendum perspicaces; ideò studiorum præsides Deæ creduntur expertes Venereæ voluptatis, quia Studiosis [d] Venere abstinendum. Accedit eodem, quod Veneris voluptates, quia sunt vehementissimæ, perturbant animi tranquillitatem, sine qua purissimam lucem veritatis non possumus pervidere: affigunt animum corpori, quem extra corpus efferri, & prominere, nec ejus illecebris irretiri necesse est, si modò volumus ex his tenebris emergere, & ad altissima evolare, a materiaque secretas formas contemplari. His addi potest alia ratio: poëtæ
5 Deas omnes, quæ in aliquâ arte, vel studio sunt occupatæ, virgines esse tradiderunt, ita [e] Dianam semper nuptias, semper Veneris illecebras ferunt aspernatam, quia venandi studio tenebatur: ita [f] Minervam esse integram, intemeratamque voluerunt, quia artibus omnibus præest. Quapropter Athenienses [g] ἐργάνην ab operibus, quæ conficit, appellarunt, quo nomine Minerva etiam in [h] Laconicâ regione colebatur; ita Musas a Venereis voluptatibus abhorrere, quia præfectæ sunt studiis liberalibus, & disciplinis. Et sanè animus, qui in studio cujusvis artis exercetur, qui seriò incumbit in disciplinas, minimè [i] incenditur amore obscenarum voluptatum, minimè transversus agitur libidine, otium est
esca cupiditatum; labor intemperantiæ me- 6
dicina, quod Catullus intellexit, qui sic ait; [l]

Otium, Catulle, tibi molestum est:
Otio exultas, nimiumque gestis;
Otium Reges, simul & beatas
Perdidit urbes

& Propertius, qui sibi Athenas proficisci in animo esse confirmat, & se dedere penitus disciplinarum studiis, contemplandæque naturæ, quo se ab Amoris gravi, & intolerandâ tyrannide in libertatem possit vindicare; sic enim [m] loquitur:

Magnum iter, ad doctas profisci cogor Athenas,
Ut me longa gravi solvat amore via.

ac deinde [n] se profitetur philosophiæ, & aliis artibus vacaturum

Illic vel studiis animum emendare Platonis
Incipiam, aut hortis, docte Epicure, tuis
Persequar aut studium linguæ, Demosthenis arma,
Librorumque tuos, docte Menandre, sales

& [o] Terentius, qui patrem inducit filium amoris illecebris irretitum sic objurgantem:

Nulla adeo ex re istbuc fit, nisi ex nimio otio.
Ego istbuc ætatis non amori operam dabam,
Sed in Asiam abii propter pauperiem, simul
Rem, & gloriam armis belli repperi

Si igitur otium fons est libidinis, meritò
Musæ, & quæcunque artibus præsunt Deæ, 7
finguntur expertes libidinis, & incorruptæ. Nec omittenda est alia ratio; plerique Deorum, Dearumque homines aliquando fuerunt; non ergo mirum, si humanis affectibus non caruisse dicuntur, si amore flagrasse, nuptias celebrasse, libidini obnoxii fuisse traduntur. Sed ea Numina, quæ nunquam inter Mortalas ætatem exegerunt, & quæ ex hominum nata sunt studiis, aut facultatibus, aut virtutibus humanis, vitiis, & præcipuè libidine caruisse comperias. Honorem Marcellus [p] condito templo consecravit; nemo unquam dixit Honorem cujusquam mulieris, aut Deæ nuptias, aut concubitum appetivisse. Anaxagoras [q] aram Menti, & Veritati dedicavit; nullus
poëta tam audax fuit, qui Veritatis, & Men- 1
tis libidinem aliquam comminisceretur. Colebantur tanquam Deæ, quas recenset his versibus [r] Juvenalis

....: *Pax, atque Fides, Victoria, Virtus,*
Quæque salutato crepitat Concordia nido

Pacis etiam augustissimum, & maximum omnium templum, atque opulentissimum a 8
Vaspesiano [s] conditum Romæ visebatur; nemo tamen earum matrimonia excogitavit.

[a] Æneid. libr. 1. [b] Diodor. Sicul. Biblioth. libr. 4. [c] Marsil. Ficin. de tuendâ Studiosorum sanitate l. 1. cap. 7. [d] Hor. in Arte. [e] Callimach. in Dianam. [f] Homer. in hymn. in Venerem, & Virgil. libr. 11. [g] Pausan. Att. libr. 1. [h] Idem Laconic. l. 3. [i] Theocrit. in Cyclope. [l] Catull. ad Lesb. Ep. 52. [m] Propert. libr. 3. El. 19. [n] Prop. ibid. [o] Terent. in Heautontim. Act. 1. Sc. 1. [p] Valer. Max. l. 1. c. 1. [q] D. Aug. Ep. 56. ad Dioscurum. [r] Juven. Sat. 1. v. 115. [s] Plin. libr. 36. c. 15.

vit. Fortuna, quam [a] Juvenalis queritur fieri a nobis Deam, & in Cœlo collocari, quot locis colebatur? colebatur in [b] Græciâ, Præneste [c], Antii [d], Romæ [e]: quot, & quàm diversis nominibus? colebatur Fortuna virilis pæne a primordiis ipsius urbis; parva [f] seu brevis; muliebris [g], primigenia [h]: colebatur obsequens [i] Fortuna, viscata [l], mascula [m], virginalis [n], evelpis, redux [o], calva, fors [p], privata [q], publica [r], fera [f], respiciens [t], bona [u], mala; & hæc tot cultu delubris, tot appellata nominibus Dea nunquam memoratur, aut nuptias celebrasse, aut alicujus viri, vel Dei amore exarsisse. Ad id Deorum genus Musæ sunt
9 referendæ; nam licet Musarum actiones memorentur, tamen earum nominibus, nihil aliud esse Musas, quàm hominum litteris deditorum studia declaratur, quod ex priscis etiam Musarum nominibus magis apparebat. Antiquitus [x] quippe tres tantum Musæ colebantur, Aœde, Mneme, Melete, ideft, *cantio*, *memoria*, *meditatio*; tres autem Musæ hac de causâ factæ sunt novem. Quum Sicyonii, qui Musarum Numen eximiâ religione venerabantur, tribus Artificibus, Olympiostheni scilicet, Strongylioni, & Cephisidoro imperassent, ut terna Musarum, quæ eo tempore adorabantur, simulacra conficerent, eo consilio, ut ex novem simulacris eligerent tria, quæ pulchritudine ceteria antecellere viderentur; Olympiosthenes, Cephisidorus, & Strongylion tantâ arte ternas quisque Musarum statuas fecit, ut diudicari non posset, quis eorum ceteros artificio superasset. Quum itaque Sicyoniis omnes eæ Statuæ æquè placuissent, omnes dedicarunt; homines autem, qui videbant novem esse Musarum simulacra, in eam adducti sunt opinionem, ut Musas esse novem existimarent. Atque
10 hic numerus quum obtinuisset, [y] Hesiodus novem Musis fecit nomina, quæ comprehenduntur his versibus

Κλειώ τ', Εὐτέρπη τε, Θάλειά τε, Μελπομένη τε,
Τερψιχόρη τ', Ἐρατώ τε, Πολύμνια τ', Οὐρανίη τε,
Καλλιόπη τε.....

Ex quibus constat Musas nunquam inter homines fuisse versatas; sed initio habitas hominum facultates, ac deinde casu, & errore plures esse factas, ac nominibus, quæ ad rem [z] Musicam, ceterasque disciplinas pertinerent, appellatas, nullâ tam speciosis nominibus personâ subjectâ. Quamquam non me præterit a Myrsilo Lesbio memoriæ proditum Musas fuisse famulas filiæ Lesbii Regis Macaris, quæ Megaclo [a] dicebatur; nam quum Macar, qui eâ tempestate Lesbiis imperabat, uxorem inhumaniter nimis, asperèque tractaret, & quotidie conviciis proscinderet, filis Megaclo matris commiseratione commota excogitavit rationem, qua sævitiam patris mitigaret: emit novem famulas ingenio præcellentes, has artem musicam docendas curavit; quum puellæ summam canendi, citharamque pulsandi scientiam essent consequutæ, jussit eas iracundiam Patris assiduè cantibus demulcere; quod quum illæ egregiè præstitissent, leenioremque patrem reddidissent, Megaclo grati animi ergo puellis æreas columnas dedicavit, & eas in omnibus templis coli imperavit, quum ipsis Musarum nomen indidisset. Veruntamen Myrsilum Lesbium Patriæ gratificantem puto ejusmodi commentum excogitasse, quo Musæ Lesbiæ viderentur; sicut illos quoque falsos arbitror, et qui Osiridis Ægypti Regis comites Musas fuisse tradiderunt; nec aliud esse Musas, quàm studia liberalium disciplinarum, & qui [b] Orpheum ex Calliopes concubitu procreatum, & qui Rhesum [c] Musæ filium, & [d] Jalemum, & [e] Hymenæum, & [f] Sirenas, & [g] Linum, & alios a Musis genitos esse tradiderunt, eorum in canendi præstantiam, & non Musarum veneream voluptatem indicare voluisse; quod illi quoque spectarunt, qui Sibyllam a Musâ educatam Clemente [h] Alexandrino teste affirmarunt. Jure igitur Musæ virgines finguntur, ut Poëta noster indicat, quòd nihil purius, nihil castius, & ab omni turpitudine magis alienum, quàm studia litterarum.

T DIS-

[a] Juven. Satyr. 10. in fine. [b] Pausan. Eliacor. poster. sive libr 6. & Pindar. Olymp. Od. 12. [c] Ovid. libr. 6. Fastor. Sil. libr. 8. Lucan. libr. 2. [d] Horat. libr. 1. Od. 35. [e] Ovid. libr. 4. Fastor. Dionys. Halic. libr. 4. Clem. Alexandr. in protrept. [f] Plutarch. quæst. Rom. q. 47. [g] Val. Max. libr. 5. tit. 2. cap. 2. & Dionys. Halic. libr. VIII. [h] Plutarch. quæst. Rom. Diodor. Sicul. libr. 42. & Livios libr. 26. & 34. [i] P. Victor. in descript. regionum Urbis reg. 8 [l] Plutarch. quæst. Rom. de Fort. Rom. & P. Victor. [m] Plutarch. de Fort. Roman. [n] Plut. ibid. & quæst. Rom. [o] Martial. libr. 8. ep. 65. [p] Donat. in Phorm. Ter. [q] Plutarch. de Fort. Romanor. [r] Ovid. libr. 4 Fastor. [f] Plin. libr. 36. cap 22. [t] Plutarch. quæst. Rom. P. Victor. [u] Ælian. var. histor. libr. 13. cap. 43. Ceb. Theban. in Tabolâ. [x] Pausan in Bœoticis sive libr. 9. [y] Hesiod Theog. [z] Plutarch. sympos. quæst. libr. 8. quæst. 14. [a] Clem. Alexandr. in Protr. [b] Virg. Eclog. 4. [c] Euripid. in Rheso, & ejus Scholiast. Apollodor. libr. 1. [d] Suid. in V. Ἰάλεμος. [e] Catull. in Nupt. Juliæ, & Manlii epigr. 62. [f] Hygin. fab. 85. & 141. [g] Hygin. fab. 14. Apollodor. libr. 1. [h] Clem. Alexandr. Stromat. libr. 1.

DISSERTATIO LVIII.

In idem Epigramma.

Dissertatio Quarta.

Apes Musarum Volucres habentur multis de causis, sed præcipuè, quia cum Musæ, tum Apes non lacessitæ, jucundissimæ sunt; irritatæ verò acerbissimè lædunt irritantes. Alia ab aliis affertur interpretatio fabulæ de Adulterio Martis cum Venere. Viri, & populi bellicosissimi, effusissimi etiam sunt in Venerem. Auctores plerique, ut significent Fortunam, Victoriam, aut Amorem perpetuò apud aliquos permanere, alas ipsis adimunt; non tamen reprehendendus est Plato, qui Amorem negat alas habere, ut indicet Musas nunquam amore captas fuisse.

APes esse Musarum volucres Varro [a] doctissimus Romanorum tradidit; idcirco quidam sunt arbitrati Aristæum Musarum fuisse Pastorem, [b] quia mellis usum primus invenit, & Apes in alvearia congregavit. Causa cur Apes Musis potissimùm dicarentur, non ea solùm fuit, quòd Apes, sicut Musæ virgines esse dicuntur, nec [c] Veneri indulgere; nec quòd Apes [d] dispalatæ cymbalis, & plausibus, & numeris in unum locum reducuntur; nec quòd ut Musæ Heliconis amœnitate gaudent, & solitudine; ita Apes floridis, & incultis locis delectantur; sed etiam, quòd sicut Apes non lacessitæ nemini sunt molestæ, immo quum gignant succi jucundissimi suavitatem, omnibus afferunt voluptatem; ita Musæ non irritatæ neminem lædunt, omnes carminum jucunditate delectant; ir-
1 ritatæ verò acerbissimis dictorum aculeis vulnerant, & cruentant irritantes; ideò Horatius [e] dicto, aut facto lacessere genus irritabile vatum vetat. Hunc Musarum morem respexit eleganter epigrammatis conditor, quod suscepimus explicandum; ubi Musæ a Venere lacessitæ inducuntur Venerem acerbissimè remordentes obiiciendo Martis adulterium, & imbecillitatem Amoris, cujus viribus Venus nititur, quum, ut Plutarchus ait, sine amore Venerem nulla gratia, sed satietas properè consequatur; sed antequam ad dicendum accedamus, operæpretium est recitare versus, de quibus mihi hodierno die disserendum est

At Musæ Veneri: jactabis talia Marti,
Nobis non alas iste puellus habet

Tangit autem Poëta notissimam fabulam,
quam non opus est pluribus enarrare, quia 2
omnium sermonibus [f] celebratur; siquidem ferunt Venerem pulcherrimam, & delicatissimam Dearum non contentam mariti Vulcani complexibus, qui operarius, & fuligine plenus, & claudus, durior, & deformior videbatur, quàm ut a Deâ tam tenerâ, & formosâ amaretur; Martis validi, & vigentis, & formâ præstantis Dei concubitus appetivisse; id adulterium quum Vulcanus indicante Sole rescivisset, eâ, qua pollebat, arte fabricasse rete, quod perspici non posset, & lecto circumdedisse, eo artificio positum, ut levi momento commotum totum lectum operiret. Quum Venus, & Mars in eum locum convenissent, & amoris lusu procacius uterentur, commovisse rete, quod commotum amantes inter se complexos comprehendit, & ineluctabilibus vinculis alligavit. Vulcanus autem omnibus Diis ad spectaculum convocatis turpitudinem uxoris, & adulteri ostendisse, quod flagitium, quia omnium Deorum multitudine spectante commissum est, maximè infamiâ apud Superos laboravit, & ut Ovidius [g] ait

..... fuit in toto notissima fabula Cælo

ideo Poëta noster non inducit Musas Veneri exprobrantes [h] Adonidos, aut [i] Anchisæ, aut [l] Mercurii, aut aliorum amorem, sed Martis adulterium, quod Venus negare non poterat. Hanc fabulam Homerus narrat libro octavo Odysseæ, & Ovidius libro quarto Metamorphoseon, & Fulgentius Planciades libro secundo Mythologicon, & est ea maximè pervulgata; sed non æquè pervulgatum est, quid sibi velit id commentum poëtarum. Aristoteles putat [m] viros bellicosos esse obnoxios plerun- 3
que libidini, quod Herculis exemplo declaratur, qui quinquaginta [n] Testhii filias constupravit, & earum nationum, quæ belli studiis asperrimæ habebantur. Nam Thraces [o] adeo feroces, adeo studiosi belli fue-
... runt,

[a] Varro de re rust. libr. 3. cap. 16. [b] Diodor. Sicul. libr. 5. & Plin. libr. 7. cap. 56. [c] Plinius libr. 11. cap. 16. Virgil. Georgic. libr. 4. [d] Plin libr. eodem cap. 20. Virgil. ibid. [e] Horat. Satyr. libr. 2. Satyr. prima. Item Plato in Minöe. [f] Homer. Odyss. θ, & Ovid. Metamorph. libr. 4 & libr. 2. de Arte Amand. & libr. 1. Amor. eleg. 9. Martial. libr. 5. epigr. 7. Stat. libr. 1. silv. 2. & libr. 7. Thebaid. Valer. Flacc. libr. 2. Argonaut. & Juvenal. Satyr. 16. [g] Ovid. ibid. [h] Theocr. in Epitaphio Adon. & Ovid. ibid. libr. 10. fab. 10. [i] Virgilius Æneid. libr. 1. & D. Augustin. de Civitat. Dei libr. 3. cap. 3. [l] Ov. Metamorph. libr. 4. v 288. & Cicer. libr. 3. de Nat. Deor. [m] Aristot. de Republ. libr. 2. cap. 9. [n] Athen. ex Herodoto libr. 13. cap. 1. & Pausan. in Boeoticis, sive libr. 9. [o] Strabo libr. III.

runt, ut Mars [a] in Thraciâ diceretur domicilium collocasse, iidemque in Venerem proni inprimis fuisse feruntur; quapropter Ovidius [b] libro sexto de Tereo sic ait

. . . . , sed & hunc innata libido
Extimulat, pronumque genus regionibus illis
In Venerem, flagrat vitio gentisque, suoque

& Spartani rei militaris gloriâ clarissimi, & incensi cupiditate vincendi feminis obnoxii [c] Aristotele teste vivebant, & qui omnibus imperare cupiebant muliebribus imperiis libenter obtemperabant. Celtarum [d] quoque ferocissimi populi Venereis voluptatibus dediti fuisse memorantur; siquidem consentaneum veritati est id, quod Diodorus [e] Siculus memoriæ prodidit, ipsos Venere & quidem præposterâ propalam usos esse tam impudenter. Quum igi-
4 tur fortissimi quique intemperantes in obscenis voluptatibus esse reperiantur, & qui alios vincunt, vincantur a cupiditate; non mirum est si poëtæ præsidem bellorum Deum cum Venere voluptatis Deâ miscuisse corpus tradiderunt. Nihil enim aliud significare voluerunt, quàm viros bellatores effusissimos esse in libidinem, & hac turpitudine interdum rerum gestarum gloriam obscurari, cavendumque esse iis, qui urbes, & regna capiunt, & evertunt, ne ipsi capiantur, & evertantur a cupiditate. Quod Hannibali [f], & ejus invictis copiis accidit, quem virtutis Romanæ victorem Campanæ deliciæ fregerunt. Eustathius [g] tamen hanc fabulam ad Empedoclis amicitiam, litemque retulit; & coitum Martis cum Venere nihil aliud esse, quàm amicitiam, qua omnia in unum commiscentur; solutionem Martis, quæ per Vulcanum contingit, esse litem, quæ per calorem iis, quæ mixta erant, atque confusa, discretis, & separatis hunc admirabilem ornatum efficit Universi. Alii ad [h] siderum Martis, & Ve-
5 neris, & Solis conjunctionem, & certos quosdam inter se habitus retulerunt. Fulgentius [i] Planciades Martem cum Venere concumbentem, & a Vulcano vinculis adamantinis irretitum putat esse virtutem, quæ ubi succubuit voluptati, miserrimæ servitutis vinculis adstringitur; sed hæc ne frigidi, & inepti esse videamur, omittamus. Sequitur versus, ubi Musæ, quum indicare velint se non Amori servire, ajunt sibi hunc puerum non volare

Ἡμῖν δ' οὐ πέτεται τοῦτο τὸ παιδάριον.

Contra Propertius, quum se Amori semper obnoxium, nunquam ejus tyrannide sævissimâ liberari significare velit, ait alas Amorem amisisse, sic [l] enim loquitur:

In me tela manent, manet & puerilis imago,
Sed certè pennas perdidit ille suas

eodem modo Athenienses, ut ostenderent apud se mansuram semper esse Victoriam, statuam ejus alis carentem dedicarunt, quam ἄπτερον vocaverunt, ut [m] Pausanias tradit quum apud alios [n] Victoria alata fingatur; & Plutarchus libro de fortunâ Romanorum, quò Romanis Fortunam nunquam defuisse declaret, affirmat eam Assyriorum, Medorum, Persarum, Macedonum regna velocibus prætervectam pennis, quum ad Tiberim venisset, alas deposuisse Fortunam. 6
Et [o] Aristophon apud Athenæum affirmat Amori Deos alas ademisse, ut semper apud Mortales permaneret, & eas Victoriæ concessisse; versus Græci Poëtæ ad hunc modum vertimus

Justè Deorum duodecim sententiâ
Sævus Cupido è Cælitum ejectus choro est;
Turbabat ipsos quippe seditionibus,
Quum regna coleret supera, quodque audax erat,
Petulansque, pennas amputantes ipsius,
Huc expulerunt exulem ad terras Deum;
Ad templa rursus ne volaret Ætheris,
Victoriæque ferre, quas gerebat hic,
Alas dedere, ex hoste spolium splendidum.

Et [p] Eubulus eos, qui Amorem pinxerunt, vel finxerunt alatum reprehendit; Amorem quippe non volare, quum tamdiu maneat in eorum animis, quos semel cepit, asseverat. His autem versibus hanc sententiam Poëta complectitur, quos nos, ut potuimus, ita Latinos fecimus totidem versibus Jambicis

Quis pinxit ergo primus e Mortalibus,
Vel finxit alis præditum Cupidinem?
Nil ille norat pingere, nisi hirundines;
Sævique nesciebat ingenium Dei;
Neque enim ille levis est, neque paratus ad fugam,
Nec facilis est levare, quos urget, malo
Gravis ille valde, quomodo ergo alas habet?

& [q] Alexis ait:

. . . . . λέγεται γὰρ λόγος
Ὑπὸ τῶν σοφιστῶν, μὴ πέτεσθαι τὸν θεὸν
Τὸν ἔρωτα, τοὺς δ' ἐρῶντας, αἰτίαν δ' ἔχειν
Ἐκεῖνον ἄλλως, ἠγνοηκότας δὲ τοὺς
Γραφεῖς ἔχοντα πτέρυγας αὐτὸν ζωγραφεῖν

hoc est . . . . . *Sapientes ferunt*

Non esse volucrem, aut præditum pennis Deum
Cupidinem, volare, sed quos vulnerat,
Ideoque temerè præpetem esse dicier;
Id nescientes, ora qui pingunt, Deum
Alas habentem consuesse pingere

[a] Homer. Odyss. θ v.361. & Lycophron, & ejus enarrator. [b] Ovid. Metam. libr. 6. v. 458. [c] Arist. de Republ. libr. 2. cap. 9. [d] Strabo libr. 3. Geograph. [e] Diod. Sic. Bibl. libr. 5. [f] T. Livius Histor. libr. 23. [g] Eustath. in Homer. Odyss. θ. [h] Plutarch. de Audiendis poëtis. [i] Fulgent libr. 2. Mythol. [l] Propert. l. 2. El. 12. [m] Pausan. Attic. [n] Ovid. Met. l. 8. v. 13. & Auson. Idyll. 8. [o] Apud Athen. libr. 13. cap. 2. [p] Apud Athen. l. 13. ibid. [q] Apud Athen. ibid.

7 Quibus Auctorum locis Platonem scriptorem hujus Epigrammatis perperam loquutum posse quispiam suspicari; nam Auctores, quos citavimus, Fortunæ, Victoriæ, Amori adimunt alas, ut ostendant horum summam vim,& potentiam non facilè cedentem loco, & semper permanentem; Plato verò adimit, ut significet Amorem nihil posse, non habere vim eos vulnerandi, quibus non volat; & illi quidem jure tribui alas Amori negant; hic autem alatum esse confirmat,sed non omnibus. Numquid ergo Plato reprehendendus? minimè gentium; sed animadvertendum est illos de iis loqui, qui jam amore sunt capti, in quibus, quia amor diutissime esse perseverat, & difficillimè omnium hic affectus deletur ex animo, & urget, & premit vehementissimè amantes, non dicitur volare, nec esse levis, ut ea sunt, quæ nituntur alis, sed infigi pectoribus, ut ita dicam, clavis adamantinis; Platonem verò loqui de Musis, quæ sunt expertes amatoriæ levitatis, ad quas, nisi volet Amor, non potest aspirare. Nam a-
8 mor visu excitatur; ideo [a] Propertius dixit

..... oculi sunt in amore duces

& [b] alio in loco

Qui videt, is peccat; qui te non viderit, ergo
Non cupiet; facti crimina lumen habet

Et [c] Pindarus negat aspici posse Theoxenum suas delicias, quin continuò spectantes incendantur

....; τὰς δὲ θεοξένου
Α'κτῖνας ὄσσων μαρμαρίζοισας δρακεὶς,
Ο'ς μὴ πόθῳ κυμαίνεται,
Ε'ξ ἀδάμαντος, ἢ σιδάρου
Κεχάλκευται μέλαιναν ψυχάν.

vel ut alii legunt *ἀκτῖνας προσώπου μαρμαρίζοισας δρακεὶς* cujus loci sententiam his versibus Alcaicis complexi sumus

Quicunque spectat blanda Theoxeni,
Et igne puro fulgida lumina,
Orisque splendorem nitentis,
Et radios, nec amoris æstu
Tumultuosi fluctuat Adriæ
Instar profundi, vel Libyci miser,
Ferro laboratum rigenti
Atrum animum, aut adamante gestat

9 Sappho [d] autem non solùm visu putat, sed etiam auditu amorem commoveri

Α'δυ, inquit, *φωνέισας ὐπακούει,*
Καὶ γελαίσας ἱμερόεν

quam imitatus [e] Horatius ait

Dulce ridentem Lalagen amabo,
Dulce loquentem

Tam autem visus, quàm vox, qua efficitur auditus, est quodammodo volucris; ideo Homerus [f] verba alata appellavit

DISSERTATIO LIX.

In Epigramma libri I. in Tibicines, & Saltatores: de Glaphyrâ Tibicine.

DISSERTATIO PRIMA.

Tibiæ ex Loto conficiebantur, præsertim eæ, quibus in nuptiis canebatur, aut saltem quum primùm inventæ sunt, & quot foramina Tibiæ haberent. Diligentissimè describitur Lotos arbor, & ejus fructus, & quot Lotorum genera sint.

Elegans est in Anthologiâ a Poëtâ Philippo Epigramma conscriptum in Glaphyram excellentem Aulœdum, ubi Philippus inducit Apollinem auditis Glaphyræ modis admiratione defixum, & exclamantem [g] mendacem fuisse Marsyam, qui Tibias a Minervâ relictas a se repertas jactaverit; Glaphyram quippe Minervæ Tibias e Phrigiâ terrâ sustulisse, quum tantâ arte utatur, tantâ jucunditate aures demulceat, 1
ut inventum Deæ solus dignè usurpare videatur. Enimvero se, qui Marsyam tam acerbè propter arrogantiam puniverit, si tam peritè, quum secum certavit, Tibiâ cecinisset, parsurum fuisse homini, nec artificis tam eximii sanguine manus cruentaturum: hæc est sententia carminis, hoc autem carmen, Auditores,

Ι'μερον αὐλήσαντι πολυτρήτων διὰ λώτων
Εἶπε λιγυφθόγγῳ Φοῖβος ἐπὶ Γλαφύρᾳ·
Μαρσύη, ἐψεύσω τεὸν εὕρεμα, τὰς γὰρ Α'θήνης
Α'υλοὺς ἐκ Φρυγίης οὗτος ἐληΐσατο.
Εἰ δὲ σὺ τοιούτοις τότ' ἐνέπνεες, οὐκ ἂν Υ'αγνις
Τὴν ἐπὶ Μαιάνδρῳ κλαῦσε δύσαυλον ἔριν

Quos versus ita Latinitate donavimus

Multiforem inspirat dum Loton, dulce canentis
Miratus Glaphyræ dixit Apollo sonos:
Non Phrygiis inventum est prædulcis Tibia cantus;
Sustulit hic calamos, docta Minerva, tuos:
Marsya, sic utinam inflasses, non flesset Hyagnis
Litem, Mæandri quam gemuisti aquæ

In quibus versibus adnotandum est multiforem Loton Tibiam appellari, quod ex arbore [h] Loto solebant confici Tibiæ præ- 2
stantissimæ, præsertim eæ, quibus in nuptiis canebatur; quare Suidas in voce Lotos ait *ἢ λώτου ἐπιθαλάμιοι τινες αὐλοὶ; sunt & Loti nuptiales quædam Tibiæ* quod Suidas multis Auctorum locis probat, in quibus hi sunt

...λωτοί

[a] Propert. libr. 2. Eleg. 15. [b] Propert. libr. 2. El. 32. [c] Apud Athen. libr. 13. cap. 2. [d] Sappho apud Dionys. Long. de sublimit. dicendi. [e] Hor. libr. 1. Od. 22. [f] Homer. Iliad γ v. 155. & π. v. 829. [g] Eustath. in Homeri Iliad. σ. v. 495. [h] Plin. libr. 13. cap. 17.

.... Λωτοὶ
Α᾽χειν, ἐς θαλάμων ἐπλατάγευντο θύραι

hoc est

...... *Loti dulce strepebant,*
Queis thalami festæ consonuere fores.
Α᾽ρτὶ γὰρ ἑσπέριοι νύμφας ἐπὶ δικλίσιν ἤχευν
Λωτοὶ....... — —

hoc est:

Læta novæ nuptæ sonuere ad limina nuper
Nocturnæ Loti.....

Sed hi loci non omnino persuadent è Loto fieri solitas Tibias, quibus in nuptiis Veteres utebantur; nam quum memoriæ proditum fuerit Siritem [a] Numidam fuisse Tibiæ
3 inventorem, credibile est è Loto arbore Africæ [b] familiari primam Tibiam esse confectam, quod genus Tibiæ φωτῖγξ ab Alexandrinis vocabatur, ut Eustathius in decimum octavum librum Iliadis tradit. Quum igitur prima Tibia è Loto fuerit, omnes Tibiæ, licet ex aliâ materiâ constent, Loti possunt appellari. Sicut omnis cithara chelys, & testudo dicebatur, quia citharam primam è testudine Mercurius fecit; ideo Horatius [c] dixit

Tuque, testudo, resonare septem
Callida nervis

& alio [d] in loco

O testudinis aureæ
Dulcem quæ strepitum, Pieri, temperas

& [e] Statius libro quarto Silvarum

...... *nec bella vides, pugnasque feroces,*
Sed chelyn, & vittas, & amantes carmina laurus

Est autem Lotos arbor, quam Libya maximè gignit, quæ ab [f] Athenæo libro deci-
4 moquarto describitur, ubi scriptor doctissimus tradit Lotum esse arborem non admodum magnam, asperam, nec spinis carentem, habere folia Rhamni foliis, quam spinam albam quidam interpretantur, similia, viriditate præstantia, & aliquanto crassiora, & latiora foliis Rhamni; fructum ferre, qui initio præferat similitudinem myrti baccarum candidarum colore, & magnitudine; auctus verò Phœniceum colorem ducat, habeatque nucleum exiguum valde, quem, quum maturuerit, cum alicâ tundantes conculcatum, constipatumque in vasa condunt ad servorum cibum; exempto autem nucleo liberos baccâ vesci, quæ saporem ficus, & palmulæ refert, nisi quod odorem reddit aliquanto suaviorem. His Plinius [g] addit Loti lignum nigri coloris esse; e fructu confici vinum simile mulso, quod ultra decem dies durare negant; è radice verò fieri capulos cultellorum, & alia ejusmodi. Homerus [h] au-
tem tantam esse in Loti fructu suavitatem 5
putavit, ut oblivisci Patriæ tradiderit, qui eo vescerentur; ab eo Lotophagi populi sunt appellati, qui eo cibo vitam sustentarent, cujus ea [i] salubritas esse fertur, ut sentire ventris morbos negentur, qui utuntur eo alimento. Et ne quid, quod ad Loton pertineat, omittamus; est etiam Lotos herbæ genus, quod [l] Suidas affirmat esse odoratum, & a quibusdam myroloton appellari; est Lotos caulis, e cujus fructu papaveri simili Ægyptii panem [m], Plinio teste, conficiebant. De eâ Loto illud mirum a [n] Plinio narratur in Euphrate flumine Sole occidente scapum ejus cum flore mergi usque ad medias noctes, & abire in altum, ut ne demissâ quidem manu possit inveniri; subrigi deinde paulatim sidere ad nostrum Orbem rursus cursum reflectente, donec emergente Sole ex aquâ rursus emergat, eoque se attollente attolli, ut ab aquâ extet altè. Atque hæc de Loti generibus
satis fuerit delibasse; Loton autem ad Ti- 6
biarum cantus expeti libro decimotertio Plinius [o] asseverat, & [p] Antipater in Anthologiâ, quum sic ait

Ο᾽ Τυφλα καὶ τέχνης, κὴ σώματος, ὄκεν Α᾽θήνη
Ε᾽ρριψεν λώτους τοῖα μελιζομένη

& [q] Athenæus libro quincto Dipnosophistarum, ubi sic ait: οἱ δὲ καλούμενοι λώτινοι αὐλοὶ, οὗτοι εἰσιν, οἱ ὑπὸ Α᾽λεξανδρέων καλούμενοι Φώτιγγες, κατασκευάζονται δὲ ἐκ τοῦ καλουμένου Λωτοῦ: hoc est: *quæ Tibiæ Lotinæ nuncupantur, eæ sunt, quæ apud Alexandrinos dicuntur Photinges; conficiuntur autem ex ejus arboris ligno, quæ Lotos vocatur.* Testatur id etiam Festus Pompejus in voce *Lotos* & [r] Julius Pollux Onomastico, & alii. Loton autem Vossius [s] a verbo Λῶ, quod est *volo* putat appellatam; nam sicut ab eo verbo originem ducit λῷον, & λώιον quod est *melius* & λῷστον quod est *optimum*; ita ab eodem Loton derivari, quod ea arbor fructum producat optimum, sicut [t] Homerus libro decimo testatur. Πολυτρήτους autem Poëta noster
idest *multifores Lotos* [u] appellat eâ de causâ, 7
quòd Tibiæ multis preditæ foraminibus forent, non initio; nam initio paucis erant contentæ; sed procedente tempore, quum ars Tibiâ canendi summum suscepisset incrementum; qui enim Tibiam primus invenit tribus, aut quatuor locis ipsam perforavit, ut [x] Porphyrion, & [y] Acron scriptum reliquerunt, quorum alter tria; alter qua-

---

[a] Athen. l. 14. c. 2. & Cal. Rhod. l. 9. c. 7. [b] Plin. libr. 13. c. 17. [c] Horat. l. 3. Od. 11. [d] Horat. l. 4. Od. 3. [e] Stat. l. 4. silv. 6. Vindicis Herc. Epitrapez. [f] Athen. ex Polybio l. 14. c. 18. [g] Plin. l. 13. c. 17. [h] Homer. Odyss. l. 9. [i] Plin. l. 22. c. 21. [l] Suid. in V. λωτός. [m] Plin. lib. 22. cap. 21. [n] Idem libr. 13. cap. 18. [o] Plin. ibid. cap. 17. [p] Antipater in Anthol. libr. 1. εἰς αὐλητὰς &c. [q] Ath. l. 5. c. 25. [r] Jul. Poll. Onom. l. 4. [s] Voss. in Etymol. [t] Homer. Odyss. libr 10. [u] Senec. in Agamemnone. [x] Porphyr. in Horat. Art. Poët. [y] Acron in Horat. Poet. ex Varrone.

quatuor tribuit Tibiæ foramina, & olim in templo Marsyæ spectari potuisse confirmat Tibiam quatuor foraminum; ideo [a] Horatius dixit

Tibia non ut nunc Orichalco vincta, tubæque
Æmula, sed tenuis, simplexque foramine pauco
Aspirare, & adesse choris erat utilis....

Immo biforem fuisse priscam Tibiam possumus suspicari, quum [b] Virgilius libro nono dixerit

O verè Phrygiæ, neque enim Phryges; ite per alta
Dyndima, ubi assuetis biforem dat Tibia cantum

Cui concinit Statius libro quarto Thebaidos, qui sic ait:

Æraque, tympanaque, & biforem reticere tumultum,

Nisi hæc non de omnibus Tibiis, sed de Phrygiâ intelligenda esse constaret; nam
8 Phrygiæ Tibiæ duo foramina tribuit apud [c] Servium Varro; sic enim loquitur: *Tibia Phrygia dextra unum foramen habet; sinistra duo, quorum unum acutum sonum habet, alterum gravem*. Quo in loco videtur asseverare fuisse Tibiam, quæ esset prædita uno dumtaxat foramine, & hanc fuisse Tibiam dextram. Nam Tibiæ [d] dextræ, & sinistræ inter se differunt, quum dextris choro præcineretur, sinistris succineretur; nisi Varro [e] Tibiam dextram sumpsit pro dextrâ parte Tibiæ; sinistram pro sinistrâ; quo sensu Varro si intelligatur, Phrygia Tibia tria habuerit foramina. Quàm paucis autem veteres Tibiç essent instructç foraminibus declarat Ovidius, qui libro sesto Fastorum de Tibiâ, quam Minerva reperit, ita loquitur

Prima terebrato per rara foramina buxo,
Ut daret, effeci, Tibia longa sonos

Veruntamen quum ingenia Posterorum semper inventis Majorum aliquid addant, po-
9 sterioribus sæculis excogitatæ sunt Tibiæ grandiores, & multis locis perforatæ, quo factum est, ut Tibia tubæ æmula redderetur, ut ex [f] Horatii verbis, quæ citavimus, constat, quum paulo minorem, quàm tuba ederet sonum, quod de Phrygiâ Tibiâ maximè verum est, quam [g] Eustathius affirmat Tyrrhenæ tubæ similem sonum reddidisse; quem sonum nimis gravem quò temperarent, extremæ Tibiæ parti cornu addiderunt, quod tubæ parti, quæ codon appellatur, pro portione responderet, ut [h] Athenæus refert, est autem tubæ codon ea pars, unde spiritus exit, ubi tuba dilatatur, quo Athenæi loco Statii locus illustratur, ubi Poëta [i] sic ait

Tum signum luctus cornu grave mugit adunco
Tibia, cui teneros suetum producere manes
Lege Phrygum mœstâ.....

apparet enim, cur dicat mugire Tibiam cornu.

DISSERTATIO LX.

In idem Epigramma.

Dissertatio Secunda.

Ex diversis rebus conficiebantur Tibiæ. In quo differrent Tibiæ pares, & impares; dextræ, & sinistræ. Quædam Tibiæ dicebantur Vascæ, aliæ Pueriles, aliæ Viriles; erant & Tibiæ Gingrinæ, Tityrinæ, & Spondauli, & aliæ quamplures. Utebantur autem Tibiis in sacrificiis, ludis, & funeribus, necnon in nuptiis, & conviviis, & quidam etiam in bello. Ovantes Tibias adhibebant, Triumphantes verò Tubas.

Quum Anthologiæ Epigramma sexagesimumoctavum explicaremus, Auditores, ubi Poëta multiforem Loton vocat, de Tibiis, quæ confici solebant ex ligno arboris Loti, & qua re veteres Tibiæ a recentioribus discreparent, diximus, & cur multifores novæ Tibiæ vocarentur, exposuimus. Nunc, ne quis existimet Lotum solum fuisse materiam Tibiarum, qua materiâ Tibiæ constarent, dicemus; & de variis Tibiarum generibus disseremus, & quibus Tibiæ cantus adhiberetur. Primas igitur [l] Tibias, quas Minerva fabricata est, 1
ex osse cervino factas Hyginus eruditissimus grammaticorum capite centesimo sexagesimoquincto memoriæ prodidit. Hoc exemplo Thebani Principes ex cruribus Hinnuli fecere Tibias, ut [m] Eustathius testatur: ex ossibus etiam asininis Tibias confici Plinius [n] tradit; Phryges e buxo fabricati sunt, quo respicit [o] Virgilii carmen

Tympana vos, buxusque vocat Berecynthia Matris
Idææ.....

& Ovidius, qui libro quarto Metamorphoseon dixit

Concavaque æra sonant, longoque foramine buxus

& Statius libro septimo Thebaidos

Nectere fronde comas, & ad inspirata rotari
Bu-

[a] Hor. in Arte Poët. [b] Virg. Æn. libr. 9. [c] Serv. in l. 9. Virg. ad versus supra recensitos. [d] Varro de Re Rust. libr. 1. cap. 2. [e] Varro etiam apud Servium ibid. [f] Horat. in Poët. [g] Eustath. in Iliad. σ. [h] Athen. libr. 4. in fin. [i] Stat. Thebaid. libr. 6. [l] Callimachus in hymno Dianæ in fine. [m] Eustath in Iliad. σ. [n] Plin. libr. 16. cap. 36. [o] Virgil. libr. 9.

Buxo . . ., . . .

Phrygiæ autem gentis inventum imitati sunt Thusci; siquidem Tibiis e buxo factis utebantur; ideo Plinius [a] ait libro decimosexto: *nunc Sacrificæ Thuscorum e buxo*; Vossius [b] verò Tibias, quibus canebatur, dictas putat a Tibiis gruum, ex quibus conficerentur, in quo dissentit ab [c] Isidoro, qui Tibias appellatas a tibiis cervorum arbitratur. Fuit & calamus, qui [d] Orchome-
2 nius dicebatur, continuo foramine pervius, qui auleticus est dictus, quia Tibiis utilis haberetur, sicut calamus, quem dixere syringiam, fistulis. Phœnices autem ex ebore suas Tibias consecerunt; Athenæus [e] libro quarto: *ὁ δὲ Τρύφων φησὶ καὶ τοὺς καλουμένους ἐλεφαντίνους αὐλοὺς παρὰ Φοίνιξιν ἀνατρηθῆναι* hoc est: *Tryphon ait & Tibias, quæ vocantur elephantinæ, apud Phœnices perforari*; & Eustathius *καὶ ὅτι ἀνετρήθησαν ἐλεφάντινοι αὐλοὶ παρὰ Φοίνιξιν* hoc est: *adnotandum est & eburneas Tibias apud Phœnices esse perforatas*, & ex Latinis [f] Propertius agnoscit eburneas Tibias, qui sic loquitur

Spargite me lymphis, carmenque recentibus aris
Tibia Mygdoniis libet eburna Cadis

Tibiæ demum fiebant ex argento, quod Plinius [g] affirmat his verbis: *ossibusque asininis, & argento fiunt;* ornabantur autem orichalco Tibiæ, quo vinctas fuisse [h] Horatius versibus, quos adduximus, indicat. Nec minor
3 varietas in generibus Tibiarum fuit, quàm in materiâ; nam aliæ pares, aliæ impares vocabantur; id in Terentii Comœdiis licet observare, in quarum titulis indicatur paribus, an imparibus unaquæque sit acta. Videntur autem Tibiæ pares a Veteribus appellatæ, quarum foramina sunt æqualia; impares contra, quarum inæqualia: testatur id Servius, qui in ea [i] Virgilii verba

. . . . . *biforem dat Tibia cantum*

biforem, [l] inquit, *bisonum imparem; & servavit eis Tibiarum suarum*, idest Phrygiarum *naturam. Tibiæ aut Serranæ dicuntur, quę sunt pares, & æquales habent cavernas, aut Phrygiæ, quæ & impares, & inæquales habent cavernas.* Ex quibus verbis intelligi potest Serranas Tibias pares fuisse; impares Phrygias; Salmasius autē impares Tibias dictas esse putat, quum dextra, & sinistra Tibia jungebatur, & impares appellatas, quia sinistra, quàm dextra, pluribus foraminibus abundabat; pares autem, quum duæ dextræ, vel duæ sinistræ copulabantur. Nam aliæ Tibiæ dextræ, 4
aliæ sinistræ vocabantur, ut constat ex Terentio, quas inter se eo differre [m] Cælius Rhodiginus putat, quòd dextræ pręcinebant, sinistrę succinebant; Scaliger dextras, & sinistras appellatas arbitratur, quòd alteræ a dextrâ parte; alteræ a lævâ inspirabantur. Dexteræ [n] graviorem edebant sonum, quia paucis erant præditæ foraminibus; sinistræ acutiorem, quia plura habebant foramina; de dextris fortasse loquitur Solinus capite undecimo: *sive præcentorias facias, quarum locus est ad pulvinaria præcinendi*. Videtur etiam hoc inter lævas Tibias, & dextras intercessisse discrimen, quod lævæ essent latiores, dexteræ subtiliores; siquidem Plinius [o] ex calamo, quem auleticon appellabant, partem, quæ proxima est radici, tradit esse Tibiis lævis aptiorem; propinquam cacumini dextris; nam calami partem, quæ radicem attingit, consentaneum est esse crassiorem, quæ cacumen proximè antecedit, esse tenujorem; quod non omnino probo; quum enim constet sinistras Tibias acutum sonum; dextras gravem reddidisse, quomodo angustiores dextræ, quàm sinistræ esse potuerunt? Vocabantur etiam
quædam Tibiæ vascæ, quæ Solino [p] teste 5
pluribus, quàm præcentoriæ, foraminibus abundabant, quæ Græcis *πλαγίαυλοι*, idest *incurvę Tibię* vocabantur; has respicit Virgilius [q] his verbis

Aut ubi curva choros indixit Tibia Bacchi

Plinius [r] appellat obliquas Tibias; his aulœdi [f], quum sese exercebant, utebantur; ideo [t] Philoxenus *μελητικὸν αὐλὸν* vocat; vascæ verò sunt nuncupatæ a leviore sono, quem emittebant, *vascum* enim Latinis *leve*, qua voce utitur [u] Gellius ex emendatione Salmasii; verba Gellii sunt hæc: *sed ne nos, idest nomen Latinum, tanquam vascos quosdam, & insubidos ἀναφροδισίους condemnetis* & Livius his verbis: *omnia velut forte congregata turba vasca, & temeraria esse*. Voca-
bantur & quædam Tibiæ pueriles *αὐλοὶ παιδικοὶ* Græcis, quas hemiopos quoque [x] Athenæus putat nuncupari; & non esse certaminibus, sed conviviis aptas; ideo suavissimus [y] Anacreon ipsas teneras appellavit; quædam [z] virginales, Parthenιæ Græcis, quas puellatorias nominat [a] Solinus; quædam viriles, quarum meminit [b] Athenæus. Phœnices [c] autem suas Tibias Gingrinas habuerunt, quæ, ut auctor est [d] Xenophon, 6

non

---

[a] Plin. libr. 16. cap. 36. [b] Voss. in Etymol. [c] Isid. Origin. libr. 2. cap. 20. [d] Plin. libr. 16. cap. 36. [e] Athen. libr. 4. cap. 25. [f] Propert. libr. 4. El. 6. [g] Plin. libr. 16. cap. 36. [h] Hor. in Art. Poët. [i] Virgil. libr. 9. Æneid. [l] Serv. in libr. 9. Virg. [m] Cæl. Rhodigin. libr. 9. cap. 7. [n] Fest. Pomp. [o] Plin. libr. 16. cap. 36. prope finem. [p] Solinus cap. 10. [q] Virg. Æneid. libr. 10. [r] Plin. libr. 16. c. 36. [f] Vossius Etymol. in Vasca. [t] Philoxenus in Glossis. Voss. in Etymol. in Vasca. [u] A. Gell. libr. 19. cap. 9. [x] Athen. libr. 4. cap. 25. [y] Athen. ibid. [z] Athen. ibid. cap. 24. [a] Solin. cap. 10. [b] Athen. libr. 4. cap. 24. [c] Cæl. Rhodigin. libr. 5. cap. 4. & libr. 9. cap. 7. [d] Xenoph. apud Athen. libr. 4. c. 23 & Eustath. in libr. 17. Iliad.

non excedebant ſpithamæ, ideſt dodrantis menſuram, vel, ut planiùs loquar, duodecim digitos: earum flebilis, & lugubris ſonus, & a luctu, quem propter [a] Adonidis mortem Phœnices agebant, nomen acceperunt. Nam Adonin Phœnices Gingren appellabant; quod tamen vocabulum Feſtus a voce anſerum derivavit; nam gingrire anſeres dicuntur, quum clamant, *γιγγρίζειν* Græcè; de his Tibiis ita loquitur [b] Solinus: *ſive Gingrinas, quæ licet breviores ſubtilioribus modis inſonant*; has improbare videtur Axionicus apud [c] Athenæum in Phileuripide, cujus hi verſus citantur:

ΟΥ'τω γὰρ ἐπὶ τοῖς μέλεσι τοῖς Εὐριπίδου
Ἄμφω νοσοῦσιν, ὥστε τ' ἄλλ' αὐτοῖς δοκεῖν
Εἶναι μέλη γίγγραντα, καὶ κακὸν μέγα

hoc eſt

Hoc quippe circa Euripidis poëmata
Morbo laborant ambo, ut aliorum modi
Videantur ipſis eſſe Gingrinum melos

Fuerunt & Tibiæ Citharistctiæ ſic dictæ, ut [d] Caſaubonus arbitratur, quòd ad cithа-
7 ræ concentum adhibetentur, & cum eâ mirificè conſonarent; & Elymi, quæ ſunt eædem, ac [e] Phrygiæ Tibiæ; & milvinæ, quæ acutiſſimum edebant ſonum; & Lydiæ, quas turarias, vel Corinthias, vel Ægyptias dici [f] Solinus memoriæ prodidit. Quid autem memorem Pariambidas Tibias, vel Lyſiodas, vel Dactylicas? *μονάυλους* Tibias Græci [g], Italiæ incolæ Tityrinas nuncupabant, quaſi ſatyricas, Satyri [h] quippe Tityri dicebantur, quas Oſiris [i] dicitur inveniſſe *μόναυλοι* autem vocabantur, quia ex uno calamo conſtabant, quarum cantum non admodum probat apud [l] Athenæum Ulpianus, quum ita loquatur: *καὶ οὐχ ὡς παρ' ὑμῖν τοῖς ἀλεξανδρεῦσι πολὺς ὁ μόναυλος ἀλγηδόνα μᾶλλον τοῖς ἀκούουσι παρέχων, ἤ τινα τέρψιν μουσικήν*, quæ verba ſic verto: *& non ſicut apud vos Alexandrinos frequens monaulos dolorem magis audientibus præbens, quàm aliquam muſicam oblectationem*; *μαγαδὶς* [m] etiam quoddam Tibię genus eſt appellatum, non quòd id nomen propriè ſortitum eſſet; ſed quòd cum Magadide muſico organo, quod chordis temperatur, mirificè concinat. Idcirco [n] Anacreon Magadidem viginti Chordarum agnoſcit, & Jon [o] in Omphale Magadin Tibiam vocat

Λυδός τε μάγαδις αὐλὸς ἡγείσθω βοῆς

hoc eſt

Præeatque voci Lyda Magadis tibia

ex quo verſu conſtat Magadin Lydorum fuiſſe Tibiam. Cteſibius [p] quoque tonſor Alexandrinus invenit Tibias, quæ non ſpiritu oris inflarentur; ſed ex aquæ mo- 8
tu proveniente flatu, quæ Hydrauli nominantur; nominat denique [q] Athenæus Tibias, quæ *πλαγίαυλοι*, quòd obliquè inſpirarentur, & eas, quæ dyopi, & quæ *ὑπότρητοι*, & quæ *μεσόκοποι* vocabantur; nec omittendæ Tibiæ ſpondiacæ, quæ & ſpondauli dicebantur, quò Salmaſius Ciceronis locum putat pertinere, qui libro ſecundo de Oratore ſic ait: *tamen in hoc genere ſæpe ipſe vidi, quum ex personâ mihi ardere oculi hominis hiſtrionis viderentur ſpondaulia illa dicentis; ſegregare abs te auſus, aut ſine te Salaminem ingredi?* his autem propter gravitatem in ſacris utebantur, ubi Tibicen auctore Plinio canebat, ne verba mali ominis exaudirentur, & *ἀπὸ τῆς σπονδῆς* a *libatione* nomen acceperunt. Nam de Libycis Tibiis jam diximus, a quibus omnes aliæ Tibiæ ſunt appellatæ, quum Euripides quemlibet *αὐλὸν λίβυν* vocet. Quæ tam multa genera, & nomina Tibiarum 9
declarant Antiquis magno in pretio fuiſſe artem Tibiâ canendi; nec mirum, multis enim in rebus Tibicinum operâ utebantur, & frequentiſſimus fuit uſus Tibiarum

Cantabat fanis, cantabat Tibia ludis,
Cantabat mæſtis Tibia funeribus;

ut [r] Ovidius ait, in quibus verſibus enumerat Poëta, quibus Tibiæ cantus adhiberi ſolebat, & dicit cantaſſe Tibiam fanis; eo videlicet tempore, quo ſacra fiebant; nam ſacrificia ſine Tibiâ non peragebantur. Idcirco [ſ] Romani, quum Tibicines Tibur ſeceſſiſſent, ademptis honoribus ſuccenſentes, nec rite ſacra fieri poſſent, quum deeſſent, qui rei divinæ præcinerent, coacti ſunt ſervi dolo, qui ipſos ad convivium invitatos, & largiore potu conſopitos in plauſtrum impoſuerat, Romam reducere, & honores ipſis reſtituere, quos ademerant; & Plutarchus [t] refert in ſacrificiis inflari ſolitas Tibias longiores. Nec verò ſolùm quum ſacrificabant, Tibiæ cantu utebantur; ſed 10
etiam quotidie Tibiæ ſono mane Deos ſalutabant. Arnobius [u] putat ad excitandos e ſomno Deos Tibias eo tempore adhibitas eſſe; ſic enim libro ſeptimo loquitur: *quid ſibi volunt excitationes illæ, quas canitis matutini collatis ad Tibiam vocibus? obdormiſcunt enim Superi, remeare ut ad vigilias debeant.* Addit Ovidius cantaſſe Tibiam ludis, quod intelligendum eſt de ſcenicis; nam in Gymnicis, ut appellant Græci, non Tibiâ, ſed tubâ canebatur; ideò Virgilius libro quinto [x] dixit:

Et tuba commiſſos medio canit aggere ludos

& Phi-

---

[a] Athen. libr. 4. cap. 23. Jul. Scalig. Poëtic. libr. 1. cap. 20. [b] Solin. cap. 10. [c] Athen. libr. 4. c. 23. [d] Caſaub. in libr. 4. Athen. [e] Athen. libr. 4. cap. 24. Solinus c. 11. [f] Solin. ib. & Cæl. Rhod. l. 9. c. 7. [g] Athen. libr. 4. c. 23. [h] Cæl. Rhod. l. 19. c. 25. [i] Ath. l. 4. c. 23. [l] Ath. ib. [m] Ath. l. 14. c. 4. [n] Apud Ath. ib. c. 3. [o] Apud Ath. ib. [p] Ath. l. 4. c. 23. [q] Ath. l. 4. c. 24. [r] Ovid. in Faſt. lib. 6. [ſ] Liv. ab V. C. l. 9. [t] Plut. de Muſ. & Cæl. Rhod. lib. 9. c. 8. [u] Arnob. adv. gent. l. 7. [x] Virgil. l. 5.

& Philostratus in Polemone: *ἡ δ' ἰδέα τῶν Πολέμωνος λόγων θερμὴ, κ̧ ἐναγώνιος, κ̧ τορὸν ἠχοῦσα, ὥσπερ ἡ ὀλυμπικὴ σάλπιγξ.* quæ verba sic reddo: *At forma Polemonis orationum pugnax, & fervida est more Olympicæ tubæ vehementi spiritu sonans*; ubi Olympica tuba est, qua præcinente Olympici ludi committebantur. Pausanias tamen Eliacis Pentathlos,
11 quum saltarent, tradit, id fecisse canente Tibiâ; sed hoc usurpabatur dumtaxat in saltus certamine; nam alioquin [a] Athenæus in Tyrrhenis populis notat, quasi luxuriæ, & deliciarum argumentum, quod ad Tibiam pugilatu contenderent. Sed in scenicis ludis magnus usus fuit Tibiarum; idcirco Veteres ad Terentii comœdias adnotarunt, quis, quum eæ agerentur, Tibiâ cecinerit, & Cicero testatur Roscium præstantissimum omnium actorem, quum senesceret, sibi fieri Tibiæ modos remissiores imperasse, quód ætate jam ingravescente summam contentionem ferre non posset. Addit [b] Ovidius Tibiæ cantum in funeribus usurpatum, sed animadverten-
12 dum est non in omnibus funeribus locum habuisse, sed tantum in [c] puerorum. Nam in eorum funeribus, qui adulti fato concesserant, Tubâ canebatur; ideo [d] Ovidius funestam appellat tubam, & [e] Propertius ait:

Nec mea tunc longâ spatietur imagine pompa,
Nec tuba sit fati vana querela mei.

& alio in [f] loco

Sic mestæ cecinere tubæ, quum subdita nostro
Detraheret lecto fax inimica caput

Sed puerorum funera ad Tibiæ sonum querulum, & luctuosum ducebantur; quocirca [g] Statius ait

Tibia cui teneros suetum producere manes

Quamquam non me præterit a quibusdam proditum in funeribus Procerum Veteres tubis, in funeribus plebeiis Tibiis usos; nisi forte verius est id, quod doctissimus Interpres Virgilii libro undecimo tradit; in funeribus adultorum Tibiam, & Tubam usurpatam, quod ille multis argumentis probat; cujus ego sententiæ libenter acquiesco. Veruntamen quum tam diversa funerum sint, & nuptiarum sacra, quæ Tibiæ
13 funeribus, nuptiis quoque accinebant; quapropter [h] Ovidius cecinit

Tibiaque effudit socialia carmina vobis,
At mihi funestâ flebiliora tubâ.

& apud [i] Terentium Æschynus adolescens ducturus uxorem sibi moram afferre queritur Tibicinam, quæ nondum venit

.... verùm, inquit, *hoc mihi moræ est,*
Tibicina, & Hymenæum qui cantent ....

Hæ Tibiæ nuptiales vocabantur, quas unius calami fuisse tradit Scaliger *μοναύλους* Græci dicunt; vel binas inter se junctas impares. Convivia [l] quoque Tibiarum cantus exhilarabat, qui cum Lyræ concentu jungebatur, dicebaturque [m] *συναυλία*. Nam Athenæo [n] teste jucundissimus fuit Tibiæ, lyræque concentus; idcirco [o] Horatius victoriâ Cæsaris lætus ad festum convivium Tibiam cum lyrâ advocat

Quando, inquit, *repostum cæcubum ad festas dapes*
Victore lætus Cæsare
Tecum sub altâ, sic Jovi gratum, domo,
Dilecte Mecenas, bibam,
Sonante mixtum Tibiis carmen Lyrâ?

& [p] ad Telephum, quum ipsum invitet ad epulas, negat esse committendum, ut Tibiæ, lyræque concentus taceat

Insanire juvat; cur Berecynthiæ
Cessant flamina Tibiæ?
Cur pendet tacitâ fistula cum Lyrâ?

Propertius [q] autem convivio, quo suæ puellæ Natalis celebratur, dumtaxat adhibet Tibiam, sic enim loquitur.

Sit mensæ ratio, noxque inter pocula currat,
Et crocino nares murrheus ungat onyx;
Tibia nocturnis succumbat rauca choreis.

Amatores [r] quoque, quum ad fores amicæ pernoctarent, Tibiâ canebant, quem [f] cantum *θυροκοπικὸν* appellarunt, & quum jam se 14
admissum iri desperarent, concitatioribus utebantur modis, qui *κρουσίθυρα* dicebantur. Conveniebat Tibia commessationibus, conveniebat & rebus rusticis; quapropter Hipporhori [t] quidem Tibiæ modi sunt dicti, quibus in admissurâ equorum utebantur; Tyrrheni ad Tibiæ sonos famulos verberabant, & farinam subigebant. Sed hactenus imbelles usus Tibiæ commemoravimus; nunc bellici dicendi. Lacedæmonii non tubæ cantum, ut ceteræ nationes, non [u] cornuum, ut Tyrrheni, non tympanorum ut [x] Parthi, sed Tibiæ [y] prœliis adhibebant. Nolebant nimirùm efferri ferociâ, nolebant eò progredi cupiditate cædis, quo ratio non pateretur; ideo sedatiore modulaminis genere ad prœliandum sese incitabant; neque tamen nimis remisso, & ad voluptatem magis, quàm ad prœlium accommodato, quo Cretenses [z] usi feruntur, qui ad Lyræ, citharæque concentum pugnam inibant. Atque

a Athen. libr. 4. b Ovid. l. 6. Fast. & l. 5. Trist. El. 1. c Servius in 5. libr. Æneid. Virgil. d Ovid. in Epistol. Medeæ. e Propert. libr. 2. Eleg. 13. f Propert. libr. 4. Eleg. ult. g Stat. Thebaid. libr. 6. h Ovid. in Epist. Medeæ. i Ter. Adelph. Act. 5. Scen. 7. l Cicer. disputat. Tuscul. libr 4. & in Bruto. Quintil. Inst. Orat. libr. 1. cap. 14. m Athen. libr. 14. cap. 2. n Athen. ibid. o Horat. in Ep. Od. 9. p Horat. l. 3. Od. 19. q Propert. libr. 3. El. 10. r Hor. libr. 3. Od. 7. f Athen. libr. 14. c. 3. t Plutarch. Symposiac. libr. 7. Cæl. Rhodigin. libr. 9. cap. 2. u Cæl. Rhodig. libr. 9. cap. 7. x Plutarch. in M. Crasso. y Thucydid. libr. V. Cic. Tuscul. 2. Lucian de Saltat. z Athen. libr. 14. cap. 6.

que hunc morem Lacedæmonii a Lydis acceperunt, quos ad prœlium insonantibus Tibiis, & fistulis incedere [a] Herodotus, & Athenæus memoriæ prodidit. Nec fuit exigua vis in Tibiis ad animos concitandos;
15 siquidem ferunt [b] Alexandrum Macedonem, quum Timotheus egregius Tibicen orthios modos caneret, impetu quodam commotum tam vehementer, ut ad arma, quasi pugnaturus exiliret. Romani quoque Tibiam convenire bellicis rebus putarunt; quapropter Imperatoribus, qui [c] hostes devicissent, sed non plenam prorsus victoriam essent consequuti, ut Urbem ovantes inirent canentibus Tibiis, concedebant, & triumphus tubâ, ovatio [d] Tibiâ celebrabatur. Quem [e] honorem Duillius, qui omnium princeps navalem triumphum duxit, & primo Punico bello classe, qua plurimum valebant, Pœnos profligavit, perpetuò usurpavit; cui permissum est a Senatu, Populoque Romano, ut si quando domum noctu rediret, prælucentibus funalibus, præcinente Tibicine incederet. Atque hæc de generibus, & usu Tibiarum satis fuerit delibasse.

DISSERTATIO LXI.

In idem Epigramma.

Dissertatio Tertia.

Minerva, ut est in fabulis, Tibias invenit; sed eas quum inflaret irrisa a Venere, & Junone propter oris deformitatem, abjecit, quibus repertis Marsyas Apollinem ad certamen provocavit, & ab eo victus, detractâ cute est interfectus. Salmasius aptissimè explicat, quid sit versare Citharam apud Hyginum. Cur Tibia a poëtis dicatur Berecynthia. Romæ in foro, & in templo Concordiæ visebatur Marsyas ad deterrendos a calumniâ litigantes.

Apollinem infensum fuisse Tibiâ canentibus Veteres memoriæ prodiderunt; id odium vetustissimis temporibus, nec satis unquam esse placatum, aut mitigatum. Quocirca Prisci, ut Pronomi Tibicinis artem in Cœlum laudibus ferrent,
1 dixerunt a Pronomo principe Tibicines Apollini esse reconciliatos, & in gratiam reductos, ut Pausanias testatur, quasi Pronomus [f] eò processisset excellentiæ, ut Apollinem mirâ dulcedine cantus delinirit, & antiquum odium deponere, & Tibicinum artem, quam hactenus fuerat insectatus, amare, & admirari coëgerit. Mirificè igitur Poëta noster Glaphyram Tibicinem laudat, quum inducit Apollinem alioquin Tibicinibus tam infestum Glaphyræ laudes celebrantem; ea quippe demum summa laus est, quæ ab inimici ore proficiscitur. Nam sicuti benevolentia laudatoris elevat laudationis auctoritatem, & suspectam facit ejus fidem, ita odium, & malevolentia auget, & ab omni suspicione vindicat falsitatis, quum inimicus inimicum laudare non posse nisi veritate cogente videatur. Cæcutire dicitur amor in vitiis animadvertendis; perspicax esse odium in peccatis pervidendis, cæcum in virtutibus cognoscendis. Causam autem cur Apollo Tibicines odio habere diceretur, quia 2
pertinet ad Poëtæ nostri versus intelligendos, exponemus; tum reliqua, quæ ipsi lucem afferre possunt, in medium afferemus. Memoriæ [g] proditum est, Auditores, Minervam, quum Superi solemne convivium celebrarent, quo lætitiam ejus diei novâ voluptate cumularet, & epularum suavitatem musicâ suavitate condiret, Tibias a se recens inventas ad convivium attulisse, & quàm suavissimè poterat, inflare cepisse; & ceteros quidem Deos, & Deas invento Minervæ, & jucunditate cantus esse delectatos; Venerem verò, & Junonem, quibus erat cum Deâ de formæ dignitate contentio, Minervam irrisisse, quòd inter canendum buccas inflaret, ob eamque causam deformior videretur. Minervam autem cupidam cognoscendi, cur ludibrio esset habita, in Idam montem descendisse, & in fonte oris habitum sui, quum Tibias inflaret, esse contemplatam, & quum vidisset in Tibiis inspirandis non mediocriter decorem vultos deformari; ne amplius posset irrideri, ibi Tibias abjecisse, quas abjectas [h] Marsyas Satyrus sustulit, inflavit, & suum esse inventum præsetulit; ideo Poëta noster ait

Μαρσύη, ἐψεύσω τεὸν εὕρεμα, τὰς γὰρ Ἀθήνης
Αὐλὰς ἐκ Φρυγίης οὗτος ἐληίσατο

hoc est

Esse tuum inventum mentiris, Marsya, doctæ
E Phrygiâ calamos hic tulit ipse Deæ

Nec mirum Minervam Tibias quasi dedecorantes oris pulchritudinem abjecisse; nam 3
etiam [i] Alcibiades, quum adolescentium reliquorum more Tibiâ canere disceret, & animadverteret in canendo inflari buccas indecentiùs, & oris lineamenta depravari, Tibicinum artem aspernatus reliquit, & ut idem

[a] Her. apud Ath. l. 14. c. 6. [b] Suid. in V. Τιμόθεος. [c] Plut. in M. Marcello. A. Gell. l. 5. c. 6. Halic. l. 5. [d] Plut. ib. [e] Cic. in Catone. Liv. l. 17. Val. Max. l. 3. c. 6. [f] Pauf. in Bœotic. [g] Eustath. Iliad. σ. & Hyginus fab. 165. Plutarch. in Alcibiade, & Aristot. libr. 8. cap. 6. Politic. [h] Pausan. in Att. [i] Plut. in Alcib. & Aul. Gell. l. 15. c. 17.

idem facerent nobiles adolescentes, auctor fuit. Sed ut ad Marsyam revertamur; quum abjectas a Minervâ Tibias Marsyas invenisset, & eæ a sapientissimâ Deâ fabricatæ divinum ederent sonum, Marsyæ nomen brevi inclaruit. Nam dulcedine cantus, quem modulabatur, omnes capiebantur; Pastores, Nymphæ, Satyri, Sylvani suavissimâ voluptate perfundebantur, & in ore omnes artificium Marsyæ habebant, qua gloriâ [a] inflatus Marsyas Apollinem, qui Citharâ inventâ omnes in admirationem Musicæ suavitatis rapiebat, ad certamen provocavit. Judices certaminis consedere, ut Diodorus [b] Siculus tradit, Nysæi, qui Apollinem fuisse Bacchi comitem arbitratur; ut verò Hyginus [c] in fabulis, Musæ; ut [d] Fulgentius in Mythologiâ, Rex Phrygiæ Midas; eâ autem lege certamen initum, ut victus in victoris esset potestate, & quidquid victor vellet, pateretur. Ac primò quidem, quum uterque specimen artis edidisset, & Apollo solâ Citharâ cecinisset, nec ad Citharæ cantum suavitatem vocis adhibuisset, visus est Marsyas æmulum superasse; sed quum Apollo iterum jucundissimum carmen divino musices artificio modulatum ad citharæ modos attemperasset, omnes, qui aderant, Apollinem victorem declararunt. Nec judicio eorum Marsyas acquievit, sed iniquè dixit sibi certamen cum Apolline comparatum. Nam quum in tres artes Musice dividatur, in artem canentium voce, canentium Citharâ, & Tibiâ, Apollinem duabus usum artibus, quippe & vocem modulatum, & Citharâ fecisse modos, se verò dumtaxat Tibiâ; oportere autem artem cum arte contendere, & non duas artes cum unâ comparari. Contra Apollo respondit se nullâ re, quàm artificio, superiorem fuisse; Marsyam Tibias inflantem usum digitis, & flatu; se quoque, quum & Citharam pulsaret, & vocem musicis modis inflecteret, usum digitis, & spiritu oris; si voce sibi interdiceretur, interdicendum Marsyæ flatu, remque solis digitis esse peragendam. His auditis Judices quum Apollinis orationem compro-
4 bassent, secundum eum judicarunt. Hyginus [e] tamen aliâ ratione vicisse Apollinem refert; quum enim Judices magis artem Marsyæ, quàm Apollinis comprobarent, tradit Apollinem versasse citharam; quod quum in Tibiis Marsyas facere non potuisset, Apollini causam esse adjudicatam, qui locus Hygini in magnâ obscuritate versatur; sed hanc obscuritatem egregiè sustulit Salmasius, qui sic Hyginum explicavit. Veteres ante [f] Pronomum Thebanum Tibicinem Tibiæ unum dumtaxat harmoniæ genus reddebant, & aliæ Doriis modis, aliæ Phrygiis, aliæ Lydiis erant accommodatæ; itaque Antiqui quum Phrygio concentu canere volebant, qui ex gravi, & acuto erat temperatus, dextris, & sinistris Tibiis utebantur; quum Dorio, qui gravissimus habebatur, duabus dextris; quum Lydio, qui acutissimus, duabus sinistris; nec licebat mutare modos, nec e Dorio in Phrygium transire, vel e Phrygio in Lydium, nisi Tibias mutavissent; Pronomus autem quum animadverteret Tibias, quæ multis erant præditæ foraminibus, acutiùs; quæ paucis, graviùs insonare, addidit Tibiis paxillos quosdam, quibus foramina clauderet, vel aperiret; qua re est consequutus, ut omnem modulationem iisdem Tibiis exprimeret, quod Tibicines antiquiores præstare non poterant. Nam ubi gravissimis modis esset personandum, quàm plurima; ubi temperatis, pauciora occludebat foramina; ubi acutissimis, omnia aperiebat; consequutus id etiam est ligulæ [g] genere, quam φορβεία Græci vocant; quæ ad omne modulamen aptabatur. Marsyas autem utpote antiquissimus unis Tibiis unum dumtaxat concentum exprimebat; itaque quum Apollo citharam versasset, idest modos mutasset, puta, a Phrygiis transisset in Lydios, & Marsyas id facere non potuisset, visus est superior esse, & Judicum sententiis victor est pronunciatus; qui nimis iracundè, & inhumaniter, usus est victoriâ; nam Mar- 5
syam vinculis constrictum, & arbori alligatum detractâ cute crudeliter interfecit. Hoc supplicium Marsyæ eleganter, ut solet, describit his versibus [h] Ovidius

. . . . . exitium Satyri reminiscitur alter,
Quem Tritoniacâ Latous Arundine victum
Affecit pœnâ; quid me mihi detrahis; inquit?
Ah piget, ah non est, clamabat, Tibia tanti
Clamanti cutis est summos direpta per artus;
Nec quidquam nisi vulnus erat, cruor undique manat,
Detectique patent nervi, trepidæque sine ullâ
Pelle micant venæ, salientia viscera possis,
Et pellucentes numerare in pectore fibras.

Ex ejus cruore Marsyam amnem [i] ferunt extitisse, qui prope Celænas urbem, quæ postea a Seleuco [l] Rege est exinanita, translatis Apameam civibus, quam in ostio Marsyæ fluminis condidit, & a nomine matris Apameæ nominavit, in Mæandrum influit. Non procul a [m] Marsyâ fluvio vallis est, &

 in eâ

[a] Apollod. l. 1. Ovid. Met. l. 6. & Fast. l. 6. Ath. l. 14. c. 2. Strabo l. 12. Xenoph. de Exp. Cyri l. 1. [b] Diod. Sic. Biblioth. [c] Hyg. fab. 165. [d] Fulgent. libr. 3. [e] Hygin. ibid. [f] Pausan. in Bœot. [g] Hesychius φορβεία. [h] Ovid. Metam. libr. 6. v. 383. [i] Ovid. ibid. [l] Strabo libr. 12. [m] Plin. libr. 17. cap. 44.

in eâ fons, qui Auloerene a certamine Marſyæ, & Apollinis vocabatur; nam *Aulos* Tibia dicitur, *crene* fons appellatus eſt; igitur Aulocrene, quaſi Tibiæ fons. Salmaſius tamen Aulocrenem fontem non agnoſcit, ſed Aulothrenem montem, & convallem. Ex iis autem, quæ diximus, conſtat,
6 cur noſter Auctor Marſyam de præſtantiâ cantus certaſſe dicat ad Mæandri ripam, & cur Curtius Marſyam amnem appellet fabuloſis Græcorum carminibus inclytum. Ingemuiſſe interitu Marſyæ Nymphas ferunt, quæ etiam flumen factum dilexerunt, auctore Curtio, qui traditum refert Nymphas amore amnis detentas in illâ ripâ conſidere; illacrimaſſe paſtores; rupes, & ſaxa, & ſilvas jucundiſſimum cantum deſideraſſe; ipſum Apollinem, quum facti pœniteret, fregiſſe Citharæ chordas, & inventam harmoniam penitus perdidiſſe; Tibias autem Marſyæ, & Citharam ſuam in antro Dionyſi dedicaſſe; quò reſpiciens Poëta noſter inducit Apollinem ſuum factum non admodum probantem, & litem, qua cum Marſyâ contendit, δυσαυλὸν appellantem, & quaſi optantem infectum, quod fecit. Nam
7 Marſyas planè fuit indignus eâ calamitate; ſiquidem tantâ temperantiâ vitam traduxiſſe dicitur, ut nunquam venereas voluptates deguſtarit; tanto verò ingenio, ut quum Cybele, quæ poſtea Deorum mater eſt appellata, fiſtulas inveniſſet, earum omnem concentum, qui multiplex eſt, in Tibiam tranſtulerit. Hanc Cybelem ſemper Marſyas dilexit, & furentem dolore, quem Attide amaſio interfecto ſuſceperat, ſemper conſectatus eſt. Ob hanc amicitiam, quæ Marſyæ eum Cybele intercedebat, fortaſſe eſt inſtitutum, ut [a] Sacerdotes Cybeles, quum bacchabantur, Tibiis a Marſyâ inventis uterentur, quaſi Dea ejus gauderet invento, qui ipſam fraterno amore dilexerat; ideo [b] Horatius, & [c] Virgilius Tibiam Berecynthiam vocat. Suidas [d] tamen Marſyam non ab Apolline interfectû refert, ſed quum cepiſſet inſanire, ſe in Marſyam flumen projeciſſe, eoque demerſum vitam eum morte commutaſſe, nomenque feciſſe flumini. Marſyæ ſtatua Romæ in foro viſe-
8 batur, quæ funem manu tenebat, ad deterrendos, ut opinor, a calumniâ temerè litigantes, quaſi ipſos Marſyæ fatum maneret, qui Apollini de præſtantiâ artis muſicæ tam temerè litem intendit; eò reſpicit [e] Martialis his verbis

..... fora litibus omnia fervent;
Ipſe poteſt fieri Marſya cauſidicus.

Hoc eſt, tanta eſt copia cauſarum, ut ipſa Marſyæ ſtatua licet marmorea, licet muta, poſſit ad eloquentiam pervenire, & ſatis diſertè cauſas explicare. Alludit & Sidonius Apollinaris carmine decimotertio, cujus ea ſunt verba:

Marſyæque timet manum, ac rudentem,
Qui Phœbi ex odio vetuſtiore
Nunc ſuſpendia vatibus minatur

Præferebat nimirum Marſyas manu rudentem, quo ſcilicet ab Apolline eſt religatus; nam Marſyas religatus eſt ad platanum, quæ [f] Plinii temporibus, eodem auctore Plinio in Phrygiâ adhuc oſtendebatur. Eadem de [g] cauſâ in templo Concordiæ poſitus eſt Zeuſidis manu pictus Marſyas religatus, ut eo exemplo homines docti, quantas clades afferre ſolerent lites, & diſcordia; & concordiam amarent, & venerarentur.

DISSERTATIO LXII.

In idem Epigramma.

Dissertatio Quarta.

Quas quiſque Tibias invenerit, quum eæ multæ ſint, ac variæ. Cur Ardalides Muſæ vocarentur, quas Trœzenii colebant. Quiſnam fuerit pater Marſyæ.

Hodierno die reliqua perſequemur, Auditores, quæ in epigrammate Philippi, quod ſuſcepimus explicandum, animadverſione digna judicamus. Ac primùm occurrit in ſecundo verſu vox λιγύφθογγος qua ſignificatur *ſuave ſonans, dulciſonus*; eſt autem compoſita ex voce λιγὺς, quæ ſignificat *canorum, jucundum*, ut apud [h] Anacreontem

Προχέει λιγεῖαν ὀμφὰν.

Fundit modos canoros

& apud [i] Steſichorum

Ἄγε, μοῦσα λίγεια ἄρξον ἀοιδᾶς

& ex voce φθογγὸς, quæ ſignificat *ſonum*; eſt autem φθόγγος vox propria muſicorum, & a Martiano Capellâ ſic definitur: *φθόγγος eſt vocis modulatæ particula unâ intentione producta*; hi licet ſint innumerabiles, tamen vigintiocto, qui rei muſicæ ſunt apti, ab Ariſtide, Quinctiliano, cæteriſque Auctoribus muſicis numerantur, quos recenſere ſupervacaneum foret. In tertio verſu Marſyam Tibiæ facit inventorem, ſic enim loquitur

Μαρ-

[a] Virgil. in Ceir. & Valer. Flacc. in Argonaut. libr. 2. [b] Horat. libr. 3. Od. 19. [c] Virgil. libr. IX. [d] Suid. in V. Μαρσύας. [e] Martial. libr. 2. Epigr. 64. [f] Plin. libr. 17. cap. 44. [g] Plin. libr. 35. c. 10. [h] Anacreon. Od. 6. εἰς ῥόδον. [i] Steſichorus apud Strabonem libr. 8.

Μαρσύη, ἐψεύσω τεὸν ἔυρεμα

Sed [a] animadvertendum est non primæ Tibiæ inventorem fuisse Marsyam, sed geminæ, nam princeps geminas Tibias uno spiritu inflavit; ante Marsyam unâ dumtaxat Tibiâ canebant, quod indicavit [b] Athenæus libro quarto his verbis *σύριγγα φησὶν ἔυρε Μαρσύας, καὶ ἀυλὸν ἐν Κελάιναις, τῶν προτέρων ἑνὶ καλάμῳ συριζόντων* hoc est: *fistulam, & Tibiam invenit Marsyas Celænis, quum uno calamo Superiores canerent;* invenit etiam syringa cerâ compactam, ut idem [c] est auctor his verbis *τὴν μονοκάλαμον σύριγγα Ἑρμῆν ἑυρεῖν, τινὰς δ' ἱςορεῖν Σεύθην, καὶ Ρωνάκην τοὺς Μήδους, τὴν δὲ πολυκάλαμον Σιληνὸν, Μαρσύαν δὲ τὴν κηρόδετον Unius calami fistulam Mercurium invenisse; quosdam verò memoriæ prodidisse Seuthem, & Ronacem Medos; plurium calamorum Silenum, Marsyam cerâ compactam*; Virgilius [d] tamen ejus inventionem tribuit Pani; sic enim loquitur:

Pan primus calamos cerâ conjungere plures
Instituit ..... .

Invenit Marsyas, ut [e] Pausanias tradit, e-
2 tiam τὸ *μητρῷον ἀυλῆμα* cantum, qui in sacris [f] Magnæ Matris usurpabatur; quin etiam Phrygiæ Harmoniæ inventor fuit, quod Clemens Alexandrinus libro Stromatum primo testatur his verbis *καθάπερ Φρύγιον ἁρμονίαν, καὶ μιξοφρύγιον, καὶ μιξολύδιον Μαρσύαν τῆς ἀυτῆς ὄντα τοῖς προειρημένοις χώρας* hoc est: *sicut Harmoniam Phrygiam, & Mixophrygiam, & Mixolydiam Marsyam, qui in eadem regione, qua superiores, natus memoratur*. Nec alius ante Marsyam potuit Phrygios modos invenire; nam Phrygii modi geminis Tibiis, dextris, & sinistris canebantur, quas constat [g] Marsyam excogitasse; invenit [h] & capistrum, quo aulœdi, quum canerent, ora muniebant, ut spiritus ex ore temperatiùs emitteretur, quod *φορβειὰ* Græcis dicitur; Sophocles

Φυσᾷ γὰρ ὀ σμικροῖσιν ἀυλίσκοις ἔτι,
Α'λλ' ἀγρίαις φύσαισι φορβειᾶς ἄτερ

Sed quoniam, quæ in arte Tibicinum Marsyas invenerit, attigimus; non omittendi sunt ejus artis inventores, vel qui ei plurimum contulerunt. Tibiam princeps Euterpe [i] dicitur invenisse; quapropter Ho-
3 ratius libro primo Ode primâ Euterpe tanquam proprium inventum Tibiam attribuit his verbis

..... *si neque Tibias*
Euterpe cohibet, nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton

& Virgilius, sive potius Ausonius de Musarum inventis ait

Dulciloquos calamos Euterpe flatibus urget

Quod inventum tamen alii [l] Mercurio tribuerunt, alii [m] Apollini. Eustathius tamen Tibiæ inventorem, vel certè artis Tibiâ canendi fuisse tradit quendam Africanum, quem arbitror eundem esse, ac Siritem, qui e Loto [n] primus confecit Tibias, qui dicitur princeps ad sacra Magnæ Matris Tibiam adhibuisse. Idem [o] Eustathius memoriæ prodidit Osirim, quem Ægyptus u- 4
niversa tanquam præcipuum Numen venerabatur, excogitasse Tibiam, quæ uno calamo inflaretur, quam Scaliger arbitratur ex hederaceis internodiis fuisse multiforem, quum veteres Tibiæ quatuor tantùm locis essent perforatæ; ideo Osiridi gratam fuisse Tibiam ferunt: Tibullus [p]

Non tibi sunt tristes curæ, non luctus Osiri,
Sed chorus, & cantus, lenis, & aptus amor,
Sed varii flores, & frons redimita corymbis,
Fusa sed ad teneros lutea palla pedes,
Et tyriæ vestes, & dulcis Tibia cantu

Ea Tibia *μοναυλὸς* appellabatur, ut diximus, quæ [q] Alexandrinis in usu; Clemens Alexandrinus [r] autem obliquas Tibias Phrygem Satyrum refert invenisse, qui est idem, ac Marsyas, de quo loquebamur; dicebantur autem obliquæ Tibiæ, quæ curvæ. [f] Scaliger autem putat obliquas fuisse Tibias, quæ obliquè inspirabantur, a quibus *πλαγιαυλεῖν* verbum, quod significat *obliquis Tibiis canere*, quas obliquas idem vult appellatas, quia a latere inflarentur. Sed [t] Pausanias inventionem Tibiæ tribuit Ardalo Vulcani filio, qui tantam eo invento gloriam est conse- 5
quutus, ut Musæ Ardalides ab ejus nomine vocarentur, quæ Musæ Ardalides apud Trœzenios colebantur Stephano teste, qui sic ait. *Α'ρδαλίδες, καὶ ἀρδαλιωτίδες τιμῶνται ἀι μοῦσαι ἐν τροιζῆνι* hoc est: *Ardalides, vel Ardaliotides Musæ Træzene coluntur*. Atque hi Tibiæ repertores memorantur, quos non arbitror, ideo dictos inventores, quia Tibiam primi confecerint; neque enim uno plures cujuslibet rei possunt esse repertores; sed quia vel novum Tibiæ genus excogitarint, vel artem perfecerint. Sed omnium, quicumque celebrantur, Tibicinum arti plurimum fertur contulisse [u] Pronomus Thebanus, vel ut alii volunt, [x] Antigenidas; nam quum antea Tibicines tribus Tibiarum generibus uterentur, & alio quidem genere Doricam harmoniam, alio Lydiam, alio Phrygiam exprimerent; primus excogitavit Tibiam, quæ omnibus his Musicæ generibus accommodaretur, pri-

mus

[a] Plin. libr. 7. cap. 56. [b] Athen. libr. 4. cap. 25. [c] Athen. ibid prope fin. [d] Virg. Ecl. 2. [e] Pauf. in Phocic. sive libr. 10. [f] Jul. Poll. libr. 4. c. 10. [g] Plin. libr. 7. cap. 56. [h] Plutarch. de Ira cohibendâ. [i] Cæl. Rhodig. libr. 7. cap. 4. [l] Euphorion apud Athen. libr. 4. cap. 25. [m] Plut. de Musicâ, & Cæl. Rhodigin. libr. 9. cap. 3. [n] Athen. libr. 14. cap. 2. [o] Eustach. in Iliad. σ. [p] Tibull. libr. 1. El. 8. [q] Athen. libr. 4. cap. 23. [r] Clem. Alexandr. Stromat. libr. 1. [f] Jul. Scalig. in Poëticâ libr. 1. cap. 20. [t] Pausan. Corinthiac. libr. 2. [u] Athen. libr. 14. cap. 7. [x] Athen. ibid.

mus & vultus habitu, & motu corporis mirificè theatra delectavit. Quapropter eo loco Thebani [a] Pronomo statuam, quo Epaminondæ totius Græciæ facilè Principi collocarunt. Fuit igitur vetus malum Re-
6 rumpublicarum virtutem voluptati non ananteponere, & iisdem præmiis, aut etiam majoribus ludicras, & gravissimas artes remunerari; nec minùs debere se profiteri iis, qui delectationem, quàm qui salutem attulerunt. Sed ut ad Poëtam nostrum revertamur, ultimo disticho Poëta confirmat, si tantâ arte Marsyas, quantâ Glaphyras cecinisset, non fuisse fleturum Hyagnin litem, qua Marsyas cum Apolline decertavit; cariturum ingenti dolore, quem tam immani Marsyæ morte suscepit; quæ sententia Poëtæ intelligi non potest, nisi quis fuerit Hyagnis cognoscatur. Fuit [b] igitur Hyagnis Marsyæ pater; cujus rei possumus appellare testem Apulejum libro primo floridorum, qui sic ait: *Hyagnis fuit, ut fando accepimus, Marsyæ Tibicinis pater, & magister*, & Plutarchum libro de Musicâ his verbis Ὕαγνιν πρῶτον αὐλῆσαι, εἶτα τὸν υἱὸν τούτου Μαρσύαν hoc est: *Hyagnin primum Tibiâ cecinisse, deinde ejus filium Marsyam*. Hunc [c] in
7 canendo digitos diduxisse primum ferunt, duas Tibias uno spiritu inflasse, primum acutum gravi, gravem acuto sonum temperasse, quæ alii a Marsyâ inventa prodiderunt. Hic acerbissimo luctu filii mortem est prosequutus, gravissimèque tulit illatam sibi ab Apolline calamitatem; idcirco Poëta noster dixit

Εἰ δὲ σὺ ταύταις τότ' ἐνέπνεες, οὐκ ἂν Ὕαγνις
Τὴν ἐπὶ Μαιάνδρῳ κλαῦσε δύσαυλον ἔριν

Tunc ita si inflasses calamos, non tristis amaram
Litem ad Mæandri flesset Hyagnis aquas

Alii tamen alium patrem Marsyæ fuisse prodiderunt; nam [d] Hyginus ab Oeagro Marsyam tradit procreatum; Apollodorus autem [e] ab Olympo. Sed revera [f] fuit Olympus non pater, sed discipulus Marsyæ; quapropter [g] in Phocide Polygnoti pictura visebatur, quæ Marsyam, & Olympum referebat; Marsyam docentis habitu, Olympum discentis; erat autem pictus Olympus adolescentuli formosissimi specie; senioris autem Marsyas, nec Oeagrum credibile est Marsyæ fuisse patrem, quum alter e Thraciâ fuerit, a quo [h] natus est Orpheus; alter e Phrygiâ; nisi forte duo esse Oeagri dicantur; quare potiùs verisimile est ab Hyagnide Marsyam genitum, sicut Poëta noster indicavit.

DISSERTATIO LXIII.

In idem Epigramma.

Dissertatio Quincta.

Victoria Apollinis adversùs Marsyam significat præferendam esse Citharam Tibiæ; hinc Aristoteles negat idoneam esse Tibiam ad mores componendos, quum potiùs ad furorem incites; quare summâ ratione sacris omnibus adhibebatur, quum animus extra se positus in Divinorum contemplatione versetur; virtuti verò utilem non esse Tibiam, Tibicinum mores ostendunt. Contra Polybius putat Arcades, quòd Musicæ operam darent, & præcipuè Tibiis, mitissimos esse; quum tamen ob frigorum magnitudinem consentaneum sit eos futuros fuisse asperos; Cynæthenses verò immanissimos, quòd Arcadum morem neglexissent.

Narravimus, Auditores, fabulam, qua Marsyas Tibicen, quum Apollinem citharæ pulsandæ studio florentem ad certamen provocasset, victus esse, & supplicio affectus dicitur, quum Epigramma Philippi explicaremus, ubi Poëta hujus certaminis mentionem facit; hodierno die quid sibi voluerint poëtæ, quum hanc fabulam litteris mandaverunt, exponemus; tum ea, quæ ad Tibiæ cantum laudandum, vel improbandum pertinent, exequemur. Nihil igitur aliud nos hoc commento Prisci do- 1
cere voluerunt, quàm Tibicinum artem, licet in magno honore apud Veteres haberetur, tamen non esse cum artificio Citharœdorum comparandam; & Citharam Tibiæ anteponendam. Rationem reddit hujus rei [i] Fulgentius Planciades, quòd quum quinque symphoniis musice constet, omnes ex citharâ exprimantur, Tibiâ verò vix una, atque dimidia exprimi possit. Accedit eodem, quod qui Tibiâ canit, uti voce non potest; qui verò Citharâ, Citharæ modis jucundissimè potest vocem attemperare; quare artificiosior, & præstantior longè citharæ cantus, quàm Tibiæ habebatur; quod vetere proverbio, cujus meminit [l] Cicero, declaratur. Solebant enim Græci id dictum frequenter usurpare sermonibus, eos aulœdos fieri, qui Citharœdi non possent evadere. Atque id Athenienses maximè probaverunt, qui citharæ 2
pul-

[a] Pausan. in Bœoticis, sive libr. 9. [b] Suid. in Voce Ὄλυμπος. [c] Apul. Florid. libr. 1. & Cæl. Rhod. libr. 9. cap. 3. [d] Hygin. fab. 165. [e] Apollodor. Biblioth. libr. 1. [f] Suid. in V. Ὄλυμπος. [g] Pausan. in Phocic. sive libr. 10. [h] Hygin. fabul. 14. Apollodor. libr. 1. [i] Fulgent. libr. 3. cap. de Apolline, & Marsyâ. [l] Cicero in Orat. pro Muranâ.

pulsandæ scientiam inter artes libero homine, & ingenuo dignas collocabant, nec satis eruditum arbitrabantur, qui fidibus nesciret; idcirco [a] Themistocles, quum citharam in convivio recusasset, habitus est indoctior; at inflare Tibias non omnes discebant, & eam artem eruditis licebat ignorare. Videtur autem sapientissima civitas Atheniensium Minervam, cujus erat in tutelâ, & a qua se nomen accepisse gloriabatur, imitata; nam sicut illa, quum initio Tibiam invenisset, deinde repudiavit; ita civitas Atheniensium, quum principio studium canendi Tibiâ comprobasset, procedente tempore aspernata est. Contra Thebani in eo maximè elaborarunt, & Principes Thebanorum præclarum ducebant in eo plurimum profecisse; quare teste Cornelio Nepote in laudibus [b] Epaminondæ summi bellatoris, ac summi viri ponitur, scienter eum Tibiis cantasse. Sed Thebanorum judicium non tanti faciendum, quanti Atheniensium; quippe Thebani hebetiores, Athenienses acuti, qui viderunt in Tibiæ sono quiddam stridulum inesse, quod eruditis auribus non omnino probaretur. Atque ego hac de causâ puto Horatium [c] Tibiam appellare acrem his verbis

3

Quem virum, aut Heroa lirâ, vel acri
Tibiâ sumes celebrare Clio?

& [d] alio in loco acutam

Descende Cœlo, & dic, age, Tibiâ
Regina longum Calliope melos,
Seu voce nunc mavis acutâ,
Seu fidibus, citharaque Phœbi,

In quibus verbis acutam vocem Tibiæ; citharæ verò, fidibusque tribuit jucundam, & suavem. Et sanè Tibiæ concentus magnificè laudari putatur, quum æquare dicitur Citharæ suavitatem; idcirco Poëta Græcus [e] Anthologiæ libro primo sic ait

Λωτὸν δ' οἱ κλάζοντες ἴσον φόρμιγγι μελιχρὸν
Ὤπασαν ἐξ ἀέθλων οὐ στέφος, ἀλλ' ἀΐδαν

Tibia, quæ citharam æquabat dulcedine cantus,
Certanti haud sertum, sed fera fata dedit

Quin etiam [f] Aristoteles Tibiam negat esse idoneam ad mores componendos, quòd animos potiùs incitet ad furorem, quàm revocet ad tranquillitatem, magisque perturbet, quàm sedet; verba Philosophi clarissimi sunt hæc, octavo de Republicâ libro: ἔτι δὲ οὐκ ἔστιν ὁ αὐλὸς ἠθικὸν, ἀλλ' ὀργιαστικόν. ὥστε πρὸς τοὺς τοιούτους αὐτῷ καιροὺς χρηστέον, ἐν οἷς ἡ θεωρία κάθαρσιν μᾶλλον δύναται, ἢ μάθησιν: προσθῶμεν δὲ, ὅτι συμβέβηκεν ἐναντίον αὐτῷ πρὸς παιδείαν, καὶ τὸ κωλύειν λόγῳ χρῆσθαι τὴν αὔλησιν quæ verba sic Latino sermone redduntur: *præterea Tibia non confert ad mores, sed ad animos quodam furore commovendos; quapropter eâ utendum his temporibus, quibus expiare magis mentem, quàm erudire oportebit: huc accedit, quod Tibiæ cantus habet quiddam contrarium, adversumque doctrinæ, quum prohibeat uti oratione.* Idcirco Lacedæmonios affirmat, quum post devictos Persas magno 4
studio Tibicinum artem appetivissent, deinde esse aspernatos; & ideo memoriæ proditum putat Minervam, quas invenerat, Tibias abjecisse, non tam quia pulchritudinem oris deformassent, quàm quia nihil virtutem adjuvarent. Ex quibus Philosophi verbis intelligi potest, cur [g] Tibia sacris omnibus adhiberetur, quia nimirum extra se mentem rapiebat, quæ commotio mentis, quam ἔκστασιν Græci dicunt, colentibus divinum Numen est aptissima, quum animus extra se positus, & attonito similis in mentem convertitur, aspernatus rationem, & in divinorum contemplatione versatur. Nec minùs perspici potest, cur Berecynthiæ [h] Sacerdotes, & qui Bacchi orgia celebrabant, Tibiis uterentur; quippe erat opus furore iis, qui in sua membra sæviebant, & vel insaniam simulabant, vel verè insaniebant; hunc autem Tibiæ cantus, & Phrygia Harmonia ingenerabat; ideo [i] Martialis dixit:

Quam furit ad Phrygios enthea turba modos.

Virtuti verò Tibiæ cantum non utilem esse Tibicinum mores ostenderunt, quos arguit summæ stultitiæ Poëta Græcus in Anthologiâ: 5

Ἀνδρὶ μὲν αὐλητῆρι θεοὶ νόον οὐκ ἐνέφυσαν,
Ἀλλ' ἅμα τῷ φυσᾶν χ' ὁ νόος ἐκπέταται

hoc est

Dii mentem Aulœdo non concessere maligni,
Sed simul inflavit; mens quoque tota volat.

& [l] Livius Tibicines vinolentos fuisse tradit. Contra verò Polybius Arcadas narrat, usque ad ætatis annum trigesimum in studio Musicæ artis versari, & præcipuè Tibiâ canendi scientiam sibi comparare, & quotannis esse instituta apud eos Tibiæ cantus certamina; quibus pueri pueriles agones; adolescentes viriles exercebant; nec Tibicines nobiles ad canendum in Theatris mercede solitos esse conducere; sed in scenâ inducere adolescentium nobilissimorum choros, qui Tibiæ cantu populum delectarent, & specimen artis ederent in illâ spectatorum frequentiâ; & alias quidem artes ignorare non fuisse dedecori, sed ignorantiam musicæ fateri fuisse turpissimum; omnes enim Philoxeni, & Timothei leges,

---

[a] Cic. Tuscul. quæst. libr. 1. Plutarch. in Themist. & Quintil. Inst. Orat. libr. 1. c. 16. [b] Corn. Nep. in Epamin. [c] Hor. l. 1. Od. 12. [d] Hor. l. 3. Od. 4. [e] Anthol. l. 1. Ep. 70. εἰς αὐλητάς. [f] Arist. l. 8. c. 6. Polit. [g] Ov. l. 6. Fast. & Tit. Liv. libr. 9. [h] Athen. libr. 14. cap. 2. [i] Martial. libr. 11. Epigr. 85. [l] Tit. Livius libr. 9.

ges, quas vocant, ab ineunte ætate didicisse. Atque eâ ratione putat Arcadum mores salubriter temperari, fierique mitissi-
6 mos, & pietatis in Deos, & hospitalitatis in homines laude excellere; quum alioquin propter inclementiam Cœli, & frigorum magnitudinem consentaneum foret, eos esse naturâ asperos, & duros, & contumaces; quod in Cynæthensibus putat apparuisse, qui quum patrium Arcadum morem neglexissent, & Musicæ studia contempsissent, eò immanitatis processerunt, ut inauditis scoeleribus se se impiarent, & in efferatam barbariem sævientes mutuis cædibus, urbemque civili sanguine contaminantes prorumperent. Quæ declarant Polybium in eâ sententiâ fuisse, ut putaret, non esse Tibiæ usum ex urbibus explodendum; sed eo molliri animos, & ad mansuetudinem, humanitatemque componi. Nec exempla desunt, quibus Polybii sen-
7 tentia probari possit; siquidem [a] Pythagoras quum in adolescentes temulentos incidisset, qui ad inferendam vim honestæ domui, quasi bacchantes contendebant, mutare Tibicinem modos jussit, utique spondaico, & eorum effrenem impetum eâ ratione compressit, juvenesque a flagitio ad modestiam, gravitatemque revocavit. Fuit igitur Tibiæ cantus utilis moribus componendis, non ut [b] Aristoteles affirmat adversus bonæ menti, & rationi; siquidem potuit in animis furentibus tantum ingenerare moderationis, & effusam licentiam, & libidinem effractis repagulis exultantem refrenare. Quid ergo est? ut in medicinâ non omnia auxilia omnibus prosunt; & diverso generi morborum diversa remedia sunt adhibenda, quia quæ salutem aliis afferunt, aliis perniciem sunt allatura; ita in morum disciplinâ aliis animi morbis alia medicina admovenda est; nec ulla res omnibus perpetuò salutaris. Tibiæ cantus animis naturâ mollibus, mitibus, temperatis fortasse nihil utilitatis afferebat, immo erat ad virtutem impedimento; asperos naturâ, duros, contumaces ad mansuetudinem, & humanitatem componebat.

DISSERTATIO LXIV.

In Epigramma Libri primi in Senectutem.

DISSERTATIO UNICA.

Homines aptissimè vino comparantur; nam sicut vinum aliud alio citius maturescit, & fugit, ut singulis vini generibus recensendis patet; ita homines alii aliis maturius ingenium, atque vigorem assequuntur, amittuntque; quod multis exemplis ostenditur; & sicut vinum longo tempore acescit, sic homines in senectute iracundi fiunt.

OMnes homines absentem desiderant senectutem, præsentem oderunt, damnant, execrantur, ut disertissimè in Anthologiæ libro primo Menecrates his versibus affirmavit

Γῆρας ἐπὰν μὲν ἀπῇ, πᾶς εὔχεται, ἢν δὲ ποτ' ἔλθῃ,
Μέμφεται, ἔστι δ' ἀεὶ κρεῖσσον Ὀφειλόμενον· 1

hoc est

Quisque senectutem cupit, ac quum venerit, omnes
Accusant: melior debita semper ea est

Sed minus mirum est plerisque senectutem odiosam esse, qui consenuerunt; non enim odio senectutis, sed odio malorum, quibus ea ætas affluit, senectutem reprehendunt; illud magis mirum, esse homines, qui quod adhuc desiderant, damnent, quod sibi adesse aliquando cupiunt, detestentur, & illum vitæ portum, quo pervenire aliquando concupiscunt, aversentur, & sua vota vituperent, & execrentur; & tamen plerique omnes omnia probra congerunt in eam ætatem, ad quam si pervenerint, præclarè secum actum esse sunt existimaturi, & senibus exprobrant vitia, nec reputant ea maledicta in se posse aliquando convenire. In quorum numero est Poëta vetus, cujus epigramma suscepimus hodierno die illustrandum; ubi Poëta comparat senectutem vino, quod in fundo vasis relictum est; nam sicut illud acescit; ita senes, ait, quum ad extremum vitæ venerint, fieri solere in iracundiam proniores; versus autem, quibus hanc Poëta sententiam exponit hi sunt

Ἂν περιλειφθῇ μικρὸν ἐν ἄγγεσιν ἡδέος οἴνου,
Εἰς ὀξὺ τρέπεται τοῦτο τὸ λειπόμενον:
ΟΥ'τως ἀντλήσας τὸν ὅλον βίον, εἰς βαθὺ δ' ἐλθὼν
Γῆρας ὁ πρεσβύτης γίγνεται ὀξύχολος

quod epigramma sic explicamus

Acci-

[a] Quintil. Inst. Orat. libr. 1. cap. 16. [b] Aristot. libr. 8. Politic. cap. 6.

Accipiunt acidum vina immutata saporem,
Si fuerint imo forte relicta cado;
Sic vitâ exactâ quum postrema ingruit ætas,
Acrior evadit bile tumente senex

Hæc autem comparatio, qua utitur Poëta,
2 qua vinum cum homine componitur, non est nova, sed poëtis usitata; nam Alexis apud [a] Athenæum hominem vino simillimum arbitratur; nam sicut vinum novum antequam jucundum fiat, necesse est defervere; sic hominem adolescentem fervorem ætatis deponere, & florentem injurium evadere, deinde duriusculum, putat oportere; tum, quum hæc omnia vigere desierint, ablatâ stultitiâ, quæ supernè innatabat, potu suavem fieri, & ætate mitescere. Alio [b] tamen in loco dissimillimum vino hominem existimat eâ de causâ, quòd vinum vetustissimum præstantissimum judicamus; homo autem, quum senuerit, injucundus evadit; & hic quidem tristitiâ afficit, qui cum eo versantur; illud autem lætitiâ implet, quoscunque potione complevit. Sed in quo hominem vino dissimillimum putat, in eo maxima cernitur similitudo; nam sicut homines, quum ad extremam senectutem pervenerint, plerunque fiunt insuaves; ita in vinis est aliqua ætas, quam ferre non possunt, ad quam quum ea pervenerint, injucunda esse necesse est. Sed aliæ sunt aliis vini generibus ætates; nam Falernum vinum ab An-
3 tiquis [c] maximè celebratum decimo anno incipiebat esse [d] jucundum, & salubre; quum vigesimum excesserat, ætatem non ferebat: Albanum [e] vinum post decimum quinctum annum potui aptum evadebat; Surrentinum post vigesimū quinctum: Formianum verò celeriter vigorem assequebatur: Tiburtinum a decimo anno potabatur, eodemque modo Labicanum: Faustianum jucundum potantibus quinctus annus reddebat; Sabinum septimus, quod decimo quincto fugiebat: Signino sex erant anni satis ad maturitatem consequendam: transmarini vini mediam vetustatem [f] Plinius tradit anno septimo contingere; erat igitur extrema quædam vetustas, ad quam quum pervenerat vinum, vigorem pristinum amittebat. Opimio [g] Consule ea fuit
4 Cœli temperies, ea, ut rustici loquebantur, coctura vini, ut Opimianum vinum diutissimè duraverit. Petronius [h] Arbiter testatur allatum in mensam vinum Opimianum centum annorum; ex quo queritur diutiùs vinum, quàm hominem vivere. Plinius [i] adhuc ætate suâ vinum superesse Opimianum memoriæ prodidit, annis fere ducentis post Opimium Consulem; licet Vellejus, qui Tiberii tempore scripsit historiam, nullum esse vinum Opimianum existimet; & tamen id vinum, quod ætatem diutissimè tulisse constat, necesse est fuisse jucundius mediâ, quam extremâ senectute; siquidem [l] Plinius docet redactum in speciem mellis asperi, nec potuisse potari, nisi aquâ vinceretur. Non igitur, ut Alexis [m] existimat, vetustissimum quodque vinum suavissimum est, & est in vino, sicut in homine, aliqua senectus, qua frangitur, & enervatur, & evadit amisso sapore, & suavitate odoris, vappa; & ut vini alia genera esse probavimus, quæ diutiùs ætatem ferant; alia, quæ citius fugiant, & utilia esse desinant; ita hominum alii citius, alii serius inutiles fiunt, & amicis insuaves. Aristoteles putat post annum qua-
dragesimum nonum hominis ingenium de- 5
terius fieri; nec perinde, ut antea vigere; sed, ut id in plerisque contingere non negaverim; ita in omnibus nego. Sunt enim quidam, quorum ingenio nihil longa ætas detrahit; sunt & qui maturiùs incommoda sentiunt ætatis, & non perinde valent ingenio viri, ut valebant adolescentes. Hermogenem [n] quendam ferunt, quum quinctum decimum annum vix excessisset, tantâ magnitudine ingenii, tantâ eloquentiâ præstitisse, ut summis in dicendo viris puer æquandus videretur, eundemque, quum ad eam ætatem pervenisset, quæ maturos ferre fructus, & ingenii, & studiorum solet, non modò non expectationi respondisse, quam de se excitarat; sed inter infantissimos esse numeratum. Contra multos animadvertas ætate jam ingravescente florere consilio, florere ingenio, florere rerum gestarum gloriâ, & secum ipsos contendere, & meliores annos senectutis præstantiâ superare. Agesilaus [o] octogesimum
ætatis annum excesserat, quum in Ægy- 6
ptum profectus gessit res immortalitate dignissimas: Cato [p] quum ad eandem ætatem pervenisset, vigebat viribus, vigebat consilio, vigebat eloquentiâ, & accusatus ab inimico ostendit non consenuisse illud acerrimum ingenium ætate jam confectâ, quod florente, & maturâ cum improbis civibus bellum gesserat sempiternum: Isocrates [q] priùs, ut ita dicam, desiit vivere, quàm florere studiis litterarum, & dicendi gloriâ, quum annum prope centesimum

X atti-

[a] Athen. libr. 2. c 1. [b] Apud Ath. ibid. [c] Horat. libr. 1. Od. 20. & Prop. libr. 4. El. 6. & Plin. l. 14. cap. 6. Ath. l. 1. c. 25. [d] Ath. l. 1. c. 21. [e] Ath. ibid. [f] Plin. l. 14. c. 7. [g] Plin. l. 14. c. 4. [h] Petron. Arbit. in Satyr. [i] Plin. ib. [l] Plin. ib. [m] Apud Ath. l. 2. in princ. [n] Suid. in V. Ἑρμογένης & Cæl. Rhodigin. libr. 21. cap. 6. [o] Plutarch. in Agesilao. [p] Livius libr. 9. Dec. 4. Plutarch. in Catone, & Plin. de Vir. Illustr. cap. 47. [q] Cicer. de senectute, Photius in Biblioth. 260. & Suid. in V. Ἰσοκράτης.

attigisset: Sophocles [a] quoque octogenario major, quum a filiis desipere argueretur, ob eamque causam in judicium vocaretur, quòd non esset aptus ad administrandam rem familiarem, edito OEdipo Coloneo demonstravit, non minùs in sene decrepito ingenium vigere, quàm in adolescente viguisset. Jam [b] Pythagoræ, Democriti, Gorgiæ Leontini, Theophrasti longissimæ ætates nihil ingenii magnitudini obfecerunt: jam in Romanis ducibus, & oratoribus li-
7 cet idem observare discrimen; quorum alii eadem vi ingenii, eadem rerum gestarum gloriâ senes, ac juvenes floruerunt; aliis autem multum gloriæ, multum vigoris ætas jam ingravescens detraxit. Camillus [c], & Fabius [d] Maximus, quum ad longissima spatia vitam produxissent, nunquam hominum opinionem, quæ de eorum virtute erat, fefellerunt; contra Scipio [e] Africanus quidquid admirabile, & prædicandum gessit, gessit admodum adolescens; sed huic fortasse non tam defuit virtus, quàm materia virtutis; nam quum pulsi ex Hispaniâ Pœni, Hispani prœliis ingentibus contriti, retractus in Africam Hannibal, devictâ Carthago virum in altissimo gloriæ fastigio collocasset, noluit Senatus, populusque Romanus ipsi alia imperia, alias provincias demandare, ne ejus opes nimis crescerent, fierentque Reipublicæ formidolosæ. Pompejus [f] autem, qui pene puer, & ætate vix militari omnium in se animos propter magnitudinem virtutis converterat, qui adolescens inauditis victoriis populi Romani nomen in Cœlum evexerat; senex nihil ferè dignum tantis rebus gestis fecit, immo partam gloriam ex magna parte obscuravit, quum neque consilio, neque vigore animi summi ducis nomen tueretur; adeo ut [g] Cicero audeat
8 affirmare, Pompejum in bello civili nullum fuisse Imperatorem. Ex oratoribus Tullius [h], quo longiùs ætate processit, eò clarius ingenii lumen ostendit, eò majorem ingenii laudem est consequutus. Declarat id oratio, quam habuit pro Milone, & secunda Philippica, quam [i] Juvenalis meritò divinam appellavit. At verò Hortensius Ciceronis [l] æmulus gloriam dicendi, quam sibi adolescentulus eximiam compararat, ætate jam firmatâ amisit ex magnâ parte; nec senex tenuit locum, quem adolescens occuparat. Ex quibus exemplis constat id, quod dicebamus, ut in vinis accidit, ut alia aliis ætatibus vigeant; ita & in hominibus evenire, ut alii aliis ætatibus florerent. Sequitur versus, ubi Poëta senes af- 9
firmat esse in iracundiam proniores, quod intelligendum est de iis, qui, quòd essent sepulcro proximi, senes capulares vocabantur, vel, ut appellant [m] comici poëtæ, Acheruntici; quod etiam Seneca asseverat, qui libro primo de irâ eo probat argumento iram esse animi imbecillis, quòd iracundissimi sint pueri, & senes; & Cicero de senectute, qui sic ait: *at sunt morosi, & anxii, & iracundi, & difficiles senes*, & Euripides in Andromachâ, qui senes in iram effusissimos esse, & ab eorum iracundiâ difficulter caveri posse confirmat; sic enim loquitur:

Α᾽νειμένον τι χρῆμα πρεσβύτων γένος,
Καὶ δυσφύλακτον ὀξυθυμίας ὕπο

Aptissima est igitur Poëtæ comparatio, qua confertur vinum, quod exiguum in fundo cadi relictum est cum senectute; nam & inter vinum, & hominis vitam magna intercedit similitudo, & sicut vinum, quod in fundo relinquitur, deterrimum est; ita senectus inter hominis ætates pluribus videtur incommodis laborare; & sicut in acetum vinum residuum convertitur; ita senum natura in ultimo vitæ spatio evadit iracunda. Meliùs tamen hæc sententia exprimitur Græco sermone, quàm Latino; nam ὀξὺς apud Græcos est *acidus*, & *iracundus*; hinc ὀξύθυμος qui animo est iracundo.

DIS-

[a] Valer. Max. libr. 8. cap. 7. & Cicer. de senectute. [b] Cicer. ibid. [c] Tit. Livius libr. 6. [d] Plutarch. in Fab. Maxim. Vitâ. [e] Tit. Livius Histor. libr. 22. & Plin. de Viris Illustr. cap. 49. [f] Plutarch. in Vitâ Pompeii, & Plin. de Viris Illustr. cap. 77. [g] Cicer. Epistolar. ad Familiar. libr. 7. Epistol. 3.

[h] Auctor Dialogi qui inscribitur. Cur oratores sui temporis Antiquis concedant. [i] Juvenal. Satyr. 10. v. 125. [l] Cic. de Claris Orat. [m] Plaut. Mil. Gloriof. Act. 3. Se. 1.

DISSERTATIO LXV.

In Antipatri Epigramma, quod in secundo Anthologiæ libro est inter convivales jocos in memores compotores.

Dissertatio Unica.

Hyades ἀπὸ τοῦ ὕειν *hoc est* a pluendo *appellatæ sunt, non verò* ἀπὸ τῶν ὑῶν *ideest* a suibus, *ut Veteres crediderunt; qui ideo Suculas nominarunt. Plejades, seu Virgiliæ unde dicantur. Cur quidam decepti tradiderint columbas Jovi ambrosiam ferre, quum juxta interpretationem Athenæi ipsam portare Plejadas Homerus dicat. Quid sit siderum matutinus, ac vespertinus ortus, & occasus. Antiqui naufragio perire maximè horrebant propter sepulcri jacturam, & quia multi animam, utpote igneâ naturâ præditam, aquâ extingui arbitrabantur; quare Virgilius, quum inducit Æneam timentem mortem in mari, satis superque defenditur a nonnullorum calumniis. Tempestas, & fulmen omnium terribilissima sunt. Exempla multorum, quibus dicta, aut facta in conviviis nocuerunt; hinc natum est proverbium:* odi memores compotores. *Græci largiùs bibebant; ideo* pergræcari *significat* liberalius potare *Ebrietas omnia simul vitia ebriosis ingenerat; quum tamen alia vitia quorundam vitiorum affinitate non attingantur.*

Quum societas quædam inter Bacchum, & Apollinem intercedat, & poëtæ, quemadmodum potantes, Hederâ coronentur, quò spectat & [a] Virgilii carmen in Eclogis

Pastores Hederâ crescentem ornate poëtam

& Philippi in Anthologiâ

1 ..... *Hederâ vincire capillos*

Quis nisi discumbens, & bene potus amet?

Multi quoque poëtarum lusus compositi in vinum reperiuntur; inter quos est Antipatri carmen, quo Poëta nihil se magis pertimescere potantem confirmat, quàm homines, qui quum ipsi aquam bibant, & sobrii inter ebrios versentur, omnia, quæ dicta, factaque sunt in convivio, meminerunt; id nos hodierno die suscepimus enarrandum; est autem hujusmodi

Ο'Τ μοι Πληϊάδων φοβερὴ δύσις, ὐδὲ θαλάσσης
Ο'ρνύμενον σπιλάδι κῦμα περὶ σκοπέλῳ,
Ο'Τδ' ὅταν ἀστράπτει μέγας οὐρανὸς ὡς κακὸν ἄνδρα
Ταρβῶ, κ̀ μύθων μνήμονας ὑδροπότας·

Horum autem carminum hæc est sententia

Non me Plejadum quum mergitur æquore sidus,
Nec terret, scopulis quæ maris unda furit,
Nec fulgur timeo, sed pravâ mente sodalem,
Et qui epulas inter sobrius haurit aquam

Est autem adnotandum, Auditores, Plejadas septem stellas esse, quæ Hygino [b] teste a quibusdam in caudâ Tauri collocantur, licet idem testetur vetustiores Astrologos a Tauro Plejadas separasse. Has poëtæ ferunt fuisse [c] Atlantis ex Plejone filias, idcirco Atlanteæ, & Atlantides appellantur; quapropter Ovidius [d] dixit 2

Quis tunc aut Hyadas, aut Plejadas Atlanteas

& [e] Virgilius

Ante tibi Eoæ Atlantides abscondantur

Qua de causâ [f] Hesiodus Α'τλαγενέας, hoc est Atlante genitas nuncupavit hoc versu

Πληϊάδων ἀτλαγενέων ἐπιτελλομενάων

Plejades quum Atlante satæ se se æquore tollunt

Nam Atlas dicitur ex Plejone, vel, ut Eustathius [g] tradit, ex Æthrâ duodecim filias, & unum dumtaxat marem, qui dictus est Hyas, procreasse; is quum venaretur a Leone est interfectus, vel, ut [h] Eustathius testatur, a serpente; sorores autem, quæ fratrem majorem in modum diligebant, molestissimè ejus acerbam, & infelicem mortem tulerunt; quarum quinque quum inconsolabili luctu contabescerent, nec lacrymis, & lamentis modum ponerent, Deorum miseratione sunt in Cœlum translatæ, in stellasque conversæ, & ab Hyante fratre Hyades; ideo Horatius [i] Hyadas tristes appellat his verbis 3

Primus nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
Nec tristes Hyadas, nec rabiem Noti

quia a luctu in Cœlum venerunt; quamvis dici possit tristes vocari, quia ipsis orientibus [l] ingentes pluviæ soleant existere, & tempestates excitari; nam tanquam adhuc Hyantem lugeant, ita earum ortu Cœlum assiduis nubibus, atque imbribus contristatur. Eapropter nonnulli [m] volunt ἀπὸ τοῦ ὕειν Hyadas, non ab Hyante fratre nominatas; ex quibus [n] constat Latinos veteres esse in magno errore versatos, qui Hyadas, quasi ἀπὸ τῶν ὑῶν a suibus nimirum dicerentur, Suculas [o] appellarunt; non enim a sui-

[a] Virgil. Ecl. 7. [b] Hygin. libr. 2. in Taur. & Plin. libr. 2. cap. 41. [c] Eustath. in Iliad. σ. Ovid. libr. 5. Fastor. [d] Ovid. libr. 2. Fastor. [e] Virg. Georgic. libr. 1. [f] Hesiod. in Operibus. [g] Eustath. in Iliad. σ. [h] Eustath. ibid. [i] Hor. Carm. l. 1. Ode 3. [l] Hor. libr. 4. Od. 14. [m] Cicer. de Nat. Deor. libr. 2. A. Gell. libr. 13. cap. 8. & Ovid 5. Fast. [n] Tullius Tyro apud A Gell. ibid. & Cicer. de Nat. Deor. libr. 2. [o] Gell. Noct. libr. 13. cap. 9.

a suibus, sed a pluviâ nomen acceperunt.
Sed, ut ad fabulam revertamur, reliquæ
quum inter se, quid agendum esset, deli-
4 berassent, sibi necem consciverunt, & pro-
pter pietatem inter sidera relatæ immorta-
litatem sunt consequutæ, & Plejadum no-
men acceperunt, quòd plures in eandem
sententiam consenserint, vel quòd plures
quinque fuerint, quæ mærore, luctuque
vitam finiverunt, vel quòd simul plures
ferantur, vel quòd *πλησίον ἀλλήλων* sint po-
sitæ. Quapropter [a] Eustathio teste dicun-
tur a Græcis etiam *βότρυς*, idest *racemus*;
nam sunt inter se confertæ, & congloba-
tæ; ideo Propertius [b] ait

Plejadum spisso cur coit igne chorus

& Manilius libro quarto

Plejadum parvo referens glomerabile sidus

ubi parvo glomerabile dixit, quia parvo
discretæ sunt intervallo, & exiguum oc-
cupant locum. Nec defuerunt, qui a Ple-
jone matre dictas Plejadas arbitrarentur; In-
terpres autem Apollonii earum nomen de-
ducit *ἀπὸ τῦ πλειῶνος* quo significatur *annus*;
nam Plejades ortu, & occasu duo præci-
pua anni tempora, æstatem, hiememque de-
monstrant. Placet quibusdam [c] appellatas
ἀπὸ τῦ πλεῖν a navigando; scilicet quòd his
orientibus Mare nautis aperiatur; nam om-
nes incipiunt apparere tertio Idus Majas,
quo tempore nonnullis auctoribus æstas in-
choatur; quæ testatur his [d] versibus Ovi-
dius

Plejadas aspicies omnes, totumque sororum
Agmen; ubi ante idus nox erit una super;
Tum mihi non dubiis auctoribus incipit æstas,
Et tepidi finem tempora veris habent

Quare [e] Hesiodus horum siderum ortu me-
tendi tempus; occasu arandi putat demon-
strari. Qui loci poëtarum ut intelligi pos-
5 sint, adnotandum est Plejadas paulò ante
Idus Novembres matutino occidere, & eo
tempore hiemem inchoari tam Græcos,
quam Latinos voluisse; ideo Aratus [f] di-
xit Jovem id munus tribuisse Vergiliis, ut
initium æstatis, & hiemis demonstrarent

Οἵς σφισὶ καὶ θέρεος, καὶ χείματος ἀρχομένοιο
Σημαίνειν ἐκέλευσε .....

hoc est

Qui jubet has nobis diversâ luce serenæ
Principium æstatis, tristisque ostendere bru-
mæ

Sciendum est etiam oriri matutino tertio
Idus Majas, & id tempus tam Latinos, quàm
Græcos æstatis exordium esse opinatos; qua-
propter in constituendo initio hiemis, &
æstatis Græci a Latinis non discrepant; di-
screpant tamen, quòd Græci æquinoctium
vernum esse principium veris volunt; La-
tini septimo Idus Februarii ab [g] exortu
Favonii ver statuunt inchoari. Itaque O-
vidius [h] de hac die dixit

En etiam si quis Boream horrere solebat,
Gaudeat; a Zephyris mollior aura venit;
Quinctus ab æquoreis nitidum jubar extulit
undis
Lucifer, & primi tempora veris erunt;
Ne fallare tamen, restant tibi frigora, re-
stant,
Magnaque discedens signa relinquet hiems

Quare ver apud Latinos est trium mensium,
apud Græcos quinquaginta dierum; ideò
Ovidius [i] breve ver appellavit his verbis

Perque hiemes, æstusque, & inæquales au-
tumnos,
Et breve ver spatiis exegit quattuor annum.

Non modò autem Plejades dictæ sunt, sed 6
etiam Pliades primâ syllabâ productâ; sic
enim [l] Virgilius dixit

Taygete simul os terris ostendit honestum
Plias, & Oceani spretos pede reppulit amnes

& primâ correptâ, detractâ videlicet e di-
phtongo litterâ E; sic Virgilius [m] ait

Arcturum, Pliadasque, Hyadas, geminosque
Triones

ut in vetusto codice legitur, licet vulgati
libri habeant

Arcturum, pluviasque Hyadas, geminosque
Triones

Dicuntur [n] a Græcis poëtis etiam *πελειάδες*;
quocirca Peliades, quæ in Nestoris pocu-
lo ab Homero finguntur, Athenæus libro 7
undecimo Dipnosophistarum non colum-
bas, quod signare nomen id videbatur, sed
Plejadas stellas interpretatur; ideo [o] Ho-
merum putat dixisse Jovi ambrosiam ferre

Τῇ μέν τ' ὐδὲ ποτητὰ παρέρχεται, ὐδὲ πελειαι
Τρήρωνες, αἵτ' Ἀμβροσίαν Διὶ πατρὶ φέρουσι

hoc est

Huc non accedunt volucres, celeresque Peliæ,
Quæ dulcem ambrosiam portant tibi, summe
Deorum

Ex quo quidam tradiderunt ambrosiam Jo-
vi ferri a columbis; nam quum Peliæ vo-
cabulo significetur etiam columba; aves,
non stellas Plejadas Jovi ambrosiam vehere
putaverunt. Sed & Mœro [p] Byzantia ali-
ter accipiens Homeri locum Plejadum mi-
nisterio Jovem tradit ambrosiâ esse nutri-
tum, ob idque beneficium Plejades devi-
cto Saturno esse in Cœlo collocatas. Pelia-
das autem etiam [q] Simonides appellavit,
ut Pelias Posidippus hoc versu

Οἳ δέ τοι ἀκρόνυχοι ψυχραὶ δύνουσι πέλειαι

hoc

[a] Eustath. in Il. σ. [b] Propert. l. 3. El. 5. [c] Servius in Virg. Georg. l. 1. [d] Ovid. in Fast. l. 5. [e] Hesiod in Operibus. [f] Aratus in Phænom. v. 265. [g] Horat. libr. 1. Od. 4. [h] Ovid. in Fastor libr. 2. [i] Ovid. Metam. libr. 1. v. 117. [l] Virg. Georgic. libr. 4. [m] Virg. Æneid. libr. 1. [n] Athen. libr. 11. cap. 12. [o] Homer. Odyss. μ. v. 62. [p] Athen. l. 11. cap. 12. [q] Simonides apud Athen. ibid.

hoc est

Oceanum subeunt nec primâ nocte Peliæ

& [a] Simmias

Αἰθέρος ὠκεῖαι πρόπολοι πίλναντο πελέιαι

hoc est

Ætheris immensi se se admovere Peliæ
Veloces famulæ . . . . .

Sed frequentius poëtæ Peliadas nuncupant; ita [b] Æschylus alis carentes Peliadas dixit, ne quis de avibus ipsum loqui crederet; ita [c] Hesiodus

Χειμέριαι δύνουσι πελέιαδες

Hibernæ subeunt maria alta Peliades

& alio in [d] loco

Has Homines dixere Peliades

8 Ita [e] Pindarus affirmavit ab Orione non abesse longiùs Peliadas; nam Plejadas in Cœlo proximam Orioni sedem tenent, qui Pindari locus me admonet fabulæ, quam prætermisi. Nam ferunt Plejadas [f] Atlantis filias fuisse virgines, quæ quum venatu delectarentur, & Dianam sequerentur, in Orionem inciderunt, qui & ipse feras insectabatur; exarsisse Orionem conspectâ pulchritudine puellarum, & relicto ferarum venatu aliam prædam appetivisse, & sequi puellas instituisse, quæ quum fugerent, nec ille insequendi, nec eæ fugiendi finem facerent, omnes eodem habitu Dii in Cœlum sustulerunt; ideo proximus Orion Plejadum choro, & insequentis figurâ cernitur. Plejades autem Latino sermone Vergiliæ, vel Virgiliæ nuncupantur, vel a Vere, quod exortu suo videntur terminare, ut Isidorus, & Festus Pompejus affirmant, vel a virgulâ, quòd in morem virgulæ sunt distributæ, quam nominis originem [g] Vossius comprobat, vel quòd orientes, ut diximus, idoneum navigationi tempus ostendunt; idcirco [h] Propertius dixit

O utinam hibernę duplicentur tempora brumæ,
Et sit iners tardis navita Virgiliis

Quo in loco Poëta optat, ut hiems duplicetur, & quia nonnisi exactâ hieme, & vere completo Virgiliæ oriuntur, ipsis cunctantibus quietem agere cogantur navigaturi, qui se mari non committebant propter periculum tempestatis, nisi Virgiliis ante Solis exortum apparentibus. Sed de Virgiliis, & earum nomine generali, & exortu matutino satis a nobis dictum; nunc de nominibus singularum, & de occasu matutino, qui magis attingit locum

9 Poëtæ, quem explicamus, dicendum est. Plejadum nomina [i] Aratus duobus versibus complectitur

Ἀλκυόνη, Μερόπη τε, Κελαινώ τ', Ἠλέκτρη τε,
Καὶ Στερόπη, καὶ Ταϋγέτη, καὶ πότνια Μαῖα

hoc est

Alcyone, Meropeque, Electra, atque alma Celæno,
Taygete, Sterope, & formâ pulcherrima Maja

Ovidius autem non solum Plejadum nomina ponit, sed etiam cui Deorum, virorumque quæque earum nupserit, commemorat his [l] versibus

Seu quòd in amplexus sex hinc venere Deorum;
Nam Steropen Marti concubuisse ferunt;
Neptuno Alcyonen, & te, formosa Celæno,
Maiam, & Electram, Taygetamque Jovi;
Ultima mortali Merope tibi, Sisyphe, nupsit,
Pœnitet, & facti sola pudore latet;
Sive quòd Electra Trojæ spectare ruinas
Non tulit, ante oculos oppositque manus

Ubi reddit Poëta rationem, cur quum septem Plejades esse dicantur, sex tantum perspicuæ cernantur, & ait unam earum esse occultam, & esse Meropen, vel Electram, & latere Meropen propter pudorem, quia quum aliæ Cœlestibus, ipsa Mortali nupserit. Electram autem lucem oculis mortalium subtraxisse, quia excidium Trojæ spectare non sustinuerit, quæ originem ab ipsâ ducebat, quippe Dardanum Trojæ conditorem Electra procreavit, ex quo Ovidius [m] cecinit

Dardanon Electrâ quis nescit Atlantide cretum?

& [n] Virgilius

Dardanus Iliacæ primus pater urbis, & auctor,
Electrâ, ut Graii perhibent, Atlantide cretus

Ex numero autem Plejadum septem tragici [o] Poëtæ, qui Ptolemæo Philadelpho Rege carminum gloriâ ceteris præstiterunt, 10
Plejades dicebantur, qui fuerunt, Homerus Junior, Sositheus, Alexander, Philiscus, Sosiphanes, Æantiades, Lycophron, cujus extat Cassandra obscurissimum poëmatis genus. Sed sicut Plejades ortu mare tutum navigantibus præbent; ita occasu matutino intractabile id contingit paulò ante Kalendas Novembres. At Plinius [p] Virgiliarum occasum scribit tertio Idus Novembres contingere, quo tempore aurora jam lucescente Virgiliæ attingunt Occidentem, & matutinus, & Eous occasus dicitur, quia matutino tempore contingit; nam bini cujusque sideris ortus, occasusque censentur; matutini, & vespertini; matutinus est ortus, quum sidus aliquod extra Solis radios primùm constitutum oriens ante Solem spectatur. Vespertinus exortus contingit, ubi Sole occidente conspicitur sidus in Oriente primum eorum, quæ eâ nocte nascuntur;

[a] Athen. l. 11 c. 12. [b] Apud Athen. ibid. [c] Apud Ath. ib. [d] Ibidem. [e] Pind. Nem. Od. 2. [f] Hygin. libr. 2. in fabul. Orion. & fab. 195. & Athen. libr. 11. cap. 12. [g] Voss. in Etymol. [h] Propert. libr. 1 El 8. [i] Arat in Phænom. v. 262. [l] Ovid. in Fast. libr. 4. [m] Ovid. Metam. [n] Virgil. libr. 8. [o] Suid. in V. Φιλίσκος. [p] Plin. l. 18. c. 31.

tur; matutinus occasus est, quum jam appropinquante Sole sidus occidit extremum, &, ut ita dicam, cogit agmen Astrorum, quæ jam occiderunt; vespertinus obitus dicitur, quum post Solis occasum relictum proximè a Solis radiis astrum, ita ut cerni possit, cadit. Sed Poëta noster quum dicit

11 O'T μοι Πληϊάδων φοβερὴ δύσις....

non loquitur de vespertino, sed de matutino Vergiliarum occasu, qui navigantibus est metuendus; nam eo solent ingentes tempestates commoveri. Atque ego huc arbitror Horatium quoque respexisse, quum dixit [a]

Indomitas prope qualis undas
Exercet Auster Plejadum choro
Scindente nubes.....

Neque enim quum Virgiliæ oriuntur, sed quum cadunt, tempestatem cient; nam Virgiliis orientibus maria patescunt, occidentibus clauduntur. Alludit & [b] Statius, qui idcirco Plejadas nubilas dicit his verbis

...... Visis tumuerunt puppibus undæ,
Inque hominem surrexit hiems, tum nubila Plias,
Oleniumque pecus, solitò tum pejor Orion

& Lucanus

Nam quis ad exustam cancro torrente Syenen
Ibit, & imbriferâ siccas sub Plejade Thebas?

& Germanicus interpres Arati Pleiadum occasum navigandi peritis affirmat esse fugiendum; verba Germanici sunt hæc

Lumine non multo Plejas certaverit astris,
Præcipuo sed honore ostendit tempora bina,
Quum primùm Agricolam ventus super imminet Auster,
Et quum surgit hiems portu fugienda peritis

Quo probè constituto constat, cur Poëta
12 noster dicat

Non me Plejadum terret, quum mergitur, Astrum;

nam formidolosum maximè esse matutinum Virgiliarum occasum liquet, quem Poëta navibus horribilem esse indicat. Proponit autem Poëta duo, quæ maximum terrorem incutiunt Mortalibus; nimirum mare tempestatibus concitatum, & Jovem fulminantem; nihil tam terribile est, quàm navigantibus agitatum sævientibus ventis mare, & tempestuosum. Nec sine causâ poëtarum pater Homerus Ulyssem, quem in cunctis periculis interritum inducit, in tempestate sævâ metu perculsum, & terrore prostratum facit; sic [d] enim loquitur

Δὴ τὸτ' Ὀδυσσῆος λύτο γούνατα, καὶ φίλον ἦτορ
Tunc Laërtiadæ solvuntur frigore membra

& [e] Virgilius Homerus alter Æneam, quem

..... non ulla injecta movebant
Tela, neque adverso glomerati ex agmine Graii

affirmat extimuisse, quum illâ atrocissimâ tempestate jactaretur, quam Junonis ira concitarat; sic enim [f] ait

Extemplo Æneæ solvuntur frigore membra

Neque injuriâ; nam præterquam quod species ipsa maris sævientis horridum quiddam est, & audacibus quoque pertimescendum, Antiqui [g] eâ etiam de causâ mortem, quæ naufragio accidisset, reformidabant, quia jacturâ sepulcri movebantur. Nec id leve damnum habebatur; ideo mater Euryali a- 13
pud Virgilium non tam filium occubuisse queritur, quàm honore sepulcri [h] carere

Heu terrâ ignotâ canibus data præda Latinis,
Alitibusque jaces.....

Et [i] Propertius naufragi Pæti mortem lamentatur, quòd sit expers sepulcri futurus, sic enim ait

Et mater non justa piæ dare debita terræ,
Nec pote cognatos inter humare rogos;
Sed tua nunc volucres adstant super ossa marinæ,
Nunc tibi pro tumulo Carpathium omne mare.

Et Ulysses in [l] Hecubâ asseverat se in hac vitâ quantumvis modicis esse contentum, sepulcrum autem velle quàm honoratissimum consequi; & apud Virgilium [m] Dido amore læso in furorem acta Æneæ mortem insepultam tanquam extremum malorum imprecatur

Sed cadat ante diem, mediaque inhumatus arenâ

Accedebat eodem, quod [n] multi animam extingui cum corpore eorum, qui periissent aquâ suffocati, arbitrabantur. Narrat Syne- 14
sius [o] quosdam milites, quum in eo essent, ut omnes naufragio interirent, adacto ferro in viscera mori decrevisse, ut animam potiùs in aërem exhalarent, quàm in fluctus effunderent perituram. Nec mirum, etiam nonnulli, qui studia sapientiæ sunt æmulati, in [p] eâ fuere sententiâ, ut animam igneâ naturâ præditam contrario elemento extingui posse censerent; quapropter Heraclitus ait ψυχῇς θάνατος ὕδωρ γίγνεται: *animis aqua mors est*. Quæ velim cogitare nonnullos Zoilos, qui Virgilium reprehendunt, quòd Æneam suum fecerit periculum maris nimiùm reformidantem; nam fortes viri possunt vitam hanc fluxam, & caducam cotemnere; at mortem animæ sempiternam, quæ præter naturam accidat, nemo non exhorrescat. Sed ut ad Poëtam nostrum revertamur; proponit & tanquam maximè horrendum fulmen, neque immeritò; si- 15
quidem verè Pelignus Poëta dixit [q]

.... hu-

[a] Horat. libr. 4. Od. 14. [b] Statius libr. 3 Silv. 2. [c] Lucan. l. 8. [d] Hom. Odyss. ε. v. 406. [e] Virgil. Æneid. libr. 2. [f] Virgil Æneid. l. 1. [g] Servius in hunc versum. [h] Æneid. libr. 9. [i] Prop. libr. 3. Eleg. 5. [l] Euripid. in Hecubâ. [m] Virgil. Æneid. libr. 4. [n] Serv. ini. libr. Æn. [o] Synes. Epist. 4. [p] Servius in 1. libr. Æneid. [q] Ovid. Metam. libr. 1. v. 55.

..... *humanas motura tonitrua mentes*

habet enim quiddam tonitru, & fulmen, quod animos terrore percellat, prosternat, quod attonitos reddat, nec quidquam natura terribilius fulmine procreavit; idcirco Virgilius ita fulminis terrorem pulcherrimè descripsit primo libro Georgicorum

Ipse pater mediâ nimborum in nocte coruscâ
Fulmina molitur dextrâ, quo maxima motu
Terra tremit, fugere feræ, & mortalia corda
Per gentes humilis stravit pavor .....

& octavo libro Æneidos, ubi Cyclopes inducit Jovi fulmen fabricantes, ait terrorem, & metum fabricæ fulminis immiscere

Fulgores tum terrificos, sonitumque, metûque
Miscebant operi, flammisque sequacibus iras

& [a] Horatius ubi enumerat ea, quæ securis quoque mentibus possunt afferre terrorem, ultimo loco fulmen ponit, quasi nihil addi possit ad pavorem, quem injicit fulmen:

Justum, inquit, *& tenacem propositi virum*
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solidâ, neque Auster
Dux inquieti turbidus Adriæ,
Nec fulminantis magna Jovis manus;
Si fractus illabatur Orbis,
Impavidum ferient ruinæ

En Poëta inter horribilia recenset populi concitati vim, addit deinde tanquam terribilius quiddam tyranni excandescentis minas, & furorem, cum terrificam tempestatem, qualem in Adriatico mari maximè procelloso turbulentissimus ventorum Auster solet concitare, ac mox fulminantem Jovem, quò quum pervenisset, quum aliter crescere non posset oratio, subjecit Universi ruinam, perinde ac si manente Mundi machinâ nihil fulmine terribilius excogitari possit. Bene igitur Poëta noster, ut amplificet comparatione metum, quem in-
16 ferunt in convivio mali, & memores compotores, timori, quem tempestas, & fulmen affert, comparat; hæc duo quippe maximè metuenda. Exprimit autem hoc epigrammate noster poëta [b] proverbium: *odi memorem compotorem*, quod in Anthologiâ vetus Poëta posuit hoc versu

Μισῶ μνήμονα συμπότην φίλλε

Cujus proverbii meminit in symposiacis Plutarchus [c], licet aliam etiam hujus interpretationem afferat, cujus proverbii ea vis est, & sententia. Solent homines hausto liberaliùs mero multa effutire, quæ non debent efferri, ne damnum, aut verò etiam perniciem auctoribus afferant: solent multa præterea facere, quæ sint ipsis indecora, si proferantur, aut si aliquis adsit, qui meminisse dictorum, factorumque in convivio possit, aut velit; idcirco periculosum putabant cum eo inire convivium, qui non oblivisceretur omnium, quæ fierent in convivio, aut dicerentur. Qua de causâ Veteres, ut [d] Plutarchus testatur, in symposiacis Bacchio Oblivionem, & ferulam sa- 17
craverunt, nihil aliud indicantes, quàm oblivione obliteranda ea, quæ admissa, aut dicta essent inter vina, aut levi pœnâ puniendа. Et sanè multos voces, quas ebrii protulerant, sobrios perdiderunt; imperante Tiberio nulla frequentior fuit materia delatoribus illustres viros accusandi, quàm voces, quas inter epulas incauti convivæ profuderant; siquidem [e] Cornelius Tacitus de illis temporibus dixit: *neque discerneres alienos a conjunctis, amicos ab ignotis, quid repens, aut vetustate obscurum: perinde in foro, in convivio, quaque de re loquuti incusabantur, ut quis prævenire, & reum destinare poterat*. Seneca [f] libro tertio de beneficiis testatur eodem imperante parum abfuisse, quin Paulus vir prætorius a convivio in judicium traheretur. Habebat Paulus anulum, gemmamque in digito, in eaque impressam imaginem Tiberii Cæsaris; 18
quum autem potus longiùs processisset, & Paulus ebrius matulam poposcisset, imaginem Principis erat obscenis admoturus, aderatque Matho acerrimus delatorum, qui rem notarat, & se capitis hominem arcessiturum non occultum ferebat; nisi domino servus anulum detraxisset, & convivis ostendisset, eosque testatus esset nihil dominum fecisse, cur majestatis reus ageretur. Sed Tiberius immanis, avidusque cædis, cujus aures delatoribus semper patuerunt; quid alii principes? apud [g] Pyr- 19
rhum duo juvenes Tarentini sunt accusati, quòd in convivio multa dixissent in Regem; nec ipsis libertas impune cessisset, nam manifestò tenebantur, nisi joco crimen, quod negare non poterant, elevassent; nam quum jam convicti viderentur, a Pyrrho interrogati, an ea vera essent, de quibus arguebantur, annuerunt; immo, inquit alter eorum, nisi Lagena defecisset, te occidissemus. Quo dicto res in risum versa est, & juvenes crimine liberati, quòd ea culpa visa est vini, non hominum; quid [h] apud Dionysium? nonne duo adolescentes delati sunt, quòd inter pocula multa loquuti liberiùs, quàm tyranni aures ferre possent? quorum alterum Dionysius absolvit, alterum capitis condemnavit; quòd quum utrumque vocasset ad cenam, alterum intemperan-

---

[a] Horat. libr. 3. Od. 3. [b] Lucian. in Symposio, & Martial. libr. 1. Epigr. 28 [c] Plutarch. Sympos. libr. 1. in princip. [d] Plutarch. ibid. [e] Corn Tac. Annal. libr. 6. cap. 7. [f] Senec. libr. 3. de Benefic. cap. 26 [g] Plutarch. in Apophthegm. [h] Plutarch. ibidem.

perantiâ vini, & verborum efferri; alterum utroque vitio facilè se se abstinere comperisset. Quid [a] Alexander? nonne Clitum suæ nutricis filium servatorem suum ob ea, quæ ebrius de suis rebus gestis dixerat, interfecit? Veruntamen nullus exemplorum sit modus, Auditores, si omnes velim recen-
20 sere, quibus exitiosum fuit habere memores compotores, & ea observantes, quæ in vino, & epulis agerentur, aut dicerentur; quò fit, ut omnes nationes, quæ vino intemperanter utuntur, ament eos, qui plurimum bibunt, qui inter servorum manus e triclinio temulenti efferuntur; quia non timent, ne turpitudinem sibi possint exprobrare; non timent, ne severiùs animadvertant, quæ inter epulas deliquerunt; non timent, ne in vulgus efferant, quæ tacenda viderunt, & sobrii ebriis, mentis compotes impotentibus insidientur; quod genus insidiarum attingit elegantissimè [b] Tibullus his versibus

Sæpe mero somnum peperi tibi, at ipse bibebam

Sobria suppositâ pocula victor aquâ

Inter nationes autem, quæ vino intemperanter indulserunt, etiam Græci recensentur; unde fluxit verbum *pergræcari*, quo Latini significant potare liberalius, quo Plautus [c] utitur in Pœnulo, ubi sic ait:

Liberum ut commonstraremus tibi locum, & voluptarium,

Ubi ames, potes, pergræcere.....

& [d] Bacchidibus

Propterea id facio, ut suadeas gnato meo,

Ut pergræcetur tecum, ter venefice

& [e] alibi. Quapropter Cicero tertiâ in Ver-
21 rem actione sic loquitur: *fit sermo inter eos, & invitatio, ut Græco more biberetur, hospes hortatur; poscunt majoribus poculis, celebratur omnium sermonibus, lætitiaque convivium:* quo in loco bibere more Græco nihil aliud est, quàm se grandibus poculis invitare; fuit enim [f] mos Græcorum initio minutis poculis uti ad irritandam, credo, bibendi cupiditatem; deinde ubi paulatim mero incaluissent, capacioribus poscere, donec penitus permaderent. Magnis autem poculis Græcos delectatos declarat [g] Homerus, qui Nestorem celebrat, quòd poculo tam grandi uteretur, ut a ministris laborantibus vix e mensâ efferretur, quod ipse tamen sine labore sustolleret. Quum autem tam immania pocula exhaurirent, necesse est in ebrietatem incidisse; præsertim quum sæpius biberent; nam [h] quoties Deos, aut carissimos amicorum nominassent, toties bibere convivali lege cogebantur; quò fortasse respexit Horatius, quum dixit [i]

Te mensis adhibet Deum

quid enim aliud est adhibere mensis Deum, quàm in bibendo invocare? Atque ego hanc arbitror esse causam, cur apud Græcos turpe haberetur virgines, & honestas 22
mulieres conviviis interesse; apud Romanos honestum videretur, ut a [l] Cornelio Nepote memoriæ proditum est; nam quum Græcorum convivia intemperantiùs agitarentur, nòn erat tutum pudicitiæ virginum, & matronarum inter temulentos versari. Quid enim satis adversùs libidinem munitum, quæ vino insuper incitetur? aut quæ frena Venerem poterunt continere, quum ebrietas omnia repagula rationis perfregerit? Romanorum [m] verò sobria convivia quum a vinolentiâ abessent, a feminarum castitate non abhorrebant. Ac mihi Græci Persarum Reges videntur imitati; nam [n] quemadmodum illi cum pellicibus, non cum uxoribus perpotabant; ita Græci ad conviviorum celebritates honestas feminas haudquaquam adhibebant. Quum autem Græci ab immodico potu non absti- 23
nerent, minimè mirum est, si oderant memores compotores; nolebant enim ea, quæ fecerant inter potandum, quemquam meminisse, & censores, non convivas habere; ad quorum mores Poëta noster accommodavit sententiam hujus epigrammatis. Affirmat enim nautis esse metuendam tempestatem, scopulos esse metuendos; esse omnibus metuendum fulmen; sed convivis magis esse metuendos eos, qui, quum ipsi aquam bibant, sermonum omnium sunt post convivium memores. Quod Poëtæ Græci dictum consentaneum est legi convivali [o] Græcorum, qua postquam epulis famem explevetant, aut abire convivæ, aut bibere jubebantur, quæ non tam, ut Cicero libro quinto Tusculanarum Quæstionum autumat, sobriis, ne in violentiam vinolentorum inciderent, quàm, ut ego arbitror, ebriis consulebat, ut remotis arbitratu suo possent insanire. Ut enim Crassus [p] orator, quum candidatus esset populates prensatutus, a se Scævolam dimittebat, quum se diceret ineptum esse velle; quia virum tam gravem nolebat esse testem, spectatoremque ineptiarum, quibus candidati suffragia civium eblandiebantur; ita Græci sobrios viros nolebant esse testes furoris, & insaniæ ebriorum; itaque eos can-

a Plutarch. in Alexandr. Vitâ, & Arrian de Exped. Alexandr. libr. 4. b Tibull. libr. 1 El. 7 c Plaut. in Pœnul. Act 3. sc. 2. d Plaut. in Bacch. Act. 4. sc. 7. e Plaut in Truculent Act. 1. sc. 1 & Most. Act. 1 sc. 1 & Act 4. sc. 2 f Asconius Pedian. in hunc Cicer. loc. ex 3. Verr. Anacharsis apud Diogen. Laërt. l. 1. g Hom. Il. λ. v. 630. h Asconius Pedian. ibid. & Acron. in Hor. l. 3. Od. 19. i Horat. l. 4. Od. 5. l Corn. Nep. in procem. m Cæl. Rhod. l. 28. c. 39. n Herod. l. 5. c. 18. & Cæl. Rhod. l. 26. c. 25. o Cic. Actione 3. in Verrem. p Valer. Maxim. l. 4. c. 5.

tanquam molestos arbitros removebant. Non igitur sine causâ Poeta noster a convivio sermonum memores aquæ potores
24 jubet amandari; quod ego in eam partem interpretor, ut poëticè dictum credam, non seriò; poëtis quippe ludere permittitur. Ceterùm sapientes viri non quærunt convivas, qui insaniant, ut ipsi impune possint insanire; sed eos desiderant, qui sciant, quatenus in potu sit procedendum, quantum lætitiæ, quantum voluptati tribuendum; qui ignoscant aliorum levitati, nec omnia ad rectam illam rationem exigant; qui intelligant hilaritatis esse convivium, non severitatis. Oportet autem ita indulgere voluptati, ut ab eâ transversi minimè agamur, minimèque ea faciamus, quæ postmodum fecisse pæniteat, & lætitiam brevem diuturna tristitia consequatur; omninoque illa probanda convivia, non quæ immemorem convivam desiderent; sed quæ inposterum gratâ sui recordatione delectent; quam laudem Platonis [a] convivio tribuisse fertur Timotheus ille clarissimus Atheniensium Imperator. Is quum apud Platonem cenasset, & convivio illo non tam lauto, quàm ni-
25 tido, & eleganti, quodque non tam cupediis, & cibis delicatis, quàm jucundissimis sermonibus abundavit, esset admodum delectatus, postero die obviam Platoni factus: *vestræ*, inquit, *cenæ*, *Plato*, *etiam in posterum afferunt voluptatem*. Talia fuerunt philosophorum convivia, quæ non oblivione abolenda; sed immortalitati scriptorum suorum mandanda sapientissimi viri censuerunt; ita non [b] solùm Plato, & Xenophon; sed etiam Aristoteles, & Dion, ex Academiâ Philosophus, & Speusippus, & Epicurus [c], & Prytanis, & Plutarchus, & Athenæus, & Macrobius ea, quæ acta, dictaque essent in convivio, perscripferunt, qui profectò memores e convivio explodendos esse non putaverunt; nam esse quoddam convivii genus docuerunt, in quo, quæ dicta forent, cognosci & convivarum, & Posterorum interesset, quod nobis est inprimis æmulandum. Nam qui, ne quisquam in vulgus efferre possit, quæ sint pu-
26 dori convivis, jubent omnes ebrios e mensâ consurgere, ii remedio graviore utuntur, quàm sit illud malum, quod reformidatur; quid enim ebrietate gravius, quid homine libero indignius, quid turpius, quid perniciosius? Bene, ac sapienter Isocrates [d] animos eorum, qui in ebrietatem inciderunt, curribus comparavit, qui aurigam amiserunt; ut enim currus destitutus rectore temerè fertur, & sæpe agitur in præceps, & evertitur, & frangitur; ita animus, ubi oppressa vino mens jacet, excussâ moderatrice consternatur, & sine lege, & modo ruit, & nonnunquam in exitium rapitur, quò fit, ut sola ebrietas omnium vitiorum incitamentum esse videatur. Nam alia vitia quorumdam vitiorum affinitate non attinguntur; neque enim avarus, asotus; aut sordidus, & illiberalis, profusus; aut superbus animi abjecti; aut levis, contumax, & refractarius, aut iracundus, lentus; aut timidus, temerarius unquam fuerit; in ebriosis omnia vitia inesse possunt; quum enim ebrietas rationem pervertat, & extorqueat menti, animi, ut ita dicam, gubernacula, & excitet, irritetque cupiditates, quæ quasi furiç quædam immanes observant tempus, quo ratio frena remittat, & deflectat oculos a clavo, erumpunt, & debacchantur, ad nullum non facinus impellat Mortales, necesse est. Nam quemadmodū navis commota gravi, & violentâ tempestate, gubernatore vel aliis curis occupato, vel oppresso gravissimo somno, nullis non scopulis illidi, in nulla brevia non possit ingeri; ita animus, ubi mens, & ratio obruta vino est, nec regit, ut ante, sed regitur; immo rapitur, agitatur, convellitur, quum insuper quasi quadam procellâ, & turbine concitetur, in nullum facinus non impellitur, in nullum scelus non præceps agitur, in nullum turpitudinis genus non
impingitur. Quapropter alii, ut notat A- 27
thenæus [e], ubi appoti sunt, iracundiâ efferuntur, sicut Philippus Magni [f] Alexandri pater, qui ebrius filium propemodum interfecit: alii ad sævitiam vino ita incitantur, ut ne sibi ipsis quidem parcant, qualis fuit Cleomenes [g] Rex Lacedæmoniorum, qui temulentus eo furoris processit, ut se ipsum gladio conciderет, & sua membra in frusta dissecaret: alii in contemptum Deorum venerunt, cujusmodi Thraciæ Rex Cotys [h] fuisse fertur, qui Minervæ nuptias ebrius appetivit, & quum nuptialem thalamum, & convivium parasset, Deæ adventum exspectabat, & quum misisset quendam e corporis custodibus relaturum sibi, an Minerva venisset, isque renunciasset neminem esse in thalamo, ipsum correpto arcu transfixit; aliumque rursus misit, qui idem exploraret, quem eadem nunciantem eodem modo interfecit; tertius autem, re intellectâ, mendacio sibi consuluit, & jamdudum venisse virginem, & ejus amplexum cupidè expectare affirmavit: alii in omnem libidinem effunduntur, quod e-
xempla declarant Dionysii [i] junioris, qui 28
vinolentiam cum omni libidinis intempe-

[a] Plutarch. de sanit. tuendâ. [b] Plutarch. in Sympos. libr. 1. in princip. [c] Athen. libr. 5. cap. 2. [d] Isocr. ad Demonic. [e] Athen. libr. 10. & libr. XIIII. in princip. [f] Plutarch. in Alexandri Vitâ.

[g] Herodotus libr. 5. & Athen. libr. 10. cap 10. [h] Athen. libr. 12. cap. 8. [i] Athen. libr. 10. cap. 10.

rantiâ conjunxit; Nysæi [a], qui fuit Dionysii superioris filius, qui Syracusis rerum potitus non minùs temulentiâ, quàm puellarum, puerorumque nobilium stupris est debacchatus; Timolai [b] Thebani, quem negant ullum Rempublicam administrasse aut in vini, aut in Veneris voluptatibus intemperantiorem; Tiberii [c] Cæsaris, cujus in Caprearum secessu, & inauditæ libidines, & in epulis, potuque summa intemperantia memoratur; plerique verò ad injuriam inferendam vino incitantur; ideo memoriæ [d] proditum est simul cum injuriâ in lucem editum esse Bacchum; nullum denique vitium est animi, quod ab ebrietate tanquam fonte non oriatur. A temu-
29 lentis arcana produntur, sanctissima sanguinis jura violantur, maledictis divinum Numen incessitur, incestantur aræ, sacrilegæ templis manus admoventur, opes profunduntur, patrimonia dissipantur, nimio vini potu ingenium obtunditur, omnes virtutis nervi eliduntur, animi indoles enervatur, omnis honesti cupiditas, & gloriæ sitis extinguitur. Nec verò solùm animi depravantur, sed etiam corpora; est enim hoc ebrietatis proprium animum simul, corpusque corrumpere. Pleraque vitia & si animum depravant, corpus non lædunt; intemperantia in bibendo non magis animum, quàm corpus effeminat, labefactat, pessumdat. Ægionem Illyriorum Regem extinctum ferunt nimiâ potandi libidine: Alexandrum [e] Macedonem Ephippus non veneno, ut plerique tradiderunt; sed vino largiùs hausto interiisse tradidit, quum bis exhausisset poculum, quod duos congios capiebat: Junior autem [f] Dionysius, quum nonaginta dies ebrius perseverasset, & quotidie perpotaret, oculorum lu-
30 men amisit. In bibendi certamine [g], quod in honorem Calani Alexander instituit, triginta quinque statim dicuntur expirasse, sex autem, quum vini, quod ebiberant vim ferre non possent, in tentorium suum delatos non longo interposito intervallo vini copiâ suffocatos. Alexander [h] minùs aptus ad res venereas, minùs idoneus ad procreandum fuisse dicitur, propter assiduas, quibus est usus, perpotationes; adeo etiam Veneri, quam videtur excitare, vinum esse noxium comperitur. Quum igitur & animo, & corpori obsit ebrietas, immo interdum perniciem afferat, meritò Alexis [i] dixit

Εἶτ' οὐκ ἀπέλαυον ἐςὶ τὸ μεθύειν κακὸν
Μέγιςον Ἀνθρώποισι, κ̀ βλαβερώτατον;

An non malorum maximum Mortalibus
Vino madere, maximeque noxium?

Ebrietate igitur est abstinendum omnibus, & qui animo, & qui corpori student, & 31
Isocratis [l] præcepto obtemperandum, qui præcipit vitandas esse compotationes, sed siquando tempus incidit, ut cogamur inire convivia, antequam in ebrietatem deveniamus, consurgendum, ne si manere velimus, postmodum ebrii efferamur, quem modum si tenuerimus, neque in Lycurgi stultitiam incidemus, qui succidit odio temulentiæ vites, ob eamque causam caruit lætitiâ, cujus dicitur Bacchus dator, & in furorem devenit; caruit omnibus commodis, quæ a moderato vini potu proficiscuntur, nec in ebrietatem incidemus, quam *μητρόπολιν* malorum jure possis appellare.

DISSERTATIO LXVI.

In Epigramma Getulii ex libro tertio in naufragos de Astydamantis Cydonii naufragi Cenotaphio.

DISSERTATIO PRIMA.

Mare inter Maleam, & Cretam interiectum, quum frequentibus flexibus, & cæcis speluncis abundet, adeo naufragiis infame erat, ut aliquando ea navigatio omissa fuerit; quod ad Corinthi incrementum plurimum contulit. Malea secundâ syllabâ correptâ, vel productâ pronunciatur. Cenotaphia constituebantur etiam sepultis; quum initio templa nihil aliud fuerint, quàm sepulcra; ideo ex sepulcro colligi non potest, ubi quis objerit.

Astydamas Cydoniæ natus [ea est urbs Cretæ, quæ antea Apollonia vocabatur; sed postea a Cydone Apollinis filio, & Acallidis filiæ Minois, ut Stephanus de urbibus tradit, est appellata, & tertium inter Cretenses urbes locum occupabat] quum navigaret, & Maleæ promontorium flecteret, vel imperitiâ gubernatoris, vel e- 1
jus maris, quod sævissimum est. violentiâ naufragium fecerat, & fluctibus obrutus miserrimo mortis genere interierat. Quum corpus extincti nullâ ratione potuisset inveniri, terræque mandari, quod jam belluæ

[a] Athen. libr. 10. cap. 10. [b] Idem Athen. ibidem. [c] Sueton. in Vitâ Tiber. cap. 42. [d] Athen. libr. 2. cap. 2. [e] Athen. libr. 10. capit. 10. & Plutarch. de sanitat. tuendâ. [f] Arist. de Republ. Syracus. apud Athen. ibid. [g] Plutarch. in Alexandr. Vitâ, & Athen. libr. 10. c. 10. [h] Athen. libr. 10. c. 10. & Plutarch. Symp. libr. 1. quæst. 6. [i] Alexis apud Athen. libr. 10. cap. 12. [l] Isocrat. ad Demonicum.

lux marinæ devorarant, huic inanem tumulum cives, aut parentes, cognatique in insulâ Cretâ statuerant, & Astydamantis nomine inscripserant, ut, quoniam vivus ad portum non pervenerat, haberet umbra defuncti portum, quo se reciperet, nec incertis sedibus vagaretur, sicut ossa fluctibus jactabantur. De hoc Astydamantis casu, & cenotaphio (sic enim sepulcrum cadavere carens appellatur) extat Epigramma Getulii neque insicetum, neque inconcinnum, quod nos hodierno die enarrabimus, Auditores

Α᾽ Πελοπόννησος, κ̀ δύσπλοος ὤλεσε Κρήτη,
Καὶ Μαλέω τυφλαὶ καμπτομένω σπιλάδες
Δάμιδος Α᾽στυδάμαντα κυδώνιον: ἀλλ᾽ ὁ μὲν ἤδη
Ε᾽πλησεν θηρῶν νηδύας ἐναλίων
Τὸν ψεύσταν δὲ σε τύμβον ἐπὶ χθονὶ θέντο· τί θαῦμα;
Κρῆτες ὅπου ψεῦσται: κ̀ Διὸς ἐστι τάφος

Sic autem Epigramma Getulii latinis versibus reddimus

Te Peloponnesus, Creteque infesta carinis
Perdidit, & scopulis rauca Malea suis
Damidos Astydamas proles miseranda, sed ipse
Jam pridem æquoreis piscibus esca natas;
Mendacem tumulum Cretes dedit incola, semper
Cretes mendaces, ut Jovis urna docet.

Quibus in versibus Poëta noster utitur pe-
2 riphrasi, nam per Cretum, quam difficilem dicit navigantibus, & Peloponesum, & Maleam significat maris illud intervallum, quod inter Maleam Peloponesi promontorium, & Cadiscum Cretæ interiectum est, figurâ poëtis usitatâ, qui per continens exprimunt, & indicant id, quod continetur. Id autem spatium maris non multum patet; siquidem teste Plinio [a] libro quarto Malea a Cadisco octoginta millia passuum distat; est autem id mare prorsus navigantibus periculosum, propterea quod inibi auctore [b] Strabone spirant violenter contrarii flatus ventorum, interque seque luctantur. Quapropter idem [c] affirmat omissam aliquando eam navigationem, quæ res ad incrementum Corinthi plurimum contulit; nam mercatores, qui ex Italiâ veniebant, ne illo mari naufragiis infami navigare cogerentur, Lechæum merces advehebant; qui ex Asiâ, in altero Corinthiorum portu Cenchreis exponebant; & ita ex Jonio in Ægæum, ex Ægæo in Jonium per Isthmum ea transportabantur, & Corinthus in Isthmo opportunè sita fiebat Italicarum, Asiaticarumque mercium Emporium celeberrimum, & opulentissimum. Sed præcipuè terribile nautis habe-
3 batur mare, quod circa Maleam est; ex quo emanavit vetustum illud proverbium, quod hoc [d] jambico versu continetur:

Μαλέαν δὲ κάμψας ἐπιλάθου τῶν οἴκαδε;

hoc est:

Flectens Maleam rate domûs obliviscere;

sed & poëtæ hujus maris rabiem, & insaniam exaggerant; ita Statius libro septimo Thebaidos dixit:

Inachias acies, atque omne, quod Isthmius ilo
Distinet, & raucæ circumtonat ira Maleæ

& [e] Ovidius:

Nec timeam vestros, curva Malea, sinus

Virgilius autem tam sævum esse Maleæ sinum affirmavit, ut ejus undæ insectari navigantes videantur; sic enim libro quinto loquitur:

Nunc illas promite vires,
Nunc animos, quibus in Getulis syrtibus usi,
Jonioque mari, Maleæque sequacibus undis

Non ergo mirum si Poëta noster id mare δύσπλοον: hoc est *difficile, & infestum navigantibus* dicit his verbis

..... κ̀ δύσπλοος ὤλεσε Κρήτα,
Καὶ Μαλέω τυφλαὶ καμπτομένω σπιλάδες

Ubi non vacat, quod ait καμπτομένω: idest *dum flectitur*; nautis enim, dum flectunt pro- 4
montoria, summa adhibenda solertia, & præcavenda mutatio ventorum, qui sæpe in his flexibus violentissimi excipiunt, evertuntque naves. Ideo Cicero libro secundo de divinatione sic ait: *quod qui navigant maximè animadvertunt, quum in flectendis promontoriis ventorum mutationes maximas sæpe sentiant*. Quod Romani sunt experti, qui quum Marco Æmylio, & Servio Fulvio ducibus tempore non opportuno inter Orionis, & Canis ortum vetantibus gubernatoribus flectere cursum voluissent ad Siciliæ latus, quod obversum Africæ est, tanta sunt excepti tempestate, ut classem trecentarum quinquaginta navium pæne totam amiserint; octoginta quippe tantum naves illam tempestatem evaserunt. Præterea Poëta noster in versu citato rationem red- 5
dit, cur mare circa Maleam sit sævum, & vorticosum, & id indicat provenire ex cæcis, & latentibus, quæ in illo promontorio sub aquis existunt, speluncis, quibus undæ retorquentur, & sæviunt, & in orbem rapidissimæ circumaguntur. Ita [f] Virgilius Scyllæ scopulum infestum esse navigantibus propter speluncas, quæ in eo latent, declaravit his versibus:

At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris
Ora exertantem, & naves in saxa trahentem

& paulo post

Præstat Trinacrii metas lustrare Pachyni
Cessantem, longos & circumflectere cursus,
Quàm semel informem vasto vidisse sub antro
Scyllam, & cæruleis canibus resonantia saxa

Illud adnotandum etiam in hunc versum, Maleam secundâ correptâ, & Maleam secundâ syllabâ productâ pronunciari, quod

 præ-

[a] Plin. libr. 4. cap. 12. [b] Strab. libr. 8. [c] Strabo ibid. [d] Strabo libr. 8. [e] Ovid. Amor. libr. 2. Eleg. 16. [f] Virgil. Æn. libr. 3.

præterquamquod constat locis poëtarum, quos adduximus, & iis, qui plurimi possent adduci; constat etiam ex Stephani verbis, qui sic ait: *Μαλέα ἀκρὰ πρὸς Πελοποννήσῳ, ϗ Μάλεια διὰ διφθόγγυ* hoc est: *Malea ad Peloponesum, & Malea per diphthongum dicitur*. Illud novum, quod Poëta noster Maleum
6 dicit, quod promontorium alii Maleam appellant. Id autem promontorio nomen inditum a Maleo Rege Greçię Luctatius Grammaticus in sextum Statii librum scriptum reliquit. Ultimo disticho Poëta *ψεύσαν τύμβον*: idest *sepulcrum mendax* appellat, quod alii cenotaphium, vel inane sepulcrum nominant; sic [a] Virgilius dixit:

Tunc egomet tumulum Rhœtæo in litore inanem
Constitui, & magnâ manes ter voce vocavi;
Nomen, & arma locum servant, te, amice, nequivi
Conspicere, & patriâ decedens ponere terrâ

Sed Poëta noster non inanem, sed mendacem tumulum non minùs eleganter appellavit, quòd defuncti nomen haberet, non haberet defuncti cadaver, ut ait [b] Suidas. Solebant enim Antiqui, quum defunctorum corpora humare non poterant, quòd
7 ea vel mare absumpsisset, vel iisdem hostes potirentur, vel alio quo casu supremum munus non contigisset, ne mortis honore prorsus carerent, constituere monumentum absentibus, & monumento defuncti nomen inscribere. Sic [c] Euripidi in Macedoniâ a canibus lacerato, & discerpto Athenienses [d] Athenis inane sepulcrum construxerunt: ita Lucanus libro nono Corneliam, & Pompejanos milites Pompejo, & iis, qui ceciderant in acie Pharsalicâ, honorarios tumulos statuentes inducit: ita Pausanias [e] affirmat Athenis esse Hippolyti monumentum, quum Hippolyti ossa apud Trœzenios sepulta esse constaret. Existimabant nimirum Antiqui non esse prorsus insepultos, quorum sepulcra alicubi cernerentur; idque ad defunctorum quietem maximè pertinere. Quapropter [f] Virgilius Palinurum, cujus nusquam extabat sepulcrum, paludem Stygiam transmittere non potuisse testatur; Deiphobum,[g] cujus Æneas inane monumentum statuerat, in suis sedibus apud Inferos versari dicit, & colere loca

Ultima, quæ bello clari secreta frequentant

Nec verò solùm iis, quibus fortuna sepul-
8 crum denegarat, sepulcra vacua posuerunt; sed iis etiam, qui essent honorificè sepulti, alia sepulcra vacua posuerunt. Quapropter Dionysius [h] Halicarnasseus notat, non posse ex monumentis magnorum virorum, atque clarorum intelligi, ubi quisque eorum mortem obierit; quum antiquitus in more positum fuerit sepulcra exædificare non ad sepeliendi modò corporis necessitatem, sed ad defuncti memoriam colendam, atque celebrandam; itaque & Anchisæ, & multorum aliorum heroum sepulcra multis in locis cerni, quum eorum corpora multis in locis esse non possent. Sunt enim sepulcra, quasi quædam templa mortuorum; immo Clemens,[i] Alexandrinus initio nihil aliud fuisse templa, quàm sepulcra arbitratur; ut autem eorundem Numinum plura templa cernebantur, diversisque in regionibus condita; ita & virorum, quorum nomen ubique terrarum magnum, & illustre haberetur, sepulcra multa spectabantur.

DISSERTATIO LXVII.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO SECUNDA.

Cretenses licet optimis legibus regerentur, tamen habentur mendaces, quia, quum a Minoë omnium ferè Legumlatorum vetustissimo primi leges acceperint; a legibus etiam primi desciverunt; alii tamen arbitrantur, quod sicut omnes Thessali habiti sunt fraudulenti, ob unius Jasonis in Medeam perfidiam; ita Cretenses mendaces propter Idomeneum, qui æs bello captum injustè Græcis distribuit; vel quia Medea hujus famæ auctrix fuerit, quum de formâ cum Thetide contendens Idomeneo Judice succubuit. Joves duo Cretenses fuerunt, atque per totum Orbem terrarum res præclarissimas gesserunt, & in Cretâ sepulti sunt.

ASTydamanti Cydonio, cujus corpus, quum in mari naufragio periisset, inveniri non poterat usitato Veteribus more, ne anima defuncti incertis sedibus vagaretur, Cretenses inane sepulcrum construxerunt, id Getulius poëta mendax appellat, quòd sepulcrum videretur, nec haberet cadaver, & nomen mentiretur Astydamantis, quum Astydamantem ipsum belluæ marinæ devorassent; & affirmat non esse mirandum Cretenses Astydamanti mendax monumentum tribuisse, quum Cretenses mendaces habeantur, eodemque modo Astyda-

[a] Virgil. Æneid. libr. 6. [b] Suid. in V. κενοτάφιον. [c] Suid in V. Εὐριπίδης. [d] Pausan. in Att. paulò post initium. [e] Pausan. in Attic. [f] Virgil. libr. 6. Æneid. [g] Virgil. libr. 6. Æneid. [h] Dionys. Halicarn. libr. 1. Antiquit. Roman. cap. 6. [i] Clemens Alexandrin. in protrept.

stydamanti tumulum, quo Jovi, excitarint; versus Poëtæ sunt hi

Τὸν ψεύσαν δέ σε τύμβον ἐπὶ χθονὶ θέντο: τί θάυμα;
Κρῆτες ὅπου ψεῦσαι, καὶ Διὸς ἐστι τάφος:

hoc est

Mendax in terrâ Cretes posuere sepulcrum;
Nempe hi mendaces, qui statuere Jovi.

Hos autem ut illustremus, de duabus omnino rebus verba facienda sunt; de Cretensium scilicet mendaciis, & de sepulcro
1 Jovis, quod in Cretâ ostendebatur. Cretenses autem habitos mentiendi libidine infames, & ad fallendum paratissimos, illud argumento est, quod, ut Suidas testatur, verbum, κρητίζειν, quod est *Cretensium more loqui*, nihil aliud significat, quàm *mentiri*, unde [a] proverbium fluxit κρητίζειν πρὸς Κρῆτας hoc est *uti more Cretensium adversùs Cretenses*, quod in eos usurpatur, qui cum homine subdolo, & mendaci subdolè agunt, & mendaciis abutuntur. Id autem Cretensium vitium notavit, & Epimenides ille Cretensis, qui suæ gentis probra non dissimulavit, hoc versu

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργοὶ

Cretenses semper mendaces, malæ bestiæ, ventres pigri, qui versus id honoris est consequutus, ut a beatissimo viro altero nostræ religionis [b] lumine Paulo citaretur, ubi Epimenidem honorificè appellat, & προφήτην Græcorum nominat. Respicit & hanc levitatem Cretensium, mentiendique libidinem [c] Ovidius, qui sic ait
2

Cretes erunt testes, nec fingunt omnia Cretes,
Cretes nutrito terra superba Jove

& [d] Callimachus, qui sic loquitur

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, καὶ γὰρ τάφον, ὦ ἄνα, σεῖο
Κρῆτες ἐτεκτήναντο, σὺ δ' οὐ θάνες, ἐσσὶ γὰρ αἰεί,

hoc est

Semper Cretenses mendaces; quippe sepulcrum
Cretenses finxere tuum, Rex maxime; nunquam
Tu periisse potes; nam semper Olympie, vivis

Alludit aliud proverbium Græcum, quod hujusmodi Κρὴς πρὸς Αἰγινήτην hoc est *Cretensis cum Æginetâ*, quo utimur in eos, qui quum improbi sint, & mendaces, cum improbo, & mendaci aliquid negotii contra-
1 hunt. Sed & Hesychius κρητίζειν nihil aliud esse putat, quàm *mentiri*, & *fallere*, idque verbum esse ductum a Cretensium moribus, &, ut [e] Plautus loquitur, subleſtâ fide arbitratur. Miretur autem quispiam fortasse
3 quamobrem, quum Cretenses [f] præstantissimis legibus, & optimè constitutâ Republicâ uterentur, subdolis moribus fuerint, & perfidiæ vitio laborarint. Nam si leges, & disciplina laudanda Cretensium, ut omnes Auctores affirmant, consentaneum est & mores fuisse laudandos; ex optimâ quippe disciplinâ optimi civium mores oriantur, necesse est. Sed præcipuè fides inesse videtur moribus eorum, qui reguntur optimis legibus, & vivunt in bene temperatâ Republicâ; siquidem sine justitiâ rectè administrari civitas non potest, ut autem præclarè [g] Cicero docet, *fundamentum Justitiæ est fides, idest dictorum, conventorumque constantia, & veritas*. Hunc autem nodum facilè solvit [h] Strabo, qui publicam Cretensium disciplinam olim solutam fuisse asseverat. Credo autem Cretensium mores priùs esse corruptos, quàm reliquorum; nam [i] quum Minos, qui Cretensibus leges condidit, ferè omnium legumlatorum vetustissimus habeatur, haudquaquam mirandum est Cretenses, qui primi leges acceperunt, primos a legibus descivisse. Nam leges, ut alia omnia mortalia, esse non possunt sempiternæ, quo fit, ut vetustissima quæque jura maximè negligantur, immo penitus abrogentur; eodem modo, quo homines, qui priùs nati sunt, priùs extinguuntur, & omnium ferè, quorum ortus antecedit, & interitus antecedit; quum igitur lapsa esset disciplina, Cretenses ad ingenium redierunt. Sunt etiam nonnulli, qui propter unius hominis culpam putent hanc famam de Cretensium 4
perfidiâ divulgatam. Nam Suidas [l] tradit Idomeneum, quum esset ipsi negotium datum, ut bello captum æs Græcis distribueret, optimum sibi excepisse, deterrimum ceteris divisisse; ex eo factum putat, ut, quemadmodum Ulpianus in secundam Demosthenis Olynthiacam orationem refert, sicut ob Jasonis in Medeam perfidiam omnes Thessali habiti sunt fraudulenti; ita propter Idomenei dolum omnes Cretenses callidi, versuti, dolosi crederentur. Photius [m] autem in Bibliothecâ memoriæ prodidit Medeam, & Thetidem, quum inter se de formæ præstantiâ contenderent, Idomeneum judicem elegisse, Idomeneum autem Thetidem pulchriorem judicasse; Medeam autem indignatam dixisse, quod postea omnium sermonibus celebratum est κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται imprecatamque, ut semper mentiretur, nunquam rationem veritatis duceret, totaque natio eodem vitio laboraret. Ita Medeæ dictum proverbii loco usurpari cepisse,

---

[a] Plutarch. in Vitâ Lysandr. & Suid. in V. κρητίζειν Erasm. Adag. Chil 1. cent. 2. [b] D. Paul. Epistol. ad Tit. c. 1. [c] Ovid. libr. 3. Amor. El. 9. [d] Callimach. hymno in Jovem. [e] Plaut. in Bacch. Act. 3. Sc. 6. [f] Arist. de Republ. libr. 2. c. 10. [g] Cic. de Offic. libr. 1. [h] Strabo libr. X. [i] Plato in Minoë, vel de lege; & Diodor. Sicul Hist. libr. 5. & Pausan. in Laconic. sive libr. III. [l] Suid. in V. κρητίζειν. [m] Phot. in Biblioth. in Ptolem. Hephæst. histor. 190.

piſſe, inuſtamque Cretenſibus unius ob culpam perfidiæ notam ſempiternam. Propiùs vero eſt id, quod [a] Callimachus indicat, & Poëta noſter affirmat propter ſepulcrum Jovis, quod Cretenſes in Inſulâ Cretâ oſtendebant, habitos eſſe mendaces Cretenſes, & notatos proverbio, quaſi extinctum, & ſepultum prodidiſſent [b] Deum, qui a vitâ, quam cunctis animantibus impertitur, appellatur. In quo Cretenſes cul-
5 pâ carebant; neque enim mentiebantur ſepultum in Cretâ [c] Jovem; nam Euhemerus Meſſenius, quem [d] Ennius eſt interpretatus, & in Cretâ vitam egiſſe Jovem, & ex eâ profectum res geſſiſſe præclaras, & in eâ [e] mortem obiiſſe, & donatum ſepulturâ memoriæ prodidit, quam [f] ille hiſtoriam ex vetuſtiſſimorum inſcriptionibus templorum concinnavit; & Diodorus Siculus libro tertio tradit Atlanticos opinari duos fuiſſe Joves, quorum antiquior Cœli frater in Cretâ regnaverit, uxorem habuerit Idæam, a cujus nomine inſulam Idæam nuncuparit, ex uxore decem Curetas procrearit, qui Idæi Dactyli ſunt appellati, & in inſulâ Cretâ fatô conceſſerit, & humatus fuerit; alter Saturno genitus, qui totum Orbem terrarum beneficiis ingentibus affectum ſibi parere coëgerit, & ſuperioris Jovis gloriam, reſque geſtas longè ſuperarit; & libro quinto non ex Atlanticorum, ſed omnium hominum opinione, & in Cretâ genitum, & in Idâ Cretæ monte nutritum teſtatur, & judicia inveniſſe, & impios, & conſceleratos homines pœnæ formidine a ſcelere deterruiſſe; bonos autem præmiis ad virtutem, & juſtitiam invitaſſe, & lites reperto jure diremiſſe, nec contentus in inſulâ Cretâ jus potentius viribus effeciſſe, aggreſſum eſſe univerſum placare Orbem terrarum, & gigantes gentem impiam, & Deorum contemptricem, & omnia jura violantem & in Cretâ, & in Pallene Macedoniæ regione, & in campis Phlegræis Italiæ cum ipſis congreſſum fudiſſe, ac fugaſſe, & occidione deleviſſe; nec impios tantùm ſuſtuliſſe; ſed etiam Diis gentium honores, & præmia tribuiſſe, quibus rebus geſtis aſſequutum, ut ipſi in Olympo Regia ſtatueretur, & opinione hominum conſecraretur, & poſtquam inter homines eſſe deſierat, in Cœlo regnare crederetur. Quæ declarant omnia Jovem, ſicut natus eſt in Cretâ, & in Cretâ regnavit; ita & in Cretâ ſupremum diem expleviſſe, & ſepultum eſſe. Sed & Pomponius Mela affirmat, in Cretâ Jovis extare ſepulcrum, ejuſque rei teſtes eſſe vetuſtiſſimas litteras, quæ in eo Jovem eſſe conditum declarabant; non igitur Cretenſes mendaces, nam verè ſepultus eſt in Cretâ Juppiter; ſed quis fuerit Juppiter, cujus in Cretâ ſepulcrum viſebatur, alio die exponemus.

DISSERTATIO LXVIII.

In idem Epigramma.

Dissertatio Tertia.

Multi appellati ſunt Joves; adeout Varro trecentos fuiſſe prodiderit; eorum vetuſtiſſimus floruit Abrahæ tempore. Stoici putarunt Jovem eſſe Ignem, ſeu Ætherem, qui ab ardore, Ariſtotele repugnante, dicitur; idem ſenſerunt Perſæ, atque Empedocles; Platonici autem Jovem eſſe Mundi animam opinati ſunt, alii Solem; Romani verò, Graiique Aërem; hinc Juppiter Hyetius, & Ombrius a pluviâ dictus colebatur; hinc etiam ventus Juppiter eſt appellatus; ſed omnium congruentiſſimè Æſchylus Jovem eſſe omnia dixit. Juppiter latinè, & græcè Ζεὺς unde dicatur. Aſtrologi omnia ferè, quæ Jovi tribuuntur, ad ſtellam Jovis pertinere demonſtrant. Prometheus vinculis adſtrictus fingitur, & ab Aquilâ depaſci, quia providentia humana anguſtis ſanè finibus coërcetur, & multis curis eſt obnoxia.

IN Inſulâ Cretâ ſepultum fuiſſe Jovem, ejuſque ſepulcrum diu extitiſſe, nec longâ ſæculorum fugâ, nec injuriâ temporum potuiſſe deleri, & apud Solinum Varro, & alii graviſſimi ſcriptores, quos heſterno die citavimus memoriæ prodiderunt. Quis nam autem fuerit hic Juppiter, & quo nomine vocaretur, hodierno die, ſicuti polliciti ſumus, exponemus; deinde quot fuerint Joves mortali matre nati mortali patre; quot autem, qui ſemper extiterunt, & habiti ſunt mortalitatis expertes in præſentiâ dicemus. Duos fuiſſe Cretenſes Joves Voſſius doctiſſimus vir affirmavit, quorum alter Cres diceretur, alter Aſterius; ſuperior fuit vetuſtiſſimus [a], & Abrahæ temporibus floruit, & Cretæ nomen dedit, & Cnoſſum urbem condidit, quæ diu inter urbes Cretenſes principem locum occupavit (licet [b] Strabo a Minoë conditam Cnoſſon aſſeveret) &

[a] Callimachus hymno in Jovem. [b] Jo: Stobæus in Eclog. phyſic. libr. 1. in princip. [c] Diod. Sicul. Biblioth. libr. 3. & Lucian. in Sacrific. [d] Cic. de Nat. Deor. libr. 1. [e] Cicer. ibid. l. 3. [f] Lactant. Firm. de falſ. relig. libr. 1. cap. 11. [g] Cedrenus Hiſtor. compendio. [b] Strabo Geogr. libr. 10. & Diodor. Sicul. libr. 5. Biblioth.

& templum Cybeles ædificavit; hic autem Jupiter ille est, quem lacte [a] capræ, & [b] melle Curetes [c] aluerunt. Junior autem Juppiter, qui proprio nomine Asterius, vel, ut alii volunt, Xanthus dicebatur, fuit is, qui rapuit Europam Agenoris Phœnicum Regis filiam, qui ducentis annis ante bellum Trojanum Cretensibus imperavit; hujus in Cretâ sepulcrum visebatur. Nec hi
2 duo Cretenses Reges tantummodo appellati sunt Joves, sed fuerunt & Joves Argivi, & aliarum gentium Reges; nam & Apis Inachi nepos, a quo Peloponesus Apia est nominata, Juppiter est dictus; itaque quum is [d] Nioben Phoronei filiam sororem suam constuprasset, fama vulgavit compressam a Jove Nioben. Quapropter [e] Apollodorus affirmat primam feminarum Nioben; ultimam Alcmenam concubuisse cum Jove; quod verum non videtur, si non abhorret a veritate Jo, quæ [f] Jovis compressu gravida facta est, fuisse Inachi filiam; nam [g] Niobe fuit neptis; quare vel Jo, quam Juppiter compressit, non ex Inacho, sed ex Jaso [h] nata est, vel idem Apis, qui sororem, etiam amitam vitiavit, vel Jo, non Niobe Jovis amore, & furto gloriatur. Jovis nomen etiam Prœtus Acrisii frater consequutus, qui ex Danaë Persea procreavit. Præterea Tantalus Phrygius hoc nomine est insignitus; idcirco Ganymedes, quem Tantalus [i] flagitiosissimè rapuit, a Jove [l] raptus dicitur, & in deliciis Jovi fuisse. Non constat autem, quo nomine fuerit nuncu-
3 patus, qui Alcmenæ Amphitryonis uxori fucum fecit, & ex eâ Herculem genuit. Nam illum, qui ex Ledâ [m] Castorem, & Pollucem, & [n] Helenam suscepit, credibile est fuisse Tyndareum, ex quibus liquet Jovis amores, & concubitus a poëtis memoratos sexcentorum annorum, vel paulò majore spatio contineri. Fuerunt & alii Joves, quorum propria nomina ignorantur, ut ille, qui ex [o] Ixionis uxore Pirithoum Thesei amicum procreavit, & ille, cujus Callisto [p] vim passa Arcadem peperit, a quo Arcadia [q] nomen accepit. Nec verò mirari debetis, Auditores, tam multos a me Reges nominatos, quos Jovis nomine antiquitas appellârit; nam [r] Varro doctissimus Romanorum multò plures recensuit, qui trecentos fuisse Joves memoriæ prodidit, omninoque videntur Antiqui hoc nomine Reges nuncupasse, quorum vel virtus clara, vel potentia insignis habebatur. Sed quia ille Rex verè est habendus, qui non alicui 4
nationi, sed toti Orbi terrarum, & naturæ imperat, & Cœlo, & elementis; idcirco sapientes viri id nomen ad divinam vim significandam, qua Mundus administratur, transtulerunt. Juppiter igitur ille est appellatus, [s]

..... *qui res hominum, ac Deorum,*
Qui mare, & terras, variisque Mundum
Temperat horis

Qui ab [t] Homero dicitur

...... πατὴρ ἀνδρῶντε, θεῶντε
...... *hominum pater, atque Deorum*,

& [u] a Virgilio:

Divum pater, atque hominum Rex;

nec a nomine Regis discrepat nomen Patris; siquidem ea summa laus est Regis, quam Ulyssi Homerus [x] tribuit, quum ait πατὴρ δ' ὡς ἤπιος ἦεν: *mitis erat tanquam pater*, Regesque debent mansuetudinem, & clementiam, & providam curam patris imitari; ac multò minùs Juppiter nomen regium discrepat. Quid enim aliud [y] Juppiter, quàm juvans pater? non solùm nimirum Deus omnia procreavit, sed juvat. Est quidem id nomen humilius, ut Lactantio Firmiano [z] videtur, quàm ut exprimat beneficentiam illius divinæ, immortalisque naturæ; non enim juvat, sed conservat Deus; verùm non facile fuit eodem nomine signi-
ficare patrem, & servatorem. Quum autem 5
alii ad aliam naturæ partem regimen rerum, & procreandi principium pertinere putaverint, non omnes idem esse Jovem sunt opinati; nam [a] Stoici, qui Heraclitum sequuti, ut opinor, ex igne constare omnia putaverunt, Jovem esse id, quod calidum, & ignem appellamus, crediderunt. Idcirco [b] naturam definiverunt ignem artificiosum gradientem ad Mundi procreationem; & [c] apud Diogenem Laërtium in vitâ Zenonis Deum esse dicunt ingenitam, immortalemque naturam, artificem Mundi omnia secundum quosdam temporum circuitus absumentem, in seque vertentem, rursusque ex se ipsâ generantem. Nam igni [d] absumptum iri Mundum, & quum absumptus fuerit, ab igne rursus procreatum iri arbitrantur, quo respexit [e] Manilius his verbis

Sive

[a] Ovid. libr. 5. Fast. [b] Virg. Georgic. l. 4. [c] Diodor. Sicul. Biblioth. libr. 5. [d] Apollod Biblioth. libr. 1. [e] Apollodor. Biblioth. & Diodor. Sicul. Biblioth. libr. 4. [f] Ovid. Metam. libr. 1. fab 10. [g] Apollodor. libr. 2. in princip. [h] Pausan. in Corinth. sive libr. 2. [i] Herodian. in Vitâ Commod. [l] Homer. Iliad. ε. & υ & Virgil. libr. 5. Æneid. Ovid. libr. 10. Metamorph. & Plato libr. 1. Leg. [m] Homer. in hymn. εἰς Διόσκουρους. & Theocr. in Diosc. [n] Ov. in Epist. Hel. [o] Hygin. fab. 155. [p] Apollod. libr. 3. Hygin. l. 2. Astron. in Arctos major. & fab. 177. [q] Pausf. in Arcadic. sive libr. 8. [r] Cæl. Rhodigin. libr. 22. c. 3. [s] Horat. libr. 1. Od. 12. [t] Homer. Iliad. α. v. 544. [u] Virgil. libr. 1. Æneid. & libr. 2. & alibi. [x] Hom. Odyss. β. [y] A. Gell. libr. 5. c. 12. [z] Lactant. Firmian. de falsâ relig. libr. 1. cap. 11. [a] Plutarch. adversùs Stoicos. [b] Galenus in Definitionib. medicis. [c] Diog. Laërt. libr. 7. [d] Plutarch. de Oraculor. defectu. [e] Manil. libr. 5.

Sive ignis fabricavit opus, flammæque micantes;
Quæ Mundi fecere oculos .....

Atque [a] ex eorum sententiâ Jupiter fuerit
æther; nam æther, atque ignis idem, quem
ἀπὸ τοῦ Αἴθειν *ab ardore* scilicet dictum, licet
Aristotele repugnante, Veteres arbitrati
sunt; idque Ennius clarè, planèque asse-
verat apud Ciceronem libro secundo de
naturâ Deorum, ubi sic loquitur

Aspice hoc sublime candens, quem invocant
omnes Jovem

6 Hanc autem sententiam Persæ comproba-
runt, qui [b], Strabone teste, Cœlum esse Jo-
vem crediderunt, licet igni proprium cul-
tum tribuerint, quod si quis violasset capi-
te plectebatur. Empedocles [c] quoque Jovè
esse ignem, Junonem terram, aërem esse
Plutonem putavit. Platonici [d] autem Jo-
vem animam Mundi esse dixerunt; nec te-
nere rerum principatum, sed esse tertium
Numen. Nam [e] primum esse Deum, quem
ipsum unum, ipsumque bonum vocant, su-
pra Mundum, supra animam, supra men-
tem positum, cui Veteres fortasse Cœlo no-
men indiderunt, quem nec intelligi, nec
nominari posse censent; secundum ipsam
mentem omnium rerum formas, & exem-
plaria, quæ Ἰδέας nuncupant, continentem,
quæ & Mundum architectata est, & animam
Mundi procreavit. Convenit autem Plato-
nicis cum Stoicis animam [f] Mundi esse
Jovem, sed discrepat a Stoicis Plato, quòd
non igneâ naturâ animam constare, sed es-
se quiddam divinius censet; & quòd Stoi-
ci nihil præstantius animâ ratione utente
excogitarunt; Plato ultimum divinorum es-
se animam affirmavit, & Mundi condito-
rem Mundo longè præstantiorem esse in-
7 tellexit; alii verò, ut [g] Macrobius probat,
Jovem nihil aliud esse, quàm Solem judi-
carunt; quod testatur apud Eusebium Phi-
lo Byblius his verbis, quæ libro primo ca-
pite septimo continentur; ubi loquitur de
cultu Solis apud Phœnices: τοῦτον τὸν θεὸν ἐ-
νόμιζον μόνον οὐρανοῦ κύριον Βεελσάμην καλοῦντες, ὅ
ἐστι παρὰ Φοίνιξι κύριος οὐρανοῦ, Ζεὺς δὲ παρὰ Ἕλ-
λησιν: hoc est: *hunc autem Deum solùm pu-*
taverunt Cœli rectorem, & Dominum Beelsa-
men appellantes, quod nomen apud Phœnices si-
gnificat Cœli dominum, apud Græcos Jovem,
Romani verò, Graiique aërem, non qua-
tenus iners est, sed quatenus habet vim mo-
vendi, esse Jovem statuerunt; quapropter,
auctore Varrone libro quarto de linguâ la-
tinâ, Diespiter dicitur infimus aër, qui est
conjunctus terræ; ubi omnia oriuntur, &
aboriuntur, quod vel ex eo intelligi potest,
quod Jovi tonitru, & fulmen assignarunt;
ideo Manilius de Jove sic ait:

Lacte novo crescens ad fulmina, vimque to-
nandi

& [h] Horatius

...... namque Diespiter
Igni corusco nubila dividens
Plerumque per purum tonantes
Egit equos, volucremque currum

Ubi, ut hoc etiam obiter notem, quum
volucrem currum dixit, expressit πτηνὸν ἅρ-
μα *alatum currum*, vel *volucrem*, quem [i] Pla-
to Jovi tribuit. Non potest autem esse du-
bium, quin tonitrua, & fulgura, & fulmi-
na gignantur in aëre; sed & pluviæ, & nu- 8
bes, quæ certè ex aëre decidunt, & in aë-
re congregantur, a Jove mitti, a Jove con-
gregari credebantur; ideo [l] Homerus Jo-
vem appellat νεφεληγερέταν hoc est: *nubes*
congregantem. Idcirco & in Atticâ, & alibi
Jovis [m] Hyetii idest *pluvii* ara colebatur; &
in Hymetto [n] Atticæ monte fuit ara Jovis
ombrii, idest *imbriferi*, ut in Atticis Pau-
sanias refert; nec aliâ de causâ a Parme-
none Byzantio poëtâ Nilus [o] dicitur Ægy-
ptius Juppiter, nisi quòd Nilus explet aë-
ris, vel Jovis vices Ægyptum irrigando.
Aëris igitur vim masculam Jovis, femi-
neam Junonis nomine appellarunt; ex quo
etiam ventum Jovem nuncuparunt, ut no-
tat Passeratius, & Vossius; nihil enim est 9
aliud ventus; si [p] credere libet Stoicis,
quàm aër fluens, ut Seneca [q] naturalibus
quæstionibus asseverat. Affertur autem Ca-
tulli locus, quo probatur Jovem pro ven-
to sumi, ubi sic Poëta elegantissimus lo-
quitur [r]

....,. sive utrunque Juppiter
Simul secundus incidisset in pedem

Nec mirum Catullum poëtam doctissimum
Jovis nomine ventum appellasse, quum te-
ste [f] Plutarcho Ægyptii Jovem esse cen-
seant spiritum, qui sic loquitur: Δία μὲν
Αἰγύπτιοι τὸ πνεῦμα καλοῦσιν, ᾧ πολέμιον τὸ αὐχ-
μηρὸν, καὶ τὸ πυρῶδες: τοῦτο δὲ ἥλιος μὲν οὐκ ἐστὶ,
πρὸς δὲ τὸν ἥλιον ἔχει τινὰ συγγένειαν: ἡ δὲ ὑγρό-
της σβεννῦσα τὴν ὑπερβολὴν τῆς ξηρότητος αὔξει,
καὶ ῥώννυσι τὰς ἀναθυμιάσεις. hoc est: *Jovem qui-*
dem Ægyptii spiritum nuncupant, cui quod
squallidum, & igneum inimicum est; hoc au-
tem non est quidem Sol, est autem cognatum
quiddam, & affine Soli; humor autem extin-

guens

---

[a] Macrob. in somn. Scipion. libr. 1. cap. 17. & Saturnal. libr. 1. c. 18. [b] Strabo libr. 15. [c] Diog. Laërt. libr. 8. segm. 76. in Vitâ Emped. [d] Macr. in Somn. Scip. libr. 1. cap. 17. [e] Maxim. Tyrius Diss. 1. περὶ τοῦ τίς ὁ Θεὸς κατὰ Πλάτωνα. [f] Diog. Laërt. in Vitâ Zenonis libr. 7. segm. 147. [g] Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 23. [h] Horat. libr. 1. Od. 34. [i] Plato in Timæo. [l] Homer. Iliad. libr. 1. & libr. 5. v. 764. & alibi. [m] Pausan. in Attic. & in Corinth. sive libr. 2. [n] Pausan. in Attic. sive libr. 1. [o] Apud Athen. libr. 5. c. 8. [p] Plutarch. de Placit. Philosoph. libr. 3. cap. 7. [q] Senec. libr. 5. cap. 1. natur. quæst. [r] Catull. carm. 4. de Phaselli laude. [f] Plutarch. de Iside, & Osiride.

guens aëris nimiam ariditatem auget, & corroborat exhalationes. Sed & philosophi nonnulli videntur affirmasse Jovis numen ad
10 aërem pertinere; siquidem Juppiter est habitus Deorum summus (ὕπατον Græci vocant) aër autem Anaximeni, & Diogeni Apolloniati est summus Deus, de quorum altero Cicero libro primo de naturâ Deorum sic ait: *Anaximenes aëra Deum statuit, eumque gigni, & esse immensum, & infinitum, & semper in motu; quasi aut aër sine ullâ formâ Deus esse possit, quum præsertim Deum non modò aliquâ, sed pulcherrimâ formâ esse deceat; aut non omne, quod ortum sit, mortalitas consequatur*; de altero non multo post ita loquitur: *quid aër, quo Diogenes Apolloniates utitur Deo, quem sensum habere potest, quam formam Dei?* Sed & nomen Jovis apud Græcos declarat Jovem ab Aëris non discrepare naturâ; dicitur enim Ζεὺς, ut scriptor Etymologici notat, ἀπὸ τῦ ζῆν, ϗ ἄω *a vivendo, spirandoque*, quæ sunt Aëris propria; nam vivere, nisi respiremus, & sine aëre respirare non possumus, vel παρὰ τὸ δεύειν quod est *irrigare*, quod & aëri convenit, & Jovi. Nam & aër pluviis omnia madefacit, & Juppiter, ut ostendimus, pluvius appellatur; vel παρὰ τὴν ζέσιν, quòd aër Solis ardore calefactus vehementer effervescat. Veruntamen hi, quos hactenus nominavi,
11 singulas naturæ partes esse Jovem statuerunt; Æschylus autem magnificentiùs loquutus est, qui Jovem esse voluit omnia; sic enim gravissimè loquitur apud Clementem Alexandrinum libro Stromatum quincto:

Ζεύς ἐστιν αἰθὴρ, Ζεὺς δε γῆ, Ζεὺς δ' οὐρανὸς,
Ζεὺς δε τὰ πάντα, ϗ ὅτι τῶνδ' ὑπέρτερον

hoc est

Juppiter & Æther, & humus est, & ardua
Moles Olympi, & omnia, & siquid supra

Quæ de summo rerum Auctore, & principe Deo verissimè dicuntur; nam licet Deus non sit propriè hæc bruta moles, quam terram appellamus, non sit aër, aut ignis, aut Cœlum, tamen est omnia, sine quo nihil eorum est, quæ cernuntur; est etiam omnia, quæ sub aspectum non cadunt, quæque sunt supra Mundum; omnia quippe sunt ejus præsentiâ, & virtute præstantissimâ. Hanc autem de vero Deo pronun-
12 ciatam sententiam esse verissimam Seneca libro quarto de beneficiis, capite sexto confirmat his verbis: *quæcunque voles nomina propria Deo aptabis, vim aliquam, effectumque cœlestium continentia, tot appellationes ejus esse possunt, quot munera*, & libro secundo naturalium quæstionum capite quadragesimo quincto: *vis illum fatum vocare? non errabis; hic est, ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum: vis illum providentiam? recte dices; est enim cujus consilio huic Mundo providetur, ut inconcussus eat, & actus suos explicet: vis naturam vocare? non peccabis; est enim, ex quo nata omnia, cujus spiritu vivimus; vis Mundum? ipse est enim totum, quod vides, totus suis partibus inditus, & se sustinens vi suâ.* Æschylus [a] tamen propiùs accessit ad veritatem; nam Deum fecit omnia, non solùm, quæ videmus, & quæ cogitatione attingimus; verùm etiam omnia, quæ effugiunt aciem oculorum, & quæ intellectu non compre- 13
henduntur. Sed ut ad commentitium Jovem revertamur, Astrologi omnia ferè, quæ Jovi tribuuntur, ad stellam Jovis pertinere dixerunt, nam quod ajunt poëtæ Saturnum in vincla conjectum a Jove; id sic interpretantur, ut dicant, vinctum Saturnum nihil aliud significare, quàm maleficam Saturnii sideris naturam a felici stellâ Jovis esse coërcitam, & mitigatam; nam Saturni stellam putant vicinitate Jovis temperari; nec tam esse noxiam Mortalibus, quàm alioquìn foret, nisi radiis benefici sideris afflaretur. Quod [b] autem ferunt Jovem Ζῆνα a vitâ nominatum, quam cunctis animantibus impartitur, id spectare ad stellam Jovis contendunt, quam adeo vitalem esse, ut Julius Firmicus audeat affirmare futuros homines immortales, nisi Martis, & Saturni malignitate Jovis benigna vis, & salutaris retunderetur, & utroque in nostram perniciem conspirante sidere vinceretur. Jam honores, regna, dignitates, imperia, omnem denique humanam felicitatem lar- 14
giri Jovem; ideo Reges [c] Homerus a Jove genitos, a Jove [d] nutritos dixit; at stellam Jovis hæc omnia donare, nisi impediatur alicujus maligni sideris, ut Astrologi loquuntur, aspectu, Julius [e] Firmicus asseverat. Ideo [f] Propertius felicem Jovis appellat stellam his verbis

Felicesque Jovis stellas, Martisque rapacis,
Et grave Saturni sidus in omne caput

& [g] Pontanus ex eo datorem bonorum Jovem dici putat, quòd hæc omnia sidus Jovis largiatur; nam ubi dotes enumeravit sideris illius, & bona, quæ illinc proficiscuntur ait: (*norum*

Juppiter inde pater cunctorum, auctorque bo-

Prætermitto multa, quæ dici in eandem sententiam possint; quibus omnibus efficitur, eam stellam, quam Ægyptii [h] Phaëtonta, Δία Græci nuncupant, a naturâ Jovis non esse disjunctam, ut nomen ipsum declarat. Sed Astrologorum ratio plena plerisque videtur ineptissimæ vanitatis; idcirco Astrologorum Jovem plerique repudiarunt, idque nomen aliis omnino rebus tribue-

a Æschylus apud Clementem Alex. libr. 5. Strom. b Plato in Cratylo. c Homer. Iliad. α. & β. & ε. v. 464. d Idem Iliad. β. v. 196. e Jul. Firmic. libr. 5. c. 11. Astronom. f Propert. libr. 4. Eleg. 1. g Pont. de stellis l. 1. de Jove. h Hygin. libr. 4. de Planetis cap. de Jove.

buerunt. Nam præter ea, quæ recensuimus, etiam formam appellatam Jovem, sicut materiem rerum Junonem ex Orpheo [a] Cælius Rhodiginus probat; & divinam providentiam eodem nomine signari nonnullis placet; quemadmodum humanam Promethei appellatione contineri. Quocirca Prometheus [b] adstrictus fingitur vinculis adamantinis, & aquilæ, quæ ejus viscera depascitur, subjectus; nam divina providentia, humanam tam angustis finibus circumscripsit, & coërcuit, ut arctissimis nodis alligata videatur; voluit autem multis esse curis obnoxiam, & sollicitudinibus anxiam, quæ per aquilam tundentem Promethei jecur exprimuntur.

DISSERTATIO LXIX.

In Epigramma Dioscoridis, quod est in libro III. Anthologiæ in Servos

Dissertatio Prima.

Athenienses in Prytaneo Ignem sempiternum custodiebant; inde proverbium: Lucerna in Prytaneo, *quod de re, quæ nunquam deficit, usurpatur; Persæ autem, & Assyrii tanquam Deum colebant; hinc supplices facem tenebant, & nisi impetrassent, se in eam quam projectui os minabantur; his quidem nihil denegabatur, sed tamen plectebantur, quòd habuissent ignis extinguendi voluntatem; hinc etiam Persæ cadavera non concremabant; nam Deo cadaver hominis tradere impium putabant; Ægyptii verò, quum Ignem esse quandam feram opinarentur, non comburebant, quia inhumanum sit dare feris mortuos devorandos.*

Religio Persarum, Auditores, ab aliarum nationum multarum, & præcipuè Græcorum, Romanorumque diversa maximè fuisse narratur; nam quum ceteræ nationes ferè omnes templa Diis dedicarent, Persæ [c] Numinum majestatem parietibus includendam non esse censebant, solumque Mundum divinâ majestate dignum templum arbitrabantur. Idcirco [d] Xerxes, quū
1 Græcos in suam potestatem redacturus in Græciam venisset, Magorum hortatu incendisse Græcorum templa, evertisse aras dicitur, ne homines assuescerent certis in locis, sed ubique præsentes Deos venerari; & quum ceteri Mortales sacra facientes partem victimarum tanquam Deo sacram comburerent; Persæ [e] totas victimas epulabantur, nihil Diis relinquebant, solâ hostiarum animâ contentum esse divinum Numen prædicantes; sed maximè in funeribus Persæ a communi superstitione discrepabant, longeque diverso ritu mortuis justa persolvebant. De hac religione Persarum, rituque, quo defunctos supremis muneribus honorabant, mentionem facit in Anthologiâ Dioscorides epigrammate eleganti, ubi servum inducit in Perside natum nomine Euphratem, in Græciam, vel Romam adductum in servitutem, domino suo præcipientem, quo pacto velit sibi suprema persolvi, non violatâ religione Persarum. Nos autem hodierno die, ut epigrammati lucem afferamus, & quos Persæ Deos adorarent, & qua ratione sepelirent mortuos, exponemus; sed ante Dioscoridis versus proponemus, & Græcum Epigramma Latinis versibus reddemus, Auditores,

Εὐφράτην μὴ καῖε, Φιλώνυμε, μηδὲ μιήνῃς
Πῦρ ἐπ' ἐμοὶ, Πέρσης εἰμὶ, κ̀ ἐκ πατέρων,
Πέρσης αὐθιγενής: ναὶ Δέσποτα, πῦρ δὲ μιῆναι
Ἡμῖν τοῦ χαλεποῦ πικρότερον θανάτου,
Ἀλλὰ περιστείλας με δίδου χθονὶ, μηδ' ἐπὶ νεκρῷ
Λουτρὰ χέῃς, σέβομαι, δέσποτα, κ̀ ποταμούς

Versus autem propositos his Latinis versibus verto

Euphratem flammis ne trade rogalibus, ignem
Ne violes, Persâ sum genitore satus.
Perside natus ego, nobis, here, tristius atrâ
Morte sacros ignes lædere funeribus.
Sed me sic positum terræ committe; lavacra
Neve adhibe; puras & veneramur aquas

Quibus in versibus illud animadvertendum,
Auditorea, a Persis ignem tanquam Deum 2
adoratum; testatur id Sextus Empiricus, qui libro octavo adversùs mathematicos ita loquitur: *Πέρσαι μὲν, εἰ οὕτω τύχοι, θεωφοροῦσι τὸ πῦρ, θεωφοροῦσι δὲ Αἰγύπτιοι τὸ ὕδωρ*: hoc est; *Persæ quidem, exempli causâ, divinitatem tribuunt igni; Ægyptii autem aquæ*, & Clemens Alexandrinus admonitione ad gentes: *Περσῶν δὲ οἱ Μάγοι τὸ πῦρ τετιμήκασι* *Persarum verò Magi ignem coluerunt*; quo in loco & multis Asiæ nationibus, & Sauromatis, & Macedonibus eandem religionem esse confirmat. Quem ignis cultum in quadam Persidis parte adhuc vigere eruditissimus Vossius asseverat, sed antiquitus ea religio maximè colebatur; quapropter [f] Persarum Reges, qui Deorum cultores habebantur, ignis custodiam non insuper habebant; contra Deorum contemptores ignem sacrum negligebant. Quò pertinent versus Phoenicis Colophonii [g] poëtæ, quos libro duo-
decimo citat Athenæus, quibus inter alia 3
probra

[a] Cæl. Rhod. libr. 1. c. 5. [b] Hesiod. in Theogon. [c] Strabo libr. 15. [d] Cic. libr. 2. de Leg. [e] Strabo libr. 15. Eustath. in Iliad. α. [f] Strabo libr. 15. Q. Curtius libr. 4. Socrates libr. 8. hist. eccl. cap. 8. [g] Apud Athen. libr. 12. cap. 7.

probra Nini Regis hoc potissimum recensat, quod nunquam apud Magos ignam excitavit

ΟΎ παρὰ μάγοισι πῦρ ἱερὸν ἀνέζησε,
Ὥσπερ νόμος ῥάβδοισι τȣ͂ θεȣ͂ ψαύων,
ΟΎ μὴ θυήτης, ἐ δικασπόλος κεῖνος

hoc est

Nec excitavit ignem apud Magos sacrum,
Nec, uti jubet lex, attigit Deum virgâ,
Nec sacra fecit ille, jura nec dixit

Quæ licat da Nino Assyriorum Rage pronuncientur, taman & Parsarum Regibos possunt convenire; nam Persæ eadam, qua Assyrii superstitione Magorum utebantur, & Magos habebant [a] sacrorum auctores, & colendi Numinis, & sacrificandi magistros, a quibus, quemadmodum Assyrii ignam divinis honoribus afficiandum assa didicerant. Idcirco non solùm agantes pacam, sad atiam garentes bellum in ipsâ acie ignam
4 alabant sacrum, isque axercitum præcedebat, cujos rei testis est locupletissimus Curtius [b] libro tartio, ubi exarcitus Parsici ad bellum proficiscentis ordinem dascribit, quo loco leguntur hæc verba: *ordo autem agminis talis erat; ignis, quem sacrum, & æternum vocabant, argenteis altaribus præferebatur; Magi proximi patrium carmen canebant.* Quibus in varbis Curtii notandum ignem sacrum Parsas inaxtinctum assarvasse; nam Curtius æternum vocat, eodam modo, quo ignis Vastæ, quam Vastales nunquam axtingui patiebantur, æternus vocabatur: Virgilius [c]

Hæc ait, & manibus vittas, Vestamque potentem,
Æternumque adytis effert penetralibus ignem

& [d] alio in loco

Vos, æterni ignes, & non violabile vestrum
Testor numen ait.....

Eam igitur curam Persæ adhibabant, ut sa-
5 car ignis arderet samper, nac unquam extingueretur; quæ raligio fuit non solùm Parsis, verùm etiam Athaniensibus, apud quos ignis in Prytaneo sempiternus custodiabatur, ex quo originam duxit proverbium λύχνον ἐν πρυτανείῳ *lucerna in Prytaneo*, quod quum rem, quæ nunquam deficit, significare volumus, usurpatur; nam ignis lucernæ, quæ in Prytaneo asservabatur, sacerdotum curâ nunquam deficiebat; oritur eo proverbio Theocritus Idyllio vigesimo secondo. Nec verò solùm Athenis verùm in omnibus urbibus Græciæ & Prytanaum fuit, & ignis perpetuus assarvabatur; quamadmodum doctissimus Casaubonus dacimo quinto libro animadversionum in Athenæum capita decimo nono, allatis axemplis multarum civitatum Græcarum probat. Sed Græci nunquam sacrum ignem extingui patiebantur, apud Persas legisse [e] vidaor extingui solitum, quotiescuuque Rages Parsarum supramum diem explevissent. Quod si non abhorret a varitate, magnum nacesse est morta Regum in Parside luctum, vel ostentationem luctus extitissa, quibus extinctis, ignis ille sacer axtinguebatur. Nam alioquin tantopara horrebant Persæ ignis 6
intaritum, ot sicut Plutarchus libro da primo frigido tradit, id apud Persas haberetur supplicandi ganus, cui nemo unquam Parsarum quidquam danagavit. Sumebat in manus ardentem facam supplax, & preces paragabat, ac ni impatrassat, projecturum in aquam, & axtincturum minabatur. Qui sic hominem obsacrasset nihil non consequebatur; ajus praces repudiare fummum nafas cradabatur, quia Parsæ, horrabant ignis extinctionem, quæ tam violenter accidarat, quàm quum ignis in aquâ margitur; sed qui ita supplicasset, puniabatur, quòd habuisset ignis extinguendi voluntatem. Quum autem Ignam Parsæ, quasi præsantem Daum vanararentur, namo jura miretur, Auditores, si Persæ defuncta corpora non concremabant; nolabant enim divinam Ignis naturam miscera funastis; nam si quidam Sacerdotes attrectare feralia verabantur; multò magis Daum faralibus contaminari, & pollui nefas videbatur. Atque 7
hanc fuisse causam, quòd Parsæ cadavara igni non consumerant historiæ patar [f] Harodotus tastatur his verbis; Πέρσαι γὰρ θεὸν εἶναι νομίζουσι τὸ πῦρ, τὸ ὦν κατακαίειν τὺς νέκρους ὐδαμῶς ἐν νόμῳ ὐδετέροισιν ἐστι, Πέρσαισι μὲν διόπερ εἴρηται, θεῷ ὐ δίκαιον εἶναι λέγουσι νέμειν νεκρὸν ἀνθρώπου. Αἰγυπτίοισι δὲ νενόμισται πῦρ θηρίον εἶναι ἔμψυχον, πᾶν δὲ αὐτὸ κατεσθίειν, τάπερ ἂν λάβῃ, πλησθὲν δὲ αὐτὸ τῆς βορῆς συναποθνήσκειν τῷ κατεσθιομένῳ, ὐκῶν θηρίοισι νόμος ὐδαμῶς σφέας τὸν νεκὺν διδόναι. Ubi summus Auctor rationem reddit, cur tam Ægyptii, quàm Persæ more, institutoque gentium plurimarum igni cadavera non imponant, & ait divarsis da causis utramque nationem idam sequi; Persas, quum ignem Deum axistiment, impium putare axtincta corpora flammis imponere, & Deo cadaver hominis tradara; Ægyptios autem arbitrari ignem esse quandam animantem feram omnia devorantem, quæcunque corripuerit; satiatam varò pastu cum eo, quod davoravit, simul interire; ob eamque causam non asse receptom flammis absumi corpora mortuorum, quum fas, piumque non sit dare feris mortuos devorandos. Ex quo Herodoti loco intelligi potest, cur in epigrammate, quod explicamus, 8
sarvus natione Perses dominum depreca-

 tur

[a] Laërt. in procemio, & Porphyrius da Abst. libr. 4. Apulejus in Apolog. [b] Q. Curt. libr. 3. cap. 3. [c] Virgil. Æneid. libr. 2. [d] Idem Æneid. libr. 2. [e] Diodor. Sicul. libr. 17. [f] Herodotus libr. 3. cap. 16.

tur, ne suum corpus igni comburat; sic enim Deum contaminari; id autem ipsâ morte tristius Persis videri. Et meritò sic inducit Poëta metuentem, ne suo cadavere ignis inquinetur; apud Persas quippe tam nefarium habebatur cadavere ignem incestare, ut auctore Strabone, siquis apud Persas in ignem mortuum injecisset, morte mulctaretur.

DISSERTATIO LXX.

In idem Epigramma.

Dissertatio Secunda.

Maxima est inter Auctores dissensio, an Persæ terræ cadavera mandarent, quum Terram colerent; sed verius est corpora mortuorum cerâ illita sepelisse, ne eorum attactu Terra contaminaretur. Græci, & Romani cadavera abluebant; secus Persæ, quum Aquam, & præcipuè fluvios venerarentur, quibus equos immolabant; sicut etiam Soli.

EXplicabamus hesterno die, Auditores, epigramma Dioscoridis, ubi inducit servum natione Persen morientem, & domino, a quo diligebatur, mandata dantem, ne se Græcorum, Romanorumque, & aliarum gentium ritu impositum rogo, subjecto igne concremaret, sed terrâ conderet; neve suum corpus ablueret; Persarum quippe nationem Aquam, Ignemque venerari, & acerbius ipsâ morte scelus arbitrari, pollure ignem defunctorum corporum attactu; aquam, qua omnia purgantur, feralibus contaminare; verba sunt hæc Epigrammatis, quod nos Latinum fecimus,

Euphratem flammis ne trade rogalibus, ignem
Ne violes; Persâ sum genitore satus,
Perside natus ego; nobis, here, tristius atra est
Morte sacros ignes lædere funeribus;
Sed me compositum terræ committe, lavacra
Neve adhibe; puras & veneramur aquas.

Et superiore quidem sermone quanta ignem Persæ religione colerent, ostendimus, & quàm severâ lege sanciverint, ne quis auderet defuncta corpora rogis imponere, & igne absumere, quò noster Poëta respexit; hodierno die cetera exequemur, quæ ad hos versus illustrandos pertinere videbuntur. Atque illud inprimis animadvertendum est, sicut bene, & eruditè Poëta noster negat, Persis licere mortuos in ignem ponere; ita non admodum rectè significare ei nationi corporum humandorum morem placuisse; nam Persæ corpora non humabant, sed cerâ circumlita domi asservabant ut a [a] Procopio traditur. Et sanè sicut in ignem non coniiciebant cadavera, quia Ignem Deum arbitrabantur, nefas autem existimabant divina miscere funestis; ita verisimile est non condidisse terrâ cadavera, ne Terræ numen funebribus contaminarent; nam Terram non minùs, quàm Ignem venerabantur. Testatur id Diogenes Laërtius, qui sic de Persarum Magis loquitur in proœmio: ἀποφαίνεσθαι δὲ περὶ τῆς οὐσίας θεῶν, καὶ γενέσεως, οὓς καὶ πῦρ εἶναι, καὶ γῆν, καὶ ὕδωρ hoc est: *differere autem de naturâ, & ortu Deorum, quos & ignem esse, & terram, & aquam;* testatur & Strabo, qui libro decimoquincto de religione Persarum ita differit: θύουσι δὲ ἐν ὑψηλῷ τόπῳ, τὸν οὐρανὸν ἡγούμενοι Δία, τιμῶσι δὲ καὶ ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθραν, καὶ Σελήνην, καὶ Ἀφροδίτην, καὶ πῦρ, καὶ γῆν, καὶ ἀνέμους, καὶ ὕδωρ: hoc est: *sacrificant autem in prœalto loco Cœlum existimantes Jovem; colunt & solem, quem appellant Mithram, & Lunam, & Venerem, & Ignem, & Terram, & Ventos, & Aquam;* testatur [b] Herodotus libro primo, qui Persas inter ceteros Deos Terræ sacra facere asseverat. Nihilo tamen secius [c] Poëta noster 2
Strabonis auctoritate defenditur, qui Persas tradit circumlita cerâ cadavera sepelire; sed manifestiùs [d] Herodotus Poëtam nostrum a calumniâ vindicat, qui libro primo sic ait: κατακηρώσαντες δὴ ὦν τὸν νεκὺν Πέρσαι γῇ κρύπτουσι hoc est: *igitur cerâ cadaver illinentes Persæ terrâ condunt.* Quod si cui forte mirum videatur, humo Persas cadavera condidisse; nec horruisse Deam funeribus inquinare, quum aurum, quia mirabantur, & habebant in pretio, mortuis neutiquam adjungerent, ut [e] Strabo luculentissimus auctor memoriæ prodidit; is cogitet, ideirco cerâ induxisse, ne terram attingerent, eaque illo contactu contaminaretur, ipsique susciperent scelus nullâ expiandum victimâ. Non defuerunt tamen
Auctores, qui alios fuisse ritus apud Persas sepulturæ memoriæ proderent; nam Sex- 3
tus Empiricus libro tertio Pyrrhonicarum Hypotheseon scribit, apud Persas condiri nitro, fasciis involui, cruce suspendi mortuos. Magos [f] autem constat alitibus laniandos objecisse, quæ causa fuit, ut nonnulli crederent, ut auctor est [g] Herodotus, Persas non priùs operuisse terrâ defunctos, quàm ex eorum corpore aliquid aves deguſtassent. Alii verò putant Persas, postquam computruit cadaver, carnesque defluxerunt, nudata ossa per campos dispergere, patique sine honore sepulturæ jacere, quod plerique Mortalium horreant. Sed has rationes corporum post mortem componendorum, vel proiiciendorum, ab iis

1 (margin, beside "dum est, sicut bene")

a Procop. de bello Persico. b Herodot. lib. 1. c. 131. c Strab. lib. 15. d Herodot. lib. 1. c. 140. e Strabo ibid. f Strabo ibid. g Herodot. lib. 1.

iis puto excogitatas, quibus non verisimile videbatur, Persas terrâ, quam Deam putabant, cadavera condidisse; nec eandem erga terram, quam erga ignem reverentiam adhibuisse. Ceterùm ego Poëtæ nostri, & ᵃ Strabonis, & Herodoti gravissimorum scriptorum opinionem sequor, & Persas quoque mortuos injectâ humo obruisse existimo; sed iis jam explicatis, Auditores, reliqua persequamur. Vetat servus, quem inducit Poëta loquentem, ablui corpus extin-
4 cti, aquamque pollui, qua cuncta polluta purgantur; quia affirmat se non minùs, quàm Ignem, fluvios colendos esse arbitrari; quo in loco duo sunt animadvertenda; alterum, antequam cadaver humaretur, more Græcorum, Romanorumque diligenter ablui consuevisse, sed non more Persarum; alterum Persas fluvios, & omnem ᵇ aquam divinis honoribus affecisse; ex quibus, quamvis alterum sit pervulgatum, tamen de utroque dicemus; quis enim nescit mos em fuisse mortuos, priusquam humarentur, lavare? quis enim non audivit Euripidis versus in Hecubâ, quibus id apertè ostenditur; sic enim Hecuba Polyxenam sepulcro donatura loquitur

Σὺ δ᾽ ἂν λαβοῦσα τεῦχος, ἀρχαία λάτρι,
Βάψας ἔνεγκε δεῦρο Ποντίας ἁλὸς,
Ὡς παῖδα λουτροῖς τοῖς πανυστάτοις ἐμὴν.
Νύμφην τ᾽ ἄνυμφον, παρθένον τ᾽ ἀπάρθενον
Λούσω......

hoc est:

At tu, vetus ministra, sumens Hydriam
Fer ex propinquo huc hauriens lympham mari,
Natam ut lavacris abluam extremis meam,
Et virginem non virginem, & sine nuptiis
Nuptam.....

Vultis & Latinorum Principem poëtarum vobis hujus afferam testem rei? is libro sexto ubi exequias Miseni describit, ait ᶜ

..... *corpusque lavant frigentis, & ungunt*

sed & ᵈ Ennius dixit

Tarquinii corpus bona femina lavit, & unxit

ideo & apud Virgilium Euryali mater queritur se filii funus non produxisse, nec extinctum ᵉ lavisse

...... *nec te*, inquit, *& tua funera mater*
Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi
Veste tegens......

Quò pertinet historia, quam narrat Ælia-
5 nus libro quarto, qui refert, Dardanos, qui sunt in Illyrio, ter tantùm abluere corpus; quum ex alvo materna prodierunt, & quum nuptias celebraturi sunt, & quum fato concesserunt. Hunc autem morem Euphrates, quem in hoc Epigrammate Poëta noster inducit loquentem, in suo funere vetat usurpari, rationemque reddit eandem, quam reddidit, quum dominum precatus est, ne suum corpus flammis imponeret. Nam sicut ajebat religione impediri, quominùs cremari se pateretur, quòd Ignem veneraretur; ita nunc ait se nolle ablui, ne aquam polluat, quæ præsentissimum Numen Persis videtur. Persæ enim, ut Clemens Alexandrinus admonitione ad gentes testatur, fluvios adorabant *Πέρσαι τὸν ποταμὸν προσεκύνουν*: hoc est: *Persæ fluvium adorabant*. Victimam verò Persæ fluviis equum immolabant; sic ᶠ Herodotus Xer- 6
xem, quum ad Strymonem fluvium pervenisset, albos equos ei sacrificasse: sic apud Cornelium ᵍ Tacitum Tiridates Euphratem trajecturus, ut acciperet a Parthis vocantibus regnum, equo rem divinam flumini facit. Quapropter constat eadem hostiâ & fluvios placasse, & Solem, nam etiam Soli equum ʰ Persæ mactabant; ⁱ Ovidius:

Placat equo Perses radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo

Credo, quia tam Solis, quàm fluviorum est indefessa natura, & cursus nunquam intermissus; utrisque igitur equi videntur convenire, qui propemodum nunquam in cur-
su defatigantur. Nec mirum videri debet 7
tam horrere Aquæ numen Euphratem, ut antequam moriatur, extremis precibus a domino petat, ne suo corpore aqua attingatur. Nam Persæ nec sordes ullas, nec cadaver in flumen conjici patiebantur, ut constat ex verbis hisce ˡ Strabonis, qui sic ait: *εἰς δὲ ποταμὸν οὐδὲ οὐρῶσιν, οὐδὲ νίπτονται Πέρσαι, οὐδὲ λούονται, οὐ νεκρὸν ἐκβάλλουσιν, οὔτ᾽ ἄλλα τῶν δοκούντων εἶναι μυσαρῶν* quæ verba sic vertuntur: *in fluvium neque immejunt, neque abluuntur Persæ, neque lavantur; neque cadaver ejiciunt, neque alia, quæ videntur esse sordida, & aspernanda*. Hæc eadem & vetustissimus auctor scribit ᵐ Herodotus libro primo, ubi licet omnem aquam coli a Persis asseveret, tamen fluvios præcipuis honoribus affici confirmat; sic enim ait *σέβονται δὲ τοὺς ποταμοὺς μάλιστα πάντων* *Maximè verò omnium fluvios venerantur*.

DIS-

ᵃ Strabo l. 15. & Herodot. l. 1.. ᵇ Arnob. libr. 6. Clem. Alexandr. in Protr. ᶜ Virg. Æneid. libr. 6. ᵈ Ennius libr. 3. Ann. apud Servium in 6. Æneid. Virg. ᵉ Virgil. Æneid. libr. 9. ᶠ Herodot. libr. 1. ᵍ Cornel. Tacit. libr. 6. Annal. ʰ Justin. libr. 1. Xenoph. Instit. Cyri l. 8. ⁱ Ovid. libr. 1. Fast. ˡ Strab. libr. 15. ᵐ Herod. libr. 1. cap. 138.

DISSERTATIO LXXI.

In idem Epigramma.

Dissertatio Tertia.

Philosophorum alii Aquam, alii Ignem, alii Terram, & Ignem rerum primordia censuerunt; nequaquam verò Deos hæc esse existimarunt, ut falsò affirmat Clemens Alexandrinus. Persæ autem Stoicos sequuti Mundum esse Deum sunt opinati, & Jovem; Aquam verò, Ignem, ac Terram, tanquam Mundi partes coluerunt; adorabant etiam Aërem, quum Ventum coluisse constet, qui nihil aliud est, quàm aër fluens in unam partem; *necnon Cœlum, Lunam, & Solem, quem Mithram nuncupabant; licet Herodotus Mithramesse Venerem asseveret.*

EX Epigrammate, quod nuperrimè suscepimus exponendum, cognovimus, Auditores, Persas [a] Ignem, & Aquam, & præcipuè fluvialem divinis honoribus affecisse; ex quo possunt videri hæc duo tanquam rerum principia coluisse; nsm & Aqua, & Ignis habiti sunt rerum primordia. Thales [b] enim Milesius, & Ægyptii Aquam; Ignem
1 Heraclitus, & Hippasus Metapontinus rerum initia statuerunt; Parmenides [c] Eleates autem Igni adjunxit Terrsm, & his duobus omnia constare est arbitratus; quos nescio, cur Clemens [d] Alexandrinus affirmet, pro Deo habuisse elementa, quæ rerum materiam, non Deum esse putaverunt; quum, ut de aliis interim taceam, Thaletem Milesium [e] constet materiam Aquam esse, causam effectricem mentem esse censuisse; quod & Beato Justino Martyri obiici potest. Nonnullæ tamen nationes mteriam divinis honoribus consecrarunt, in [f] quibus Ægyptii fuerunt, qui quum humidam nsturam esse rerum primordium crederent, eandem sub Osiridis nomine attonito pene cultu adorabsnt; eodem modo & Persæ possunt, quia Ignem, & Aquam initia, ex quibus omnia efficiuntur, sint opinati, Ignem, & Aquam coluisse. Ego tamen, Auditores,
2 arbitror Persas, Aquam, & Ignem non tanquam principia, sed tanquam Mundi partes esse veneratos; nam Persas nihil aliud esse Deum, quàm Mundum putasse existimo, quod hodierno die demonstrabo; sic quæ initio me sum pollicitus esse dicturum de religione Persarum repræsentabo. Fuit autem vetus hæc [g] opinio, & latè pervagata hoc opus pulcherrimum Artificis divini naturâ sentiente teneri, & esse divinum, & summum Deum, qui profectò stultissimè opus consecrarunt, Opificem neglexerunt; Regism suspexerunt, Regem ignorarunt, nec perspicere cupierunt. Hanc sententiam sequutus est Orpheus, & complexus versibus, quos libro secundo *προπαρασκευῆς*, citat Eusebius Pamphili, quos, quia multi sunt, recitare supersedeo; præsertim quum ex his paucis, quos in medium afferemus, intelligi possit, quid sibi vetustissimus Poeta voluerit; sic enim loquitur

Πάντα γὰρ ἐν μεγάλῳ Ζηνὸς τάδε σώματι κεῖται,
Πῦρ, καὶ ὕδωρ, καὶ γαῖα, καὶ Αἰθὴρ, νύξτε, καὶ ἦμαρ.
Τῦ δή τοι κεφαλὴν μὲν ἰδεῖν, καὶ καλὰ πρόσωπα.
ΟΥ'ρανὸς αἰγλήεις, ὃν χρυσέαι ἀμφὶς ἔθειραι
Α'στρῶν μαρμαρέων περικαλλέες ἠερέθονται

quę carmina sic Latinis versibus exponuntur

Quippe jacent magni Jovis hæc in corpore cuncta,
Ignis, & unda fluens, tellusque, & maximus Æther,
Noxque, diesque simul: caput, & frons pulchra Tonantis
Lumine purpureo Cœlum est, quod lucida circum
Cæsaries pendet stellarum vertice summo

Ut autem ostendat corpus hoc non esse inanimum, non mentis, & rationis expers, affirmat hujus mentem regiam, & falli, mentirique nesciam esse Ætherem, non obnoxium corruptioni, & immortalem

Νῦς δέ γε ἀψευδὴς βασιλήϊος ἄφθιτος Αἰθήρ.

Quem locum Porphyrius explicans ait, Jovem esse Mundum universum, animantem 3
ex animantibus, & Deum ex Deis; deterius autem Strato is, qui Physicus est appellatus, qui Mundum facit Deum; sed spoliat sensu, spoliat ratione, spoliat intelligentiâ; sicut [h] Cicero de naturâ Deorum testatur, qui de Strstone sic loquitur: *nec audiendus ejus auditor Strato is, qui Physicus appellatur, qui omnem vim divinam in naturâ sitam esse censet, quæ causas gignendi, augendi, minuendique habeat, sed careat omni sensu, & figurâ;* ad quam opinionem Justus [i] Lipsius putat [l] Manilium respexisse, quum dixit

Aut neque terra patrem novit, nec flamma, nec aër,
Aut humor, faciuntque Deum per singula membra,
Et Mundi struxere globum, probibentque requiri

Ultra

[a] Sidon. Apollin. Panegyr. Leon. [b] Laërt. in Thalete, & Heraclito. Galenus in philosoph. histor. [c] Laërt. in Vitâ Parmenidis libr. 9. segm. 21. & Simplicius comment. in libr. 1. Physic. [d] Clem. Alexandrin. in Protrept. [e] Cicer. de Nat. Deor. libr. 1. [f] Plutarch. de Iside, & Osiride. [g] Manil. libr. 1. Lactant. Firmian. de Orig. Error. libr. 2. cap. 6. [h] Cic. de Nat. Deor. libr. 1. [i] Justus Lipsius in Physiolog. Stoic. l. 1, dissert. 8. [l] Manilius libr. 1. cap. 1.

Ultra se quidquam.....
Scaliger autem verba Manilii refert ad vetustissimorum Theologorum opinionem,
qui partes, & membra Dei elementa faciebant. Sed & [a] Stoici Mundum Deum, &
4 quidem summum arbitrantur; siquidem apud Diogenem Laërtium τὴν ὐσίαν τῦ θεῦ
esse Mundum Stoici confirmant; & [b] Seneca sic loquitur: *totum hoc, quo continemur, & unum est, & Deus est; socii ejus, &
membra sumus*, & apud [c] Eusebium Dydimus: οἱ Στωϊκοὶ δὲ, inquit, ὅλον τὸν κόσμον σὺν
τοῖς μέρεσιν αὐτῦ προσαγορέυυσι θεὸν: *Stoici Mundum cum partibus ejus appellant Deum*. Nec
Aristoteles altiùs quidquam excogitavit, quē Eusebius Pamphili reprehendit, quod quum
Mundum Deum esse censuerit, partem sub Lunâ nullâ ratione ferri, nullâ providentiâ dixerit gubernari, ex quo partem Dei
esse mentis, & rationis expertem consequatur. Hanc igitur sententiam & vetu-
5 stissimam, & tantorum philosophorum consensu comprobatam minimè mirum est amplexos esse Persas, ut jam ostendemus. Mundum esse compagem è Cœlo, terraque, &
ex iis, quæ continentur, naturis, præclarus in primis auctor libro de Mundo Aristoteles docet; sive alius philosophus, qui
illud opus Alexandro Magno inscripsit; hæc autem omnia religio Persarum adorabat. Adorabat Cœlum; nam Jovem, quem præcipuâ religione venerabatur, ut auctor [d] est
Herodotus, nihil aliud esse, quàm Cœlum existimabat: adorabat Terram, ut Diogenes Laërtius testatur Proœmio totius operis de vitis Philosophorum: adorabat Aquam, ut jam ostendimus, & præcipuè fluvialem; quia id aquarum genus vivum quodammodo videtur, quum semper sua sponte moveatur; ideo [e] Virgilius ait:

...... donec me flumine vivo
Abluero......

Et [f] Livius: *quid jam tu, hospes, paras, inquit, inceste sacrificium Dianæ facere? quin tu ante vivo perfunderis flumine? infimâ valle præfluit*
6 *Tiberis*: adorabat & aërem, quum ventos coluisse constet ex [g] Herodoto, & [h] Strabone; siquidem ventus nihil aliud est, quàm
aër fluens. Quapropter [i] Seneca libro quinto naturalium quæstionum sic ait: *ventus est aër fluens in unam partem*, & Vitruvius
libro primo capite sexto: *ventus est aëris fluens unda cum incertâ motus redundantiâ*: ex quo animadverti potest Persas, ut aquam
fluentem maximè coluerunt; ita & aërem fluentem coluisse. Quod si cui sententia Stoicorum non arridet, is tamen non inficias ibit ad aërem ventum pertinere; quapropter Ægyptii, qui singula elementa in
bina, marem, & feminam dividebant; Aërem, qua Ventus est, marem, qua nebulosus, & iners, feminam judicabant. Ado- 7
rabant & stellas, non solùm quum Cœlum tanquam summum, & supremum numen venerabantur; sed etiam quum earum principem Solem, in quo, ut doctissimis viris placuisse video, omnium siderum virtutes,
potestatesque cernuntur, divinis honoribus afficiebant; & quum Lunæ, quæ ad Solis dignitatem videtur proximè accedere, nobis familiarissimum sidus, & in tenebrarum
remedium a naturâ repertum, sacra faciebant; de quo cultu Solis, & Lunæ [l] Herodotus, & Strabo mentionem facit; ad
quem spectat id etiam, quod [m] Curtius tradit, imaginem Solis crystallo inclusam supra tabernaculum Magni Regis semper solitam collocari, semper in exercitu Solis e-
quum eximiæ magnitudinis duci, qui Jovis currum sequebatur. Solem verò Mi- 8
thram Persæ nuncupabant, quemadmodum Strabo [n] libro decimoquincto memoriæ prodidit, & Hesychius, qui in voce Mithres ait: Μίθρης ὁ ἥλιος παρὰ Πέρσαις hoc est:
Mithres dicitur Sol apud Persas; & Μίθρης ὁ πρῶτος ἐν Πέρσαις θεὸς hoc est: *Mithres princeps apud Persas Deus*: ubi licet animadvertere Solem summum Deum Persis fuisse.
Sed & Plutarchus in Vitâ Alexandri Macedonia indicat Mithram Solem Persis esse; nam ibi Darius cubiculi custodem obsecrans
Mithram magnam lucem vocat: Εἰπέ μοι, inquit, σεβόμενος μιθρῦτε μέγα φῶς, ϗ δεξιὰν βασίλειον hoc est: *dic mihi verens & Mithræ magnam lucem, & dexteram regiam*, & Nonnus
Dionysiacorum libro quadragesimo, qui de Sole sic loquitur:

Εἰ χρόνος, εἰ Φαέθων, πολυώνυμος, εἴτε συ Μίθρης
Ἠέλιος Βαβύλωνος, ἐν Ἑλλάδι Δελφὸς Ἀπόλλων

hoc est:

Si tempus, Phaëthon, si multi nominis es tu,
Si Mithres Sol Assyriis, Graiis & magnus
Apollo
Delphicus, & certus responsa petentibus auctor

Quod idcirco pluribus Auctorum locis confirmavi, quia summus historiæ scriptor [o] Herodotus Mithram esse Venerem libro primo 9
asseverat, cujus religionem Persæ ab Assyriis acceperunt, nisi forte Mithres cum aspiratione diversus est a Mitrâ sine aspiratione. Atque id est aliud Numen, in quo
Persæ videntur adorasse naturas, quibus Mundi natura completur; nam [p] Venus in animo

---

a Diogen. Laërt. in Zenon. libr. 7. segm. 137. *b* Seneca in Epistolis. *c* Didym. apud Euseb. libr. 15. de præparat. Evangel. & Origines contra Cels. libr. 5. *d* Herodot. libr. 1. cap. 131. *e* Virgil. Æneid. libr. 2. *f* Tit. Livius libr. 1. *g* Herodot. libr. 1. cap. 131. *h* Strab. libr. 15. *i* Senec. Nat. quæst. libr. 5. cap. 1. in princ. *l* Herod. libr. 1. c. 131. & Strab. l. 15. *m* Q. Curt. l. 3. c. 3. *n* Strab. l. 15. & Q Curt. libr. 3. Just. l. 1. c. 10. *o* Herod. libr. 1, c. 131. *p* Cæl. Rhodig. libr. 23. cap. 3.

mo Universi est illa vis, qua animus ad generandum incitatur, unde tanta, ac tam mirabilis existit rerum cum inanimarum, cum animatarum varietas, ac multitudo. Ex quibus Persas constat omnes Mundi partes adorasse; & quia in Mundo alia sunt, quæ boni, alia, quæ mali vim ª videntur obtinere, Horomazen tanquam principium boni, & Arimanium tanquam principium mali adorabant. Sed hactenus ostendimus Persas Mundum, qua inanimus est, esse veneratos; nunc & animum Mundi divinis honoribus prosequutos ostendemus.

DISSERTATIO LXXII.

In idem Epigramma.

Dissertatio Quarta.

Deos Græci θεοὺς a currendo appellarunt. Maximus Tyrius existimat Persas Ignem coluisse, tanquam Solis, & stellarum simulacrum; sed multis argumentis probatur ipsum Ignem adorasse, ut Lucianus tradit; quum existimarent Mundum esse animatum, & Ignem illius animam; sicut plerique philosophi animum igneum esse censuerunt. Ignis omnibus rebus inest; nam in Cœlo, & in Aëre, Terraque, & in ipsis Aquis reperitur.

EUsebius Pamphili libro proparasceves tradit vetustissimos homines, in primisque Phœnices, quum Cœlum suspexissent signis fulgentibus mirâ varietate distinctum, & illuminatum; quum eorum pulchritudinem,
1 constantiam, incredibilem celeritatem, & utilitatem, quam humano generi afferunt, essent contemplati, in eam adductos esse opinionem, ut Deos esse crederent Solem, & Lunam, & ceteros Ignes, eorumque numen eximiâ religione venerarentur; itaque a cultu Conditoris, quem non videbant, ad colenda ejus opera, quæ spectabant, & admirabantur, defluxisse. Quam sententiam Plato in Cratylo comprobavit, qui Veteres putat, quia solos Deos esse ducerent Solem, & Lunam, & Sidera, eaque semper currentia cernerent θεὺς ἀπὸ τῦ θέειν appellasse. Ea autem religio processit longiùs, Auditores, & non solùm Cœlum, & Stellas; verùm etiam elementa, omnesque Mundi partes, ipsumque Mundum Deos existimarunt, & divinis honoribus coluerunt, quod ut facerent eadem adducti sunt ratione; nam sicut illa superiora propter incredibilem pulchritudinem, & speciem, & magnitudinem, & ordinem, & utilitatem; ita & hæc inferiora propter easdem causas sunt venerati. Nam quum eorum Artifex sit divinus, in ipsis quoque cernitur non leviter adumbratum, sed altè impressum vestigium quoddam divinitatis, quod homines veritatis ignaros decepit, fefellit, induxit. Hanc autem religionem fuisse Persarum Gentis a contemplatione rerum non alienæ superiore dissertatione diximus, Auditores, ipsosque Mundum per partes esse veneratos; utrum autem Mundum animantem sint opinati, an animi, & rationis expertem, & rebus inanimis, an animâ, & intelligentiâ præditis divinitatem tribuerint, quærendum esse visum est. Ac mihi
quidem rem diligentiùs perpendenti videntur & animantem Mundum credidisse, &, 2
ut animâ, & ratione præditum adorasse; nam in Igne nihil aliud, quàm animum Mundi ipsos crediderim coluisse. Non me præterit nonnullos existimasse Persas Igni divinos honores tribuisse, tanquam simulacro cuidam Solis, & Stellarum, nec Ignem esse divinum putasse; sed similem divinorum, in qua sententiâ Maximus Tyrius fuit, qui trigesimaoctavâ dissertatione sic ait: τὸ βαρβαρικὸν ὁμοίως ἅπαντες συνετοὶ τῦ θεῦ, καθεστήσαντο δὲ αὐτοῖς σημεῖα ἄλλοι ἄλλα: Πέρσαι μὲν πῦρ ἄγαλμα ἐφήμερον, ἀκόρεστον, ἀδδήφαγον. Quæ verba sic latino sermone redduntur: *Barbari omnes similiter Deum esse intelligunt, constituerunt autem sibi signa alii alia; Persæ quidem Ignem simulacrum, quod in diem durat, & est vorax, & insatiabile*. Id voluit Maximus Tyrius a Persis Ignem coli tanquam imaginem Solis, quem initio solum fuisse Persarum Deum ᵇ Justinus autumat. Sed
mihi magis arridet Luciani sententia, qui 3
in Jove Tragœdo tradit Persas πυρὶ θύειν *Persas ipsi Igni rem divinam facere*; quia nimirum, quemadmodum Julius Firmicus libro primo de errore profanarum religionum testatur, Ignem omnibus elementis anteponebant. Nam si ignem tanquam Solis imaginem adorabant, cur in castris & ignem, & imaginem Solis, ut ᶜ Curtius refert, crystallo inclusam habebant, cur ᵈ ignis, quem ipsi sacrum, & æternum vocabant, exercitum proficiscentem præcedebat, cur ᵉ Solis equus currum Jovis sequebatur? cur alio cultu Solem, alio Ignem afficiebant? Quare verò propiùs existimem propterea Ignem coluisse, quia hoc elemento animari Mundum sint opinati, hoc principale naturæ regimen, hoc Universi mentem esse cen-

ª Plutarch. de Iside, & Osiride. ᵇ Justin. Histor. libr. 1. ᶜ Q. Curtius libr. 3. cap. 3. ᵈ Q. Curt. ibid. ᵉ Justin. libr. 1. Histor. & Q. Curt. ibid.

censuerint. Idcirco quum rem divinam faciebant, Ignem primum invocabant, & ab Ignis cultu, ut [a] Straboni credi convenit, omnia sacrificia inchoabant. Quum anima, sicut [b] Plato docet, antiquior corpore habeatur, Ignis autem ipsis animus esse Mundi videretur, non prius ulli Deo, quàm Igni honorem adhibendum putaverunt.
Nec mirum videri debet animi naturam ex
4 igne constare Persas censuisse; nam [c] & philosophi Græci animum igneum esse crediderunt; Zeno [d] quippe Stoicæ sectæ conditor, rerumque naturæ non futilis contemplator, animum nihil aliud esse, quàm ignem voluit; nec ex aliâ mente, quàm Stoicorum [e] Cicero dixit: *hisque animus datus e sempiternis illis ignibus, quæ sidera, & stellas vocatis*; nimirum eo in loco Cicero voluit animum esse Ignem; sed non hunc, quo utimur; verùm illum cœlestem, quo æterni ignes siderum constant; nec Varro, cujus hæc verba citat Isidorus: *Varro ignem Mundi animum dicit, proinde quòd in Mundo animus omnia gubernet, sicut ignis in nobis*; nec aliò spectat oratio Balbi apud [f] Ciceronem, qui ex eo, quod calor per omnia diffundatur, animantem esse Mundum, & intelligentem probat; nec aliud sibi voluit apud Plutarchum [g] Cleanthes, qui omnes Deos præter Ignem esse mortales asseverat. Nam quum [h] Stoicis auctoribus Universum sit conflagraturum, solus Ignis est superfuturus; hoc est animus Mundi, a quo moles hæc formetur rursus, & reficiatur. Sed nec [i] Heraclides Ponticus, qui lucem; nec
5 Heraclitus Physicus, qui scintillam è stellarum naturâ decerptam animum credidit, ab igne admodum diversum animum judicavit; ac multò [l] minùs Hipparchus, qui animum nihil aliud esse, quàm Ignem disertè pronunciavit. Prætermitto ceteros, qui animum ex igne, aliaque naturâ mixtum, conflatumque esse voluerunt; Parmenidem [m], qui ex Igne, & Terrâ; Boëthum, qui ex Igne, & Aëre: mitto magnum Hippocratem, qui id, quod calidum appellamus, immortale, & æternum esse, & intelligens, & providum, & præscium futurorum affirmavit; ex quibus constat multis, iisdemque sapientissimis viris placuisse animum vel Ignem, vel Igni cognatum esse quiddam, atque conjunctum. Et sanè ar-
6 gumenta non desunt, quibus hæc opinio verisimilis videatur; sicut enim ubique præsens est animus in corpore; ita nulla pars Universi caloris expers omnino reperitur; & quemadmodum in animante nulla pars est, quæ animâ careat, quæ non eâ fovente vigeat, nutriatur, & crescat; ita nihil est in Mundo, quod non calore vegetum reddatur, vivat, conservetur, augeatur. Nam & in Cœlo nemo audeat negare calorem esse, ubi tantam vim lucis cernimus, unde calor tam immenso intervallo in hæc inferiora diffunditur, & propagatur, quæ æternâ glacie astricta torpescerent, nisi igne cœlesti tepefacta foverentur; & in aëre magnam ignis copiam inveniri, omnes fateantur, qui Solis radiis pervius eorum luce incalescit, qui nisi multas particulas ignis contineret, tolerabilis non esset animantibus, quæ immenso frigore exanimatæ interirent; & in aquâ, quæ videtur inimica Igni, ignis viget, unde vitam accipiunt tot genera piscium, tam innumerabilis multitudo belluarum, quibus adeo refertum est mare, ut nulla pars naturæ fecundior esse videatur; & tamen aqua calore prorsus destituta, non modò animantibus non esset apta procreandis; verùm etiam ad fluendum inepta, & suam speciem, formamque conservandam; quod maximis frigoribus cernimus, quibus aqua concrescit in speciem perspicui, solidique marmoris. Jam in terrâ quanta vis cernitur interni, quanta extrinsecus accedentis 7
caloris! declarant id plantæ, quæ sinu matris foventur, aluntur, & educantur; nec ulla est tam frigida tempestas, qua nihil a terrâ parente generetur, nihil nutriatur: declarant metalla, quæ in ipsis prope terræ visceribus, & in manium sede procreantur: declarant ignium tot locis existentium miracula: declarant fontium calidorum ex imo erumpentium scaturigines. Theophrastus ingenti terræmotu vim aquarum erupisse, & in iis pisces conspectos esse tradit; ex quo intelligi potuit, & in ipsis terræ latebris, intimisque recessibus esse calorem, qui sufficiat animantibus procreandis, & conservandis, vitæque impertiendæ, & sustentandæ. Nec verò ulla pars naturæ vacare igni 8
potest, qui si tollatur ex Universo, tolletur ille altissimus circumfusus Æther: tollentur illi stellarum undique collucentes oculi, torpebunt ignavo Mundo elementa; non aquis irrigabitur tellus, non imbribus fecundabitur solum, non fluctuabit mare, non terra quidquam procreabit; omnia densissimis tenebris, & profundâ, & ineluctabili caligine obsidebuntur; nihil movebitur, aut fluet, aut agitabitur. Non igitur nullâ ratione adducti Ignem animum esse Mundi quidam putaverunt; nam sicut

a Strabo libr. 15. *b* Plato in Phædone. *c* Macrob. in Somn. Scip. libr. 1. c. 14. *d* Diog. Laërt. l. 7. segm. 157. in Vitâ Zen. & Plutarch. de Plac. Philosoph. libr. 4. c. 3. *e* Cic. in Somn. Scip. *f* Cic. de Nat. Deor. libr. 2. *g* Plutarch. Adversùs Stoicos. *h* Plutarch. de Oraculorum Defectu. Jul. Firmic. libr. 3. cap. 1. Astronom. & Senec. natur. quæst. l. 3. cap. 29. & Consol. ad Marc. cap. ult. *i* Macrob. in Somn. Scip. libr. 1. cap. 14. *l* Macrob. ibid. *m* Macrob. ibid.

animâ abeunte relinquitur corpus frigidum, brutum, immotum, lucis expers, ineptum ad generandum; sic Igne sublato relinquitur Mundus frigidus, immotus, torpens, infecundus, ignavus, tenebricosus, deformis, nihilque sine Igne fuerit natura, si modò erit ulla natura, quàm naturæ ipsius quoddam cadaver. Quemadmodum enim hieme, refrigerato paulum calore, consequitur Mundi quædam senectus; ita prorsus extincto, interitus rerum consequatur necesse est; hanc autem sententiam sequuti Persæ Ignem tanquam animam Mundi adorarunt. Quo probè constituto liquet Deum Persarum fuisse Mundum, qui constat è Cœlo, terraque, & ex naturis, & insuper animâ intelligente, ut [a] philosophis placuit, movetur, & gubernatur. Quæ omnia Persæ, ut jam ostendimus, coluerunt; Cœlum, Solem, Stellas, Terram, Aquam, Aërem, & naturas, quæcunque in Universo procreantur; & in Igne animum, quo præditam hanc molem motu cieri interiore, & suo, philosophorum præstantissimi crediderunt.

DISSERTATIO LXXIII.

In Epigramma Antipatri, quod est in Libro tertio Anthologiæ in poëtas de Orpheo celeberrimo Vate.

Dissertatio Prima.

Multis in locis montes extant Olympi nomine appellati, sed in Thraciâ nullus hujusmodi reperitur. Thracia antiquitus latiùs patebat; nam ad Phocidem usque protendebatur; immo Thraces ipsam Atticam occuparant. Plerique poëtæ Orpheum Calliopes filium faciunt; alii tamen Polyhymniæ, alii Clius filium tradunt; patrem pariter illius alii Oeagrum, alii Apollinem perhibent. Duos Orpheos fuisse tradit Herodotus; Aristoteles nullum extitisse affirmat, & carmina esse cujusdam Cercopis Pythagorici.

NEmo ferè ex omnibus priscis poëtis tantam carminum gloriam est consequutus, quantam sibi Orpheus comparavit; siquidem [b] ferunt tantâ dulcedine cantus præstitisse, ut non solùm homines deliniret, & omnium aliarum voluptatum immemores, & attonitos detineret; sed etiam mutas animantes, etiam belluas immanes, & feroces insitæ a naturâ feritatis oblitas, Lyræ, & vocis, & carminum suavitate demulceret, sisteret ventos, fluminum cursus refrenaret, rupes, & silvas moveret, & universæ rerum naturæ imperaret. Quin etiam proditum [c] est ad Inferos vivum descendisse, quò conjugem suam Eurydicen immaturâ morte præreptam ad lucem revocaret, & quum manes, ipsasque furias, Regemque implacabilem Inferorum voce flexisset, & immisericordis, & inexorabilis Dei misericordiam commovisset, & ut Eurydicen uxorem suam ad vitam reduceret, impetrasset eâ tamen lege, ne respiceret, antequam ad Superos pervenisset; qua violatâ uxorem, quam divinitate carminum receperat, intemperantiâ amoris amisisse. Hujus extincti Lyram a Diis in Cœlum sublatam, inter sidera collucere; hujus in sepulcro post tot sæcula vivere spiritum quendam, quo animantes, quibus natura dulcedinem cantus dedit, ad modulandam suavius vocem excitentur. Quapropter Pausanias [d] refert Thraces affirmare luscinias, quæ super Orphei sepulcrum nidos construxerunt, & incubarunt, admirabili jucunditate vocis excellere, nec esse cum ceteris comparandas. De hujus Orphei sepulcro in libro tertio Anthologiæ præclarum extat Epigramma, quod conditum ab Antipatro est; id autem hodierno die suscepimus exponendum; sed ipsum carmen prius proponamus

Ὀρφέα Θρηικίῃσι παρὰ προμολῇσιν Ὀλύμπου
    Τύμβος ἔχει Μούσης υἱέα Καλλιόπης,
Ὧι δρύες οὐκ ἀπίθησαν: ὅτῳ συνάμ' ἕσπετο πέτρη
    Ἄψυχος, θηρῶν θ' ὑλονόμων ἀγέλη:
Ὅς ποτε καὶ τελετὰς μυστηρίδας εὕρετο Βάκχου,
    Καὶ στίχον ἡρώῳ ζευκτὸν ἔτευξε ποδί,
Ὃς καὶ ἀμειλίκτοιο βαρὺ Κλυμένοιο νόημα,
    Καὶ τὸν ἀκήλητον θυμὸν ἔθελξε λύρῃ

Quod ita nos latinis versibus reddimus

Orphea Threiicii tumulatum in vertice Olympi
    Terra tegit prolem, Calliopea, tuam;
Quem duri lapides, quem sunt nemora alta sequuta,
    Et quæ sævitiam deposuere feræ,
Ostendit primus qui mystica sacra Lyæi,
    Primus & heroo jungere verba pede;
Qui mentem implacidi placavit carmine Ditis,
    Et flexit blandâ pectus agreste lyrâ

Et quoniam ejusdem argumenti Epigramma [e] nuper ludentes convertimus, operæpretium fuerit hoc etiam proponere

Non rigidas quercus dulcedine carminis, Orpheu,

Dura-

---

[a] Cicer. de Natur. Deor. libr. 2. & Macrob. libr. 1. in Somn. Scipion. cap. 17. [b] Apoll. libr. 1. Argonaut. [c] Virg. Georg. libr. 4. & Ovid. libr. 3. Metamorph. [d] Pauf. in Bœotic. sive libr. 9. [e] Antipatri libr. 3. Anthol. epigr. 8. in poëtas.

Duraque saxa trabes, horribilesque feras:
Non fremitum sisles ventorum, atraeque ruinas
Grandinis, & nimbos, horrisonumque Salum;
Quippe jaces; doctae extinctum flevere sorores,
Funere Calliope sed magis ista tuo est.
Quid raptos querimur natos? depellere Divi
Pignoribus pestem non valuere suis

Sed ut ad superius epigramma revertamur, sepultū Orpheum Poëta confirmat in Olym-
2 po monte Thraciae; sed Pausanias eruditissimus, elegantissimusque scriptor Boeoticis affirmat in Macedoniâ esse regionem sub monte Pieriam, urbemque Dium, a qua viginti stadia montem versus procedenti occurrere Orphei monumentum, & nihil aliud esse, quàm columellam hydriâ superimpositâ, ubi Orphei ossa dicebantur asservari. Ex eâ regione fluebat Helicon fluvius Graecorum fabulis inclytus, qui ubi septuaginta stadia processit, absorbetur hiatu terrae, & quum conditus terrâ viginti duorum stadiorum spatiū peragrarit, rursus erumpit, & mutato nomine Baphyras appellatus navigiorum capax infunditur mari. Terram [a] autem subire Helicon eâ causâ dicitur, quòd mulieres, quae Orpheum trucidarunt, fuerit aversatus; nam quum ex caede perpetratâ, ad flumen pergerent, ut se aquâ vivâ perfunderent, stillantemque cruorem abluerent, fama est fluentum diducto solo terram subisse, ne manibus impiis attingeretur, & nefando contaminaretur attactu; neque tamen initio in regione Pieriâ fuisse condita Orphei ossa, sed in Olympo monte, quà pertinet ad Macedoniam. Nam hujus montis alterum latus Thessaliam claudit, alterum a meridie Macedoniam terminat (ideo Stephanus Olympum Macedoniae [b] montem est tradit) fuisse autem in eo monte Libethram urbem, nec ab ea longè situm fuisse Orphei sepulcrum. Quum [c] autem ea urbs ingenti diluvie fluminis, quod Sus nuncupatur, funditus esset eversa, & deleta, ossa Orphei in Pieriam fuisse translata. Ex quibus constat Orpheum non in Thraciâ sepultum, ut Poë-
3 ta noster non dubitavit affirmare, sed in Macedoniâ; & sanè in Thraciâ nullus mons Olympus reperitur. Est, ut Plinius [d] tradit, in Hellesponto prope oppida, Placiam, Aricum, & Scylacen: est [e] in Bithyniâ Olympus, ad cujus radices Prusa sita est ab Hannibale condita: est & in [f] Lyciâ, ubi crocus gignebatur secundùm Corycium laudatissimus: est & in Lesbo, ut Plinius libro quincto capite trigesimo primo testatur: est & in regione Pisatide, ut constat ex loco Strabonis libro octavo, ubi leguntur haec verba: τὴν δὲ πόλιν ἱδρυμένην ἐφ' ὕψους δεικνύουσι μεταξὺ δυοῖν ὀροῖν Ὄσσης, καὶ Ὀλύμπου ὁμωνύμων τοῖς ἐν Θεσσαλίᾳ quae verba sic verti possunt: *urbem autem in excelso loco positam ostendunt inter duos montes Olympum, & Ossam, qui sunt cognomines iis, qui sunt in Thessaliâ:* est & in [g] Mysiâ mons, qui Olympus appellatur, quem tamen eundem arbitror ei, quem Plinius in Hellesponto collocat; & in Cypro [h] mons erat, cujus vertex Olympus vocabatur, in quo fuit Veneris Acraeae templum, quod a feminis nec adiri, nec aspici fas erat: videtur & in Phrygiâ esse; siquidem est Idae pars; Casaubonus [i] tamen in Strabonem quatuor Olympos montes dumtaxat agnoscit; sed in Thraciâ nullus Olympus mons memoratur. Quid ergo, num Antipater est reprehendendus? 4
num falsum prodidit? minimè gentiùm; sed antiquitus Thraciae nomen latiùs patebat. Quapropter Thucydides libro secundo Tereum arbitratur non in eâ regione, quae nunc Thracia appellatur, sed in Phocidis regione, & in urbe Dauliâ regnum tenuisse; ideo [l] Luscinia Daulias ales appellatur, quia quum dicatur Pandionis filia, antequam in avem mutaretur, ab urbe Dauliâ numen accepit, Catullus [m]

Qualia sub densis ramorum concinit umbris
Daulias absumpti fata gemens Ityli

& Ovidius ad Liviam

Deflet Threiicium Daulias Ales Itym

Sed & Hesychius Pandionis filiam Dauliam appellatam refert. Quum igitur Thracia ad Phocidem usque antiquitus protenderetur; immo teste [n] Strabone Thraces ipsam Atticam Eumolpo duce usurparint, multò magis consentaneum est, & Macedoniam, quae inter Graeciam, Thraciamque interiecta est, occupasse, & nomen Thraciae ad Macedoniam quoque pertinere vetustissimis temporibus consuevisse; quando [o] Strabo aetate suâ tradit nonnullas Macedoniae regiones a Thraciae populis obtineri; non absurdè ergo Antipater Olympum Macedoniae, Thessaliaeque montem Thracium appellavit. Sequitur versus hujus Epigrammatis secundus, ubi Orpheum Calliopes 5
filium dicit, in quo consentiunt plerique poëtarum; nam [p] Apollonius libro primo sic ait

Πρῶτα νῦν Ὀρφῆος μνησώμεθα, ὅν ῥά ποτ' αὐτὴ
Καλλιόπη Θρήϊκι φατίζεται εὐνηθεῖσα
Οἰάγρῳ σκοπιῆς Πιμπληΐδος ἄγχι τεκέσθαι

qui versus ita vertuntur

Ante omnes magnum memorabimus Orphea Reges,

 Odry-

[a] Pausan. in Boeot. sive libr 9. [b] Plin. libr. 8. cap. 58. [c] Paus ibid. [d] Plin. libr. 5. cap. ult. [e] Plin. ibid. [f] Idem libr. 21 cap. 6. [g] Strab. libr. 12. [h] Idem libr. 14. [i] Strab. libr. 10. & Casaubon. in eum loc. [l] Thucyd. ibid. [m] Catull carm. 66. ad Ortalum. [n] Strab. libr. 7. [o] Strab. ib. [p] Apollon. Argonaut. libr. 1.

Odrysio mixta OEagro, quem maxima fertur
Calliope prope Pimpleum peperisse cacumen

Antipater [a] quoque in alio epigrammate de Orpheo Calliopen agnoscit Orphei matrem

Καλλιόπης Ὀρφῆα, καὶ Οἰάγροιο θανόντα
Ἔκλαυσαν ξανθαὶ μυρία Βιστονίδες

hoc est

Raptum Calliopes, OEagrique Orphea natum
Bistonides flavis ingemuere comis

& [b] Virgilius

Non me carminibus vincet, nec Thracius Orpheus,
Nec Linus; huic mater quamvis, atque huic pater adsit,
Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo

& Æneas Gazæus in Theophrasto ἐκεῖ που τὸν Ὀρφέα λέγει τὸν τῆς Καλλιόπης, ἐπειδὴ παρὰ γυναικῶν διασπασθεὶς τόνδε τὸν βίον ἐτελεύτησε, τὸν ἄνθρωπον φεύγοντα κύκνον γενόμενον, οἷα μουσικὸν ὄντα τὴν μουσικὴν ἐργάζεσθαι hoc est: *illic videlicet dicit Orpheum Calliopes filium, posteaquam a mulieribus discerptus hanc vitam finivit exuto homine, factumque cycnum, utpote musicum musicæ operam dare.* Apollonii tamen Interpres citat Auctores, qui Polyhymniæ, non Calliopes esse filium Orpheum tradiderunt; Eustathius Clio matrem esse Orphei ex quorundam sententiâ refert, nec defuerunt, qui aliam matrem Orpheo tri-
6 buerent. Patrem [c] quoque OEagrum Orpheo multi dederunt, in quibus est Poëta noster, qui versu, quem citavimus, ab OEagro procreatum prædicat; alludit & [e] Ovidius, qui sic ait:

Ardet Athos, Taurusque Cilix, & Tmolus, & OEte,
Et nunc sicca, priùs celeberrima fontibus, Ide,
Virgineusque Helicon, & nondum OEagrius Æmus

Quorum carminum hic sensus est; mons Æmus, ubi Orpheus animata, inanimaque cantu commoturus erat, nondum ab OEagro Orphei patre, OEagrius appellabatur; nam Æmus ab Orpheo OEagri filio, a quo est illustratus, OEagrius potest nuncupari; Statius [f] quoque OEagro genitum Orpheum esse voluit

...... OEagrius illic,
Acclinis malo, mediis intersonat Orpheus
Remigiis......

& [g] Hyginus Astronomicis poëticis, & A-
7 pollodorus [h] Bibliothecâ. Nonnulli tamen Apollinem Orphei patrem fuisse memoriæ prodiderunt, in quibus fuit Asclepiades, quem citat Interpres Apollonii Rhodii libro primo, & Menedemus, qui sic ait:

Ὀρφὲ ἀποκτένναντες Ἀπόλλωνος φίλον υἱὸν

Respicit etiam hanc opinionem [i] Ovidius libro decimo, ubi Orpheus Phœbum patrem nominat; sic enim loquitur:

Te meus ante omnes genitor dilexit, & Orbe
In medio positi caruerunt præside Delphi

quod & ab Eustathio libro undecimo proditum est. Nec mirum duos Orphei patres perhiberi, quum Herodotus duos Orpheos fuisse tradiderit; a quo longè [l] dissentit Aristoteles; nam ille duos Orpheos; hic nullum credit extitisse, & Orphicum carmen cujusdam Pythagorici esse Cercopis; tanta est fabularum levitas, & inconstantia, tanta vetustatis obscuritas.

DISSERTATIO LXXIV.

In idem Epigramma.

Dissertatio Secunda.

Solas Quercus Orphei cantu ductas fuisse, non alias arbores fabulis proditum est. Quercus appellatæ sunt fagi a comedendo. *Lyra, non cithara propria est Orphei, ut multis locis poëtarum constat; licet Virgilius, & Dio Chrysostomus tribuant illi citharam, & Ovidius modò lyram, modò citharam.*

Est nobis in manu Antipatri Epigramma sepulcrale, quod hesterno die suscepimus, Auditores, explicandum, quod de Orpheo celeberrimo vate conscriptum, in hoc & hodierno die multa dicemus. Ac mihi illud inprimis videtur adnotandum, nihil esse in hoc carmine otiosum, nihil sine causâ esse positum; nam, ut hinc potissimùm exordiamur, ubi dixit Orpheum esse in Olympo sepultum, addidit filium fuisse Calliopes, [m] quæ inter Musas obtinet principatum, quo dicto augetur pathos. Nam cum miserum est tam admirabilem, divinumque vatem occidisse, tum magis miserandum humi jacere tumulo contectum Heroem ex immortali matre procreatum, nec potuisse Musam principem, quæ mortuis immortalitatem quodammodo largitur, filium immortalitate dignissimum ab interitu vindicare Rem autem auget commemorando, quantum præstiterit ingenio, I
quantum & suavitate carminum, & lyræ cantu, & dulcedine vocis potuerit; quibus & quercus, & cautes delinitæ paruerunt, & feræ immanes, atque agrestes feritatem exuerunt. Addit etiam orgia Bacchi inve-

[a] Antholog libr. 3. Epigr. 10. in poëtas. [b] Virgil. Ecl 4. [c] Apollon. Interpr. ad libr. 1. Argonaut. [d] Manil. libr. 5. & Lucian. in Dialog. de Astrol. [e] Ovid. Met. libr. 2. v. 216. [f] Stat. libr. 5. Thebaid. [g] Hygin. fab. 14. [h] Apollodor. Biblioth. libr. 1. [i] Ovid. Metam libr. 10 [l] Aristot apud Cicer. de Nat. Deor. libr. 1. [m] Hesiod. in Theogon. v. 78.

invenisse, & heroicum carmen excogitasse; ex quibus efficitur Orpheum in omnem rerum naturam fuisse beneficum; nam animantia, inanimaque omnia cantu delectavit; Deos novis inventis honoribus cumulavit, homines repertâ carminis heroici granditate fecit ornatiores, & ad memoriam clarorum virorum propagandam instructiores; & ad extremum concludit epigramma Orphei mirificissimo facto, quod maximè declarat ejus in canendo admirabilem facultatem, & omnium victricem potentiam. Permulsit, inquit, delinivit, & sibi coëgit obtemperare animum implacabilem, inexorabilem, intractabilem, inflexibilem Plutonis, qui nullis precibus flecti, non donis vinci, non misericordiâ, non ullo affectu commoveri potest; non videtur ergo mori debuisse, qui mortis dominum habuerit in suâ potestate, qui alios ab Inferis excitare, & eripere morti potuerit. Jam verò in verbis nihil non est eruditum; multi poëtæ quum Orpheum describunt canentem, faciunt ad Orphei cantum arbores omnis generis accurrentes; ita [a] Ovidius libro decimo ad hunc modum loquitur:

..... quæ postquam parte resedit
Diis genitus vates, & fila sonantia movit;
Umbra loco venit, non Chaonis absfuit arbor,
Non nemus Heliadum, non frondibus æsculus altis,
Nec tiliæ molles, non fagus, & innuba laurus

Persequitur deinde omne genus arborum; quem Ovidii locum, quo minus totum recitem deterreor ejus longitudine. At Poë-
2 ta noster solas quercus nominavit, solas ex arboribus quercus Orpheum sequutas esse dixit; eruditè meâ quidem sententiâ, nam quercus venisse ad Orpheum audiendum, non alias arbores vetus fabella confirmat, quæ ex eo nata est, quod in Thraciæ, Macedoniæque finibus locus cernebatur densissimis consitus quercubus, quæ in versum dispositæ inane spatium in medio relinquebant, quod undique amplectebantur, ex quo locus, ut opinor, Zona est appellatus; inde nata est fabula puercus eas ad audiendam Orphei vocem jucundissimam concurrisse, quod testatur his versibus [b] Apollonius

Φηγοὶ δ' ἀγριάδες κείνης ἔτι σήματα μολπῆς
Ἀκτῆς θρηϊκίης Ζώνης ἔπι θηλετόωσαι
Ἑξείης στιχόωσιν ἐπήτριμοι, ἃς ὅγ' ἐπὶ πρὸ
Θελγομένας φόρμιγγι κατήγαγε πιερίηθεν

Quos versus ita interpretamur

Illius cernuntur adhuc monumenta canoris
Litore threiicio Zonâ in frondente virentes,
Quę stant confertę deinceps longo ordine quercus,
Quas captas blandæ sonitu testutidinis olim
Pieriâ longè vates deduxit ab altâ

Quo in loco licet Poëta nominet τὰς φηγὺς tamen constat φηγὺς quercus appellari, sic
Apollonius φηγὸν Quercum Dodonæam dixit his verbis 3

Ἐν γὰρ δὴ δόρυ θεῖον ἐλήλατο, τὸν ῥ' ἀνὰ μέσσην
Στεῖραν Ἀθηναίη Δωδωνίδος ἥρμοσε φηγοῦ

hoc est, ut nos vertimus

Nam divina illi trabs est injecta carinæ,
Quam mediæ aptavit quercu ex Dodonide Pallas

& Homerus libro quincto

Οἱ μὲν ἄρ' Ἀντίθεον Σαρπηδόνα δῖοι ἑταῖροι
Εἷσαν ὑπ' αἰγιόχοιο Διὸς περικαλλέϊ φηγῷ

hoc est

Unanimes ergo socii Sarpedona magnum
Ægida gestantis quercu posuere sub altâ
Numinis.....

In quem locum Eustathius notat quercus esse φηγὺς nuncupatas ἀπὸ τῦ φαγεῖν *a comedendo*, quòd Antiqui frugibus nondum inventis, glandibus vescerentur; & septimâ Rapsodiâ testatur Phegium montem esse dictum a quercubus, quibus abundabat. Quercus 4
autem non alias arbores Orpheum sequutas esse & [c] Horatius indicavit his verbis

Unde vocalem temere insequutæ
Orphea silvæ
Arte maternâ rapidos morantem
Fluminum lapsus, celeresque ventos,
Blandum & auritas fidibus canoris
Ducere quercus

Allusit & Virgilius eclogâ sextâ

Tum verò in numerum Faunosque, ferasque viderès
Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus

& Poëta qui dixit

Ire vagas quercus, & flumina stare coëgi

Non igitur Antipater sine causâ quercus potissimùm ex arboribus nominavit, quum Orphei cantu silvas esse delinitas voluit intelligi. Nec minùs eruditè ultimo versu 5
tribuit Orpheo lyram; sic enim loquitur.

Καὶ τὸν ἀκήλητον θυμὸν ἔθελξε λύρῃ

hoc est

Et flexit blandâ pectus agreste Lyrâ

Quod & alio loco facit, ubi sic [d] ait

...... ἐπωδύραντο δὲ πέτραι,
Καὶ δρύες, ἃς ἐρατῇ τὸ πρὶν ἔθελξε λύρῃ

hoc est

...... quercus super, altaque rupes
Flerunt, quas blandâ flexerat ante Lyrâ

Est enim in fabulis, ut [e] Hyginus vir doctissimus affirmat, Mercurium ex testudine Lyram confecisse, septemque chordis in honorem Plejadum, ex quarum unâ fuerat procreatus, instruxisse; sed quum Apollinis boves abegisset, & esset ab Apolline deprehensus, eâ conditione furti veniam impe-

[a] Ovid. libr. 10. Metam. v. 88. [b] Apollon. Argon. libr. 1. [c] Horat. libr. 1. Od. 12. [d] Anthol. libr. 3. in poëtas Epigr. 10. [e] Hygin. Poët. Astron. libr. 2. de Lyrâ.

impetrasse, si Apollini inventæ Lyræ gloriam concederet. Apollinem igitur accepta lyrâ magnam laudem tanquam ejus inventorem consequutum, & Orpheo, quem diligebat, ejus pulsandæ artem tradidisse, sed quum postea citharam excogitasset, Lyram Orpheo concessisse, ne alieno potius invento, quàm suo gloriaretur; quocirca poëtæ libentius Orpheo lyram, quàm ci-
6 tharam tribuerunt. Nam Ovidius libro undecimo de Orpheo loquens a Baccharum turbâ circumsesso, & lapidibus appetito sic [a] ait

Alterius telum lapis est, qui missus in ipso
Aëre concentu victus, vocisque, lyræque est

& [b] alio in loco de eodem Orpheo lacerato

Membra jacent diversa locis, caput, Hebre, lyramque
Excipis ......

& [c] Propertius

Orphea te tenuisse feras, & concita dicunt
Flumina Threiciâ detinuisse lyrâ

& [d] Seneca

Orpheus tacuit torpente Lyrâ

& Valerius Flaccus libro quincto

Carmina quin etiam visos placantia manes
Odrysius dum rite movet, mixtoque sonantem
Percutit ore lyram, nomenque reliquis arenis

& Apollonius

..... ἂν δὲ καὶ Ὀρφεὺς
Θῆκε λύρην: ἐκ τῷδε λύρη πέλει οὔνομα χώρῳ

& [e] Claudianus ad Serenam de feris, & volucribus, quæ Orpheo uxorem ducturo Eurydicen dona attulerunt

Quippe antri memores cautes, ubi sæpe sonoræ
Præbuerant dulci mira theatra lyræ

& [f] alio in loco

Nulla avium, pecudumque fuit, quæ ferre negaret
Vectigal meritæ connubiale Lyræ

Quin etiam Lyra non aliâ de causâ Threiicia dicitur, nisi quòd Orphei fuit propria;
9 Ovidius [g] epistolis

Tutius est jacuisse thoro, tenuisse puellam,
Threiiciam digitis increpuisse lyram

Virgilius tamen Orpheo Citharam dedit libro sexto

Si potuit manes arcessere conjugis Orpheus
Threiiciâ fretus Citharâ, fidibusque canoris

Sed minimè mirum est Poëtam minùs propriè loquutum, & citharam pro lyrâ posuisse; nam Ovidius eodem loco, quo non semel Orphei lyram usurpavit, citharam deinde usurpat his [h] versibus

...... sed ingens
Clamor, & inflato Berecynthia tibia cornu,
Tympanaque, & plausus, & Bacchei ululatus
Obstrepuere sono Citharæ ......

Neque enim poëtæ ullâ lege prohibentur uti suo jure, quo ipsis conceditur genus pro genere ponere. Illud magis mirum est Dionem Chrysostomum disertissimum Ora- 8
torem eadem uti licentiâ; nam Orpheum citharâ canentem facit oratione septuagesima octavâ his verbis: ὅνπερ ἡ μήτηρ αὐτὸν ἡ Καλλιόπη κιθαρίζοντα ἐπῄνεσέ τε, καὶ εἶπε καταψῶσα ἅμα τὴν κεφαλὴν, ὡς ἱκανῶς ἔχει μουσικῆς, καὶ σοφώτατος εἴη τὰ τῆς τέχνης; hoc est: *quàm si mater Calliope Citharâ canentem laudasset, dixissetque simul caput demulcens, illum satis in arte musicâ profecisse, & ad summam artis scientiam pervenisse*; & Oratione trigesimasextâ Orpheum citharâ vicisse scribit, & oratione trigesimasecundâ sic ait: καὶ διὰ τοῦτο δὴ τὸν τῶν Ἀλεξανδρέων δῆμον ἄγεσθαι ὑπὸ τῆς ᾠδῆς, ὡς οὐδένας ἄλλους, κἂν ἀκούσωσι κιθάρας ὁποίας οὖν, ἐξεστάναι, καὶ φρίττειν, κατὰ μνήμην τοῦ Ὀρφέως hoc est: *ac propterea populum Alexandrinum duci quidem cantu, ut nemo alius ducitur, & si quando qualiscumque citharæ cantum auribus usurpaverint, de statu mentis propemodum dimoveri, & horrere quasi Orphei memoriâ renovatâ*, quasi verò Orpheus citharâ, non lyrâ canere consuesset. Melius itaque noster Antipater, qui discrimen verborum non 9
confudit; nam Orpheum lyrâ usum argumento fidus est, quod [i] Lyra nuncupatur; quod nihil aliud esse, quam Orphei lyram in Cœlum translatam, & sideribus insignitam tradiderunt, qua de re eleganter Manilius: [l]

Et Lyra diductis per Cœlum cornibus inter
Sidera conspicitur, qua quondam ceperat Orpheus
Omne, quod attigerat cantu, manesque per ipsos
Fecit iter, domuitque infernas carmine leges;
Huic cœlestis honos, similisque potentia causæ;
Tunc silvas, & saxa trahens, nunc sidera ducit,
Et rapit immensum Mundi revolubilis orbem

Argumento est etiam locus in Ponto, qui lyra vocabatur, quòd in eo Orpheus lyram aræ impositam Apollini dedicasset, ut est ab Apollonio libro secundo memoriæ proditum.

DIS-

[a] Ovid. Metam. libr. 11. v. 10 [b] Ovid. ibid. v. 50. [c] Propert. libr. 3 El. 1. [d] Seneca in Medeâ Act. 2. in Choro. [e] Claud. carm. 40. v. 5. ad Seren. [f] Claud. ibid. v. 18. [g] Ovid. in Epistol. Briseid.

[h] Ovid. Met. libr. 11. v. 15. [i] Varro de Re Rust. libr. 2. cap. 5. [l] Manil. libr. 1. cap. 4. & Hygin. poët. Astron. libr. 2. cap. de Lyrâ.

DISSERTATIO LXXV.

In idem Epigramma.

Dissertatio Tertia.

Orpheus homines efferatos, quales omnes antiquitus erant, mansuefecit; ideo dicitur duxisse cantu feras, & saxa; Orgia etiam Bacchi ab Ægyptiis accepit, quibus Osiris apud eos colebatur. Heroici carminis auctorem quidam Olenem faciunt, alii Phemonoën, alii Phanotheam, Themidem alii, quæ ante Apollinem oraculum Delphicum tenuit, quod heroicis versibus responsa dabat; itaut nonnulli opinati sint, responsum, quo Socrates sapientissimus judicatus est, non fuisse Apollinis; sed falluntur, quia constat aliquando eo genere carminis usum Apollinem; nihilominus Scaliger immerito Vidam redarguit, quòd hexametrum oraculorum esse proprium affirmarit.

Efferatos antiquitus hominum fuisse mores, & cædis avidam, & rapinarum voluntatem, nec se ullis legibus submittentem; sed effrenatis cupiditatibus obtemperantem, & æqui, bonique ignaram mentem veteres illi Sapientes crediderunt; ob eamque causam, quum se Mortales nullâ inter se societate conjunctos putarent, sævire cædibus quotidianis, & venerem incertam rapere ferarum more consuevisse, a quibus non multum discrepare videbantur. Extitisse autem divinę providentię munere quosdam homines, qui præstantissimo ingenio prædìti intellecto genere docilitatis humanæ, perspectaque naturâ, quæ homines conciliat homini ad vitæ societatem, eloquii suavitate, qua naturâ præstabant, illectam multitudinem congregarunt, cœperunt a cædibus deterrere, rapinis prohibere, scelus dissuadere; quid æquum, quid iniquum esset, docere, animos inter se mutuâ benevolentiâ devincire. Ita paulatim mores esse mitigatos, injectum licentiæ frenum, conditas leges, hominum cœtus, qui communi utilitate continentur, quos civitates nuncupamus, congregatos; tantum eloquentiam valuisse oratorum, vel poëtarum. Ex hoc genere fuisse Orpheum, de quo
1 nuper loquebamur, ideo memoriæ proditum feras, & silvas, & saxa dulcedine cantus mansuefecisse, commovisse, mollisse. Quapropter Horatius [a] cecinit.

Silvestres homines sacer, interpresque Deorum
Cædibus, & fædo victu deterruit Orpheus;
Dictus ob hoc lenire tigres, rabidosque leones;
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis
Saxa movere sono testudinis, & prece blandâ
Ducere quo vellet.....

Quam sententiam Horatii Dio Chrysostomus probat oratione quinquagesimatertiâ, qui ad hunc serme modum, ut nos vertimus, loquitur: *ac mihi videntur hac facultate Sirenes, & Orpheus præstitisse; nam & lapides, & plantas, & feras mulcere, & ducere, quid aliud est, quàm barbaros homines Græci sermonis imperitos ita vehementer in suam redigere potestatem, neque linguæ, neque rerum scientes, de quibus habetur oratio, sed planè, ut opinor, ad citharæ cantum stupefactos, & delinitos.* De qua Orphei facultate Antipater, cujus explicamus Epigramma, mentionem facit; quapropter visum est non absurdum admonere, quid sibi voluerint poëtæ, quum Orphei cantu silvas, & lapides esse commotos affirmant, & feras esse delinitas; nunc reliqua exequamur, Audito- 2
res. Affirmat poëta Orpheum Bacchi orgia invenisse

Ὃς ποτε καὶ τελετὰς μυστηρίδας εὕρετο Βάκχου
Invenit quondam qui mystica sacra Lyæi

Quod esse verum Diodorus [b] Siculus declaravit, qui Orpheum sicut alios philosophos in Ægyptum profectum, ut Ægyptiorum sapientiâ doctior fieret, cum multa didicisse memoriæ prodidit, tum ea, quæ ad Osiridis cultum pertinebant. Nam quum in sacris Osiridis, discerpti [c] a Typhone Osiridis memoria celebraretur, & inter cetera Osiridis pudendum, quod [d] Typhon in flumen abjecerat, mysticis quibusdam cæremoniis coleretur, ea sacra Orpheum in Græciam transtulisse, eandemque corporis partem colendam Gręciæ populis proposuisse, quam Phallum appellarunt; & quia intimus erat Cadmi Posteris, qui Thebis Ægyptiis profectus in Græciam venerat, in eorum honorem mysteria convertisse, & Osiridem, vel Dionysum (nam utroque nomine [e] idem numen significatur) ex Cadmi filiâ procreatum esse tradidisse; Græcos autem vel inscitiâ vetustatis, vel quia libenter agnoscerent Dionysum celeberrimum apud omnes nationes Deum suum popularem, Grajum esse credidisse. Quod ut facilius crederent, adsuisse fortunam; nam Cadmi filiæ Semele ex 3
furtivo concubitu infantem septimo mense esse natum, sicut apud Ægyptios Osirim septimo mense natum ferunt; huic & sacrificiâ fecisse Cadmum, & ut filiæ flagitium auctoris divinitate velaret, a Jove compressam Semelen, & ex Jove puerum edidisse mentitum esse; in hunc honores, qui in Ægy-

[a] Horat. in Arte. [b] Diod. Sicul. libr. 1. Biblioth. [c] Plutarch. de Iside, & Osiride. [d] Diodor. Sic. libr. 1. Biblioth. [e] Idem eodem loco, & Herod. in Euterpe.

Ægypto Osiridi habebantur, esse translatos. Ex quo Diodori loco constat Orpheum sacra Liberi Patris non invenisse; verum ab Ægyptiis inventa in Græciam transtulisse; sed Græci, qui omnium nationum gloriam libenter sibi attribuunt, ab Orpheo Bacchi mysteria instituta, & Bacchum fuisse [a] vini repertorem, Orbem [b] terrarum victoriis peragrasse, & [c] Indiam subegisse tradiderunt; hos autem Poëta noster sequitur, &, ut augeat Orphei gloriam, Orpheum facit Mysteriorum repertorem. Illud etiam tribuit Orpheo, quod alii aliis auctoribus; nam Orpheum heroicum carmen excogitasse
4 prædicat, quippe ait:

Καὶ σίχον ἡρῶον ζευκτὸν ἔτευξε ποδὶ
Condidit heroo carmina vincta pede

sed carmen heroicum videtur antiquius; nam [d] Phemonoë, quæ princeps præfuit oraculo Delphico, id genus dicitur invenisse; quapropter Angelus [e] Politianus dixit

..... *& Pythia longos*
Phemonoë commenta pedes .....

Ubi longos pedes appellat heroicum carmen hexametrum, quod omnium ferè longissimum est, & Scaliger animadvertit heroicum esse appellatum Pythium carmen a Pythiâ Phemonoë ejus inventrice; quorum, ne vacillet, auctoritas, auctoritate Pausaniæ fulcienda est, qui sic in Phocicis loquitur: *μεγίςη, κὰι παρὰ πλέςων ἐς Φημονόην δόξα ἐςὶν, ὡς πρόμαντις γένοιτο ἡ Φημονόη τῦ θεῦ πρώτη, κ̀ πρώτη τὸ ἑξάμετρον ἦσε* hoc est: *maxima verò, & a plurimis venit in Phemonoën gloria, tanquam ea prima præfuerit oraculo Delphico, & prima carmen hexametrum cecinerit;* idem [f] tamen
5 non dissimulat Olenem quibusdam videri heroici carminis fuisse repertorem, quem Boeo antiqua poëtria venisse tradidit ex Hyperboreis. Clemens Alexandrinus autem [g] hujus inventionis gloriam tribuit Phanotheæ Icarii filiæ, vel Themidi, quod quidam prodiderunt; credo quia Themis ante Apollinem tenuit oraculum Delphicum, cui [h] Plinio teste, debemus heroicum carmen. Quod si verum credatur, multò ante Orpheum in usu fuit id genus carminis; siquidem [i] antequam Apollo oraculum obtineret, Themis responsa dabat consulentibus; & sanè ferè semper oraculum heroicis versibus respondebat; ex quo nonnulli, ut auctor est vetus Interpres [l] Aristophanis, Pythiæ responsum, quo sapientissimus omnium Mortalium Socrates est judicatus, non esse Apollinis contendebant, quia senariis versibus esset redditum, qui sunt [m] hujusmodi

Σόφος Σοφοκλῆς, σοφώτερος δ' Εὐριπίδης,
Ανδρῶν δὲ πάντων Σωκράτης σοφώτατος
Sapiens Sophocles; Euripides sapientior,
Sed vincit omnes Socrates sapientiâ

Qui, quamquam magno in errore versantur,
quum constet aliquando hoc genere carmi- 6
nis usum Apollinem, tamen ostendunt, quàm rarò fortes jambicis, aut aliis versibus ederentur; ideo non probo Scaligeri calumniam, qui Vidam inscitiæ redarguit, quòd negaverit alio, quàm hexametro carmine oracula edi consuevisse; quum enim laudare vellet id genus, affirmavit id esse proprium oraculorum, nec alio responsa vates reddidisse; non quia nunquam, sed quia rarò admodum reddiderunt; eodem igitur modo licuit Vidæ negare aliis, quàm hexametris versibus Pythiam fata cecinisse, quo [n] Virgilio licuit affirmare nullam Olearum esse culturam, quum sit exigua, non autem nulla; quapropter Libanius ait Agricolas fructum oleæ sedentes expectare. Sed ut ad auctorem nostrum revertamur, affirmat Orpheum heroicum carmen condidisse, non quia, ut ex iis, quæ diximus, constat, id genus primus excogitarit, sed quia excellentiùs, quàm superiores excoluerit; quod autem dicit placasse carminibus Ditem, ea fabula est pervulgata, quam si quis nosse desiderat, huic adeundus Virgilius, qui libro quarto Georgicorum hanc est elegantissimè persequutus.

DIS-

[a] Euripid. in Bacch. [b] Diod. Sicul. libr. 3. Biblioth. [c] Arrian. rerum Indicar. libr. [d] Pausan. in Phoc. sive libr. 10. & Cæl. Rhod. libr. 7. cap. 4. & libr. 16. cap. 19. [e] Politian. in Nutric. [f] Paus. ibid. [g] Clem. Alexandr. Stromat. libr. 1. [h] Plin. libr. 7. cap. 56. [i] Cæl. Rhodig. libr. 16. cap. 19. [l] Aristoph. Schol. in Nubes [m] Apud eundem Scholiast. ibid. & Diog. Laërt. in Vitâ Socratis libr. 2. segm. 37. [n] Virgil. libr. 2. Georg.

DISSERTATIO LXXVI.

In Antiphili Epigramma Libri primi in navigationem. De Nautarum audacia.

Dissertatio Unica.

Veteres arboribus cavatis primùm navigarunt; deinde Rex Erythras trabes inter se colligavit, quæ rates dicuntur; Danaus autem primus navem fabricavit, & in Græciam venit. Avaritia fuit causa navigationis, & navigatio avaritiæ; Deus autem, qui perversa hominum consilia vertit in bonum, multa Mortalibus commoda peperit ex navigatione. Præcipua aurei sæculi felicitas in eo posita erat, quod non erat in usu navigatio, qua mores corrumpuntur. Inferos, licet Platonici, qui ad veritatem propiùs accedunt, Helysium in sphærâ stellarum inerrantium collocent, esse in Mari, fabulis proditum est; nam & insulas beatorum in Oceano esse constat, & forte easdem, ac insulas Fortunatas; ideo in monumentis antiquis Tritones, & Conchæ cernuntur; & ad loca sceleratorum suppliciis destinata per Oceanum perveniri Plato, alique tradiderunt.

Audaciam fuisse hominibus causam navigandi, fuisse navium inventricem Antiphilus poëta Byzantius epigrammate satis eleganti asseverat, Auditores ornatissimi; eam lucro invitatam, non contentam suâ terrâ, fabricasse molem, qua ad longinquas, & interfuso mari separatas regiones veheretur, ut compendia Mortalibus inveniret, quæ periculo mortis peterentur. Quapropter admiratur eorum fe-
1 licitatem, qui rudi adhuc Mundo nondum nimiâ habendi plura libidine contaminati vixerunt; & tunc aureum verè fuisse hominum genus arbitratur, quum Mortales pontum aspectabant, tanquam rerum naturæ partem non viventibus, sed mortuis destinatam; & mare esse putabant non mare navigantibus pervium, sed sedes Inferorum; his autem versibus hanc sententiam complectitur

Τόλμα, νεῶν ἀρχηγὲ, σὺ γὰρ δρόμον ηὕραο πόντου,
  Καὶ ψυχὰς ἀνδρῶν κέρδεσιν ἠρέθισας:
Οἷον ἐτεκτήνω δόλιον ξύλον, οἷον ἐνῆκας
  Α'νθρώποις θανάτῳ κέρδος ἐλεγχόμενον.
Ἦν ὄντως Μερόπων χρύσεον γένος, εἴγ' ἀπὸ χέρσου
  Τηλόθεν, ὡς ἀΐδης, πόντος ἀπεβλέπετο ...

Quorum carminum sententiam his versibus explicamus

Nautarum ductrix audacia, namque per altum
  His, dum lucra petunt, te duce facta via est;
Qualem struxisti molem, vel quale tulisti,
  Damnosum arguitur morte quod esse, lucrum!
Aurea gens hominum fuit illa, a litore longè
  Quæ pontum, ut Stygias aspiciebat aquas.

In quibus verbis utitur Poëta sententiâ, quæ apud alios quoque poëtas frequentissima est; omnes enim ejus admirantur au- 2
daciam, qui primus inventâ navi maria peragravit; nam [a] Horatius navis inventorem tam audacem, ac tam intrepidum fuisse putat, ut non magis metu posset commoveri, quàm si ex robore, vel ære constaret; sic enim loquitur:

Illi robur, & æs triplex
  Circa pectus erat, qui fragilem truci
Commisit pelago ratem
  Primus, nec timuit præcipitem Africum
Decertantem Aquilonibus,
  Nec tristes hyadas, nec rabiem Noti,
Quo non arbiter Hadriæ
  Major, tollere, seu ponere vult freta:
Quem mortis timuit gradum,
  Qui siccis oculis monstra natantia,
Qui vidit mare turgidum, &
  Infames scopulos Acroceraunia?

Quem sequitur [b] Seneca, qui sic ait in tragœdiâ, quæ Medea inscribitur

Audax nimiùm, qui freta primus
Rate tam fragili perfida rupit,
Terrasque suas post terga videns
Animam levibus credidit auris,
Dubioque secans æquora cursu
Potuit tenui fidere ligno,
Inter vitæ, mortisque vias
Nimiùm gracili limite ducto.

& Statius [c] temeritatem ejus, qui primus navigavit, cum Gigantum audaciâ, qui superis bellum congestis montibus intulerunt, audet comparare

Quis, inquit rude, & abscissum miseris animantibus æquor
Fecit iter, solidæque pios telluris alumnos
Expulit in fluctus, pelagoque immisit hiantes?
Audax ingenii; neque enim temeraria virtus
Illa magis, summæ gelidum quæ Pelion Ossæ
Junxit, anhelantemque jugis bis pressit Olympum

Plinius quoque, ne poëtis dumtaxat utar testibus, audaciam nautarum admiratur, vel 3
potiùs execratur Naturalis Historiæ undevigesimo libro, in cujus procemio leguntur hæc verba: *audax vita scelerum plena aliquid fieri, ut ventos, procellasque recipiat, & parum esse fluctibus solis vehi*; & paulò post: *ac summa audacia, & quò pervenire nulla ce-*

 xe-

[a] Horat. Od. 3. libr. 1. [b] Senec. in Medeâ Act. 2. in fine. [c] Stat. Silv. libr. 3. in Propemptic. Metii Celeris.

execratio sufficit: contrà inventorem dictum suo loco a nobis, cui satis non fuit hominem in terrâ mori, nisi periret & insepultus. Et sanè audaciam ejus, qui primus navigavit nemo æquaverit; nam si fingamus ejus esse naturæ maria, ut nunquam vehementioribus ventis concitentur, nulli scopuli, nullæ syrtes occurrant, quibus naves franguntur, & allisæ fatiscunt rimis, & dissolvuntur; esset tamen summæ temeritatis terram, quæ nos nascentes excepit, natos fovit, aluit, educavit, quæ nobis stabilem sedem, & tuta domicilia præbet, relinquere, & infesto nobis elemento vitam committere, quum undique circumfuso mari, non alio munimento contegaris, quàm fragilis ligni, quod & cariem sentit, & vetustate labefactatur, & vi ipsâ cursus conquassatur, & impetu, pulsuque remorum convellitur, & aquæ, per quam fertur, contactu computrescit. Quàm infirmo igitur munimine sæpiuntur etiam tranquillo mari navigantes? & in quàm præsenti versantur exitio? Verè [a] Juvenalis eos non abesse longiùs a morte existimat, quàm quatuor digitorum intervallo, quanta videlicet est navis crassitudo

..... *digitis*, inquit, *a morte remotus*
Quattuor, aut septem, si sit latissima tæda

nam planè quidquid extra navem est, mors est, confestim irruptura, nisi parietibus navis arceretur. Adde syrtes, & scopulos, & saxa mari latentia, adde turbines, & typhones: adde tempestates, & procellas, & fulmina, & piratas tempestatibus, & procellis sæviores; jam nihil audacius nautis, nihil plenius periculis, quàm navigationem fateberis. Nam tamquam tam audaci conatu rerum ipsa natura offendatur, omnia infesta fecit navigantibus; scopulis enim, & brevibus terra, mare fluctibus, aër sævitiâ ventorum, & procellarum, ignis, & Cœlum fulminibus, & nubibus, & nimbis in miseros nautas videntur conspirare; sed præcipuè terra, quæ ceterorum mater habetur, & appellatur, eos tanquam abdicatos, inimicosque factos oppugnat, ut nihil tutius sit, quàm in alto versari, & sustinere navim, ne vi ventorum impulsa ad litus allidatur. Ita miseri nautæ terram, quam desiderant, fugere, quam apprehendere cupiunt, declinare, quam votis exoptant, coguntur detestari. Et tamen Nautarum audacia, qui jam repertâ ratione navigandi,
4 & inventis navium molibus, quæ tam firmis cohærent, & colliguntur compagibus, ut difficulter solvi posse videantur, maria trasmittunt, cum temeritate eorum, qui primi navigarunt, non potest ullo modo comparari. Nam illi & incognito mari sese committebant, & non navibus, sed trabibus inter se colligatis, quæ rates dicuntur, utebantur; quarum inventionem Erythræ Regi tribuit [b] Plinius, qui rubrum mare hoc genere navigii jussit peragrari, & usque ad Danai tempora, qui [c] primus navem fabricavit, & eâ vectus in Græciam venit, idem Auctor tradidit ratibus vitam commisisse; quo quid audacius dici potest? quot enim naufragia credimus accidisse, quum adversùs eosdem illos fluctus, quos tam firmis laterum compagibus, & tantâ mole naves vix sustinent, tam malè inter se cohærentibus lignis homines armarentur. Credibile est etiam rudi illo ævo arboribus in hunc usum cavatis navigasse, quod Virgi- 5
lius non tacuit, qui libro primo Georgicorum dixit

Tunc alnos primùm fluvii sensere cavatas,
Navita tum stellis numeros, & nomina fecit

Et quid mirum eo tempore id navigii genus placuisse, quum [d] Plinius testetur excultâ jam navigandi ratione Germanos prædones arboribus cavatis navigare, Indique Indicis arundinibus, eo tempore, quo Plinius [e] vivebat, uterentur? nec [f] mirum; quum internodia arundinum in locis illis tantæ sint capacitatis, ut tres homines in eis commodè versentur, & earum diameter tria cubita pateat, & ambitus supra novem colligat; quarumdam autem arundinum dimetiens novem pedes longitudine comprehendat, orbis verò supra viginti octo. Possunt tamen Mortales temeritatem suam utilitate defendere, quæ tam audax 6
inceptum consequuta est; nisi quippe esset reperta navigatio, tot insulæ, quæ a Continenti interfuso mari dividuntur, sine cultoribus desertæ, ferisque, vel monstris dumtaxat frequentes, incultæ squallerent; nec ea parva jactura generis humani foret, quum tanta sit quarumdam insularum feracitas, tanta pulchritudo, quum numerus earum sit pæne infinitus, quum immensa magnitudo. Quapropter eæ solæ Insulæ, quæ adjacent Asiæ, simul omnes non minores Europâ esse dicuntur; ex quo intelligi potest, quanta pars terrarum suis cultoribus non inventâ navigatione caruisset. Quid autem Insulas commemoro? ingens illa pars Continentis, quam propter magnitudinem Orbem novum nuncuparunt, fortasse non coleretur, fortasse a feris immensa illa terrarum spatia occuparentur: iaceret inculta vastitas, silvis horrida, dumis densa, aquis stagnantibus fœda, non fruges ferret, non frugiferis arboribus niteret, non urbibus, & oppidis floreret; frustra gemmas, frustra aurum, & reliqua metalla produceret. Inutile igitur ex magnâ parte Dei donum

[a] Juvenal. Sat. 12. v. 59. [b] Plin. libr. 7. cap. 56. [c] Plin. ibid. [d] Idem libr. 16. cap. 40. [e] Idem libr. 7. cap. 2. [f] Plin. ibid.

num redderetur, qui hominum causâ Orbem terrarum condidit, & eorum commodis voluit inservire, nisi navigatio Mortales in possessionem divini doni misisset. Accedit eodem, quod usu navium reperto regiones, quæ longis peregrinationibus peterenrur, paucorum itinere dierum adeuntur; in Africam siquis terrâ velit pervenire, quot regiones essent obeundæ, quàm longis viarum anfractibus utendum, quor mensium itinere ex Europâ Africa peteretur? at mari quidam, ut [a] Plinius testatur, altero die pervenerunt. Quocirca Censo-
7 rius [b] Cato Romano Senatui persuasurus excindendam Carthaginem, & tollendam urbem infestam, & potenrem, & opulentam, & quæ prope Romæ portia immineret, recentes ficus Carthagine advectas in Curiâ dicitur ostendisse. Alexandriam [c] alii e freto Siculo profecti septimo die, alii sexto attigerunt: eodem temporis inrervallo quidam ab Herculis columnis Ostiam pervenerunt: denique hoc ingena pelagus, quod Europam, Libyamque dispescit, quod ab Asiâ dirimit Europam, ur Senecæ verbis utar, paucorum dierum est iter, si navim suus ventus impleverit. Non igitur hominum audacia reprehendenda, cujus beneficio incolitur magna pars Orbis terrarum, tantaque viarum compendia sunt reperta, & remotissimæ regiones nobis admoventur. Sed quæ videtur esse defensio navigantium temeritatis, est Divinæ providentiæ laudatio; nam navigantes non humani generis urilitatem, sed lucrum suum appetiverunr; non ut desertas regiones incolis frequentarent, sed ut nummis arcas implerenr, maria peragrarunr; sed ille summus Universi moderator, & rector Deus, cujus providentia etiam perversa hominum consilia ad optimum dirigit finem, & vertir in bonum, quidquid est nobis mali quippiam allaturum, ne sub regno boni malum regnare, & triumphare patiatur, hominum avaritiam fecir esse causam tantorum commodorum, quæ sunt orta ex nauticæ studio. Ita virium, quod humano generi perniciosissimum est, evasit fons, & origo magnorum bonorum; admovit nobis longinquas regiones, desertas incolis celebravit, Barbaris humanitatem dedit, inopes locupletavir, inculria cultum addidit, & ornamentum, disjunctas inter se commerciis conjunxir. Ceterùm [d] avaritiam fuisse nau-
8 tis causam diremptas interfuso mari terras quærendi, & Poëta noster affirmat his verbis

Καὶ ψυχὰς ἀνδρῶν κέρδεσιν ἠρέθισας

hoc est

Movistique lucro sollicitante viros

& alii passim poëtæ testantur; nam Tibullus [e] ait:

Lucra petituras freta per parentia ventis
Ducunt instabiles sidera certa rates

& [f] Horatius

Impiger extremos curris, mercator, ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes

Nec sine causâ poëtæ [g] primam navem memoriæ prodiderunr aurei velleris causâ in Colchorum terram navigasse, quum verisimile videarur eum, qui primam navem compegir, lucri causâ compegisse. Et sanè non aliâ fere de causâ mare navigatur; ideo Plinius queritur multa ignorari, nec perinde, ac deberet, multorum peregrinationibus naturalium rerum historiam profecisse; quia non scientiæ, sed lucri causâ maria penetrantur. Est igitur consentaneum veritati propter avaritiam inventam artem navigandi non minus, quàm propter navigationem avaritiam esse natam; quod [h] Tibullus his versibus affirmavit

Hic dat avaritiæ causas, hinc Coa puellis
Vestis, & e rubro lucida concha mari

Nam si interrogemus [i] Isocratem, cur immensa maria traiciantur, respondebit: *ἕνεκα τοῦ πλείω ποιῆσαι τὴν ὑπάρχουσαν οὐσίαν; augendi causâ rem familiarem*. Sed de primo 9
epigrammatis, quod suscepimus exponendum, disticho satis jam diximus; in secundo navem appellat *δόλιον ξύλον lignum dolosum* & meritò. Nam Etymologicum magnum dolum vult esse dictum a verbo δηλῶ quod est, *nocere, lædere, damno afficere*; naves autem damno afficiunt navigantes; nam dum se ad summas opes credunt esse perventuros, & eas, quas possidebant, amittunt, & sæpe inopes, nudi, naufragi ad litus eiiciuntur, aut etiam fractâ navi fluctibus obruuntur; & eleganter opponitur *δόλιον ξύλον dolosum* vel *damnosum lignum* lucro, quo Poëta dixerat nautas ad navigandum invitari. Est & alia hujus nominis origo a verbo δέλω unde *δέλεαρ esca*, ut idem auctor testatur; id autem verbum significat *inescare*, quæ origo non minùs huic loco, quàm superior congruit; nautæ quippe dum vident navium firmitatem, quodammodo inescantur, & ad caprendum lucrum commoventur, quod sine periculo futurum falsò arbitrantur. Possumus etiam dicere a Poëta navim, lignum dolosum appellatam, eo quod navi tribue- 10
rit, quod maris proprium; mare quippe a poëtis dolosum, fallax, infidum nuncupatur:

[a] Plin. libr 19. cap. 1. [b] Plutarch in Catone Majore. [c] Plin. libr. 19. cap. 1. [d] Plin. libr. 2. cap. 46. [e] Tibull. libr. 1. Eleg. 10. [f] Horat. libr. 1. Epistol. 1. [g] Orpheus in Argonaut. & Apollon. in Argonaut. & Valer. Flaccus, & Ovid. Metamorph. libr. 7. in princip. [h] Tibull. libr. 2. Eleg. 4. [i] Isocrates ad Demonicum.

tur; Virgilius [a] Georgicis

Et quando infidum remis impellere marmor

& Lucretius libro secundo

Infidi maris insidias, fraudesque dolumque

& [b] idem Lucretius subdolam pellaciam ponti dixit hoc versu

Subdola quum ridet placidi pellacia ponti

& [c] Propertius libro tertio non solum mare esse infidum navigantibus dicit, sed etiam portum

Ventorum est quodcunque paras; haud ulla carina
Consenuit, fallit portus & ipse fidem

& Poëta non inelegans, ut ostendat perfidiam puellarum, ipsam perfidiæ maris comparat, & anteponit his verbis

Crede ratem ventis, animum ne crede puellis;
Namque est feminea tutior unda fide

& [d] Plautus trinummo inducit Charmidem ita de Neptuno loquentem

Fidus fuisti, infidum esse iterant

Hanc igitur maris instabilitatem, quam perfidiam poëtæ vocant, Antiphilus ad vituperationem navis transferens ipsam appellat lignum dolosum, eodem modo, quo Virgilius [e] equum Trojanum, quo conditi Græci Trojanos fefellerunt, dolum nominavit hoc versu

Et Menelaus, & ipse doli fabricator Epeus

Nam falluntur navigantes dum navibus fidunt, non navium culpâ, sed maris, quod eos tranquillitate invitat, allicit, allectos tempestatibus jactat, vel mergit. Sequitur
11 versus, ubi Poëta felicitatem sæculi admiratur, quo nondum inventis navibus Mortales in patriâ terrâ consenescebant; quod & [f] Horatius facit, qui sic ait:

Beatus ille, qui procul negotiis,
Ut prisca gens Mortalium,
Paterna rura bobus exercet suis

& ait fuisse tunc verè auream vitam, aureum hominum genus. Et sanè inter bona, quibus aureum sæculum affluebat, illud præcipuum poëtæ numerant, quod homines contenti suis regionibus non navigarent; Ovidius enim de aureâ ætate sic loquitur: [g]

Aurea prima sata est ætas, quæ vindice nullo
Sponte suâ sine lege fidem, rectumque colebat;
Pœna, metusque aberant, nec vincla minantia fixo
Ære ligabantur, nec supplex turba timebat
Judicis ora sui, sed erant sine judice tuti;
Nondum cæsa suis, peregrinum ut viseret Orbem,
Montibus in liquidas pinus descenderat undas,
Nullaque Mortales præter sua litora norant

& [h] Tibullus

Quàm bene Saturno vivebant Rege, priusquam
Tellus in longas est patefacta vias;
Nondum cæruleas pinus contempserat undas,
Effusum ventis præbueratque sinum;
Nec vagus ignotis repetens compendia terris
Presserat externâ navita merce ratem

& [i] Virgilius, postquam Saturnus regnare desiit, & aureum sæculum deteriore mutatum est, affirmat homines navigandi artem invenisse

Navita tunc stellis numeros, & nomina fecit;
Plejadas, Hyadas, claramque Lycaonis Arcton

& [l] Seneca felices fuisse Veteres asseverat, quum usum navium homines ignorarent

Candida nostri sæcula patres
Videre, procul fraude remotâ,
Sua quisque piger litora tangens,
Patrioque senex factus in arvo
Parvo dives, nisi quas tulerat
Natale solum, non norat opes.

Nec immerito poëtæ sæculum aureum, quo optimi mores colebantur, & vita magnâ cum tranquillitate agebatur, caruisse dixe- 12
runt rei nauticæ studio; nam qui maritimis rebus dant operam longissimè absunt ab integritate morum, & incorruptâ vitæ disciplinâ. Ideo Cælius [m] Rhodiginus animadvertit marinos mores pro pessimis accipi, idque loquendi genus proverbii loco usurpari. Quapropter [n] nonnulli Themistoclem reprehendunt, quòd Athenienses colendis agris occupatos ad studium rei navalis converterit; & idcirco bene moratæ civitatis disciplinam corruperit. Sed Themistocles veniâ dignus, neque enim aliter servare poterat civitatem, quum imminente Barbaro, qui navalibus copiis plurimum valebat, defendi non posset Respublica, nisi quàm maximam classem comparasset; nec tamen non est verissimum Atheniensium mores esse lapsos, posteaquam vehementiùs maritimis rebus studere cœperunt. Quum igitur in singulis urbibus, quæ se ad studium navigationis applicuerunt, magnam extitisse morum mutationem, & in præceps isse publicam disciplinam videamus, quantum credimus in deterius mores esse mutatos, quum toto Orbe terrarum navigatio cepta est celebrari? Præterea tranquillitas illa vitæ, & securitas, qua prisci illi homines fruebantur, penitus perturbata, & funditus eversa est; nam ubi primùm mare navigantibus patuit, prædones extiterunt, qui quum inciderent in urbes non mœnibus munitas, non fossâ, valloque cinctas, ferebant, agebantque omnia. Nam idem lucrum,

[a] Virgil. Georg. libr. 1. [b] Lucret. libr. 2. [c] Prop. libr. 3. El. 7. [d] Plaut. in Trinumm. Act 4. Sc. 1. [e] Virg. Æneid. libr. 2. [f] Horat. in Epodo Od. 2. [g] Ovid. Met. libr. 1. v. 89. [h] Tibull. libr. 1. El. 3. [i] Virgil. Georgic libr. 1. [l] Seneca in Medeâ Act. 2. in ultim. choro. [m] Cæl. Rhodig. libr. 16. cap. 23. [n] Plutarch. in Themist. Vitâ.

13 crum, quod ad navigandum homines, ad piraticam faciendam invitavit, quæ eò processit, ut homines non puderet se piratas profiteri, quod vetustissimis temporibus usuvenisse [a] Thucydides gravis inprimis Auctor animadvertit. Accessit eodem luxus, & studium rerum peregrinarum, quod vitam prorsus pessumdedit; nam advectis ex alio Orbe mercibus quum homines delectarentur, quæ quia raræ, pretiosæ, & pulchræ videbantur, contempserunt ea, quæ natale solum protulisset, & ad ea, quæ magno parantur, animum adjecerunt; ex eo nata avaritia est, & egestas, & in urbes infusa peregrinitas, & deterrimi mores, quasi contagione quadam gentes omnes invaserunt; quia qui in longinquas regiones peregrinantur, ut est hominum ingenium proclive ad libidinem, faciliùs vitia exterorum, quàm virtutes imitantur. Non ergo temerè Poëta noster ait aureos mores viguisse, aureum hominum genus extitisse, qùum mare non tanquam pervium viventibus elementum aspectabant; sed tanquam Orcum, & sedes Inferorum pertimescebant; sic enim loquitur

Ἦν ὄντως μερόπων χρύσεον γένος, εἴγ' ἀπὸ χέρσου
Τηλόθεν, ὡς ἀΐδης, πόντος ἀπεβλέπετο

Aurea gens verè fuit illa, a litore longè
Quæ pontum, ut Stygias aspiciebat aquas

In quibus versibus Poëtam credo alludentem respexisse ad Veterum opinionem, qui
14 Inferos in mari collocabant; nam haud dubium est, quin sedes piorum in Oceano statuerint, quum [b] Pindarus testetur manes eorum, qui sceleris puri ex hac vitâ excesserunt, in insulâ habitare, quæ Oceano circumfunditur; sic enim loquitur:

...... ἔνθα μακάρων
Νᾶσον ὠκεανίδες
Αὖραι περιπνέοισιν: ἄνθεμα δὲ χρυσοῦ φλέγει,
Τὰ μὲν χερσόθεν ἀπ' ἀγλαῶν δενδρέων:
Ὕδωρ δ' ἄλλα φέρβει.
Ὅρμοισι τῶν χέρας ἀναπλέκοντι, καὶ στεφάνοις
Βουλαῖς ἐν ὀρθαῖς Ῥαδαμάνθυος

hoc est

Ubi beatorum insula nobilis
Perflatur auris Oceani, micant
Flores & auri, quos vel arbor
Pulchra parit, vel amœna tellus,
Et rore puro lympha rigat, quibus
Texunt corollas, atque monilia,
Manusque circumdant sequuti
Consilium, Rhadamante, vestrum

Hinc celebris apud Scriptores Græcos est, 15
insula beatorum μακάρων νῆσος, cujus meminit & [c] Cicero in Epistolis, & Etymologicum magnum his verbis: Ἠλύσιον οὖν ἡ μακάρων νῆσος: *Helysium igitur insula beatorum*; & Aristophanis Interpres ἢ ὡς περὶ τετελευτηκότος λέγει, ὡσανεὶ περὶ τὰς μακάρων νήσους hoc est: *tanquam de mortuo loquitur, & velut existente in insulis beatorum*, & Aristophanes vespis

Κἂν μακάρων δικάζειν αὐτὸς ἔδοξα νήσοις

hoc est

Videorque judicare
In insulis beatis

& Eustathius in quartum Odysseæ librum ὅ καὶ νῆσοι μακάρων παρὰ τοῖς ὕστερον λέγεται *quod insulæ beatorum apud posteriores poëtas dicitur*, quo in loco Helysium campum nihil aliud esse tradit, quàm insulas Beatorum, quas esse vult easdem iis, quæ a Geographis dicuntur Insulæ sortu natæ juxta Mauritaniam sitæ; quod & Plutarchus Sertorio confirmat, qui sic ait: ὥστε μέχρι τῶν βαρβάρων διῖχθαι πίστιν ἰσχυρὰν αὐτόθι τὸ Ἠλύσιον εἶναι πέδιον, καὶ τὴν τῶν εὐδαιμόνων οἴκησιν, ἣν Ὅμηρος ὕμνησεν: *idcirco & ad Barbaros usque opinio stabilis permanavit, ibi Helysios esse campos, & sedes beatorum, quas Homerus celebravit*. In eo autem loco Plutarchus loquitur de Insulis fortunatis, quas a Mauritaniâ abesse [d] putat decem stadiorum millibus. In Oceano igitur esse crediderunt regiones piorum, &

..... *locos lætos, & amœna vireta*
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas,

ut [e] Virgilii verbis utar; ideo in monumentis antiquis Tritones cernuntur, & conchæ, & alia, quæ in mari procreantur; ea quippe significant ad Helysios campos defunctorum migrationem. Nec me tamen præterit [f] Homerum, auctore Strabone, He- 16
lysium [g] in ultima Hispania collocasse, & Apionem Grammaticum esse voluisse in insulâ Ægypto adjacente; Platonicos autem, sicut [h] Macrobius affirmat, in altissimo orbium Cœlestium, quem σφαῖραν ἀπλανῆ Græci vocant, quòd in eo cursum suum peragunt stellæ inerrantes; sed ii ad veritatem proximè accesserunt; nos autem de fabulis loquimur poëtarum, & opinionibus vulgi, quæ a vero longissimè recesserunt. Sed & ad sceleratorum suppliciis locos destinatos per Oceanum perveniri nonnullis video placuisse; siquidem Plato in Phædone, ubi de Inferis loquitur, Oceanum esse narrat unum ex quatuor illis ingentibus fluviis, qui in Tartarum confluunt, qui sunt Oceanus, Pyriphlegeton, Cocytus, & Acheron

[a] Thucydides Histor. libr. 1. paulo post initium. [b] Pindarus Olymp. Od. 2. [c] Cicero ad Atticum libr. 12. epistol. 1. [d] Plutarch. in Q. Sertorio. [e] Virg. libr 6. Æneid. [f] Hom. Odyss. δ. v. 563.

[g] Strabo libr. 3. [h] Macrob. in Somn. Scip. libr. 1. cap. 11. & Cæl. Rhodig. libr. 1. cap. 4.

ron; & piorum igitur sedes in mari sunt collocatæ, & impiorum suppliciis loca destinata mari adeuntur. Atque ego haud scio,
17 an huc respexerit Pedo Albinovanus, quum de Germanico Oceanum navigante dixit

..... aliena quid æquora remis,
Et sacras violamus aquas, Divûmque quietas
Turbamus sedes?.....

sedes Divûm nuncupavit, Divûm scilicet inferorum, qui in Oceano habitare credebantur, quæ sedes dicuntur esse quietissimæ, quum [a] Claudianus Inferos ignavum vulgus vocet

Ignavi domitor vulgi teterrime fratrum

eodem videri potest respexisse [b] Propertius, qui sic ait:

Una ratis fati nostros portabit amores
Cærula ad infernos velificata lacus

Neque enim loquitur de velificatione, qua Stygia palus trasmittitur; nam [c] & Stygia palus inter infernos lacus; sed de eâ, qua ad infernos lacus, idest ad Stygem pervenitur, ad quam Oceano animæ velificantur. Quum ergo in mari sint Inferi, meritò Poëta noster affirmat, antiquos illos homines mare tanquam Inferos aspexisse; mare enim via est, quæ ducit ad Inferos fabulosos, & quæ persæpe ducit ad veram mortem.

DISSERTATIO LXXVII.

In Epigramma Libri I. Anthologiæ, in Insulas. De Insulâ Delo.

Dissertatio Unica.

Delos appellata est, quasi manifesta; *ea rarò terræmotibus laboravit; adeout habitum prodigii loco Callisthenes tradat, quod concussa fuerit; quin etiam Macrobius affirmat nunquam movisse, & Epaphum, & Thucydidem citat; qui tamen asserit paulò ante Peloponesiacum bellum movisse, quum antea nunquam movisset; licet Brodæus neget Thucydidem mentionem fecisse de motu Deli, & Senecam reprehendat, qui id asseverat; contra verò Herodotus refert, eo tempore, quo Datis erat Græcis bellum illaturus, movisse. Oraculum Hammonis, ut etiam alia ferè omnia suo tempore defecisse testatur Plutarchus; licet Juvenalis adhuc illud consuli dicat. Atheniensium lege sancitum erat, nequis in Delo nasceretur, aut moreretur. Hyperborei quotannis ad Apollinem Delium primitias mittebant, quas initio tulisse Virgines dicuntur, postea verò cœperunt deferre ad finitimos, qui ad alios deferebant, qui rursus ad alios, donec ad Apollinem pervenirent; sed dissentiunt Pausanias & Herodotus, dum tradunt, quæ virgines primæ detulerint primitias, & quo itinere eæ perferrentur. Hyperboreos Diodorus Siculus sub ipso Mundi cardine collocat, ubi in tantam altitudinem tellus attollatur, ut montes, & valles Lunæ cernantur; at Pomponius Mela statuit eos in Asiâ; in Europâ verò Solinus. Verisimile autem est Hyperboreos non alios fuisse, quàm Seres; nam utrique ad longissima vitæ spatia pervenire dicuntur, & maximâ Cœli temperie uti; nec justitia, quæ prædicatur Hyperboreorum, discrepat a Serum moribus, qui merces cum exteris tantâ justitiâ commutabant, ut ne verbis quidem opus esset. Delii, Ephesii, ac Tegyrei Apollinis, & Dianæ natalibus gloriabantur. Tegyræ sunt duo fontes, quorum alter Palma, alter Olea vocaretur; in quorum media Latona enixa est; ideo proditum Latonam palmæ; vel oleæ innixam peperisse.*

Sapientissimus [d] ille conditor, & administrator Universi Deus omnium rerum voluit esse vicissitudinem; neque enim solùm homines modò in altissimo fastigio collocati proximè ad Deorum opes, & felicitatem videntur accessisse, modò quasi quodam fortunæ turbine in præceps devoluti infra mortuos anan-

[a] Claud. de Raptu Proserp. libr. 2 v. 214. [b] Prop. libr. 2. Eleg. 28. [c] Plato in Phædone. [d] Herodotus libr. 7. cap. 10. §. 5.

amandantur; sed etiam urbes, & regna modò ad summam potentiam perveniunt, & altissimum apicem felicitatis attingunt, modò converso orbe fortunæ ad pudendam humilitatem descēdunt, & sæpe funditus evertuntur. Exempla passim occurrunt, & quocumque oculos converteris, aspicias magnarum urbium ruinas, & regnorum calamitates, quæ quondam opibus, & imperio, & rerum gestarum gloriâ floruerunt; ut quum videant homines regna pessumdari,
1 æquari solo opulentissimas urbes; nihil esse perpetuum, stabile, firmum, nihil non obnoxium fortunæ discant; & quum res eorum florentes adversæ sunt consequutæ, communis conditionis admoneri, & in suis miseriis eo uti solatio possint; idcirco prodest his exemplis firmare mentem, ne imparati in adversa incidamus, hæc sibi, ceterisque proponere; hæc dies, noctesque cogitare. Est igitur Antipatri, vel Apollonidæ non inutilis contemplatio de nobilissimâ Insulâ Delo, quam Apollinis oraculo claram, & opibus auctam postea desertam, inopem, & obscuram, quamvis nomine ipso claritatem præseferat, contemplatur hoc epigrammate, quod hodierno die suscepimus explicandum

Εἴθέ με παντοίοισιν ἔτι πλάζεσθε ἀήταις,
Ἢ Λητοῖ σῆναι μᾶλλον ἀλωομένη.
Οὐκ ἂν χητοσύνην τόσσον ἔστενον, οἴ ἐμὲ δειλὴν,
Ὅσσαις Ἑλλήνων νηυσὶ παραπλέομαι.
Δῆλος ἐρημαίη, τὸ πάλαι σέβας: ὀψέ τιν Ἥρη
Λητοῦς, ἀλλ᾽ οἰκτρὴν τήνδ᾽ ἐπέθηκε δίκην

His autem versibus Poëta respicit fabulam,
2 quæ sanè quàm [a] pervulgata est, quâ memoriæ proditum est Latonam, quum Jovis compressu gravida Junonis irâ, quæ pellices acerrimè solebat insectari, exagitata per totum Orbem terrarum vagaretur, nec reperire locum, in quo consisteret, posset, quum a Junone infestâ undique pelleretur, exactis jam mensibus venisse in Insulam Delum, quæ eâ tempestate fluctuabat, & geminam prolem edidisse, quo partu natus est Apollo, & Diana, qui grati erga Patriam, & soli natalis memores Ortygiam insulam (sic enim eo tempore Delos vocabatur) quum antea ejus esset naturæ, ut maris impetu agitata vagaretur, & interdum fluctibus obrueretur, stabiliverunt, atque fixerunt, immotamque fecerunt, quæ quia emerserat ex undis, & manifesta apparuerat,

ut vult [b] Plinius, Delos, idest *manifesta*, est appellata; fabulam libro tertio Æneidos respicit Virgilius his verbis:

Sacra mari colitur medio gratissima tellus
Nereidum matri, & Neptuno Ægeo,
Quam pius Arcitenens oras, & litora circum
Errantem Mycone celsâ, Gyaroque revinxit,
Immotamque coli dedit, & contemnere ventos

Quam ego fabulam non attulissem (est enim pervulgata) nisi ad illustrandum Poëtæ nostri carmen maximè pertineret; hac enim expositâ constat, cur Delum obstetricem Latonæ Poëta vocet; cur ob Latonæ partum dicat constitisse

Ἢ Λητοῖ σῆναι μᾶλλον ἀλωομένη,

cur, quum insula Delos esset deserta, id affirmet Junonis irâ accidisse, quæ hanc ab insulâ Latonæ pellicis receptrice seram, sed acerbam, & miserabilem pœnam exegerit. Illud non est tritum, & pervulgatum; quod & si ad hunc propriè locum non spectat; 3
ad consequens tamen epigramma pertinet, ubi Alpheus [c] Mitylenæus Delum *ἀσάλευτον* hoc est, *inconcussam, & immotam* vocat; & est id adnotandum, quod clarissimi Auctores memoriæ prodiderunt; Delum nunquam, quum terra moveret, esse concussam. Citat [d] Macrobius libro tertio Saturnaliorum Epaphum, qui Delum nullo unquam tempore terræ motu agitatam esse confirmat, ne eâ quidem tempestate, quâ Apollinis Delphici templum eâ calamitate deletum est, & plurimæ urbes, & insulæ sunt haustæ; & ideo Virgilium putat Deli Apollinis templo tribuisse vetustatem, quum dixit: [e]

Templa Dei saxo venerabar structa vetusto

Quia non sicut Apollinis Delphici templum terræ motu corruit: citat etiam Thucydidem, sed Thucydides non affirmat nunquam Delum terræmotu laborasse, sed solum ante belli Peloponesiaci tempora; sic enim loquitur historicorum [f] Princeps: *ἔτι δὲ Δῆλος ἐκινήθη ὀλίγον πρὸ τούτων, πρότερον οὔπω σεισθεῖσα ἀφ᾽ οὗ Ἕλληνες μέμνηνται: ad hæc Delos non multò ante movit, quam priùs nunquam movisset, ex quo tempore Græci meminerunt.* Sed ut hic non satis integrâ fide utitur Thucydidis testimonio; ita [g] Brodæus temerè negat summum Historicum fecisse mentionem de motu, aut firmitate insulæ Deli. Quare omnium verissimè [h] Seneca, quem Brodæus [i] reprehendit, qui Thucydidem tradit affirmasse Delum antea quidem immotam fuisse, sed circa Peloponesiacum bellum tremuisse. Thucydidi tamen [l] Herodoti auctoritas opponitur, qui narrat eo tem- 4
pore, quo Daris erat Græcis bellum illaturus

[a] Pindarus apud Strabonem libr. 10 & apud Athen. libr. 15. cap. 14 poëta vetus. [b] Plin. libr. 4. cap. 12. [c] In Antholog. libr. 1. *εἰς νήσους*. epigr. 2. [d] Macrob. libr. 3. Saturnal. cap. 6. [e] Virg. Æn. libr. 3. [f] Thucyd. l. 3. [g] Jo: Brodæus in Schol. ad hoc epigr. [h] Seneca l. 6. nat. quæst. cap. 26. [i] Brodæus ibid. [l] Herod. libr. 6. cap. 98.

rus motam esse Delum; quod oraculum Apollinis hoc versu prædixerat

Κινήσω κ̧ Δῆλον ἀκίνητον περ ἐοῦσαν

hoc est

Et Delon, fuerit licet ante immota, movebo

Callisthenes quoque antequam Bura, & Helice everteretur, concussam esse Delon memoriæ prodidit; idque prodigii loco esse habitum; ex quibus constat, etsi neutiquam sit veritati consentaneum Delum nunquam movisse; tamen id rarò accidisse. Quare quum Poëta dicit constitisse Delum Latonæ puerperio, referri potest id non solùm ad stabilitatem, qua, quum antea mari agitaretur, deinde, ut aliæ insulæ, adhæsit vadis, & stabilita est; sed etiam ad eam, cujus beneficio nunquam, vel rarò concussa est; hanc autem adepta credebatur, quia Apollinem, & Dianam nascentes excepisset. Accepisse & aliud ab Apolline donum dicebatur;
5 oraculum nimirum, quod haudquaquam Delphico concedebat; sed non perpetuum fuit id donum; nam quum Delos diu oraculi claritate floruisset, & incolarum frequentiâ non fuisset ultima insularum, paulatim [a] deserta est; ideo Poëta Delon inducit sese ab incolis destitutam conquerentem; causa autem, cur desereretur, fuit [b] oraculum, quod jam defecerat. Nam quamdiu responsa reddebat oraculum, multi mittebantur a Regibus, multi a civitatibus ad Deum de magnis rebus consulendum; innumeri verò, qui de suis privatis rebus responsa peterent, in insulam proficiscebantur; hi opibus Delum augebant, quibus incolæ alebantur. Accedebat securitas, qua nullum ferè hostem pertimescebant; nam Delii sancti etiam Barbaris habebantur; quapropter [c] quum Datis a Dario missus Atheniensibus bellum illaturus ad insulam Delum appulisset, & Delii metu Persarum in loca tuta confugissent, Datis misit præconem, qui ipsis nunciaret, deponerent metum, neve adventum Persicæ classis exhorrescerent; se quippe non violaturum homines, apud quos duos Deos natos esse constaret. Quum igitur & divitiis insula abundaret, & tutissima putaretur, non mi-
6 rum, si multitudine incolarum frequentabatur; quæ defecerunt, quum defecit, ob eamque causam contemni cœpit, oraculum; defecisse autem non solùm oraculum Delium, sed alia passim oracula Plutarchus præclaro opusculo, ubi causas investigat, cur oracula obmutuerint, memoriæ prodidit, præter pauca quædam omnibus indictum silentium. Juvenalis [d] autem cessare Delphis oracula, Hammonis oraculum adhuc consuli existimat; sic enim loquitur

..... *quidquid*
Dixerit Astrologus credent a fronte relatum
Hammonis, quoniam Delphis oracula cessant

Sed pace Juvenalis dixerim, falsò credidit eâ tempestate Hammonis oraculum non defecisse, quum [e] Plutarchus, qui eodem tempore floruit, disertè ab Hammone Libyco responsa reddi neget, & Tegyram, & Lebadiam solas nominet, quæ ceteris tacentibus reddant oracula. Non igitur mirum,
si ubique terrarum vi fatidicâ exolescente, 7
Deli quoque oraculum obsolevit, ob eamque causam Delos a suis cultoribus destituta inter desertissimas insulas numerabatur; quod apud Poëtam nostrum Delos ipsa queritur hoc epigrammate; ubi animadvertendum est, non queri Delum, quòd Barbarorum naves ipsam prætereant, & negligant, sed quòd Græcorum; quasi dicat non queror Persas, qui omnia Græcorum [f] templa incenderunt: non queror [g] Gallos, qui Delphici Apollinis templo conati sunt sacrilegas manus admovere, sed Græcos; Græcos, inquam, me prætervehi navibus, qui antea solebant huc appellere, ut a me responsa peterent, ut natalem terram Apollinis, & Dianæ venerarentur; quorum nulla classis, nullum navigium Ægæum attingebat, quin ad meos portus se se applicaret, dona ferret, victimas cæderet, oraculo uteretur; addit deinde se nihil aliud esse factam, quàm meram solitudinem, quæ omnium religione colebatur. Et fanè non sine causâ Delos gloriari videtur se omnium cultam religione, se habitam quasi Græciæ sacrarium; nam longum est recensere, quanta ejus insulæ sanctitas haberetur; in eâ commune Græciæ ærarium fuit. Quum e-
nim [h] Xerxem Græci profligassent, & A- 8
thenienses, quorum consilio, copiis, virtute bellum confectum videbatur, ultro sibi præfecissent, ut siquando Persæ rebellarent, his ducibus uterentur, quibus socios rem tam feliciter gesserant, Athenienses, ne instaurante Barbaro bellum pecuniâ indigerent, tributum singulis populis imperarunt, quod quotannis penderetur, & in insulam Delum collectam ex totâ Græciâ pecuniam conferri, & Apollinis tutelæ commendari jusserunt, existimantes tutissimam esse propter insulæ, & templi sanctitatem. Neque enim quenquam ausurum rebantur insulæ bellum inferre, & attrectare pecuniam Deo creditam, quum & Barbaris, & prædonibus venerabilis, & sancta insula videretur, quæ duos, ut fama erat, Deos nascentes excepisset; sedpostea, quum Athenienses justum imperium in tyrannidem convertissent, eam pecuniam Athenas transtule-

[a] Pausan. in Arcad. sive libr. 8. [b] Plutarch. de Defectu Oraculor. [c] Herod. libr. 6. cap. 97. [d] Juven. Satyr. 6. v. 554. [e] Plutarch. de Defectu Oracul. [f] Herodot. lib. 6. cap. 102. & Cic. libr. 2. de Legib. [g] Tit. Liv. libr. 38. [h] Thucyd. l. 1.

stulerunt, & in Arce decem millia talentorum congesserunt, quibus usi sunt ad Peloponesiacum bellum gerendum, quod Græciæ [a] opera maximè attrivit; ita pecuniæ, quæ ad Græciam defendendam fuerant congregatæ, ad evertendam profusæ sunt. Sed ut ad sanctitatem insulæ Deli revertamur,
9 etiam vetustissimis temporibus ea summa credebatur; siquidem Homerus antiquissimus Auctor in eâ conventus omnis Joniæ, & finitimarum urbium celebratos, & gymnicos, & musicos ludos institutos testatur, quod ex his [b] Homeri carminibus intelligi potest

Ἀλλὰ σὺ Δήλῳ, Φοῖβε, μάλιστ' ἐπιτέρπεαι ἦτορ
Ἔνθά τοι ἑλκεχίτωνες Ἰάονες ἠγερέθονται
Αὐτοῖς σὺν παίδεσσι, καὶ αἰδοίῃς ἀλόχοισιν,
Οἱ δέ σε πυγμαχίῃ τε, καὶ ὀρχηθμῷ, καὶ ἀοιδῇ
Μνησάμενοι τέρπουσιν, ὅταν στήσωνται ἀγῶνα

qui versus ita reddi latinis versibus possunt

Sed tibi natalis gratissima Delos, Apollo,
Conveniunt molles ubi longo syrmate Jones
Cum Natis, & conjugibus, teque, inclyte, cestu
Delectant forti, choreisque, & carmine dulci,
Quo te commemorant inito certamine cantus

Quos ludos longo temporis intervallo inintermissos Athenienses instaurarunt, quum Peloponesiacum bellum jam exarsisset, & Delia [c] appellarunt, qua tempestate totam insulam perpurgarunt avectis inde cadaveribus, & dirutis monumentis, ne quid in eâ funestum occurreret. Ex quibus percipi potest, quanta fuerit ejus insulæ religio, quum Athenienses impliciti maximo, periculosissimoque bello, totâ Græciâ in eorum perniciem consurgente, tam diligenter prospexerint, ut veteres honores insulæ referrentur, novi haberentur, & ut ea quàm sanctissimè inposterum coleretur. Sed
10 & illud argumento est, quanta veneratione ea insula digna judicaretur, quòd Atheniensium lege [d] sancitum est, ne quis in Delo nasceretur, aut moreretur; nam & ægroti, & parituræ in Insulam Rheneam deportari jubebantur; quam [e] Polycrates tyrannus Samiorum Apollini Delio dedicavit, & ferreâ catenâ cum Delo conjunxit, ut Thucydides memoriæ prodidit. Nolebant nimirum posse quemquam gloriari se in eâ insulâ esse natum, ubi duo præstantissima Numina nata dicerentur, vel non convenire insulæ sanctitati putabant eam contaminari cujusquam partu, vel morte, quæ duos Deos edidisset, qui Cœli decus, lux, gaudium, & omnium vitæ auctores habebantur. Illud etiam venerationis argumentum est, qua Athenienses Apollinis Patriam venerabantur, quod quotannis mittebant sacram triremem, & in eâ viros Apollini sacra facturos cum donis, quos Græci θεωροὺς ἀπὸ τῆς ὥρας τῶν θεῶν a curâ *Deorum* appellabant; quæ triremis ubi exierat è portu, nemo capitali supplicio afficiebatur, donec ea Athenas revertisset, ut Plato in Critone scriptum reliquit; θεωροὶ qui mittebantur Δηλιασταὶ sunt appellati, ut Harpoeration docet, & [f] Suidas. Nec in Græciâ solùm De-
los, propterea quod duorum Numinum Pa- 11
tria esse diceretur, clara inprimis habebatur, sed ad extremas gentes ejus fama pervenerat; quapropter Hyperborei [g] quotannis sacrorum primitias ad Apollinem Delium mittebant; eas initio tulisse Virgines dicuntur, sed quum earum pudicitia in tantâ longinquitate itinerum inter barbaras gentes parum tuta videretur, nec satis religione, & sanctitate Numinis, ad quod mittebantur, ab externâ libidine defenderetur, est institutum, ut primitias eas Hyperborei ad finitimas gentes deferrent, & eæ rursus ad alias, donec ad Apollinis Delii templum pervenirent. Itaque teste Pausaniâ [h] Hyperborei tradebant Arimaspis, Arimaspi Essedonibus, Essedones Scythis, Scythæ verò Sinopem portabant, inde Prasias, Prasiis verò Athenas deferebantur, Athenienses Deo mittebant. Herodotus [i] tamen Melpomene aliò itinere narrat ea sacra in Delum pervenisse, & primas Virgines, quæ tulerunt, fuisse Hyperochen, & Laodicen, quæ magnos apud Delios honores sunt consequutæ, licet ante Hyperochen, & Laodicen venisse Opis, & Argis memorentur, quas [l] Olen Lycius carmine, quod in Apollinem condidit, nominabat; venisse autem, quum adhuc Apollo, & Diana in terris versarentur. In eo autem
Pausanias cum Herodoto consentit, quod 12
uterque tradit ea sacra ferri solere stipulâ frumenti involuta, sed Pausanias dissentit, quòd Achæjam Virginem Hyperboream nominat, & in eam scriptum esse tradit Olenis carmen. Nominat & Ecaërgen non Argin, ut Herodotus (nisi in Herodoto mendum est) & Opin, & Ecaërgen a Menalopo Cumano dicit esse versibus celebratas. Nec me præterit fabulam fictam nonnullis videri ea, quæ de Hyperboreis muneribus Apollini missa traduntur ab Auctoribus. Ego verò libenter concesserim pleraque, quæ de Hyperboreis memorantur, poëtarum, & scriptorum ingeniis esse in majus aucta, adeo ut fabulis propiora videantur

[a] Plutarch. in Pericle. [b] Homer. in hymn. in Apollin. v. 146. [c] Thucyd. libr. 3. [d] Thucyd. ibid. & Plutarch. in Lacon. Apophr. [e] Thucyd. ibid. [f] Suid. in V. Δηλιασταὶ. [g] Herod. libr. 4. c. 33. [h] Pausan. in Attic. sive libr. 1. [i] Herodotus in Melpom. sive libr. 4. cap. 33. [l] Herodotus ibid. cap. 35.

antur; quis enim [a] Pindaro credat Hyperboreos esse gentem, quæ mille annos vivendo compleat? quis Plinio [b] sub ipso cardine Mundi sitam esse, & tamen frui eâ Cœli temperie, ut nunquam hiemis inclementiæ sit obnoxia, quum idem ab Æquinoctio autumnali ad vernum perpetuam habere noctem fateatur? Diodoro [c] Siculo terram, quæ tam longè sit posita ab aspectu siderum molliorum, bis ferre fructum? quis denique omnibus Hyperboreis ignotas esse lites, ignota jurgia, ignota bella; nullum apud eos malum facinus audiri, neminem a justitiæ præceptis desciscere; vitam coli hilarem, & omnibus deliciis affluentem, non in negotiis, sed in conviviis, & canendis Deorum, & præcipuè Apollinis laudibus occupatam? degere eos in nemoribus, & lucis, qui assiduè personent Citharæ cantu, & perstrepant choris Numina colentium virorum, & feminarum; nec domibus indigere clementiam Cœli. Enimvero accedo [d] Cle-
13 mentis Alexandrini sententiæ, qui Hyperboreos, & Arimaspos, & Helysios campos fictos a poëtis putat, ut nobis exemplar justorum Reipublicæ proponerent; sed ut hæc ficta esse facilè concesserim; ita non præfractè negaverim fuisse gentem, quæ Apollinem veneraretur, quæ mitteret quotannis in insulam Delum munera, quum præsertim id gravissimi Auctores testatum reliquerint; eam, quia propter longinquitatem ignorabatur, ubi terrarum degeret, Veteres putasse supra Mæotin paludem habitare, quia sicut [e] Strabo asseverat, nemo sciebat antiquitus, quid esset ultra Mæotin paludem: nemo ea loca perlustrarat, nemo certam historiam earum regionum acceperat; quapropter in multis a veritate longissimè [f] aberrarunt. Nam Riphæos, & Hyperboreos montes altissimos supra paludem Mæoticam esse prodiderunt, atque in viciniam lunaris orbis attolli, quum constet supra Mæotin regiones in immensam planitiem diffundi, nullos Riphæos, nullos Hyperboreos montes inveniri. Diodorus [g] Siculus tradit Hyperboreos incolere insulam Siciliâ non minorem, Oceano circumfusam, sub ipso Mundi cardine, ubi in tantam altitudinem tellus attollatur, ut Luna terris proxima aspiciatur, in eaque perspicuè montes, & vallium cava cernantur; sed cujus est inscitiæ arbitrari Orbem terrarum in aliquâ parte Cœlo esse vicinum, quum distet ubique tantundem a Cœlo, & centri locum obtinere videatur? Pomponius Mela Hyperboreos
14 esse credit in Asiâ, & accolere Oceanum Glacialem; Solinus in Europâ colloeat; refert tamen opinionem quorundam, quam puto ad veritatem proximè accedere, qui statuunt Hyperboreos medios inter Antipodum Solem occidentem, & nostrum orientem; nec alios esse arbitror Hyperboreos, quàm populos, qui Seres appellantur lanificio silvarum nobiles; nam Serica regio non est quidem inter Antipodum occidentem Solem, & nostrum orientem collocata; non abest tamen longè; siquidem Sera urbs, unde genti nomen, centum septuaginta septem partes obtinet longitudinis, ut perspici potest ex tabulis Ptolemæi. Præterea Seres, ut Hyperborei, dicuntur ad longissima vitæ spatia pervenire; habeo quippe Auctores, qui tradant Serum pleroque ducentesimum ætatis annum explere vivendo. Nec ea, quæ de temperie Cœli, qua fruuntur Hyperborei, qui nunquam aut frigoribus nimiis infestantur, aut Solis torrentur ardoribus, abhorrent a naturâ Sericæ regionis; quum in eo Mundi positu Serica sit collocata, ut verisimile sit, neque immodico frigore, neque nimio calore plerasque ejus partes laborare. Hyperboreorum [h] terra tantæ feracitatis esse dicitur, ut bis quotannis fruges ferat, quod consentaneum est & Sericæ convenire; quum sit Indiæ extra Gangem regio, ut nonnullis videtur, qui Sericam Indiæ partem faciunt, & India auctore Martiano Capellâ
bis aratro proscindatur, bis fruges fundit. 15
Seres, ut [i] Plinius tradit, cum aliis hominibus non commiscentur, nec Hyperborei quidem aliarum gentium societatem appetiverunt; quum nemo, aut paucissimi dicantur ad eos penetrasse; ex Hyperboreis autem solus Abaris patrio solo relicto ad exteras gentes profectus esse narretur; ex quo factum est, ut Græci diligentissimi omnium indagatores in tantâ eorum ignoratione versarentur. Solinus non contemnendus Auctor affirmat Seras erga suæ gentis homines esse mitissimos, esse præterea quietissimos; Hyperboreos [l] vacare jurgiis, vacare litibus, vacare bellis, omnes ferè poëtæ, scriptoresque tradiderunt. Hyperboreos prædicant esse justissimos, Seras quoque justitiâ præstare confirmant; siquidem [m] mercatores, qui ad eos commeabant, exponebant suas merces, quarum Seres oculis pretia æstimantes, ejusdem pretii alias reponebant, & cum illis permutabant; quod tantâ justitiâ faciebant, ut ne dum jurgiis, sed ne verbis quidem uti cogerentur, & cum exteris commercio rerum, non sermonis
miscerentur. Nec contemptum quidem 16
mor-

[a] Pindarus apud Strabonem libr. 15. [b] Plin. libr. 4. cap. 12. [c] Diodor. Sicul. libr. 2. Biblioth. Hist. [d] Clem. Alex. Stromat. libr. 4. in fine. [e] Strabo libr. 1. [f] Strabo libr. 7. [g] Diodor. Sicul. libr. 2. Biblioth. [h] Diod. Sicul. libr. 2. Biblioth. [i] Plin. libr. 6. cap. 17. [l] Cæl. Rhodigin. libr. 16. c. 22. [m] Plin. libr. 6. cap. 22.

mortis; qui in Hyperboreis esse traditur, credibile est a Serum moribus dissidere; narrant [a] Hyperboreos, ubi satias eos vitæ cepit, se se e præruptis rupibus in mare præcipitare solitos; sive autem Seras Scythis, sive Indis aggregemus, in utrisque magnus mortis contemptus reperitur. Accedit eodem, quod Diodorus [b] Siculus affirmat Hyperboreos uti linguâ ab omnibus aliis discrepante, & Seras [c] Plinius tradit habere sermonis genus ab omnium aliarum gentium sermone diversum. Sed & illud ostendit Seras eosdem esse, ac Hyperboreos, quod Pausanias [d] refert munera, quæ Hyperborei mittebant Apollini, primùm Arimaspis tradidisse, a quibus deinde Essedonas accepisse; nam & Arimaspi a nonnullis in regione Sericæ conterminâ collocantur, & haud dubiè Essedones non longissimè a Se-
17 ricâ distant. Sed dixerit quispiam, quum Seres ultimi populi Orientis habeantur, cur Græci in tanto sint errore versati, ut Hyperboreos sub ipsis septemtrionibus collocarint. Huic facilè possumus respondere errorem esse ortum ex eo, quod Græci Hyperboreorum sacra sibi mitti viderent a regionibus, quæ ad septemtriones vergunt, ideoque proficisci ea crediderunt a gente, quæ terram incoleret septemtrioni subjectam; quod eo faciliùs accidit, quod, ut Strabo testatur, omnes eâ tempestate regiones, quæ sitæ sunt supra Mæoticam paludem, ignorabant. Quapropter multi dixerunt Mæotin septemtrionalis Oceani sinum, quod etiam de mari Caspio plerique falsò affirmarunt. Quum igitur Hyperborei Seres esse videantur, & ab Hyperboreis insula Delos coleretur, meritò Poëta noster ait fuisse *τὸ πάλαι σέβας*. Quanta enim terræ fuit veneratio, quam Oriens, & Occidens magnâ religione coluit; nec Orientis tantùm eæ partes veneratæ sunt, quæ a Græciâ non magno divisæ sunt intervallo, sed eæ, quibus nullæ sunt remotiores. Et sanè nulla regio Orbis rom cogniti ferè fuit, quæ tanto spatio a Græciâ distaret, qoanto Seres, hoc est Hyperborei; ideò Græcis usurpatum proverbium, quum aliquid remotissimum significare vellent, ut dicerent spud Hyperboreos esse. Quapropter Antipater [e] argutè dixit de eadem insulâ Delo

Α'λλὰ κ̣ Ο'ρτυγίην ἔσχε κλέος, ὄνομα δ' αὐτῆς
Η'ρχετο Ρ'εναίων μέχρις ὑπερβορέων

hoc est

Magna quoque Ortygiæ contingit gloria, cujus
Nomen ad extremos fertur Hyperboreos

nam simul & respexit proverbium, & atti-
18 git historiam. Sed de Hyperboreis hactenus, & Antipatri epigrammate; ceterùm, ne quid, Auditores, notitiæ vestræ subtrahamus, Antipater, & fama vulgatior Apollinem, & Dianam natam in Insulâ Delo confirmat; sed alia quoqoe loca id sibi decus vindicarunt. Nam [f] & Ephesii Cenchrium amnem ostendebant, & locum Ortygiam, obi Latonam ferebant innixam Oleæ Dianam, & Apollinem edidisse, & Tegyrei Apollinis, & Dianæ natalibus, [g] gloriabantur, & oraculi Delphici testimonio utebantur, qood id Tegyræ decus asseruerat; nam quum Peloponesiaco bello Delii insulâ pulsi sedibus extorres vagarentur, oraculum adierunt consulentes, quo pacto in Patriam restitui possent, respondisse fertur Pythia: Patriæ compotes eritis, quum locum, in quo natus est Apollo, divinis rebus rite perfectis venerati fueritis. Quum Delii responsum mirarentur, quia sibi persuaserant non aliam esse terram natalem Apollinis, quàm Delom, consulto rursus oraculo, Pythiâ monstrante, invenerunt in Bœotiâ Apollinem natum, ubi est Tegyra; esse ibi duos fontes, quorum alter Palma, alter Olea vocaretur, in quorum medio enixam esse Latonam; ideo proditum Latonam palmæ, vel oleæ innixam peperisse, & qoum sacra fecissent, non longo post tempore sunt in Patriam restituti.

DISSERTATIO LXXVIII.

In Agathiæ Scholastici Epigramma Libri primi in Fortunam.

Dissertatio Prima.

De Inconstantiâ Fortunæ.

Potentiam, & felicitatem consequuti insolentiâ nimis efferuntur, & præcipuè humili loco nati, cujus rei multa exempla suppetunt.

Quamvis omnium vocibus ubique gentiom fortuna semper sccusetur, &, ut [h] Plinius ait, vaga, volubilis, inconstans, varia, indignorum fautrix sppelletur; tamen haudquaquam pium judico fortunam conviciis proscindere, & incessere maledictis; quid enim aliud fortuna, nisi Dei providentia; quatenus in his bonis, quæ fortuita videntur, administrandis, dispensan- 1
disque

[a] Plin. libr. 4. cap. 12. [b] Diod. Sic. libr. 2. [c] Plin. libr. 6. cap. 22. [d] Pausan. in Attic. sive libr. 1. [e] Antipater in Authol. libr. 1. epigr. 3. in Insulas.

[f] Strabo libr. 14. [g] Cæl. Rhodig. libr. 5. cap. 6. [h] Plin. libr. 2. cap. 7.

disque versatur? qui igitur fortunam reprehendit, qui cæcam esse arguit, divinam providentiam reprehendit, cæcam esse arguit divinam providentiam; cujus comparatione nec Argus fuit oculatus, nec Lyncei oculi fuerunt perspicaces. Sed quàm absurdum est accusare fortunam Dei famulam, & administram, tam utile est, tam consentaneum rationi Mortales admonere, & diligenter animadvertere, quibus vitiis soleant laborare tam ii, qui prosperis, quàm qui adversis rebus utuntur. Nam licet fortunæ motus mari similes esse videantur, tamen hoc habet fortuna dissimillimum mari, quod tranquillo mari navigantes pauciora pericula pertimescunt, quàm qui tempestate jactantur; at in hoc fortunæ pelago, qui secundis auris vela pandunt, facilius, quàm quos adversa exercent, naufragium faciunt, & tranquillitas frequentissimè est tempestate periculosior; quia, ut Cornelii [a] Taciti verbis utar, secundæ res acrioribus stimulis animum explorant. Operæpretium igitur fuerit Agathiæ Scholastici epigramma contemplari, ubi quædam vitia enumerat, quæ prosperam fortunam consequuntur; in quo eos, qui repente ex inopiâ emerserunt, qui summas opes nacti sunt, & potentiam, & magistratus, ait & conditionis, qua antea utebantur, oblivisci, nec inconstantiam, levitatemque fortunæ cogitare, sed tanquam eam clavo trabali fixerint, perpetuò mansuram arbitrari; his autem versibus hanc Poëta sententiam complectitur

Εὖτέ τις ἐκ πενίης πλούτου τύχοι, ἤδε καὶ ἀρχῆς,
Οὐκ ἔτι γιγνώσκει, τίς πέλετο πρότερον:
Τὴν ποτὲ γὰρ φιλίην ἀπαναίνεται, ἀφρονέων δὲ
Τέρψιν ὀλισθηρῆς οὐ δεδάηκε τύχης

qui versus ita a nobis explicantur

Quum quis inops est, nactus opes, fascesque superbos,
Nec meminit fortis, qua prius usus erat.
Quos coluit nuper, stultus fastidit amicos,
Nec didicit ludos, lubrica Diva, tuos

In quibus versibus verissimè Poëta noster affirmat solere homines, qui ex humili ad
2 magnas opes, & potentiam pervenerunt, secundis rebus efferri, & suæ conditionis oblivisci; nam hoc habet magna fortuna, immemores fortunatos facit, & humanæ fragilitatis ignaros, ut illud [b] præceptum γνῶθι σεαυτὸν *nosce te ipsum* præcipuè felicibus ab oraculo editum, & datum esse videatur. Ideo Philippus Macedoniæ [c] Rex, quum res magnas gessisset, & semper ejus optatis fortuna respondisset, ne prosperis nimis insolesceret, & in oblivionem humanæ conditionis adduceretur, negotium puero dedit, ut quotidie mane, quotiescunque surgeret e lecto, identidem in aurem insusurraret ea verba Φίλιππε, μέμνησο ἄνθρωπος ὤν *Philippe memento te esse hominem*. Timebat nimirum prudentissimus Rex, ne altitudo fortunæ in summo rerum fastigio constituto caliginem, & tenebras offunderet, & rerum gestarum splendor mentis aciem perstringeret, quod frequenter evenire intelligebat. Idcirco Isocrates Epistolâ ad Dionysium juniorem πρόπομποι, inquit, καὶ ῥαβδοῦχοι, καὶ κήρυκες, καὶ θρόνων ὑψηλοτάτων ἐντεύξεις φιλοσοφίας εἰσὶν ἀχλύς, καὶ διαιρετικώτατος τῶν ἀρετῶν χωρισμὸς hoc est: *satellites, lictores, & præcones, & altissimi adeptio solii, caligo sunt philosophiæ, & longissimè separant, atque sejungunt a virtutibus*; deinde tyrannum pergit admonere non mutasse naturam cum fortunâ; adhuc vile corpusculum circumferre, adhuc esse mortalem, increpatque hominem, quòd vanissimo tumore inflaretur, quòd memoriam naturæ sue funditus amisisset, & in magnâ sui ignoratione versaretur. Quæ declarant Dionysium posteaquam adeptus est imperium, idque tantis præsidiis, tantisque munimentis firmavit, 3
ut adamante vinciri diceretur, in intolerandam arrogantiam esse prolapsum; & eo inscitiæ processisse, ut se ipsum prorsus ignoraret; quæ res ipsi exitium maturavit, & ex altissimo fastigio devolutum detrusit in ludum litterarium, eâ voce, qua leges populis dederat, pueris grammaticæ artis præcepta traditurum, & manu, qua sceptra tenuerat, ferulas gestaturum. Nec unus Dionysius fortunæ blandientis illecebris delinitus in oblivionem sui venit, sed magna pars eorum, qui excellentibus copiis, aut imperio floruerunt. Non libet commemorare [d] Xerxis insaniam, qui mari, tanquam servo nequam, compedes injecit, non Saporis [e] Regis Persarum, qui se se Solis, Lunæque fratrem jussit appellari; non [f] Mithridatis, qui se Liberum Patrem passus est nominari; non Tigranis, qui Regibus tanquam mancipiis ære emptis ad vilissima ministeria abutebatur. Facilè quispiam dixerit, mores Barbarorum insolenti fastu efferuntur; quid Græci, quid Romani, quorum solidior virtus, & bonis artibus instructior a Barbarorum vanitate abhorrere videbatur; nonne rebus prosperè fluentibus eò superbiæ processerunt, ut sibi ipsis excîderant? Pausanias [g] Persis devictis in eo- 4
rum, quos vicerat, mores transivit, & intolerando fastu rerum a se gestarum claritudi-

a Corn. Tacit. libr. 1. Histor. n. 15. b Diog. Laert. libr. 1. segm. 40. in Vitâ Thalet. Hesychius, & Clem. Alex. Stromat. libr. 1. & Jo: Stobæus serm. 21. c Ælian. var. Histor. apud Jo: Stob. serm. 21.

d Herodot. libr. 7. cap. 35. e Cæl. Rhodig. libr. 8. cap. 2. f Plutarch. Sympos. libr. 1. quæst. 6. g Athen. libr. 12. cap. 9.

tudinem obscuravit, & dum altiorem fortunam concupiscit, sibi ruinam struxit, atque interitum: Alexander [a] humi jacentium adulationes desideravit: [b] Antigonus pro Baccho se coli jussit, & pro causiâ, & diademate Macedonico hederam capiti circumdedit, & pro sceptro thyrsum gestavit: Cæsar [c] posteaquam est rerum potitus, elatus rerum successu ita se gessit, ut a conjuratis jure interfectus videretur: Antonius libenter audivit adulationes Athenienfium se se Dionysum appellantium, & sibi Minervam suam in matrimonium collocantium: Domitianus [d] Deum se nominavit, Commodus [e] Herculem: Caracalla [f] haberi se voluit Alexandrum Macedonem, exercitu in modum Macedonicæ phalangis instructo, & quoniam virtutes non poterat, Alexandri vitia ineptissimè imitabatur. Quæ exempla nonne declarant homines
5 fortunæ donis cumulatos ita infatuari, ut non suæ modò conditionis, verùm etiam naturæ immemores evadant? Quod si illi, qui ab initio fuerunt in altissimo dignitatis gradu collocati, qui fuerunt & honoribus, & imperiis innutriti, & a pueris in summâ semper amplitudine, & splendore versati; vi tamen fortunæ in tantam ignorationem sui adducunrur; quantò magis illi adducenrur, qui humili loco nati ad summas opes, & imperia ascenderunt, quibus improvisa fortuna inopinam amplitudinem, claritatemque circumdedit? Nam ita naturâ comparatum est, ut vitia, quæ magnam fortunam comitari solent, magis afficiant eos, magis eos pessundent, qui prosperis non assueverunt, qui initio tenues, aut nullas copias habuerunt, qui sunt in summâ obscuritate versati. Ideo Juvenalis [g] id genus hominum esse pessimum his versibus indicavit

...... inde reversi
Conducunt foricas, & cur non omnia? quum sint,
Quales ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties voluit fortuna jocari

& [h] Claudianus his verbis

Asperius nihil est humili, quum surgit in altum;
Cuncta ferit, dum cuncta timet, desævit in omnes,
Ut se posse putent; nec bellua tetrior ulla est,
Quàm servi rabies in libera terga furentis

Sed præcipua hujus generis est ignoratio sui,
6 & quædam cæcitas mentis; sicut enim solent, qui diu in tenebris vitam egerunt, ad insolitæ lucis aspectum caligare; ita qui e tenebris, & obscuritate fortunæ ad vitæ splendidioris lucem emerserunt, mentis acie destituti in clarissimis rebus prorsus cæcutiunt. Eleganter Horatius ebrietati comparat [i] animi affectionem abundanribus fortunæ bonis diffluentis, atque gestientis, qui de Cleopatrâ indulgentiâ fortunæ elatâ, & immodica sperante, & concupiscente sic loquitur:

...... quidlibet impotens
Sperare, fortunaque dulci
Ebria.....

Verè enim qui fortunæ blandimentis se corrumpendos dederunt, non sunt mentis compotes, ut ebrii, & furore quodam corripiuntur; sed quemadmodum in ebrietatem faciliùs incidunt, qui vino non assueverunt; ita faciliùs prosperis rebus desipiunt, atque insaniunt, qui nullam fortunæ liberalioris dulcedinem antea gustaverunt. Quare cavendum est, ne repentinâ prosperitate fortunæ transversi agamur, ne secundo flatu efferamur; nam cum in omnibus arrogantia, & ignoratio sui est odiosa, tum in his maximè, qui ex humilibus initiis creverunt.
Proderit autem habere ante oculos humili- 7
tatem prioris fortunæ, incerta casuum humanorum semper meditari, & nunquam ita fidere præsentibus, ut mutari non posse credamus. Sapienter Agathocles [l], quum patre figulo procreatus Regnum Siciliæ tenuisset, inter apparatum regiæ mensæ vasa Samia collocabat, ut quum ea conspiceret, artis paternæ recordaretur, & ex quàm humili loco ad tantas opes processisset, cogitaret; ut eleganter [m] Ausonius de eo scriptum reliquit hoc epigrammate

Fama est fictilibus cenasse Agathoclea Regem,
Atque abacum Samio sæpe onerasse luto,
Fercula gemmatis quum poneret horrida vasis,
Et misceret opes, pauperiemque simul,
Quærenti causam respondit, Rex ego, qui sum
Sicaniæ, Siculo sum genitore satus.
Fortunam reverenter habe, quicunque repente
Dives ab exili progrediere loco.

Hunc imitentur oportet, quicunque tenuem, obscuramque fortunam cum splendidâ commutarunt; neque tam, ut Agathocles, debent monimenta pristinæ artis, & conditionis oculis proponere, quàm infigere animo memoriam, nec pati unquam effluere; neque enim præsenti fortunâ digni esse possunt, nisi præteritam recordentur; neque suas opes unquam stabilire, nisi instabiles, & fluxas esse cogitarint.

DIS-

---

[a] Plutarch. in Vitâ Alexandri. [b] Herodian. libr. 1. in princip. [c] Sueton. in Vitâ Cæsaris. [d] Suet. in Vitâ Domitiani cap. 13. [e] Æl. Lamprid. in Vitâ Commodi. [f] Ælius Spartian. in Caracall. [g] Juvenal. Satyr. 3. v. 40. [h] Claud. in Eutrop. libr. 1. v. 181. [i] Horat. libr. 1. Od. 37. [l] Plutarch. in Apophc. [m] Auson. in epigr. 8.

DISSERTATIO LXXIX.

In idem Epigramma.

DISSERTATIO SECUNDA.

Potentiam nacti veteres amicos repudiant; quare nullos habent; nam illi, quos de novo acquirunt, non sunt veri amici; idcirco ii laudandi, qui veteribus amicis gratias retulerunt, eosque imitandos proponere nobis debemus.

ALexander ille Magnus, ut est apud [a] Stobæum sermone de cognitione sui, quum ex diutino morbo recreatus tandem convaluisset, gratias habendas invaletudini esse dixit; admonuit quippe nos, inquit, morbus, ne magnificè nimiùm de nobis, elatèque sentiamus, quum ejus beneficio nos mortales esse perspexerimus. Tanta vis est in adversis, Auditores, ad a-
1 nimum intra modum coërcendum, ut potentissimus ille Regum, quo nemo Mortalium in altiore fastigio est a fortunâ collocatus; qui res eas gesserat, quæ possent quemlibet quantumvis demissum ad superbiam, & fastum excitare; eâ fuit animi elatione, ut nunquam modicis acquiesceret; adversis castigatus omnem tumorem, & immoderationem abjecerit, plusque una calamitas ad moderationem valuerit, quàm omnium adulationes, resque præclarissimè gestæ, & ab Jonio mari usque ad Indicum Oceanum porrectum imperium ad superbiam, fastumque valuerunt. Quod si adversa contrahunt mentem, & ad cognitionem sui reflectunt, fecunda certè diffundent, & a se cogent aberrare. Atque hoc est, quod Poëta noster ait, eos, qui repentinas, & inopinatas opes, & imperia sunt consequuti, non meminisse pristinæ fortunæ; sed in eo præcipuè cerni hanc eorum oblivionem, quòd amicos, quibus antea
2 sunt usi familiariter, aucti copiis, & honoribus repudiant. Et fanè, ut qui in miseram, afflictamque fortunam inciderunt, ab amicis relinquuntur; ita qui repente divites, repĕte potentes evaserunt, amicos relinquunt; quod ipsis perincommodum, ne dicam perniciosum est; nam suos amicos aspernantur, amicos fortunæ amplectuntur. Quò fit ut a multis observari, a multis coli videantur, re autem verâ desertissimi vivant; & omnibus quidem copiis affluant, in summâ amicorum inopiâ, penuriaque versentur, quibus nulla possessio pretiosior, nullæ copiæ beatiores. Quocirca rem altiùs introspicientibus videtur fortuna, quos repente fovit, non tam divites, quàm inopes effecisse; auxit quippe divitiis, quas nemo Sapiens magnopere concupivit; amicis nudavit, quos omnes ad beatè vivendum, tuendamque vitam, & rem necessarios arbitrantur; ut mirari fubeat [b] Pindari dictum, qui divitias amicis abundantes pedissequas appellavit πολύφιλον ἑπέταν; non abundant amicis divitiæ, præsertim eæ, quæ repente affluxerunt: non abundant honores, neque magistratus, quum delati sunt ad eos, qui humili fortunâ utebantur. Quum enim hi nuncium amicis remittant, quos adjunxerant sibi, quum inopes essent, qui verè diligebant; neque enim opes, verùm hominem diligebant; illos adsciscant, qui ad florentem fortunam, tanquam monædulæ ad aurum, convolarunt, nec illos habent amicos, quos rejecerunt, nec hos, quos admiserunt. Nam hi non hominem, sed fortunâ consectantur, quæ quum splendidissima est, raro conciliat veras amicitias.
3 Ideo tyrannos audimus in scena se querentes inopiâ amicorum occidisse, & Ægisthus apud Sophoclem accepto lethifero vulnere clamat

Ι'ὼ ςεγαὶ
Φίλων ἔρημοι, τῶν δὲ κτεινόντων πλέαι
Eheu domus
Vacua ab amicis, plenaque occidentium

Et ut abeamus a [c] scena, Dionysius Siciliæ tyrannus, quum falsorum amicorum gregibus abundaret, quum pulcherrimo fastigio niteretur, neminem invenit afflictâ fortunâ, qui se, non dico, amaret; sed qui suam sortem miseraretur, licet antea circa se plurimos habuisset, qui se ejus amore insanire simularent; & [d] Nero exercituum defectione nunciatâ, quum amicorum domus circuisset, neminem reperit, qui pulsanti aperiret. Sed hi diritate ingenii omnium in se odia commorant; quid Cæsar? quo nemo clementiùs est usus victoriâ, qui Mortales omnes liberalitate sibi devinxisse videbatur; tamen [e] est ab iis, quos ad summam potentiam provexerat, quos auxerat opibus, quos honoribus cumularat, trucidatus. Nimirum non fortunæ magnitudo
jungit amicitias, sed morum similitudo, sed 4
perspecta virtus, sed amor mutuus, & fides, & veritas, quibus est cum Tyrannorum potentiâ dissidium sempiternum. Itaque Socrates [f] capitali judicio damnatus tot habuit arctissimo caritatis uinculo conjunctos amicos, qui parati erant opes profundere, offerre caput periculis, & invidiæ populari,

[a] Stob. serm. 21. [b] Pindar. Pyth. Od. 5. [c] Valer. Maxim. libr 6. cap. 11. [d] Suet. in Vitâ Neron. cap. 47. [e] Idem in Vitâ Cæsar. cap. 82. [f] Diog. Laërt. libr. 2. in Vitâ Socratis.

ri, quò Socratem morte liberarent; & quum ille mori præoptasset, quàm videri legibus non paruisse, & exemplo cives invitare ad Patriæ jura infringenda, dies, [a] noctesque celebratus est carcer amicorum frequentiâ, qui ad eum invisendum, audiendum, & non ad hominem consolandum, sed ad leniendum eo consolante dolorem, quem ex ejus calamitate ceperant, commeabant; ipse carnifex invitus, lugensque, & gemens ipsi mortiferum poculum propinavit; Cicero verò in orationibus testatur, sibi, quum extorris Patriâ, Republicâ, quam servarat, careret, crevisse numerum amicorum. Non igitur fortuna quemadmodum divitias, honores, imperia, potentiamque largitur; ita & amicitias donare potest; quum & Sapientes in adversis amicis abundasse, & fortunatos in prosperis caruisse videamus. Nam si fortuna contraheret amicitias, non vir-
5 tus; Epicurus [b] amicis omnino caruisset, quid enim habuit Epicuri fortuna præclarum, qui fructibus hortuli vitam sustentavit? nec magistratus gessit, nec honores, nec imperia, nec divitias, nec gloriam appetivit; & tamen [c] Epicurus habuit incredibili conspiratione amoris consentientes amicorum greges. Verumtamen sicut alia omnia, quæ a fortunâ proficiscuntur, sunt fucata bona, non vera; ita amicitiæ, quæ fortunam comitantur, simulatæ, non veræ reperiuntur. Fallitur autem vulgus, & quum videat opulentos prodire cum magno agmine assectarum, mane salutari, officiis coli, stipari, deduci domum, putat sicut ceteris bonis, amicis abundare; falluntur & opulenti, qui officia intuentes multorum, se a multis plurimi fieri arbitrantur, & amicos, quorum se habere magnam copiam credunt, sibi non conantur adjungere. Sed ignoscendum iis,
6 quibus indulgentia fortunæ nunquam defuit; quum enim, ut [d] Isocrates ait, quemadmodum aurum probatur igne, ita adversis amici spectentur; quæ sententia sic ab Ovidio [e] exponitur

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum;
Tempore sic duro est inspicienda fides;

ipsi verò nunquam adversa fortunæ sint experti, non mirum est, si falluntur in amicis deligendis; iis autem ignosci non potest, quibus tenues res initio fuerunt, deinde amplæ, ac splendidæ, & omnibus fortunæ muneribus exaggeratæ; possunt quippe nullo negotio veros amicos a falsis dignoscere; neque ipsis adhibendæ sunt artes, quas Plutarchus demonstravit libello, quo docet, quo pacto Amicum ab adulatore distinguamus; hoc satis est [f] Martialis præceptum, quod cuidam seni, & orbo, & locupleti dedit:

Orbus es, & locuples, & Bruto consule natus,
Esse tibi veras credis amicitias;
Sunt veræ, sed quas juvenis, quas pauper habebas;
Qui novus est, mortem diligit ille tuam

Qui amabant pauperem, qui nullis opibus, nullâ potentiâ præditum, hi sunt amici veri judicandi; qui verò, posteaquam quis evectus est ad summam amplitudinem, præseferunt signa benevolentiæ, observant, colunt, eorum suspecta esse debet amicitia, & non quidem prorsus repudianda est, sed iis artificiis exploranda, quæ philosophi docent; illi verò superiores non amplius explorandi, sed fovendi, sed amplectendi, opibus cumulandi, & in possessionem bonorum, quibus fruimur, vocandi Sapienter [g] Dionysius senior, quum apud Diony- 7
sium juniorem vidisset pretiosam supellectilem, vidisset magnum pondus argenti, magnam vim auri cælati, magnam gemmarum, & pecuniæ, filium acriter objurgavit, quod tantis opibus nullum sibi amicum comparasset; quantò rectius hi possunt reprehendi, quòd tantis opibus nullum amicum retinuerint, quum sit difficilius parare, quàm retinere? Et tamen, quasi deditâ operâ ea facere instituant, quæ abhorrent a rectâ ratione, veteres amicos, quos suis rebus angustis experti sunt studiosos sui, aspernantur, & novisse dissimulant; novos, quos credibile est divitiis potius inhiare, & studere suis commodis, quàm amicitiæ, amplectuntur; idcirco nullius rei magis indigent, quàm amicorum. Quare illi sunt laudandi, qui mutatâ fortunâ non mutaverunt fidem, qui non obliviscuntur beneficiorum, quæ in tenui fortunâ constituti acceperunt. Romulus [h] Accam Laurentiam, a qua, quum fuisset expositus, & a- 8
bjectus ad mortem, fuerat nutritus, Rex creatus perpetuis post ejus mortem sacris institutis consecravit; nec puduit magnum virum se vitam scorto debere testatum relinquere. Darius, [i] quòd, quum privatus esset, accepisset a Sylosone purpureum sagulum, quod cupidè poposcerat, regnum Persarum consequutus ipsum in altissimo dignitatis gradu collocavit, tantoque est amore complexus, ut nemo Sylosonem apud Darium gratiâ antecelleret. Hi sunt imitandi, & non eorum levitas, aut superbia, qui quum ex humili ad magnas opes fortunæ benignitate provecti venerint, amicos vel negligunt, vel obliviscuntur, & ... tunc

[a] Plato in Phædone, & Xenoph. in Apologiâ Socr. & libr. 4 Memorab. in fine. [b] Diog. Laert. libr. 10 segm. 10. [c] Idem libr. 10. segm. 9. [d] Isocr. ad Demonicum. [e] Ovid. Trist. libr. 1. Eleg. 4.

[f] Martial. libr. 11. epigr. 45. [g] Plutarch. in Apophe. [h] Plutarch. in Vitâ Romuli. [i] Herod. libr. 3. cap. 140.

tunc amant, quum benefacere non possunt; tunc autem despiciunt, quum præclaram benefaciendi nacti sunt facultatem; cogitandumque duo esse tempora, in quibus amicitiæ vis maximè cernitur, maximeque laudatur; unum quum eorum afflictam fortunam sublevamus; alterum quum prosperam præsertim inopinam, & insolitam cum ipsis communicamus; qui hæc duo tempora prætermittat, in amicitiâ non solere laudari.

DISSERTATIO LXXX.

In idem Epigramma.

Dissertatio Tertia.

Jocus in verbis, in rebus ludus cernitur. Vita hominum ludo pilæ simillima ob Fortunæ inconstantiam; quam non animadvertere eos, qui prosperâ semper fortunâ usi sunt, tolerabile foret; illud autem nequaquam ferendum, oblivisci levitatis fortunæ eos, qui ex angustiis ad felicitatem emerserunt; quum cogitare deberent, quibus gradibus ad id fastigium ascenderint, iisdem se posse rursus descendere. Democritus, & Epicurus omnia casu ferri voluerunt; Aristoteles verò cœlestia quidem ratione gubernari; quidquid autem Cœlo est subjectum, Fortunæ censuit provinciam; at ceteri omnes philosophi Fortunam esse divinæ providentiæ partem sunt arbitrati; quare Homerus Fortunam non agnovit, & Romani ab ipsis pæne Urbis incunabulis Fortunæ templa condiderunt; & serò admodum Virtuti, quæ mentis est nostræ.

SI tantummodo fiderent prosperis, qui nunquam adversa fortunæ pertulerunt, minùs mirum videretur, minùs eorum imprudentiam accusare possemus. Itaque [a] ignoscendum Cæsari, si tantam in fortunâ suâ stabilitatem esse putavit, ut, quum sævientibus ventis, irato mari, parvo navigio veheretur, quum gubernator metum pallore fateretur, perterritum timere vetuerit, quū exclamaret: bono animo, & securus esto, fortunam Cæsaris vehis; quasi fortuna Cæsaris tam bonæ fidei foret, ut infidum illud elementum fidum Cæsari esset præstatura. Ignoscendum Syllæ, qui [b] Fortunæ filius, & Felix est appellatus, quasi Fortuna ceteros tanquam alienos foveret, Syllam tanquam arctissimâ necessitudine conjunctum ampleĉteretur; & ut mater adduci non potest, ut odio filium prosequatur; ita induci Fortuna non posset, ut Syllam destitueret, & adversaretur. Hi quippe in magnâ opulentiâ a pueris innutriti, magnis fortunæ muneribus cumulati, rebus gestis amplissimis, in pulcherrimo fastigio collocati, nunquam adversis flatibus impediti cursum tamdiu sine offensione tenuerant, & quò contenderant, semper pervenerant. Quid mirum, si perpetuam sibi, propriamque fortunam despondebant? quum viderent posse fieri, ut fortuna, cujus est summa inconstantia, aliquando permaneret, ne constans in levitate suâ videretur. Sed illi, qui initio asperis, & angustis rebus sunt conflictati, qui diu in miseriis, in inopiâ, & obscuritate jacuerunt, siquando secundâ aurâ provecti ex angustiis, & tenebris emerserunt, & lucem aspexerunt, nullo modo sunt ferendi, si non cogitant, quibus gradibus ad id fastigium ascenderint, iisdem se posse rursus descendere, vel deturbari. Nam quemadmodum qui naufragium aliquando fecerunt, magis tempestatem pertimescunt, quàm qui secundo vento semper navigarunt; ita qui tristitiam fortunæ pertulerunt, qui casuum humanorum æstu sunt aliquando jactati, nisi insigni stultitiâ sint, magis, quàm qui prosperâ aurâ semper usi sunt, adversa debent reformidare. Ideo Poëta noster hujusmodi homines imprudentes vocat; sic enim de eo, qui ex inopiâ ad opes, ex humillimâ conditione vitæ ad honores, & potentiam venit, & inflatur præsentibus, præteritorum oblitus, loquitur

...... ἀφραδέων δὲ
Τέρψιν ἀλιτρηρὴς ἃ δεδάηκε τύχης

Imprudens, inquit, & stultus non didicit, quàm gaudeat fortuna mutare vices rerum, & quàm libenter, quos depressit, extollat; & quos extulit, deprimat; quum tamen ex iis, quæ ipsi contigerunt, fortunam esse mutabilem possit cognoscere, nec ejus inconstantiæ aliunde petere cogatur exempla. In hoc autem loco delectationem fortunæ vocat has vicissitudines rerum humanarum, 2 quibus tenues, & humiles augentur, & attolluntur; magni, & opulenti attenuantur, & deprimuntur, res Mortalium sus deque vertuntur, mutantur omnia, nihil manet, miscentur lætis tristia, triumphi cum funeribus junguntur, cum gaudio luctus, cum gratulatione commiseratio, quas [c] Horatius vices ludum fortunæ maluit appellare; sic enim loquitur

Fortuna sævo læta negotio, &
Ludum insolentem ludere pertinax
Trasmutat incertos honores
Nunc mihi, nunc alii benigna

& a-

[a] Plutarch. de Fortun. Roman. circa init. [b] Plut. ibid. [c] Horat. lib. 3. Od. 29.

& alio [a] in loco

Motum ex Metello consule civicum,
Bellique causas, & vitia, & modos,
Ludumque fortunæ, gravesque
Principum amicitias, & arma
Nondum expiatis uncta cruoribus,
Periculosæ plenum opus aleæ
Tractas......

& [b] Juvenalis fortunæ ludum agnoscit his verbis:

..... quum sint,
Quales ex humili magna ad fastigia rerum
Extollit, quoties voluit fortuna jocari

ubi Poëta jocari dixit impropriè, quum dicere debuisset ludere; nam jocus in verbis,
3 ludus in rebus cernitur; eodem modo [c] Horatius Veneris ludum jocum appellavit:

Sic, inquit, *visum Veneri, cui placet impares*
Formas, atque animos sub juga ahenea
Sævo mittere cum joco

& [d] Claudianus de fortunâ ludos in rebus humanis faciente sic loquitur:

Hoc regni fortuna tenes? quænam ista jocandi
Sævitia? humanis quantum bacchabere rebus?

Quòd autem in humanis fortuna dominetur, & ea ludere videatur; ideo vita ludo comparatur; quapropter [e] Terentius vitam simillimam dixit ludo tesserarum; sic enim Adelphis loquitur

Ita vita est hominum, quasi quum ludas tesseris,
Si illud, quod opus maximè est jactu, non cadit,
Illud, quod cecidit forte, id arte ut corrigas

Quam similitudinem Comicus a Platone
4 sumpsit libro decimo de Republicâ; Plautus [f] autem hominum vitam ludo pilæ confert

Dii nos, inquit, *quasi pilas homines habent*

Quæ similitudo est aptissima; nam sicut pila jactata in altum ascendit, deinde consumpto impetu, quo impellebatur, descendit, ad terramque fertur; ita homines in altum tolluntur, deinde fortunæ, quæ ipsos provexerat, favore destituti deprimuntur, & quo altiùs ascenderant, eo vehementiùs in præceps devoluuntur, quam comparationem Palladas uno verbo expressit [g] Anthologiæ libro primo, quum dixit homines a fortunâ σφαιρηδὸν extolli

Καὶ τοὺς μὲν κατάγουσα πάλιν σφαιρηδὸν ἀείρει,
Τοὺς δ' ἀπὸ τῶν νεφελῶν εἰς ἀΐδην κατάγει

More pilæ quos abjecit, sustollit in altum;
Quos Cælo invexit, rursus ad ima trahit

Plato quoque esse ludum Deorum affirmavit, quem imitatus Poëta in [h] Anthologiâ homines esse ludum fortunæ dixit his verbis:

Παίγνιόν ἐστι τύχης μερόπων βίος.....

hoc est

Est genus humanum fortunæ ludus....

Sed hi morem hunc fortunæ, quo rerum vices variat, & humana nunquam patitur consistere, longiùs a ludo metaphorâ ductâ 5
expresserunt; Horatius, [i] quemadmodum Poëta noster, dixit simpliciter mutationibus, & conversionibus rerum delectari

...... valet ima summis
Mutare, & insignem attenuat Deus
Obscura promens; hinc apicem rapax
Fortuna cum stridore acuto
Sustulit, hîc posuisse gaudet

Ac ne in eo quidem ab Auctore nostro discrepat Horatius, quod noster Auctor mutationes rerum fortunæ tribuit, Horatius Deo, cui sapientissimè fortunam subiicit. Nam [l] fortunam esse partem divinæ providentiæ plerique Veterum crediderunt, quatenus videlicet hæc fluxa, & caduca dispensat, atque moderatur; siquidem [m] Democritus, & Epicurus, ejusque sectatores omnia casu, temereque ferri voluerunt, & nullum in Universo providentiæ locum reliquerunt; Aristoteles autem cœlestia ratione, & mente divinâ gubernari; quidquid est subjectum Cœlo, censuit esse fortunæ provinciam, nec ad hæc inferiora pertingere divinæ potestatis imperium; hîc omnia nullâ lege agitari, nullo ordine moveri, & inanis motionibus cieri existimavit; ceteri omnes divinæ providentiæ regnum nullis terminis circumscripserunt. Itaque Homerus, [n] ut Macrobius notat, non agnovit fortunam; 6
sed omnia divino decreto, quod μοῖραν appellat, fieri judicavit; & qui fortunam induxerunt, videntur id nomen invenisse, quò temerarios motus rerum humanarum, qui materiæ vitio accidunt, non cuncta regentis Dei, possent non impiè reprehendere. Ideo [o] Plinius dixit: *invenit tamen inter has utrasque sententias medium sibi ipsa mortalitas Numen, quominus etiam plana de Deo conjectatio esset; toto quippe Mundo, & locis omnibus, omnibusque horis, omnium vocibus, fortuna sola invocatur, una nominatur, una accusatur, una agitur rea, una cogitatur, sola laudatur, sola arguitur, & cum conviciis colitur*; ceterum omnes fortunam non esse

 diver-

[a] Horat. libr. 2. Od. 1. [b] Juvenal. Satyr. 3. v. 38. [c] Horat. libr. 1. Od. 33. [d] Claudian. libr. 1. in Eutrop. v. 24. [e] Terent. in Adelph. Act. 4. Sc. 7. [f] Plaut. Capt. Prolog. v. 22. [g] Antholog. libr. 1. epigr. 16. εἰς τύχην. [h] Anthol. ibid. [i] Horat. libr. 1. Od. 34. [l] Macrob. Saturn. libr. 5 c. 16. [m] Cicer. libr 1. de Nat. Deor. [n] Macrob Saturnal. libr. 5. cap. 16. [o] Plin. libr. 2. cap, 7.

diversam a divinâ providentiâ censuerunt, vel saltem vaticinati sunt. Quapropter Plutarchus [a] animadvertit, Romanos ab ipsis
7 pæne Urbis incunabulis fortunam coluisse, fortunæ templa condidisse; siquidem Ancus [b] Martius princeps fortunæ delubrum consecravit; virtuti autem serò Scipionem Numantinum dedicasse; Marcellum verò virtuti, & honori delubrum statuisse; non quia, ut idem Auctor interpretatur, se plus debere fortunæ, quàm virtuti faterentur; sed quia virtutem mentis esse nostræ, fortunam verò omnem a Deo proficisci judicarunt; & alteram quidem saltem ex aliquâ parte nobis, alteram prorsus acceptam Deo referri oportere; ob eamque causam diviniorem quodammodo esse virtute fortunam; non ergo mirum si tot sæculis priùs fortunam, quàm virtutem divinis honoribus consecrarunt. Sed & alii fortunam nihil aliud esse, quàm Deum pu-
8 taverunt, cujus rei testes appellantur poëtæ, qui Dei nomine fortunam intellexerunt. Sic [c] Anthologiæ libro primo incertus auctor fortunam Deum vocat

Πολλὰ, inquit, *τὸ δαιμόνιον δύναται, κἂν ᾖ παράδοξα,*
Τὺς μικρὺς ἀνάγει, τὺς μεγάλυς κατάγει

hoc est

Multa potest Numen, quamvis inopina putentur;
Depressit magnos, extulit id tenues

& Palladas fortunatos amicos Dei putat, quasi idem sit a fortunâ foveri, & a Deo; sic [d] enim loquitur:

Ω̉ τῆς μεγίστης τῦ φθόνυ πονηρίας,
Τὸν εὐτυχῆ μισεῖ τις, ὃν θεὸς φιλεῖ

hoc est

O maximum liventis invidiæ scelus!
Odit beatos ipse, quos amat Deus

& [e] Alexis apud Athenæum ita loquitur:

Τὺς εὐτυχῦντας ἐπιφανῶς δεῖ ζῆν ἀεὶ,
Φανεράντε τὴν δόσιν τὴν τῦ θεῦ ποεῖν,
Ο̉ γὰρ δεδωκὼς τ᾽ἀγαθὰ Δαίμων τὸν μὲν, ὧν
Πεποίηκεν αὐτὸς, οἴεται χάριν τινὰ
Ε̉́χειν ἑαυτῷ: τὺς δ᾽ ἀποκρυπτομένυς δὲ, καὶ
Πράττειν μετρίως φάσκοντας ἀχρήστυς ὁρῶν,
Α̉νελευθερωστε ζῶντας, ἐπὶ καιρῦ τινος
Λαβὼν ἀφέλεθ᾽, ὅσα δεδωκὼς ἦν πάλαι

hoc est

Vivere beatos splendidè semper decet,
Deique donum facere manifestum omnibus;
Bona quippe qui largitus est Deus, hunc quidem
Habere eorum gratiam quandam putat,
Quæ fecit ipse; qui occulunt autem, atque opes
Se possidere prædicant modicas, videns
Inutiles, vitamque ducentes nimis
Illiberalem, tempore arrepto abstulit
Quæcunque dederat, pauperesque reddidit

Nec poëtæ solùm; sed alii quoque scriptores dona fortunæ dona Dei esse putaverunt; sic Cicero pro Lege Maniliâ fortunæ pro- 9
speritatem a Deorum potentiâ dixit proficisci *reliquum est*, inquit, *ut de felicitate, quam præstare de se ipso nemo potest, meminisse, & commemorare de altero possumus, sicut æquum est homini de potestate Deorum timidè, ac pauca dicamus*; & paulò post fortunam hominibus divinitus adjungi confirmat; sic enim loquitur: *fuit enim profectò quibusdam summis viris quædam ad amplitudinem, & gloriam, & ad res magnas bene gerendas divinitus adjuncta fortuna*; & Livius decimo nono libro fortunam vel prosperam, vel adversam a Diis dari affirmavit his verbis: *tunc ea habenda fortuna erit, quam Dii dederint*; & eodem libro sic ait: *armis decernendum, habendamque eam fortunam, quam Dii dedissent*. Nec mirum Veteres in Deorum potestate positam esse fortunam credidisse, quũ Cicero [f] fortunam definiverit esse divinam providentiam procurantẽ cœlestia maximè; deinde in terris, quæ pertinent ad homines, quæ fortuna appelletur, quia efficiat multa improvisa, nec opinata nobis propter obscuritatem, ignorationemque causarum; eamdemque tradiderit Deum, fatum, necessitatem nuncupari. Atque iis habet similia Salustius e cynicâ disciplinâ philosophus præclarus; ex quibus intelligi potest delectationem fortunæ, quam Poëta noster commemorat, humana vertentis, nihil aliud esse, quàm ludum, quem ludere in Orbe terrarum Deum [g] sacræ Litteræ docuerunt.

DIS-

[a] Plutarch. de Fortun. Roman. [b] Plutarch. ibid. [c] Anthol. libr. 1. epigr. 22. εἰς τύχην. [d] Antholog. libr. 1. epigr. 2. εἰς φθόνον. [e] Alexis apud Athen. libr. 2. cap. 3. [f] Cicero Academic. quæst. secundæ editionis libr. 1. [g] Proverb. cap. 8.

DISSERTATIO LXXXI.

In idem Epigramma.

Dissertatio Quarta.

Fortunæ maxima inconstantia est; ideo rotundo lapidi, vel rotæ, quæ pro mutatione accipitur, insistere fingitur; & interdum etiam navim, vel gubernaculum ipsi tribuerunt, ut in antiquis numismatis cernitur; contra verò Mercurius quadrato lapidi insistit propter stabilitatem mentis, & rationis.

Semper expedit de ineonstantiâ fortunæ cogitare; ea quippe cogitatio & miseros in adversis eonsolatur, & erudit in prosperis fortunatos, nec finit efferri altiùs, quàm imbecillitas humana patiatur; nam & miseri quum eogitant fortunam mutari, nee perpetuò, quos pressit urgere, in spem felicitatis aliquando futuræ, vel rerum meliorum eriguntur; & feliees, quum reputant
1 vices, quibus res humanæ eonvertuntur, nisi prorsus insciti sint, non fidunt præsentibus, animumque præparant ad adversa, quum intelligant in lubrico suas opes, & felicitatem esse eollocatam; multò autem magis prodest felicibus, quàm miseris varietatem casuum humanorum animo volutare; quia magis indigent feliees disciplinâ, quàm miseri solatio. Ideo tam frequenter & poëtæ, & alii seriptores admonent lubricam esse fortunam, & quo quis altiorem locum oeeupavit, eo magis, ne in praeceps ruat, & ad ima revoluatur, pertimescendum. Inter eos autem, qui eastigant prosperis rebus elatam superbiam, est Poëta noster, de cujus epigrammate multa jam diximus, Auditores, & hodierno die nonnulla dicemus; recenset autem Poëta hominis repente divitias, & honores in Republicâ eonsequuti vitia, eaque vehementer reprehendit, & illud maximum esse confirmat, quod non meminit lubricam esse fortunam, & gaudere sæpenumero, quos fovit, abiicere; quos provexit, evertere; quos amplexata est, hostiliter insectari

Τέρψιν, inquit, ἀλιθηρῆς οὐ δεδάηκε τύχης
Non didicit ludum, lubrica Diva, tuum

de quo in præsentiâ disseremus. Volubilem
2 esse fortuñam, vel, ut appellat Poëta noster, lubricam, & tunc præcipuè mutationem ejus esse pertimescendam, quum videmur in summo fastigio constituti, non unus, aut alter, sed omnes fere poëtæ, scriptoresque consentiunt; ita Seneca [a] tragediâ, quæ Troas inscribitur, inducit Hecubam de levitate fortunæ exemplo suo Reges admonentem

Quicunque regno fidit, & magnâ potens
Dominatur aulâ, nec leves metuit Deos,
Animumque rebus credulum lætis dedit,
Me videat, & te, Troja; non unquam tulit
Documenta Fors majora, quàm fragili loco
Starent superbi; columen eversum occidit
Pollentis Asiæ, Cœlitum egregius labor

ita [b] Horatius id munus dixit esse fortunæ humiles attollere, & superbos, & in summo gradu positos deiicere

O Diva, gratum quæ regis Antium,
Præsens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos

ita [c] Propertius in horâ verti fortunam affirmavit

Iste quod est, ego sæpe fui, sed fors & in horâ
Hoc ipso ejecto, carior alter erit.

Sed quid opus est sententiis uti poëtarum lubricam, & instabilem affirmantium esse 3
fortunam; non poëtarum solùm dicta, sed etiam omnium opiniones talem esse deelarant, qualis a Poëtâ nostro describitur; & Galenus oratione, qua juvenes ad artes exhortatur, affirmat Mereurium fingi saxo quadrato insistentem propter stabilitatem mentis, & rationis, eorumque bonorum, quæ artibus comparantur; Fortunam verò rotundo, lubrieoque, & levigato lapidi vestigiis innitentem propter ineonstantiam, qua nunquam in eodem statu perseverat; & Cebes Thebanus in elegantissimo illo opusculo, quod tabulam inseripsit, fortunam eodem modo inniti globo, atque insistere pedibus asseverat his verbis: ἡ δὲ γυνὴ ἐκείνη τίς ἐςιν, ἡ ὥσπερ τυφλὴ, καὶ μαινομένη τις εἶναι δοκοῦσα, καὶ ἑςηκυῖα ἐπὶ λίθου τινὸς ςρογγύλου; καλεῖται μὲν, ἔφη, τύχη hoc est: *mulier autem illa, quænam est, quæ tanquam cæca, & furenti similis insistit rotundo lapidi? appellatur, inquit, fortuna.* Et paulò post rationem reddit, eur globo innixa fortuna fingatur: διὸ inquit, καὶ τὸ σημεῖον δηλοῖ τὴν φύσιν αὐτῆς: ποῖον τοῦτο, ἔφην ἐγώ; ὅτι ἐπὶ ςρογγύλου λίθου ἕςηκεν: εἶτα τί τοῦτο σημαίνει; ὅτι οὐκ ἀσφαλὴς οὐδὲ βεβαία ἐςὶν ἡ παρ' αὐτῆς δόσις, ἐκπτώσεις γὰρ μεγάλαι, καὶ σκληραὶ γίγνονται, ὅταν τις αὐτῇ πιςεύσῃ hoc est: *ideo & signum declarat ejus naturam; quodnam est hoc, inquam? illud, quod insistit rotundo lapidi; quid hoc indicat? non esse tuta, neque stabilia, quæ ab eâ dona proficiscuntur; mutationes quippe magnæ existunt, & duræ, quum quis ipsi fidem habuerit;* quem sequitur vetus Poëta, qui sic loquitur:

Fortunam insanam, & cæcam, & brutam perhibent philosophi,
Saxoque instare in globoso prædicant volubili;

 Id

[a] Senec. in Troad. in princ. [b] Horat. libr. 1. Od. 35. [c] Propert. libr. 2. Eleg. 7.

Id quo saxum impulerit fors, eo cadere fortunam autumant

Alii autem non globum; sed rotam subje-
4 ctam esse pedibus fortunæ volunt; quò Tullius in Pisonem respexit, qui sic ait: *in quo ne tum quidem, quum illum saltatorium versares Orbem, fortunæ rotam pertimescebat;* quæ rota non minùs, quàm globus, vicissitudines rerum humanarum exprimebat; nam rota vices rerum, conversionesque significat. Quapropter [a] Propertius dixit

Vinceris, aut vincis; hæc in amore rota est

ubi Rota, quam in amore vult esse, nihil aliud est, quàm mutationes, quibus prosperitates amoris in infortunia, infortunia in prosperitates convertuntur. Eodemque spectarunt, qui navim, vel gubernaculum
5 ipsi tribuerunt; quod factum ab Antiquis in antiquis numismatis licet animadvertere, in quibus Fortuna, vel Nemesis, cujus numen ad Fortunam referebatur, clavum, vel navem regens cernitur. Nam quemadmodum navigantes utuntur quidem interdum prospero vento, & serenâ tempestate; sed eorum prosperitas non solet esse diuturna, quæ pendet ab auris, pendet a tam instabili elemento, quæ momento temporis commutantur, & convertuntur; ita & qui in hoc rerum humanarum salo navigant, interdum blandientibus auris, & tranquillo mari vehuntur, & videntur plenis velis ad felicitatis portum appulsuri, quum omnia votis eorum obsecundent; sed heu quàm sæpe ingruunt adversi venti, ingruit sæva tempestas, miscentur Maria Cœlo, & dicto citiùs, qui prospero cursu priùs uti videbantur, jactantur adversis, & ingenti malorum mole obruuntur. Jure igitur Fortunæ navem tribuerunt, ut nos admonerent non stabiliorem esse, neque constantiorem eorum sortem, qui se fortunæ commiserunt, quàm eorum, qui se fluctibus commenda-
6 runt, & alto mari vela fecerunt. Jure etiam gubernaculum assignarunt; nam sicut clavus quum vertitur, navis regitur; ita res humanæ dum vertuntur, omnia gubernantur, & conversionibus rerum gubernatio constat. Ad eandem instabilitatem Fortunæ exprimendam, Fortunæ alas addiderunt, quod multis Auctorum locis ostendi potest; sed nos contenti erimus unius Poëtæ testimonio, qui Fortunam alatam esse confirmat his verbis

..... *seu quæ pernicibus alis,*
Nec sat certa gradum, viduataque vertice summo
Fluxa pedum vertit vestigia, lubricum & ævum
Sors agit, ut subitis obrepat mobile fatum
Temporibus .....

DISSERTATIO LXXXII.

In Epigramma Libri tertii Anthologiæ in Philosophos, in quo inducitur Diogenes Cynicus mortuus alloquens Charontem.

Dissertatio Prima.

Charontis nomen a glaucis oculis nonnulli deducunt; alii a verbo χάιρειν, gaudere; *Eustathius tamen, & Lilius Gyraldus ab eodem verbo per antiphrasin; sed verius est ab Ægyptiorum linguâ derivari, qua* Charon *significat* portitorem; *ceterùm a gaudio vix potest habere originem, quum exset proverbium:* Charon risit, *quod usurpatur de homine austero, qui quandoque tristitiam deposuerit.*

Qui divitiis, & omnibus affluunt fortunæ bonis, Auditores, ægerrimè ex hac vitâ discedunt; illigantur enim, & astringuntur, quasi quibusdam vinculis voluptatum, a quibus quum fati necessitate separantur, & distrahuntur, sine acerbissimo 1
sensu doloris divelli non possunt. Contra magnum subsidium contemnendæ mortis est exiguo contenta paupertas; idcirco sapientes viri, & opes renunciarunt, & voluptati nuneium remiserunt, & honores, & dignitatem sunt aspernati, ut quum eò, quò omnes coguntur, a naturâ vocarentur, læti, expeditique proficiscerentur. Sed inter eos philosophos, qui paupertatem, quasi quoddam viaticum, ad hilariter, & magno animo ex hac vitâ migrandum sibi compararunt, principem locum Cyniei tenuerunt, qui omnium rerum inopiâ, sic ut alii divitiis, gloriabantur. Ideo [b] Antisthenes hujus pater, & conditor sectæ, quum 2
coram Socrate pallii, quo tegebatur, partem laceram deditâ operâ ostenderet, dixisse fertur Socrates: *desine te nobis ambitiosè ostentare.* Hujus autem [c] Diogenes auditor vicit præceptorem tolerantiâ paupertatis, qui dolium dicitur habitasse; adeoque divitias contempsisse, ut quum [d] Alexander Magnus ipsum rogaret, ut, si cujus rei indigeret, eam a se audacter exposceret, se quippe quidquid vellet, prolixè facturum, postularit, ut a se paululum abscederet, ne sibi ejus umbra officeret apricanti. De hoc Diogene est Epigramma Græcum non inelegans,

a Propert. libr. 2. Eleg. 7. *b* Diogen. Laërt. libr. 6. segm. 8. in Vitâ Antisthen. *c* Idem libr. 6. segm. 21. *d* Idem eodem libr. segm. 38.

gans, quod hodierno die aggredimur ad exponendum; ubi Poëta inducit Philosophum jam mortuum, & cum Charonte colloquentem, & se nihil in vitâ reliquisse glorantem; habuisse quippe pallium, & peram, & baculum, & lecythum, cum iisdem sepultum se esse, eademque ad Inferos detulisse cum obolo, qui in os indebatur mortuorum, ut Charonti naulum solverent. Sed jam epigramma ipsum proponamus

Ἀΐδος ὦ νεκυηγὲ κεχαρμένε δάκρυσι πάντων,
Ὃς βαθὺ πορθμεύεις τοῦτ' Ἀχέροντος ὕδωρ:
Εἰ καί σοι βέβριθεν ὑπ' εἰδώλοισι καμόντων
Ὁλκάς, μὴ προλίπῃς Διογένη με κύνα
Ὄλπην, καὶ σκίπωνα φέρω, καὶ διπλόον εἷμα,
Καὶ πήρην, καὶ σοὶ ναυτιλίης ὀβολόν:
Καὶ ζωὸς τάδε μοῦνον, ἃ καὶ νέκυς ὧδε κομίζω,
Εἶχον, ὑπ' Ἠελίῳ δ' οὔτι λέλοιπα φάει

id autem epigramma sic latinis numeris expressimus

Qui lacrymis gaudes cunctorum, Portitor Orci,
Traiicis & tristes has Acherontis aquas,
Cymba tibi quamvis umbris conserta laboret,
Ne me Diogenem, quæso, relinque canem;
Lecythus, & baculus mecum, pretiumque vehendi
Est cum perâ obolus, palliolumque duplex.
Hæc habui vivens, hæc porto mortuus idem;
Sub sole ex rebus nulla relicta meis

Quibus in versibus appellat Poëta Charon-
3 tem *νεκυηγὸν ἀΐδος* hoc est *Ditis portitorem manes vehentem*, quem [a] aliud epigramma vocat *νεκυόστολον* his verbis

Τὸν κύνα Διογένη νεκυοστόλε δέξο με πορθμεῦ

Nam sicut Mercurium putabant animas ad Inferos deducere, ob eamque causam *ψυχόπομπον* idest *animarum Ducem*, ut Phornutus est auctor, appellabant; qua de re Horatius [b] dixit:

Tu pias Lætis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coërces
Aureâ turbam superis Deorum
Gratus, & imis

ita deductas ad Stygiam Paludem Charontem existimabant transportare. Idcirco Porthmea [c] nuncupat Lucianus Dialogo de luctu, quam vocem Latinâ civitate donavit Juvenalis, [d] dixitque

..... tætrumque novitius horret
Porthmea.....

Sed [e] Virgilius uti maluit voce Romanis auribus notâ, quum ita descripsit Charontem

Portitor has horrendus aquas, & flumina servat
Terribili squallore Charon, cui plurima mento
Canities inculta jacet, stant lumina flammâ,
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus;
Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat,
Et ferrugineâ subvectat corpora cymbâ
Jam senior; sed cruda Deo, viridisque senectus

Hujus nomen alii ab oculorum splendore deducunt, dictumque arbitrantur Charon-
tem, quasi *χαροπὸν*, quod glauci oculi ma- 4
ximè fulgere videantur; idcirco Poëta dixit: [f]

Ardentes oculos intorquet lumine glauco

Alii a verbo *χαίρειν*, quod est gaudere, quod manes vehat ad gaudia sedium beatarum; contra verò Lilius Gyraldus, ab eodem verbo *κατ' ἀντίφρασιν* putat id nomen derivari, quòd sit tristis quidam Deus, quæ sententia est etiam Eustathii initio Iliados. Sed si libeat argutari, possumus dicere Charontem quasi *χαίροντα* esse nuncupatum; nam si, ut Poëta noster ait, lacrymis omnium gaudet, adest illi benignissima gaudendi materia. Quis enim inter Mortales luctus expers, & lacrymarum? &, si munere suo delectatur, necesse est affluere gaudio, quum quotidie tot millia umbrarum vehat; certè Poëta noster allusit, & tanquam Charon quasi *χαίρων* nominetur dixit

...... κεχαρμένε δάκρυσι πάντων

Veruntamen a gaudio vix potest habere o-
riginem Charontis nomen, quum sit a Græ- 5
cis usurpatum proverbium de homine contractæ frontis, & austero, qui quandoque tristitiam deponeret, & frontis rugas explicaret, *Charon risit Χάρων ἐγέλασε*, cujus meminit [g] Cælius Rhodiginus. Quare propiùs vero est, quod doctissimi viri tradiderunt, id nomen sumpsisse poëtas ab Ægyptiorum [h] linguâ, quibus Charon significat portitorem; Suidas [i] autem Charontis nomen a Græcis usurpari pro morte asseverat. Ex quo [l] Charonium Athenis janua dicebatur, per quam ad ultimum supplicium damnati ducebantur, ut Hesychius doctissimus Grammaticorum scriptum reliquit; Charonea [m] quoque vocabantur loca, vel barathra, unde tæterrimus odor exhalabatur, cujusmodi fuit locus, quem libro septimo [n] Virgilius describit his verbis

..... lucosque sub altâ
Consulit Albuneâ, nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat, sævamque exhalat opaca Mephitim

ejusmodi autem Barathra Romani ostia Cha-
rontis appellabant. Quin etiam ipsum A- 6
cherontem Charonium nuncuparunt; Vossius id ostendit hoc Laberii versu

Tol-

---

[a] Anthol. libr. 3. εἰς Φιλοσόφους. epigr. 9. [b] Horat. l. 1. Od. 10. [c] Theocrit. in Encom. Ptolem. [d] Juven. Sat. 3. v. 265. [e] Virg. Æn. l. 6. [f] Virgil. Georg. libr. 4. [g] Cæl. Rhodig. libr. 13. cap. 19. [h] Diodor. Sicul. libr. 1. Biblioth. [i] Suid. in V. Χάρων. [l] Suid. in V. Χαρώνειος θύρα, & Cæl. Rhod. libr. 8. cap. 8. [m] Strabo libr. 14. & Plin. libr. 2. cap. 93. [n] Virg. Æn. libr. 7.

Tollet bonâ fide vos Orcus nudas in Charonium

Leo quoque Hesychio teste Charon nominatur a cæsiâ, & ignitâ acie oculorum, quod eorum confirmat sententiam, qui Charontem dictum quasi χαροπὸν *cæsum*, & ardentibus oculis arbitrantur, quales a poëtis Charonti tribuuntur, de quibus Virgilius dixit [a]

...... *stant lumina flammâ*

Illud etiam adnotandum dici Charontem
7 necyegum, hoc est: *mortuorum portitorem*, quia neminem viventem vehat, nec sit illi fas recipere in naviculam illam funestam corpora, quæ non sunt lucis expertia; qua de causâ apud [b] Virgilium sic loquitur Charon

Corpora viva nefas stygiâ vectare carinâ

Quò spectat id, quod est fabulis proditum; quum Hercules ad Inferos vivus descendisset, Charontem specie viri, minisque deterritum non ausum recusare, quin Heroëm reciperet, & ad Ditis urbem transportaret; quod ob delictum in carcerem conjectum annum integrum in compedibus fuisse pœnas luentem violatæ legis infernæ; quò vir doctissimus vult Virgilium respexisse, quum Charontem sic libro sexto loquentem inducit

Nec verò Alcidem me sum lætatus euntem
Accepisse lacu, nec Thesea, Pirithoumque

a Virgil. Æneid. libr. 6. b Virgil. ibid.

DISSERTATIO LXXXIII.

In idem Antipatri Epigramma.

Dissertatio Secunda.

Plato quatuor flumina ex Inferis manare tradit; Oceanum, Acherontem, Phlegethontem, seu Pyriphlegethontem, & Cocytum; quæ poëtæ, & alii scriptores cum Stygiâ palude confundunt; singula autem a rebus tristibus nomen acceperunt; porro Plato Phlegethontis rivos esse flammeos amnes, qui ex Ætnâ, aliisque montibus ardentibus evomuntur, asseverat. Commentum, quo feruntur animæ ad sedes destinatas vectari, Orpheus ab Ægyptiis desumpsit, qui cadavera in insulâ quadam sepeliebant, quæ palude cingebatur; & navicula, qua vehebantur, Baris vocabatur; Charon autem naviculator. Dii per Stygem jurabant, & si pejerassent, integrum annum, & aliquot dies nectare, & ambrosiâ carebant; solus Ovidius affirmat Jovem amore captum hoc jusjurandum contempsisse, quia amantium perjuria a poëtis creduntur irrita. Revera autem Styx est fons prope Pheneum Arcadiæ, vel Nonacrin urbem, cujus aqua corrumpit omnia; cornu solùm ei resistere tradit Antigonus Carystius; ungulam muli Vitruvius, & Plinius; equi Pausanias; asini Plutarchus. Hoc veneno extinctum ferunt Alexandrum consilio Aristotelis, sed non satis id certum arbitrantur Plutarchus, & Pausanias. Est etiam Styx in Italiâ; Acheron quoque, & Lethe multis in locis reperiuntur, & in Thesprotiâ Cocytus. Homerus omnia, quæ viderat, ad fabulas transferebat. Quum animi non intereant, etiam ortu carere quidam sunt arbitrati, & eos fuisse, antequam in corpus descenderent; veruntamen quum nulla memoria sit eorum, quæ acciderunt, antequam nasceremur, poëtæ finxerunt Lethen, quam potantes animi omnium obliviscerentur; quæ nihil aliud est, quàm materia; qua oblivionem ingenerari nil mirum, quum & ægri interdum, quæ sani gesserunt, non meminerint, & convalescentes, quæ ægris acciderunt, & nemo unquam meminerit, quæ infans aspexit.

Superiore dissertatione, quum Antipatri epigramma explicaremus, Auditores, ubi Poëta inducit Diogenem Cynicum stantem in ripâ Acherontis, & Charonti animarum portitori, & nautæ Inferorum, & Deo supplicantem, & se recipi orantem, & per Stygium amnem transportari, & in sedi-

bus

bus quietis collocari, multa de Charonte diximus; nunc reliqua, quæ ad idem carmen pertinent, explicare pergemus. Se-
1 quitur versus hujus epigrammatis secundus, ubi aquam, quam Charon cymbâ traiicit, confirmat esse Acherontem fluvium Inferorum, sic enim loquitur

Ὃς βαθὺ πορθμεύεις τοῦτ' Ἀχέροντος ὕδωρ
...... *cujus rimosa profundas*
Traiicis inferni Cymba Acherontis aquas

in quo versu Acherontis aquas profundas vocat; tales autem esse Lucianus libello de luctu confirmavit, qui de Acherusiâ palude sic loquitur βαθεῖαν τε γὰρ περάσαι τοῖς ποσὶ, καὶ διανήξασθαι πολλὴ, καὶ ὅλως οὐκ ἂν αὐτὴν διαπλεύσειεν, οὐδὲ τὰ νεκρὰ τῶν ὀρνέων hoc est: *profundior quippe est, quàm ut pedibus traiici possit, & latior, quàm ut nando transmitti, nec ipsam prorsus avium manes transvolent.* In eodem autem carmine quæri potest, cur
2 Acherontem Poëta dicat Charontis cymbâ, non Stygiam paludem navigari, ut alii voluerunt. Sanè Virgilius videtur affirmare, Stygiam paludem esse eam, per quam animæ defunctorum ad Inferos a Charonte transmittantur; sic enim Æneæ [a] percontanti Sibylla respondet

Anchisâ generate, Deûm certissima proles,
Cocyti stagna alta vides, Stygiamque paludem;
Portitor ille Charon, hi, quos vehit unda, sepulti

Ex quibus apparet Æneam vidisse simul & Charontem portitorem,& paludem Stygiam; nec aliam aquam adeuntibus ad Inferos, quàm Stygiam esse navigandam, quod alio loco idem Poëta declarat, ubi Palinurus alloquitur Æneam ad Inferos velificaturum; sic [b] enim ait:

..... *neque enim credo sine Numine Divûm*
Flumina tanta paras, Stygiamque innare paludem

Juvenalis quoque [c] Stygiam paludem transire manes asseverat his verbis:

Esse aliquos manes, & subterranea regna,
Et contum, & Stygio ranas in gurgite nigras,
Atque unâ transire vadum tot millia cymbâ,
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur

Quum igitur in Stygiâ palude naviculariam
3 facere credatur Charon, cur Poëta noster affirmat in Acheronte navigare? Sciendum autem est Poëtas interdum Stygiam paludem cum Acheronte confundere; nam Virgilius quum dixisset superius per Stygiam paludem manes ad Inferos Charontis cymbâ vehi; tamen Charontem in Acheronte collocat his verbis [d]

Hinc via, Tartarei quæ fert Acherontis ad undas;
Turbidus hic cœno, vastaque voragine gurges
Æstuat, atque omnem Cocyto eructat arenam;
Portitor has horrendus aquas, & flumina servat
Terribili squallore Charon .....

& [e] Propertius, qui dixit:

Haud ullas portabis opes Acherontis ad undas;
Nudus ab infernâ, stulte, vehere rate

& [f] Lucanus

Præparat innumeras puppes Acherontis adusti
Portitor, in multas laxantur Tartara pœnas

Lucianus quoque Acherusiam paludem affirmat esse tranandam Inferos adituris; sic enim loquitur: ἡ Ἀχερουσία λίμνη προύκειται πρώτη δεχομένη τοὺς ἀπαντῶντας, ἣν οὐκ ἐκδιαπλεῦσαι, ἢ παρελθεῖν ἄνευ τοῦ πορθμέως; hoc est: *Acherusia palus prætenditur prima excipiens adeuntes, quam tranare non licet, aut præterire sine portitore;* & Interpres Aristophanis paludem, per quam Charon animas vehit, Acherusiam esse asseverat; Seneca [g] verò hanc paludem esse Cocyti tradit his verbis

Palus inertis fœda Cocyti jacet

Nec mirum Stygiæ, & Acherusiæ, & Cocytiæ paludis a poëtis discrimen tolli, quum, 4
a quo tanquam fonte hæc commenta profluxerunt, in Acherontem influere Phlegethontem, & Stygiam paludem per Cocytum affirmarit; quò fit ut in Acherusiâ palude & Stygis, & Cocyti, & Phlegethontis undæ misceantur. Maximi Poëtæ locus est in decimo libro Odysseæ, ubi leguntur hi versus:

Ἔνθα μὲν εἰς Ἀχέροντα Πυριφλεγέθων τε ῥέουσι,
Κωκυτός τ', ὃς δὴ Στυγὸς ὕδατός ἐστιν ἀποῤῥώξ

hoc est

Qua se parte Pyriphlegethon, Cocytus & ingens,
A Styge qui manat, fundunt Acherontis in undas

Quem sequitur in Phædone Plato, & quatuor ingentes fluvios ex infernis locis manare tradit; Oceanum omnium maximum, qui Orbem terrarum usquequaque circumfluit; Acherontem, qui e regione fluens, & per deserta means, & in viscera Terræ pervadens in Acherusiam paludem effunditur, ad quam mortuorum animas putant pervenire; tertium autem ex horum medio erumpere, & incidere in regiones igne plurimo ardentes, & efficere paludem Mediterraneo mari multò majorem, & exinde procedere turbidum, atque cœnosum, & multis anfractibus terrâ peragratâ in Acherusiæ Paludis extrema irrumpere, ex eaque evo-

[a] Virgil. Æneid. libr. 6. [b] Virgil. Æneid. libr. 6. [c] Juven. Satyr. 2. v. 149. [d] Virg. Æneid. libr. 6. [e] Propert. libr. 3. El. 3. [f] Lucan. libr. 3. v. 16.

[g] Senec. Hercul. Furent. Act. 3. Sc. 2.

evolutum in Tartarum ferri; appellari autem Pyriphlegethontem; quartum autem amnem ex opposita regione volvi, infectumque soli, per quod fluit, naturâ, atrum colorem ducere, & stagnantem Stygiam paludem efficere, in quam quum inciderit, & pestilentes contraxerit facultates, effluere, & in Acherusium lacum infundi, cum eoque non commixtum in Tartarum devolvi, nuncuparique Cocytum; alii vero [a] e Tartaro Acherontem oriri; ex Acheronte Stygem; Cocytum ex Styge tradiderunt. Ex quorum sententiis constat non esse mirum, si nomina Stygis, & Acherontis, & Cocyti inter se confunduntur; quum eorum aquæ in eundem locum confluant, vel a se invicem oriantur. Illud non omittendum commentum poëta-
5 rum, quo feruntur animæ ad sedes destinatas naviculâ Charontis vectari ex Ægyptiorum fluxisse more, quem [b] Diodorus Siculus exponit. Nam hi etsi plerunque suorum cadavera aromatis condita asservare domi consueverant; solebant etiam in insulâ quadam splendidè sepelire, quæ palude cingebatur; navicula, qua vehebantur, Baris; naviculator Charon vocabatur; quem morem quum Orpheus observasset, qui disciplinæ causâ in Ægypto versabatur, excogitavit fabulam, qua proditum est mortuos non posse in sedibus suis quiescere, nisi Charontis naviculâ paludem Stygiam transfretarint. Ut autem commentum magis tragicum videretur, invenit illa nomina auditu terribilia Acherontis, Cocyti, Stygis, Phlegethontis, vel Pyriphlegethontis, quod idem significat. Quæ omnia deducuntur a rebus asperis, tristibus, dolo-
6 rem invehentibus; nam Acheron est appellatus teste [c] Suidâ, [d] Eustathio, & Etymologico magno παρὰ τὸ ἄχη ῥέειν, quod *doloribus fluat*, vel παρὰ τὸ ἐστερῆσθαι χαρᾶς, quod *lætitiâ, gaudioque careat* χαίρειν quippe *gaudere, lætari; ἀχαίρειν carere gaudio;* [e] Cocytus autem a luctu lacrymoso, ut videtur Eustathio, & Suidæ, vel ut Etymologici magni Scriptori ἀπὸ τοῦ τὰ ἄχη εἰς αὐτὸν χεῖσθαι quasi χοάχυτος quod *in ipsum dolores effundantur;* Styx autem ἀπὸ τοῦ στυγητὰ εἶναι τὰ κάτω quod *odiosæ sint res Inferorum;* [f] Phlegethon, vel Pyriphlegethon *ab ardore*, quia igneus esse dicitur, & undarum loco flammarum vortices voluere; ideo Virgilius libro sexto Æneidos cecinit

Quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis

Tartareus Phlegethon, torquetque sonantia saxa

& in culice

Nec timuit Phlegethonta furentem ardentibus undis

Hujus rivos esse flammeos amnes, qui ex Ætnâ, aliisque montibus ardentibus evomuntur, in Phædone Plato asseverat; A- 7
cheron autem flumen mortuum ab [g] Apulejo dicitur, credo, quia mortui per eum velificantur; nam alioquin Acheron a poëtis torrens describitur; idcirco [h] Virgilius magno strepitu ferri Acherontem indicavit hoc versu

Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari

& [i] Claudianus reverentiâ loquentis Plutonis refert strepitum Acherontis esse compressum

..... & presso lacrymarum fonte resedit

Cocytus, tacitisque Acheron obmutuit undis

& [l] Silius Italicus testatur Acherontem cum multo strepitu, & violento impetu ruere, antequam cum palude Stygiâ misceatur; sic enim loquitur

Tristior his Acheros sanie, crassoque veneno

Æstuat, & gelidam eructans cum murmure arenam

Descendit Stygiâ lentus per stagna palude

Sed hæc non sunt ad vivum resecanda, nec in mendaciis quærenda constantia; nam & Cocytus, qui piger a poëtis fingitur, de quo dixit [m] Horatius:

Visendus ater flumine languido

Cocytus errans......

a Silio [n] Italico rapidissimus dicitur his verbis

Parte aliâ torrens Cocytus sanguinis atri

Vorticibus furit, & spumanti gurgite fertur

Et quoniam de amnibus Inferorum multa verba fecimus, Auditores, non omitten- 8
dum Stygem solitam a Diis testem appellari; quotiescumque jurisjurandi religione se vellent obstringere; ideo Stygem [o] Homerus appellat maximum, & gravissimum Deorum jusjurandum, sic enim ait

...... ὅστε μέγιστος

Ὅρκος, δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσι

& Statius vocat Divûm perjuria. Hanc unam religionem Deorum esse Poëta summus [p] confirmat his verbis

Una superstitio, superis quæ reddita Divis

Nec violari posse credebatur; quapropter apud [q] Ovidium Apollo quum Stygem jurasset, & Phaëton Apollinis filius tanquam dubius impetrandi blanditias patri, & accura-

---

[a] Servius in libr. 6. Æneid Virg. v. *Hinc via Tartarei &c* [b] Diod. Sicul. Biblioth libr. 1. [c] Suid. in V. Ἀχέρων. [d] Eustath. in Odyss. Homer. libr. 10. [e] Suid. in V. Κωκυτός. [f] Servius in l. 6. Æneid. Virg. v. *Et Chaos, & Phlegethon. &c.* [g] Apulejus libr. 6. Metamorph. [h] Virg. Georg. libr. 2. [i] Claud. de Raptu Proserp libr. 1. v. 86. [l] Sil. libr. 13. [m] Horat. libr. 2. Od. 14. [n] Sil. Italic. libr. 13. [o] Hom. Odyss. ε. v. 185. [p] Virgil. Æn. libr. 12. [q] Ovid. Metamorph. libr. 2. v. 101.

curatiores preces admoveret, Apollo filium
vetat dubitare; sic enim ait:

Ne dubita, dabitur (Stygias juravimus undas)

Hujus jurisjurandi formula apud Virgilium
libro decimo reperitur, ubi Juppiter hoc
se obstrigens jurejurando adjurat

...... Stygii per flumina Fratris,
Per pice torrentes, atraque voragine ripas
Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum

Nec quidquam apud poëtas frequentius est,
quàm hujusmodi jusjurandum, quod a Su-
9 peris nunquam ajunt esse violatum; solus
Ovidius libro primo de Arte amandi affir-
mat id genus jurisjurandi a Jove esse con-
temptum, sed quum amoris æstu torque-
retur

Per Styga Junoni falsum jurare solebat
Juppiter, exemplo nunc favet ille suo

quia amantium perjuria poëtis auctoribus
creduntur irrita, nec scelere mentes ob-
stringere [a]

Juppiter ex alto perjuria ridet amantum,
Et jubet æolios irrita ferre Notos

& [b] Tibullus ait

Nec jurare time; Veneris perjuria venti
Irrita per terras, & freta summa ferunt

Hunc [c] autem honorem Superi Stygiæ pa-
10 ludi tribuerunt, quòd quum Juppiter ad-
versus Titanas bellum gereret, ut Apollo-
dorus Bibliothecâ tradit, ea cum filiis Jo-
vem, & Deos adjuvisset; propter id meri-
tum Juppiter consentientibus aliis Diis æ-
ternâ lege sancivit, ut [d] si quis Deorum,
Dearumve perjurio Stygis numen violasset,
integrum annum, & aliquot dies nectare,
& ambrosiâ careret, qua lege se ipsum te-
neri voluit. Ita poëtæ Superos Inferis su-
bjecerunt; nam Styx inferum Numen,
quam Hyginus Erebo, & Nocte tradit esse
procreatam, & ex Pallante Gigante Scyllam,
& vim, & invidiam, & potestatem, & vi-
ctoriam, & fontes, & lacus peperisse. At-
que hæc est Styx poëtarum; hi apud eosdem
amnes Inferorum, quorum nominibus poë-
tæ ad significandos Inferos abutuntur; sic
Horatius [e] dixit:

Quo Styx, & invisi horrida Tænari
Sedes, Atlanteusque finis
Concutitur......

Sic Stygias oras Statius Inferos vocat, Sty-
gium Jovem [f] Virgilius Plutonem, Sty-
gium tyrannum [g] Claudianus, & [h] Virgi-
lius Inferos Acherontem

Flectere si nequeo Superos, Acheronta mo-
vebo

Lucretius [i] Acherusia templa

Et si præterea tamen esse Acherusia templa 11
Ennius æternis exponit versibus edens

Cocytia virgo Virgilio [l] dicitur Tisiphone

Hic subitam canibus rabiem Cocytia virgo
Objicit, & noto nares contingit odore

Plautus [m] autem Acherunticum senem ap-
pellat eum, qui propter ætatem proximus
morti est, quòd sit brevi visurus Acheron-
tem, & Acherontem pro exitio usurpat;
hinc [n] Servum nequam, cujus in tergo ul-
meæ virgæ confringuntur, dixit ulmorum
Acheruntem. Quæ tamen nomina tam hor-
ribilia, quæ vitam Mortalium terroribus im-
pleverunt, poëtæ ab historiâ sunt mutuati;
nam [o] Styx esse dicitur fons prope Pheneum 12
Arcadiæ, vel Nonacrin urbem, cujus aqua
corrumpat, & tabefaciat omnia; quapro-
pter [p] nec argenteum, nec aureum, nec
æneum uas, nec ullum aliud metallum, nec
lignum, nec lapis ipsam potest continere;
perrumpit enim, & vincit omnia. Antigo-
nus Carystius ait a solo cornu vim ejus su-
perari, solum cornu non posse pervadere;
quod non de omni cornu intelligendum,
sed de ungulâ muli, ut [q] Vitruvius tradit,
& [r] Plinius, vel de equi, ut [s] Pausanias in
Arcadicis, vel de asini, ut Plutarchus de
primo frigido. Hanc tantùm ferunt non
corrodere, non dissipare; non est ergo mi-
rum, si, quum nihil ipsi resistit, omnium a-
nimantium est præsentissimum venenum, &
homines eâ potâ statim extinguuntur. Nec
aliud venenum Magno Alexandro propi-
natum est; sed aqua Stygis clarissimum vir-
tutis militaris lumen extinctum est consi-
lio Aristotelis, ut [t] ajunt, qui animum Re-
gis iracundi, & amicorum cædibus non a
se alienatum pertimescebat; quam opinio-
nem teste [u] Plutarcho nonnulli redarguunt,
quia corpus Alexandri, quum diu jacuisset
insepultum, nullum veneni indicium di-
citur prætulisse; Pausanias [x] quoque hanc
famam, qua veneno extinctum tantum Re-
gem percrebuit, non satis certam arbitra-
tur. Sed ut ad Stygem revertamur, ea fer-
tur [y] ex prærupto loco non tam fluere, 13
quàm distillare, & quum per objectam al-
tissimam petram collecta pervaserit in Cra-
thin flumen effundi; ideo [z] Homerum, qui
omnia, quæ viderat, ad fabulas transfere-
bar, & nomen Stygis ad infernum amnem
transtulisse, & quod proprium erat Sty-
gis Nonacrinæ, alludentem infernæ Stygi

E e tri-

---

[a] Ovid. de Arte Amandi libr 1. [b] Tibull. libr. 1. Eleg. 4 [c] Servius ad libr. 6. Æneid. Virg. v. *Dii cujus jurare &c.* [d] Hesiod. in Theog. [e] Horar. libr. 1. Od. 34. [f] Virg. Æneid. libr 4. [g] Claud. de Raptu Proserp libr. 2. v. 264. [h] Virgil. Æn. libr 7. [i] Lucret. libr. 1. [l] Virgil. Æneid. libr. 7. [m] Plaut. Mercat. Act. 2. Sc. 2. [n] Idem in Amphitr. Act. 4. Sc. 2. [o] Pausan in Arcad. sive libr. 8. [p] Paus. ibid. [q] Vitruv. libr. 8. cap 3. [r] Plin. libr. 30. cap. 16. [s] Pausan. in Arcad. sive libr. 8. & Cæl. Rhodigin. libr. 25. cap. 16. [t] Plutarch. in Alexandr. & Plin. libr. 30. c. 16. [u] Plutarch. in Alexandr. Vitâ. [x] Pausan. libr. 8. [y] Pausan. ibid. [z] Idem in Attic. sive libr. 1.

tribuiſſe; ita enim [a] loquutum eſſe

Ἴςω νῦν τοδε γᾶια, κὴ ὐρανὸς ἐυρὺς ὕπερθεν,
Καὶ τὸ κατειβόμενον ςυγὸς ὕδωρ.....

hoc eſt

Cælumque, & tellus hujus mihi teſtis adeſto,
Et qui diſtillat Stygis humor.....

κατειβόμενον videlicet *diſtillantem* dixit; quia
Stygem in Arcadiâ non fluentem, ſed ſtil-
lantem viderat; Euſtathius etiam tradit, &
aliam Stygem in Italiâ fuiſſe, cujus aquis
omnes abſtinebant. Acheron etiam fuit E-
14 piri fluvius, qui ex Theſprotide in The-
ſprotium ſinum influebat, ut auctor eſt Li-
vius octavo libro; fuit & Euſtathio aucto-
re alìud hujus nominis flumen, quod Al-
pheo miſcebatur. Fuit & in finibus Luca-
norum, Brutiorumque prope urbem Pan-
doſiam, quæ res Epiri Regem Alexandrum
fefellit; nam [b] quum oraculum Dodonæum
conſulenti data dictio eſſet; fugeret Ache-
ruſiam aquam, Pandoſiamque urbem; A-
lexander Acherontem amnem, & Pando-
ſiam urbem in Epiro dumtaxat eſſe ratus
in Italiam, cui bellum jamdiu moliebatur,
traiicere maturavit; ibi adversùs Lucanos
bellum gerens oraculi ſortem affirmavit;
nam apud Acherontem amnem, Pando-
ſiamque urbem Italiæ ab exule Lucano cu-
ſtode corporis eſt interfectus. In ultimo e-
tiam Ponti receſſu Ammianus Marcellinus
fuiſſe tradit Acheruſium ſpecus; in The-
15 ſprotiâ quoque Epiri regione [c] Pauſanias
fuiſſe teſtatur aquam Cocyti, ut ipſe loqui-
tur, maximè injucundam, & triſtem; oc-
caſionem autem poëtis Phlegethontis flu-
minis excogitandi aquas calidas præbuiſſe,
quæ ſunt circa Bajas, Euſtathius arbitratur.
Reſtat ex fluviis Inferorum Lethe, quem
non tranſire animas, quum ad Inferos de-
ſcendunt, nec cruciare manes conſcelera-
torum hominum, ſed [d] bibere in lucem re-
dituras, & eſſe placidum, & oblivionem
afferre bonorum juxta, malorumque poë-
tæ tradiderunt. Quod commentum eſt eo-
rum, qui animos hominum immortales pu-
taverunt, qui quum viderent omne, quod
incepit, aliquando deſiturum, & quod or-
tum eſt, occaſurum; animos, quum inte-
ritu careant, ortu carere, nec cum corpo-
re oriri, ſed ante fuiſſe, quàm in corpus
deſcenderent, ſunt arbitrati. Veruntamen
quia nulla memoria eſt eorum, quæ nobis
acciderunt, antequam naſceremur, eſſe a-
liquid ſunt opinati, quod animis in hanc
vitam ingredientibus præteritæ vitæ obli-
vionem adduceret, id eſſe poëtæ finxerunt
lethæum flumen, unde animæ corpus hoc
ſuſcepturæ [e]

Securos latices, & longa oblivia potant

Quod nihil aliud eſſe reor, quàm materiam,
cum qua commixtus animus omnium præ- 16
teritorum obliviſcitur, quæ ſcitè dicitur flu-
men, quia ſemper fluit, nunquam manet,
&, ut unda impellit undam, ita nova ma-
teriæ veteri ſupervenit, vetuſque conſu-
mitur, dum nova affluit. Nec mirum, ſi
animus in tantâ rerum mutatione non am-
pliùs eorum, quæ viderat, recordatur; quum
ſæpiſſimè ex minoribus mutationibus exi-
ſtat oblivio; nam ægri interdum, quæ ſa-
ni geſſerant, non meminerunt; & qui con-
valeſcunt, quæ ægris acciderunt, oblivi-
ſcuntur; & dormientibus omnia, quæ vi-
gilantes fecerunt, excidunt. Denique cui
mirum videatur ea nobis, effluxiſſe; quæ 17
animus aut vidit, aut ſcivit, antequam in
corpus delaberetur, quum ea nemo un-
quam meminerit, quæ infans aſpexit, aut
egit, aut cogitavit? Quum igitur & mate-
ria flumen jure dicatur, & omnium obli-
vionem creet, non ſine causâ poëtæ ani-
mum, quum immergitur in materiam, &
cum corpore conjungitur, lethæum fluvium,
ideſt fluvium oblivionis haurire dixerunt.
Quod tamen nomen, quemadmodum alio-
rum fluminum infernorum, ab hiſtoriâ ac- 18
ceperunt; nam & in [f] Hiſpaniâ Limæam
Flumen Strabo Lethen teſtatur appellatum,
& Lethen [g] amnem dici flumen, quod in
Mæandrum influit; aliumque [h] fluvium, qui
Gortynen præterlabitur, & alium [i] non
procul a Triccâ, ubi natus dicitur Æſcula-
pius; Lethæum [l] quoque appellari flumen,
quod Lybes Heſperios alluit.

DIS-

[a] Hom. Iliad. o. v. 36. [b] Tit. Livius libr. 8. [c] Pauſan. in Attic. ſive libr. 1. [d] Macr. in Somn. Scip. libr. 1. cap. 10. [e] Virg. libr. 6. Æneid. [f] Strabo libr. 3. [g] Idem libr. 12. & 14. [h] Idem l. 10. [i] Idem libr. 14. [l] Idem ibid.

DISSERTATIO LXXXIV.

In idem Epigramma.

Dissertatio Tertia.

Manes Græci dicunt Idola; Latini autem imagines, vel umbras, vel simulacra; unde umbræ accipiuntur etiam pro Inferis. Cur Hercules in Cœlo, umbra verò ipsius apud Inferos versari dicatur, explicat Plotinus. Canis nomen convenit philosopho, cui Plato comparat canem; sed præcipue convenit Diogeni, ejusque sectatoribus. Cynicos a Cynosarge dictos putant Hesychius, & Suidas; sed verius est ita appellatos, quia obvios increparent; & quia nullo pudore coërcerentur, sicut canis, qui omnium animalium est impudentissimus; quod causa fuit Zenoni, ut novam sectam conderet; hinc Juvenalis dicit Stoicos a Cynicis tunicâ tantùm differre; quum Cynici solo pallio uterentur; quo etiam utebantur Christiani, qui ideo Græculi impostores vocabantur; quum pallium esset proprium Græcorum, sicut Romanorum toga. Peram dici à servando *vel* ferendo *tradunt Eustathius, & Etymologicum magnum; Vossius tamen a verbo πάσαμαι, quod est* edo, *deducit; utebantur autem eâ pastores, & mendici; erat & mensuræ genus, quo aratores semina condebant; quapropter Apulejus uterum puellæ, quæ viri semen suscepit, perulam vocat. Quum Antiqui quotidie exercerentur in campo, vel palæstris, balnearum usus frequentissimus erat, & olei, quo ungebantur.*

VErsabamur, Auditores, in epigrammate explicando, in quo inducitur Diogenes Cynicus in Acherusiæ paludis ripâ cupidus transeundi, oransque Charontem, ut se quàm citissimè ad ripam ulteriorem transmittat; in quo, ut hoc etiam obiter notem, exprimitur cupiditas, qua flagrare dicuntur animæ inferos lacus tranandi, & sedes adeundi sibi destinatas, quam
1 Virgilius [a] nobis ob oculos his versibus ponit

Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,
Matres, atque viri, defunctaque corpora vitâ
Magnanimûm heroum, pueri, innuptæque puellæ,
Impositique rogis juvenes ante ora parentum.
Quàm multa in silvis autumni frigore primo
Lapsa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab alto
Quàm multæ glomerantur aves, ubi frigidus annus
Trans pontum fugat, & terris immittit apricis.
Stabant orantes primi transmittere cursum,
Tendebantque manus ripæ ulterioris amore

Et in superioribus quidem sermonibus de Charonte animarum portitore, et de palude Stygiâ, & de amnibus Inferorum diximus; hodierno die illustrabimus duo carmina ejusdem epigrammatis, quæ sunt hæc

Εἰ κ' σοι βέβριθεν ὑπ' εἰδώλοισι καμόντων
Ὀλκάς, μὴ προλίπῃς Διογένη με κύνα

hoc est

Cymba tibi quamvis umbris conferta laboret,
Ne me Diogenem, quæso, relinque canem

Quo in loco est adnotandum καμόντας, quæ
vox *laborantes* significat, mortuos dici, quia, 2
ut Eustathio videtur, quemadmodum labore membra resolvuntur; ita & morte corpora resolvuntur; totus autem versus expressus est ex illo [b] Homeri hemistichio

..... εἴδωλα καμόντων

Ubi Poeta mortuis idola tribuit, quæ Latini dixerunt imagines, vel umbras, vel simulacra, Virgilius Æneidos libro sexto

Ter frustra comprensa manus effugit imago

Horatius [c]

Num vanæ redeat sanguis imagini,
Quam virgâ semel horridâ
Non lenis precibus fata recludere
Nigro compulerit Mercurius gregi?

Virgilius autem libro quarto Georgicorum umbras, & simulacra conjunxit hoc versu

Umbræ ibant tenues, simulacraque luce carentum

& in secundo Æneidos umbram, simulacrum, & imaginem, quum de Creusâ, quæ inter homines esse desierat, dixit:

Infelix simulacrum, atque ipsius umbra Creusæ
Visa mihi ante oculos, & notâ major imago

Quòd autem animæ umbræ vocarentur Statius [d] ait

..... illa per umbras,
Et caligantes animarum examine campos.

caligare dixit campos Inferorum, quia sunt referti animarum examine, quæ nihil aliud sunt, quàm umbræ. Umbræ etiam pro In-
feris usurpantur; Virgilius [e] 3

Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras

id est ad Inferos, & libro quarto

Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras

Poëtæ nimirum tradiderunt, quum quis excesserat vitâ, corpus quidem aut igne consumi, aut humo mandatum vetustate corrumpi prorsus, & mutare naturam, & in pulverem redigi; sed inanem quandam imaginem corporis, vel umbram superesse, quæ ad Inferos adeat, & vel supplicia

[a] Virgil. Æneid. libr. 6. [b] Homer. Iliad. ψ v. 27. & Odyss. λ. v. 475. [c] Hor. libr. 1, Od. 24. [d] Statius Thebaid. libr. 1. [e] Virg. Æneid. libr. 12.

expendat ſcelerum, vel æternâ felicitate perfruatur; quò reſpexit [a] Horatius his verbis:

Nos ubi decidimus,
Quò pius Æneas, quo Tullus dives, & Ancus,
Pulvis, & umbra ſumus.

Eorum tamen, qui præclaris artibus præſtitiſſent, aliquid præter umbram reſtare ſunt ſuſpicati; nam Herculis umbram, vel
4 imaginem ad Inferos demigraſſe; ipſum autem Herculem in Cœlum aſcendiſſe, & frui nuptiis Juventutis tradiderunt; quod commentum Plotinus explicat, redditque rationem, cur umbra Herculis apud Inferos, Hercules in Cœlo verſari dicatur; ſed in dialogis mortuorum ſuo more Lucianus irridet. In ſecundo verſu ſe canem appellat Diogenes; nec mirari debemus id ſibi nomen tribuere Philoſophum, quaſi nomen canis contumelioſum ſit; non enim tale eſt, ſed Philoſopho convenit. Plato libro ſecundo de Republicâ philoſopho comparat canem; nam ſicut canis, ſiquem viderit ignotum, eum allatrat, in eum infeſtus irruit, & ſævit, quamvis nullam injuriam acceperit; ſi quem notum, ei blanditur, & adulatur, quaſi amicitiam ſcientiâ, inimicitias ignorantiâ metiatur; ita philoſophus odit, quod ignotum eſt, notis delectatur; amicus eſt ſcientiæ, inimicus inſcitiæ. Sed præcipuè tamen Diogenes, & qui ſectam ejus amplectebantur, ca-
5 nis nomine ſunt appellati; ſic apud Lucianum Menippus canem ſe vocat his verbis ὦ Κέρβερε, inquit, συγγενὴς γάρ εἰμί σοι, κύων καὶ αὐτὸς ὤν hoc eſt *o Cerbere; cognatus enim tibi ſum & ipſe exiſtens canis*; & alio in loco Philonides Menippum appellat canem; ſic enim loquitur οὐ Μένιππος οὗτός ἐστιν ὁ κύων; *non ne hic eſt Menippus canis?* & [b] Auſonius Diogenem ſic inducit loquentem

Dicere me novit, verum qui novit utrumque,
Καὶ θεὸν Ἀλκείδην, καὶ κύνα Διογένην

hoc eſt

Alcidemque Deum, Diogenemque canem

& Tertullianus de Diogene dixit: *ſi tunc locorum Diogenes de dolio latraſſet*; latratum tribuit Diogeni, quia omnium conſenſu canis appellabatur. Sed quid opus eſt id pluribus confirmare, quum Cynicus, quo nomine hi philoſophi vocabantur, caninum ſonet? cauſa potiùs quærenda eſt, cur ita dicerentur. Heſychius Mileſius putat nuncupa-
6 tos, quòd in Cynoſarge Diogenes, ejuſque ſectatores philoſopharentur; Cynoſarges autem fuit Gymnaſium, in quo nothi exercebantur, quod loco nomen inditum hac de cauſâ dicitur, ut Heſychius tradit. Quũ Diomus Herculi rem divinam faceret, Canis albus hoſtiæ raptis ſemoribus fugit; ab hujus albore canis, vel a celeritate Cynoſarges nomen accepit locus; nam κύων *canis*, ἀργὸς *albus*, vel *celer* Græco ſermone appellatur; in qua ſententiâ fuit & [c] Suidas, qui Cynicos a Cynoſarge Gymnaſio, in quo Diogenes verſabatur, dictos putat. Sed mihi non fit veriſimile eòs philoſophos canes nominatos, quia in Cynoſarge philoſophiam profiterentur; cur enim non cynoſargici potiùs, ut ab Academiâ Academici, quàm vel Cynici, vel canes dicerentur? Propiùs vero eſſe crediderim Cynicos nuncupatos, quia obvios increparent; nam quemadmodum Catonem ferunt Scipionis gloriæ ſolitum allatrare, quia Scipionis gloriæ obtrectaret, Scipionem objurgaret; ita & Cynici, quia paſſim homines reprehenderent, paſſim maledictis inceſſerent, dicti ſunt omnes allatrare, & utpote latratores, appellati ſunt canes. Notum eſt Demetrium cynicum, quòd intempeſtivâ libertate loquendi uteretur, & [d] Veſpeſianum 7
Auguſtum palam carperet, palam inſectaretur, juſſum exilii cauſâ ſolum vertere, cui Cæſaris imperio quum Cynicus non paruiſſet, Veſpaſianus his verbis ejus contumaciam, & libidinem maledicendi notavit: *tu quidem omnia facis, ut me irrites ad te occidendum; ego verò non occido canem latrantem*. Diogenes [e] ipſe Princeps Cynicorum nemini pepercit; adductus ad Philippum Macedoniæ Regem tanquam exploratot, poſt prœlium Chæroneum, quo ille Athenienſium, & Græcorum opes attriverat: ne ego, inquit, explorator tuæ inſatiabilis cupiditatis, qui quum frui altiſſimo otio poſſis, & Macedoniæ regno, & tot oppidis, & regionibus paterno imperio adjectis, te, regnumque tuum quotidie mavis in diſcrimen dare, & de libertate, & de vitâ dimicare. Platonem ipſum maledictis laceſſivit; nam quum [f] Platonis lectulum vidiſſet non ad luxum magnificè, ſplendideque exornatum, ſed ad munditiam ſtratum ſatis eleganter, inſiliens pedibus ſordidis 8
ipſum conculcavit, quum diceret: calco faſtum Platonis [g]. Juſtiùs autem, verùm periculoſiùs tyrannum momordit, cui percunctanti, quodnam optimum æs ipſi videretur, dicitur reſpondiſſe: illud, ex quo ſtatuæ Harmodii, & Ariſtogitonis conflatæ ſunt; Harmodio autem, & Ariſtogitoni ſtatuæ, quia tyrannum occiderant, ſunt conſtitutæ. Populum [h] verò univerſum ita dicto laceſſivit; quum ex excelſo loco exclamaret: heus homines, & undique multitu-

a Hor. libr. 4. Od. 7. b Auſon. epigr. 27. c Suid. in V. Κυνόσαργες. d Sueton. in Veſpaſ. cap. 13. e Diog. Laërt. in Vitâ Diogen. libr. 6. ſegm. 43.

f Idem libr. 6. ſegm. 26. g Idem l. 6. ſegm. 50. h Idem ſegm. 32.

titudo confluxisset, adstantes baculo percussit, & abite, inquit; homines enim, non hominum fæcem, & purgamenta convocavi; & [a] quum in foro pranderet, & multitudo circumfusa ipsum canem appellaret: vos, inquit, canes estis, qui prandentem circumstatis. Multa præterea possent, Auditores, afferri, ex quibus constaret, Cynicos
9 nemini pepercisse, omnes allatrasse; verumtamen nota res est, quando [b] Crates philosophus, ex eo quod in omnium ædes ingrederetur, omnes objurgaret θυρεπανοίκτης vulgò est appellatus. Est & alia hujus nominis origo; omnium animalium canis habetur impudentissimus, propterea quod maximè omnium animalium in propatulo coit, nihil veretur, non tenebras, non latebras turpitudini quærit. Ideo Homerus hominem impudentem [c] caninos oculos habere dixit

Οἰνοβαρὲς, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο

Lumina babens, temulente, canis, & pectora cervi

Et idem [d] Helenam κυνώπιδα appellat propter impudentiam, quæ relicto viro adulterum sequuta est, & pellex adolescentis advenæ, & barbari, quàm conjux Spartani Regis esse maluit; & Eustathius notat κύνεον ἦθος *caninum morem* impudentem appellari; & cynædi dicti sunt homines prostituti pudoris; quum igitur impudentissimi ca-
10 nes habeantur, meritò [e] Diogenes, ejusque sectatores Cynici, idest canini philosophi sunt nuncupati. Pervulgatum est Diogenem Cynicum non fugisse conspectum hominum, quum expleret desideria naturæ, quibus alii, remotis arbitris, abditi, inclusique satisfaciunt. Cratetem [f], quum Hipparchiam nobilem puellam duxisset uxorem, quæ capta Philosophi sermonibus ipsum ætate, formaque florentibus, opulentisque, & nobilibus procis prætulerat, cum eâ coram populo solitum concumbere. Quæ impudentia Cynicorum Zenoni [g] Cratetis auditori causa fuit, ut novam sectam conderet; impediebatur quippe naturali pudore, quominus obvios, & ignotos allatraret, & in alienas ædes ingrederetur, & dominos importunè objurgaret, nec ea, quæ pudor celat, in lucem proferre sustinebat; itaque scita Cynicorum probavit, impudentem audaciam est aversatus. Ideo [h] Juve-
11 nalis dogmata Stoicorum a Cynicis tunicâ distare dixit his verbis

Atqui nec Cynicos, nec Stoica dogmata legi
A Cynicis tunicâ distantia.....

Nam quum tunica sit interior vestis, & clausa, ideoque velet partes, quas pudor suadet esse tegendas, dicuntur Stoici a Cynicis tunicâ, hoc est verecundiâ vitæ discrepare; quamquam & Stoici aliquid de impudentiâ Cynicorum traxerunt, qui non putabant obscenis verbis abstinendum, ut Tullius [i] Epistolâ ad Pætum disputat ex sententiâ Stoicorum. Possunt etiam versus Juvenalis accipi simpliciùs, & de verâ tunicâ intelligi; nam quum alii philosophi tunicâ, & super tunicam inducto pallio induerentur, Cynici solo pallio utebantur. Stoici igitur a Cynicis tunicâ diffidebant, ut Juvenalis affirmat, quia Stoici etiam tunicâ, Cynici pallio solo utebantur. Videtur autem id genus indumenti Cynicis maximè placuisse, quia sine labore indueretur, nec magnâ artificum curâ conficeretur, ut libro de pallio Tertullianus affirmat, & esset expeditissimum. Quapropter eo & Christiani utebantur; ideo ab hominibus Deorum cultoribus Γραικοὶ ἐπιθεταὶ *Græculi impostores*, ut Beatus Hieronymus ad Furiam scribens testatur, vocabantur; quum pallium Græcorum esset proprium, sicut Romanorum toga. Sed quia pallium sine 12
tunicâ parum tegebat corpus, parumque ab inclementiâ Cœli defendebat; ideo Diogenes primus dicitur pallium duplicasse, quod [l] Diogenes Laërtius in Vita Diogenis testatur his verbis: τρίβωνα διπλώσας πρῶτος κατά τινας διὰ τὸ ἀνάγκην ἔχειν καὶ ἐνεύδειν αὐτῷ: hoc est: *quum primus, ut quidam tradiderunt, pallium duplicasset, propterea quod & in ipso cubare cogeretur*. Ubi notes etiam eâ de causâ pallio duplici usum Diogenem, quòd alteram partem sibi dormituro substerneret, alterâ se operiret; idemque pallium Cynicis & culcitræ, & straguli usum præberet. Atque hoc est, quod Poëta noster ait, Diogenem gestare secum διπλόον εἶμα *duplicem vestem* videlicet pallium duplicatum, quo nostri Poëtæ loco illustratur Horatii [m] locus, qui sic ait

Contra quem duplici panno patientia velat

ubi is, quem patientia, vel sapientia velat duplici panno, est Diogenes Cynicorum facilè princeps, cui Poëta Aristippum anteponit, quòd ubi opus esset, & panno, & purpureâ chlamyde uteretur; Diogenes purpurâ uti erubesceret, semper autem attrito palliolo duplici indueretur. Id tamen
13 inventum pallii duplicandi quidam fortasse veriùs Antisthenis fuisse tradunt; ideo Diogenes Laërtius in Antisthenis Vitâ ait: καὶ πρῶτος ἐδίπλωσε τὸν τρίβωνα, κατά φησι Διοκλῆς, καὶ μό-

[a] Diogen. Laërt. in Vitâ Diogen. libr. 6. segm. 61. [b] Diogen. Laërt. in Vitâ Cratet. libr. 6. segm. 86. [c] Hom. Iliad. α v. 225. [d] Idem Iliad γ. v. 180. [e] Diogen. Laërt. in Diog. Vitâ libr. 6. segm. 69. & D. August. de Civit. Dei l. 14. cap. 20. [f] Diogen. Laërt. in Hipparch. l. 6. segm. 97. [g] Diog. Laërt. in Vitâ Zenonis libr. 7. segm. 22. [h] Juven. Satyr. 13. v. 117. [i] Cicer. ad Famil. libr. 9. Epistol. 22. [l] Diog. Laërt. libr. 6. segm. 22. [m] Horat. Epistolar. libr. 1. Epist. 17.

καὶ μόνῳ αὐτῷ ἐχρῆτο hoc est: *& primus pallium duplicavit, ut auctor est Diocles, & eo solo utebatur*; loquitur autem de Antisthene; & sanè cum Antisthenes Cynicam sectam condiderit, verisimile est non fuisse contentum simplici pallio. Quum enim Cynici usum tunicarum repudiarent, omnibus eadem necessitas fuit pallii duplicandi; quapropter Tertullianus & Crateti pallium duplex attribuit his verbis libro de Pallio: *at enim pallio nihil expeditius, etiam si duplex, quod Cratetis more nusquam vestiendo componitur*. Ex his igitur, quæ diximus, constat cur Poëta noster affirmet Diogenem ferre secum ad Inferos pallium duplex his versibus

Ὄλπην, καὶ σκίπωνα φέρω, καὶ διπλόον εἷμα,
Καὶ πήρην, καὶ σὸν ναυτιλίης ὀβολόν

hoc est

Lecythus, & baculus mecum est, pretiumque vehendi
Est cum perâ obolus, palliolumque duplex

14 In quibus est animadvertendum Diogenem gestare semper peram solitum, in qua cibum recondebat; testatur id in Vitâ Diogenis [a] Laërtius, qui de Diogene sic loquitur: πήραντε ἐκομίσατο, ἔνθα αὐτῷ τὰ σιτία ἦν hoc est: *peram ferebat, in qua ipsi asservabantur alimenta*; quam tamen tantummodo, quum iter faciebat, portasse eodem teste cognoscimus. Est autem pera sacculus quidam, ut Etymologyci magni scriptor testatur, quæ sic appellata est, ἀπὸ τοῦ τηρεῖν, quasi τηρά τις οὖσα *a servando*, quòd in eâ cibus asservabatur, vel ἀπὸ τοῦ φέρειν a *ferendo* quod in eâ ferebantur, quæ usui essent futura, ut Eustathius, & magnum Etymologicum tradit, vel, ut Vossius Etymologico confirmat a verbo πάομαι quod est *edo*, quod in peram cibi condebantur; eâ pastores Eustathio teste utebantur, utebantur & mendici. Quapropter Homerus libro decimotertio Odysseæ, ubi Minerva Ulyssem deformat in speciem mendici, tradit peram in ipsius humeris collocasse

..... δῶκε δέ οἱ σκῆπτρον, καὶ ἀεικέα πήρην
Πυκνὰ ῥωγαλέην......

Fuit & pera mensuræ genus; ut [b] Suidas ait, quod gerebant aratores, quo semina
15 mandanda terræ continebantur; quò respexit [c] Poëta in Anthologiâ, qui Cupidinem ferentem sulcos inducit his verbis

Λαμπάδα θεὶς, καὶ τόξα βοηλάτην εἵλετο ῥάβδον
Οὖλος Ἔρως, πήρην δ' εἶχε κατωμαδίην:
Καὶ ζεύξας ταλαεργὸν ὑπὸ ζυγὸν αὐχένα ταύρων
Ἔσπειρεν Δηοῦς αὔλακα πυροφόρον:
Εἶπε δ' ἄνω βλέψας αὐτῷ Διὶ, πλῆσον ἀρούραν,
Μή σε τὸν Εὐρώπης βοῦν ὑπ' ἄροτρα βάλω

Quos versus ita vertimus

Peram humero, stimulum dextrâ sumebat, & arcu,
Et face depositâ perniciosus Amor;
Quumque reluctantes egisset sub juga tauros,
Proscissam Ennææ fruge serebat humum;
Et Cœlum aspiciens: imple, inquit, Juppiter, arva,
Ne cogam Europæ te juga ferre bovem

ubi pera, quam humeris gerere dicitur Amor, ea videtur esse, in quam aratores semen recondebant. Eleganter igitur Apulejus uterum puellæ, quæ jam viri semen suscepit, concepitque, perulam dicit his verbis: *quantum putas boni nobis geris in istâ*
perulâ! Sed ut ad Cynicos revertamur, ci- 16
bus, quem in perâ gerebant, plerunque erant Lupini, vel aliud quippiam parabile. Lucianus libello, quem βίων πρᾶσιν *auctionem vitarum* inscripsit: ἡ πήρα δέ σοι θέρμων ἔσται μεστὴ, καὶ ὀπισθογράφων βιβλίων hoc est: *pera autem plena tibi lupinorum erit, hopisthographorumque librorum*: ferebant & alia, quæ opus erant. Poëta noster ait Diogenem lecythum ferre; est autem lecythus ampulla olearia, Latini guttum vocant, qua voce utitur Juvenalis undecimâ Satyrâ his verbis

Nec pugillares defert in balnea raucus
Testiculos, nec vellendas jam præbuit alas,
Crassa nec opposito pavidus tegit inguina gutto

& Satyrâ tertiâ

...... & sonat unctis
Strigilibus, pleno componit lintea gutto

est autem vasculum rotundum, alterâ parte depressius lentis figurâ. Apulejus libro secundo Floridorum: *magno in coetu prædicavit fabricatum semet sibi ampullam quoque oleariam, quam gestabat lenticulari formâ, tereti ambitu, pressulâ rotunditate, juxtaque honestam strigileculam rectâ fastigiatione clausulæ, flexâ tubulatione ligulæ, ut & ipsa in manu capulo moraretur, & sudor ex eâ rivulo laberetur*. Usus autem gutti in balneis, ut ex
locis, quos citavimus, constat; nam in bal- 17
neis antequam lavarent, ungebantur; quare quum balneo frequentissimè uterentur, frequentissimè oleo corpus perfundebant. Causa verò tam frequentium balnearum fuerunt exercitationes campi, vel palæstrarum; nam quum quotidie nudi exercerentur, aspergerenturque arenâ, & pulvere, & ceromate ungerentur, quotidie lavacris indigebant, quibus abluerent sordes, quas in campo, vel palæstrâ contraxerant. Non ergo mirum, si Poëta noster inducit Diogenem guttum in perâ tanquam necessarium vitæ ferentem; nam si minùs fuisset olei usus necessarius, Poëta posset reprehendi, qui Philosophum uti fecerit supellectile non necessariâ, quum constet ipsum nihil habere superfluum voluisse. Quapropter [d] quum puerum vidisset cavis ... aquam

[a] Diogen. Laërt. libr. 6. segm. 22. [b] Suid. in Voce πήρα. [c] Antholog. libr. 4. εἰς ἀγάλματα θεῶν epigr. 49. [d] Diog. Laërt. libr. 6. segm. 37.

aquam manibus haurientem, bibentemque, eductum e perâ poculum dicitur abjecisse; abjecisse & catinum, quum alium aspexisset concavo pane lentem suscipientem. Sed gutto non poterat carere, quum tam frequenter ungeretur, ut, sicut a Diogene Laërtio traditur, ejus corpus quodammodo splendere videretur, & sanè Diogenes, qui crebrò sese exercebat.

Reliqua desiderantur.

DISSERTATIO LXXXV.

In Epigramma vigesimumnonum Libri primi.

Dissertatio Prior.

Germanorum fortitudinem, ac multitudinem maximè horrebant Romani; quoniam eos, licet innumerabiles copias delevissent, nunquam debellaverant; hi tamen Germanici virtute perculsi sunt.

Magnitudinem Romanam adversus, ut ille [a] ait, rerum immersabilem undis Crinagoras admiratur, & celebrat epigrammate pereleganti, quo quercubus illam validis, & annosis comparat, quæ quum [b]

1 ...... *quantum vertice ad auras*
Æthereas, tantum radice in Tartara tendant,

adeo ventorum impetum, turbinum vim, tempestatumque contemnunt, ut arida quidem folia ventis excutiantur, ipsæ verò radicibus hæreant inconcussæ; hoc autem epigramma non modò ob elegantiam carminis, verùm etiam ob argumenti claritatem, nobilitatemque hodierno die judicavimus explicandum, quod ad hunc modum se habet

Οὐδ' ἢν ὠκεανὸς πᾶσαν πλημμύραν ἐγέρῃ,
Οὐδ' ἢν Γερμανίη Ῥῆνον ἅπαντα πίῃ,
Ῥώμης οὐδ' ὅσσον βλάψει σθένος, ἄχρι κε μίμνῃ
Δεξιὰ σημαίνειν Καίσαρι θαρσαλέῃ.
Οὕτω καὶ ἱεραὶ Ζηνὸς δρύες ἔμπεδα ῥίζαις
Ἑστᾶσιν, φύλλων δ' αὖα χέουσ' ἄνεμοι

Sic autem Grecos versus Latinè reddi posse censemus

Si totum spatiosa bibat Germania Rhenum,
Oceanusque omnes invehat altus aquas,
Cæsaris intrepidi dum vis invicta manebit,
Nil robur lædet, Roma superba, tuum.
Sacra Jovi quercus sic stat radicibus imis,
At folia excutiunt arida facta Noti

Et quoniam in verbis nihil admodum obscurum, aut reconditum reperitur, de rebus ipsis verba faciemus; magno igitur Poëta utitur argumento, ut ostendat invictam Romanorum fortitudinem, magnamque Cæsari tribuit laudem, quum ait omnem Germanorum multitudinem excitam e sedibus suis non modò labefactare non posse; sed ne mediocriter quidem convellere, aut infirmare Romanam potentiam Cæsaris consilio, ductu, ac virtute subnixam. Magna siquidem apud Antiquos opinio fuit Germanorum virtutis; quocirca Julii [c] Cæsaris milites accepimus, quum adversùs Germanum hostem ducerentur, adeo animo concidisse, ut totis castris passim testamenta obsignarentur, hominesque vulgò non ad prœlium ire, sed ad certissimum exitium sibi viderentur; quippe Germanos ingenti magnitudine corporum, incredibili virtute, atque exercitatione in armis esse audiebant; quæ, licet in majus aucta, non falsò tamen de Germanis prædicabantur. Nam, ut testis est Pomponius Mela, Germaniæ incolæ immanes erant [d] animis, atque corporibus, quæ assiduo venatu, & quotidianis laboribus, & frequentissimis prœliis exercebant; inclementiam verò sui Cœli adeo tolerabant, ut maximis frigoribus adolescentes, puerique Germanorum nudi agerent; reliqui verò sagis, aut libris arborum, quamvis hieme sævâ integerentur; quibus rebus fiebat, ut & corporum moles incredibiliter augeretur, & vires mirificè crescerent, alitduè verò adeundis periculis, bellisque continenter gerendis tantũ mortis contemptum animis, tantamque pertinaciam imbibebant, ut quotiescumque res posceret, vitam profundere non dubitarent; neque ullis unquam periculis cederent, & turpe ducerent mortis metu, loco dimoveri. Mirum est, quod [e] de contemptione mortis, qua Germani utebantur, proditur 3 a scriptoribus, eos nimirum, qui maritimas incolerent regiones Oceano intumescente, ne ullum genus periculi declinare viderentur, interdum in litore tamdiu solitos permanere, donec fluctibus obruerentur; neque collabentium tectorum ruinam subterfugisse, ne formidinem præseferrent. Quam audaciam, vel potiùs amentiam Germani, qui vicinam Hadriatico Mari terram incolebant, maximè [f] ostenderunt, quum ab Alexandro Macedone interrogati, quid ipsos potissimùm perterrefaceret, responderunt; id unum se magnopere pertimescere, ne Cœlum suis capitibus illaberetur, seseque ruinâ opprimeret. Nihil eos nimirum terrebat, magnus ille Barbarorum terror

[a] Horat. libr. 1. Epist. 2. [b] Virg. Georgic. libr. 2. [c] Jul. Cæsar. de Bello Gall. libr. 1. [d] Senec de Irâ libr. 1. cap. 11. & Cæl. Rhodig. libr. 18. cap. 20. [e] Strabo libr. 7. [f] Arrian. de Exped. Alex. libr. 1. & Q. Curt. Supplem. libr. 2.

ror Alexander, nihil ejus invictus exercitus, qui multis Europæ jam populis, Regibusque perdomitis Asiæ victor imminebat. Et quid ni armis confideret illa natio, quæ
4 nunquam ab armis discedebat, nihilque publici, privatique negotii gerebat, nisi armata? & quid Macedonum virtutem magnopere reformidaret, quæ sæpe contempsit Romanam? Tot enim bellis Germani petiti, toties Romana arma lacessentes, a [a] Mario repressi, non domiti; a [b] Cæsare potiùs irritati, quàm fracti; ab [c] Augusto, Tiberioque [d] submoti potiùs, quàm debellati, tot sæculis libertatem retinuerunt, sæpiusque terrori fuerunt, quàm territi. Quare poëtæ satis laudare sibi Romanam virtutem videntur, quum dicunt a Germania ipsam neque vinci potuisse, neque deterreri; quapropter [e] Horatius in Odis ait:

Suis & ipsa Roma viribus ruit,
Quam neque finitimi valuerunt perdere Marsi,
Minacis aut Etrusca Porsenæ manus,
Æmula nec virtus Capuæ, nec Spartacus acer,
Novisque rebus infidelis Allobrox,
Nec fera cæruleâ domuit Germania pube;

& alio in loco Augustum Cæsarem laudat, quòd eo incolumi nemo Germanos pertimescat [f]

Quis, inquit, *Germania quos horrida parturit*
Fetus incolumi Cæsare, quis feræ
Bellum curet Iberiæ?

Qui locus persimilis est Epigrammatis loco, quod nos explicandum suscepimus; nam & hic Cæsar laudatur, quòd eo rerum potiente Germania non possit ne tantillum quidem nocere Romanæ potentiæ. Magni-
5 fica sanè, & Romano nomine digna laus; neque enim solùm ob eas, quas diximus causas, neque ob fortitudinem modò Germanorum, sed etiam ob multitudinem eorum vis, & conspiratio timebatur; nulla enim natio tantam vim armatæ multitudinis cogere potuisset, quantam sæpe Germani coëgerunt. Nam sexcentesimo quadragesimo ab Urbe conditâ anno Cimbri, & Teutoni (quota pars Germaniæ?) tam immanes copias contraxerunt, ut post ingentia prœlia, post multos cæsos Romanos exercitus, adeo validi [g] Mario occurrerent, ut duobus prœliis quingenta, & octoginta millia hostium ab eo cæsa, captaque fuisse dicantur. Quis autem recensuerit innumerabiles illas Germanorum copias, quas Cæsar bello Gallico [h] delevit? quis illas, quas Tiberius [i], Germanicusque [l] occiderunt? & tamen hi non cum universis, sed cum aliquot Germaniæ populis bellum gesserunt, quæ sunt argumenta certissima Germanorum multitudinis. Atque hoc est, quod Poëta noster ait 6

Si totum spatiosa bibat Germania Rhenum

est enim hoc loquendi genus poëtis familiare, ut quotiescunque significare volunt ingentem aliquam multitudinem, ab eâ dicant amnes exhauriri; quod Græcos etiam historicos accepimus usurpasse, de quibus Juvenalis [m]

..... & quidquid Græcia mendax
Audet in historiâ; constratum classibus iisdem,
Suppositumque rotis solidum mare credimus;
altos
Defecisse amnes, epotaque flumina Medo
Prandente, & madidis cantat quæ Sostratus
alis.

Quod autem Crinagoras ait; neque si Oceanus omnes undas ad opprimendos Romanos excitaret, & inveheret terris, quidquam Romanis esse nociturum, dum Cæsaris ductu, & consilio regerentur; id est hujusmodi, ut ostendat, quo tempore, & qua occasione præsens epigramma conscriptum sit, quod alioquin esset obscurum. Nam multi Cæsares bellum cum Germanis gesserunt; gessit Julius [n] Cæsar, qui trecenta eorum millia cecidit, gessit [o] auspiciis 7
Augusti Tiberius; gessit [p] Domitianus, qui de Cattis triumphavit, & Germanicus est appellatus, ut prætermittam Cajum Cæsarem, cujus *ingentes*, ut [q] ait Tacitus, *minæ in ludibrium versæ*; gessit autem & Antoninus [r] Philosophus, qui Marcomannos, Quados, Hermunduros bello superavit; ac nisi morte præventus fuisset, eorum regiones in provinciam redegisset, imperiumque Romanum non ampliùs Danubio flumine, sed Oceano septemtrionali terminasset. Multi præterea de eo hoste Cæsares triumpharunt; sed, nisi fallor, hoc epigrammate Germanici Cæsaris virtus celebratur, ejus, inquam, Germanici, qui Tiberii [s] Cæsaris dolo dicitur interemptus, quo duce Romana felicitas non modò non hostes, verùm etiam Oceani fluctus, tempestatesque non timuit, quod Crinagoras affirmat. Germanicus quippe non modò cum Germanis, 8
verùm etiam cum Oceano ipso, turbinibusque, ac fluctibus bellum gessit; bis [t] ejus exercitus maris æstu, & tempestate sævâ est conflictatus; & quum ingentem accepisse cladem videretur, adeo non est adversis obrutus, ut ex illis major, & validior emergeret. Quocirca, quemadmodum [u] Tacitus

[a] Plutarch. in C. Marii Vitâ. [b] Cæs. de Bello Gall. libr. 1. [c] Sueton. in August. cap. 21. [d] Cornel. Tacit. Annal. libr. 1. [e] Hor. Epod. Od. 16. [f] Idem libr. 4. Od. 5. [g] Plutarch. in Mario, & Luc. Florus libr. 3. cap. 3. [h] Cæsar de Bello Gall. libr. 1. [i] Sueton. in Tiberio cap. 19. [l] Cornel. Tac. Annal. libr. 1. [m] Juven. Sat. 10. v. 172. [n] Jul. Cæs. Comment. de Bello Gallic. libr. 4. [o] Suet. in Tiberio cap. 19. [p] Idem in Domitian. cap. 6. [q] Cornel. Tacit. de Morib. Germ. n. 37. [r] Jul. Capitolin. in Antonin. Philosoph. [s] Suet. in Vitâ Caligul. cap. 2. [t] Corn. Tacit. Annal. 1. libr. n. 70. & libr. 2. n. 24. [u] Idem libr. 2. n. 25.

tus testatur, ea res maximè perculit Germanos; nam, ut ejus verbis utar, *invictos, & nullis casibus superabiles Romanos prædicabant, qui perditâ classe, omissis armis, post constrata equorum, virorumque corporibus litora, eadem virtute, pari ferociâ, & velut aucti numero irrupissent*. Atque hoc est, quod Crinagoras dicit, neque universam Germaniam, quæ adversus Cæsarem insurrexerat; neque Oceanum suis fluctibus posse infirmare virtutem, & potentiam Romanorum; reliqua alio die exequemur.

DISSERTATIO LXXXVI.

In idem Epigramma.

Dissertatio Posterior.

Imperium Romanum virtute partum est; Macedonum verò fortunâ, contra Plutarchi sententiam. Romana Respublica semper cladibus crevit. Varro tradit quosdam ex duodecim avibus, quas Romulus vidit, conjectasse rem Romanam mille ducentosque annos staturam; quod eventum comprobasse affirmat Petrus Crinitus.

PLutarchus [a] gravis inprimis, & eruditus Auctor duo maxima post homines natos imperia comparans Alexandri Macedonis, & Romanorum, illud quidem virtute dumtaxat; hoc autem non solum virtute, sed etiam fortunâ partum, & constitutum fuisse
1 se existimat. Ego verò, & si plurimum tribuo auctoritati Philosophi gravissimi, tamen in hac quidem re ab eo longè dissentio, & in constituendo Macedonum imperio præcipuè fortunam, in Romano virtutem valuisse confirmo; idque ut credam non eo solùm adducor argumento, quòd quum virtus stabile quiddam firmum, & diuturnum; leve fortuna, instabile, infirmum habeatur; illud imperium virtute subnixum debet judicari; quod permulta sæcula adeo mansit invictum, ut æternum fore videretur; non illud, quod nondum confirmatum concidit, & eversum est; non ob hanc, inquam, solùm causam judico, Alexandro fortunam magis, Romanis affuisse virtutem; sed etiam, quòd mihi in res Macedonum gestas intuenti videntur illi, dum viveret Alexander, semper usi prosperis, & ex animi sententiâ fluentibus rebus; ut dubium esse non possit, quin affuerit fortuna semper vincentibus, nunquam in cursu rerum maximarum offendentibus; at Romanos, inquit Polybius, quis putet suam magnitudinem acceptam referre debere fortunæ, quum eâ sæviente frequenter in maximas incurrerint calamitates? quis illud imperium & ab initio partum benignitate fortunæ, & postea auctum judicet, quod eam inimicam, atque infestam adeo freqoenter expertum est, ut ejus prospera virtuti, adversa fortunæ tribuenda esse videantur; non enim secundis Romana res crevit, sed adversis virtus effulsit, magnificentiorque extitit, & admirabilior; adversa quippe fortunæ Romanum imperium erexerunt, & confirmarunt; prospera convulserunt, & labefactarunt. Quamobrem potest videri, ut est semper infe- 2
sta, atque inimica virtoti, fortuna invidisse Romanis; veruntamen quum animadverteret eorum magnitudinem sævitiâ suâ, & cladibus augescere, ad insidias quodammodo se convertisse, & quam infirmare fortitudinem sæviendo non potuerit, indulgendo perdidisse; illud certè constat per aspera crevisse Romanam potentiam. Quapropter Horatius illam Hydræ aptissimè comparavit; quòd quemadmodum Hydra ono capite amputato multiplex magis, & violentior evadebat; ita Romana virtus affecta cladibus major exurgeret, & [b] formidolosior:

Non Hydra, inquit, *secto corpore firmior*
Vinci dolentem crevit in Herculem,
Monstrumve submisere Colchi
Majus, Echioniæve Thebæ.
Merses profundo; pulchrior evenit:
Luctere; multa proruet integrum
Cum laude victorem, geretque
Prælia conjugibus loquenda.

Et eodem in loco eamdem Ilicibus confert, quæ ferro attonsæ magis vigent:

Duris ut ilex tonsa bipennibus 3
Nigræ feraci frondis in Algido
Per damna, per cædes, ab ipso
Ducit opes, animumque ferro.

Hanc autem in adversis firmitatem Romanæ potentiæ eleganti comparatione, similique Horatianæ etiam Poëta noster expressit, quum cecinit:

Sacra Jovi quercus sic stat radicibus altis,
At folia excutiunt arida facta Noti.

Nam quemadmodum quercus, arboresque firmissimæ in montibus, ubi vehementissimè concutiontur ventis, altiùs radices agunt, quàm ubi non agitantur; ita Romanum imperium quum asperrima rerum pertulit, maximè confirmatum est. Quando enim unquam tam accisæ opes Romanorum, & infracta virtus visa est, quàm qoom cæso Romano [c] exercitu Galli urbem ceperunt, & reliquias miseræ civitatis in Capitolinum montem compulsas obsederunt? Quis unquam putasset Romanum nomen æ tantis Reipublicæ fluctibus emersurum? & tamen

[a] Plutarch. de Fortunâ Rom. & Alexandr. [b] Horat. l. 4. Od. 4. [c] Tit. Liv. l. 5. & Flor. l. 1. c. 13.

tum primum Gallis internecione deletis,
quum undique Hernicis, Æquis, Volscis,
Latinis, Etruscis conspirantibus premere-
tur, & non odio magis, quàm contemptu
imperium laboraret, tam latè suos fines Ro-
mani protulerunt, ut ad eam diem cum fi-
nitimis populis colluctati toti Italiæ ecepe-
rint imminere. Quid Punico [a] bello pri-
mo? quis non obrutam Romanam poten-
4 tiam credidisset, tot cæsis terrestribus co-
piis Romanorum, septingentis quinquere-
mibus, præter ingentem numerum earum,
quæ diversis naufragiis perierant, amissis?
& tamen longè secus se res habuit; nam eo
tempore primùm Romani Italiæ imperio
exteras provincias adjecerunt. Quid se-
cundo [b] post Ticinum, Trebiam, Trasy-
menum, Cannas Romano sanguine redun-
dantes, innumeras præterea clades brevi
tempore acceptas, nonne oppressa fortunæ
injuriâ Romana virtus videbatur, quæ per
eas clades ad Orbis terrarum imperium
gradum fecit? Mitto alia exempla, quibus
abundat inprimis historia Romana, quæ de-
clarant satis id, quod Poëta noster signifi-
cat, non magis adversis everti Romam po-
tuisse, quàm robustissimæ quercus vehemen-
tibus admodum ventis soleant commoveri.
Quæ quum Veteres animadverterent, in eam
adducti sunt opinionem, ut crederent cete-
5 rarũ rerum, ut initium, ita & finem aliquan-
do futurum; Romanæ potentiæ nullam diem
exitium allaturam. Hinc [c] Virgilius cecinit:

Nulla dies unquam memori vos eximet ævo,
Dum domus Æneæ Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.

& libro primo Jovem de Romanis ita in-
ducit loquentem:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium sine fine dedi.....

& [d] Tibullus Romam urbem æternam vocat:

Romulus æternæ nondum formaverat urbis
Mœnia, consorti non habitanda Remo;

Cujus honorem appellationis tribuit etiam
Romæ libro vigesimo octavo historiæ suæ
Ammianus Marcellinus, & Notitia imperii
Romani, & alii passim Scriptores. Plutar-
chus autem libello de Romanorum fortu-
nâ, hanc imaginem concipit; fortunam ce-
tera imperia velocibus prætervectam pennis,
ubi ad Romanos venisset, non alas modò,
sed etiam pilam, qua instabili, & fallente ve-
stigium innititur, abjecisse, ut præter mo-
rem suum stabilis apud eos permaneret.
Quæ dicta & si parum cogitantium viden- 6
tur res varias, incertasque Mortalium, le-
vitatemque fortunæ; tamen non sine causâ
proferabantur. Quis enim eo tempore non
credidisset illud imperium fore sempiter-
num, quod non [e] Italorum robur, & di-
sciplina, non Pyrrhi [f] solertia, & ingenia
Græcorum, non [g] Gallorum immanitas, &
multitudo, non [h] Punica fraus, & Cartha-
giniensium terrestres, maritimæque copiæ;
non celebrata famâ [i] Macedonum virtus,
non [l] Parthorum potentia, [m] Antiochi, Mi-
thridatis [n], Tigranis magnitudo evertere
unquam potuissent? aut quem timere posse
videbatur impetum Barbarorum civitas, quę
Germanorum ferociam, innumerabilesque
copias; quæ Dacos, quæ Sarmatas, quæ Ge-
lonos, Iberos, Albanos, omnem denique
barbariem, aut armis domuisset, aut ingen-
tibus cladibus affectam compressisset? Ac-
cedebant eodem vatum prædictiones, quæ
firmam, stabilemque potentiam Romanis 7
pollicebantur; nam [o] quum Capitolium con-
deretur, & fana, sacellaque, quæ ibi tunc e-
rant, exaugurarentur, ceterorum exaugura-
tiones aves admisere, in Termini fano non
addixere; quod ostentum sic augures acce-
perunt, ut dicerent non motum Termini se-
dem, firma, stabiliaque cuncta portendere.
Sed heu quàm instabiles, fragilesque res
Mortalium sunt, quàm vaga, inconstans,
volubilisque fortuna, quàm subjecta casi-
bus humana potentia! illud imperium, quod
multò magis, quàm [p] Dionysii regnum, a-
damante vinciri putabatur, concidit; ever-
sa est arx illa gentium, extincta lux Orbis
terrarum, insultavere ruinis principis ur-
bium barbaræ gentes, & cujus nomen hor-
ruerant, calcavere reliquias, quum e tantâ
urbe nihil propemodum reliquissent; quo
maximo documento constitit vanas esse ho-
minum mentes in tam caducis, obnoxiisque
fortunæ quidquam stabile, aut firmum co-
gitantium. Non defuerunt tamen, ut Var-
ro tradidit, qui ex numero avium, quas duo-
decim Romulus vidit, mille, ducentosque
annos rem Romanam staturam conjectarent,
quod, ut adnotat Petrus Crinitus, etiam e-
ventus comprobavit.

Finis Dissertationum in Anthologiam.

[a] Luc. Flor. libr. 2. cap. 2. [b] Tit. Liv. libr. 11. & 12. [c] Virgil. libr. 9. Æneid. [d] Tibull. libr. 2. Eleg. 5. [e] Tit. Liv. libr. 1. & 2. [f] Luc. Flor. libr. 1. cap. 18. [g] T. Liv. libr. 5. & L. Flor. l. 1. cap. 13. & l. 2. c. 4. & l. 3. c. 10. [h] L. Flor. l. 2. c. 2. & 6. & 15. [i] T. Liv. de Maced. l. 39. & inde & L. Florus l. 2. c. 7. & 12. & 14. [l] L. Flor. l. 3. c. 11. [m] Idem l. 2. c. 8. [n] Idem libr. 3. c. 5. [o] T. Liv. l. 5. in fine. [p] Diod. Sic. libr. 16. histor.

BENEDICTI AVERANII IN THUCYDIDEM DISSERTATIONES QUINQUAGINTAOCTO.

DISSERTATIO I.

Thucydides Hecatæum Milesium, & Herodotum sublimitate superat. Sublimitas oritur non solùm ex rerum splendore, sed etiam ex vocalium concursu, & longitudine periodi. Consueverunt Auctores operibus nomen suum inserere; qui mos etiam a veteribus prophetis usurpatur. Primos Æneidos Virgilii versus tollendos non esse Pierius Valerianus, & Julius Scaliger existimant adversùs alios Criticos; quum etiam pictores, & ceteri artifices nomen suis operibus inscribere consueverint. Orpheus an extiterit, ignoratur; Onomacriti autem dicuntur esse carmina. Musæi non sunt versus, qui illius esse feruntur; sicut etiam sibyllini sunt ignoti Auctoris; alia etiam aliis fuerunt attributa, quæ non sunt illorum.

QUod a Principe Lyricorum poëtarum non architectis modò, sed artificibus etiam universis præclarè, sapienterque præceptum est; id in historiæ principio, quæ de bello Peloponesiaco inscribitur, Thucydidem gravissimum rerum Græcarum conditorem sequutum esse constat. Ille enim sic ædificia esse docet inchoanda, ut facies totius operis quàm magnificentissima exædificetur[a]

..... Ἀρχομένου δ', inquit, ἔργου πρόσωπον
Χρὴ θέμεν θηλαυγὲς......

hic parens illius præceptis illustre monumentum Græcæ antiquitatis magnifico 1 sanè, ac splendido illustravit exordio; ut quemadmodum, qui tot surgentem gradibus Capitolii molem, Templi[b] postes e solido auro constantes, fastigium æreis tegulis inauratis exornatum intuebantur, dignam augustissimo templo speciem concipiebant; ita qui Thucydidis historiarum tam sublime principium, tantam sententiarum gravitatem, verborumque splendorem contempletur; in ipso quasi vestibulo operis præcipiat animo & magnitudinem rerum, & dicendi genus elatum, atque magnificum, quod Thucydides in toto opere usurpavit. Quis enim est vel ingenio tam hebeti, vel aure adeo jacenti, qui quum prima Thucydidis verba legerit, non intelligat res ipsas, quantum libet magnas, & admirandas eloquentiæ magnitudine, & sententiarum pondere, & copiâ superari? Itaque quum in omni opere duo soleant homines admirari; magnitudinem rerum, & scriptoris eloquentiam; eloquentiam Thucydides commendat ipso dicendi genere; magnitudinem autem rerum mirificè extollit, quum Peloponesiacum bellum omnibus Antiquorum bellis anteponit; quo consequitur, ut Lectorem & attentum reddat, & doci-

a Pindar. Olymp. Od. 6. in princ. b Zosimus apud Lipſ. de magnit. Rom. l. 3. c. 5. & Plin. l. 33. c. 3.

lem; attentum propositâ rei magnitudine, docilem exposito breviter operis argumento, quod in exordiis demonstrativi generis maximè requiritur; in quibus auditorum benevolentiam captare non est plerunque necessarium. Hujus igitur exordii principium hodierno die suscepimus exponendum, quod Thucydides ad hunc modum inchoavit:

Θουκυδίδης Α'θηναῖος ξυνέγραψε τὸν πόλεμον τῶν πελοποννησίων, ϗ Α'θηναίων, ὡς ἐπολέμησαν πρὸς ἀλλήλους, ἀρξάμενος εὐθὺς καθισαμένυ, ϗ ἐλπίσας μέγαντε ἔσεσθ, ϗ ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων, τεκμαιρόμενος, ὅτι ἀκμάζοντεστε ἦσαν ἐς αὐτὸν ἀμφότεροι παρασκευῇ τῇ πάσῃ, ϗ τὸ ἄλλο ἑλληνικὸν ὁρῶν συνιστάμενον πρὸς ἑκατέρυς, τὸ μὲν εὐθὺς, τὸ δὲ ϗ διανοέμενον: κίνησις γὰρ ἄυτη μεγίςη δὴ τοῖς ἕλλησιν ἐγένετο, ϗ μέρει τινὶ τῶν βαρβάρων, ὡς δὲ εἰπεῖν, ϗ ἐπὶ πλεῖςον ἀνθρώπων

Quæ verba sic latinè convertuntur:

Thucydides Atheniensis bellum conscripsit, quod Peloponesii adversùs Athenienses gesserunt, & quo pacto inter se pugnaverunt, ab ipso belli initio exorsus, magnum ratus fore, & memoriâ dignissimum omnium, quæ ante gesta sunt; eo autem utitur argumento, quòd id susceperunt utrique pollentes omni bellico apparatu, & quod videt Græcorum alias gentes universas cum utrisque conspirasse; partim quidem statim, partim animo, & voluntate; hic enim motus maximus extitit Græcis; & cuidam parti Barbarorum, &, ut ita dicam, plurimis Mortalium.

Quo in principio Thucydides Hecatæum
2 Milesium, & Herodotum Halicarnasseum est imitatus, quorum alter historiam sic exorsus [a] est Ε'καταῖος Μιλήσιος ὧδε μυθεῖται; hoc est: *Hecatæus Milesius ita fabulatur*; alter Η'ροδότυ [b] Α'λικαρνασῆος Γ'ςορίης ἀπόδεξις ἥδε. hoc est: *Herodoti Halicarnassei historiæ descriptio hæc*. Sed adnotandum est in hoc principio Thucydidis orationem tanto esse grandiorem, quàm Herodoti, & Hecatæi, quanto in ceteris historiæ partibus Thucydides est utroque sublimior; quæ granditas orationis oritur [c] & e splendore rerum, quæ subjectæ sunt verbis, & ex frequenti vocalium concursu, sonituque verborum, & ambitu orationis, & longitudine periodi, non oratorio quidem more, sed historico solutiùs circumductæ; quæ teste [d] Demetrio Phalereo sublimitatem efficit orationis; Herodoti autem sermo & ambitu caret, & verborum sono, & magnificentiâ vincitur,
3 quæ est in Thucydide mirabilis. Illud etiam animadvertendum est tam in principio Thucydidis, & Hecatæi, quàm Herodoti, in more positum Antiquis fuisse, ut non modò titulis adscriberent nomen, sed operum principiis apponerent; quod consilium sequutos esse constat Scriptores omnes [e] Arabes, & Chaldæos, & veteres Prophetas; ita in Sacris paginis legitur *Visio Azabelis, Judicium Abdiæ*. Quamquam in hac quidem re Homeri gloriæ contemptus, & animi magnitudo [f] laudatur, quòd in tot millibus versuum nunquam nomen suum posuerit; quem quum in plerisque fuerit imitatus Homerus Latinorum Virgilius, in hoc non est imitatus, qui & in ultimo Georgicorum libro se Bucolica, & Georgica composuisse testatur, quum dicit

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope studiis florentem ignobilis oti,
Carmina qui lusi pastorum, audaxque juventâ,
Tytire, te patulæ cecini sub tegmine Fagi

& in divinæ Æneidos initio se eundem esse confirmat, qui Bucolicos, Georgicosque versus conscripserit his verbis

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avenâ
Carmen, & egressus silvis vicina coegi,
Ut, quamvis avido, parerent arva colono;
Gratum opus agricolis; at nunc horrentia Martis
Arma virumque cano .....

Quos verius an meritò Tucca, Variusque sustulerint inter [g] eruditos magna dissensio est, 4
neque hujus loci, neque [h] nostrum est tantam componere litem; Pierius Valerianus, & Julius [i] Cæsar Scaliger Virgilii judicium probant, Criticorum damnant. Et sanè cur pictoribus, & ceteris artificibus liceat operibus, quæ fecerunt, suum nomen inscribere; poëtis, aliisque scriptoribus non liceat? Apellem [l] ferunt semper picturis adscribere solitum: Apelles faciebat, qui mos est etiam a ceteris artificibus usurpatus; Batrachus [m], & Saurus, quum in Octaviæ templo suum nomen adscribere prohiberentur, Ranam, & Lacertam, quæ batrachos, & sauræ Græcè dicuntur, in columnarum spiris insculpserunt, ut eo pacto sui nominis extaret argumentum. Phidias [n] Minervæ clypeo sui similem effigiem efformavit, quum titulus operis ei ab Atheniensibus esset denegatus; idem eorum, quos ab interitu vellet vindicare, nomen operibus dicitur insculpisse; sic in digito [o] Jovis Olympii impressit hæc verba, *Pantarces pulcher*; quo nomine formosissimus adolescens, quem unicè diligebat artifex, vocabatur: sic [p] Agoracriti sibi ætatis flore grati nomini plerasque operum dicavit. Quod si minores artifices, ne vetustate nomen ipsorum obsolesce-

[a] Demetr. Phaler. de eloquut. textu 12. secundùm Victorium. [b] Herod. libr. 1. in princ. [c] Cicer. 2. de Orat. Quintil. libr. 10 & Dem. Phal. textu 30. [d] Demetr. Phal. text. 19. [e] Jul. Cæs. Scaliger Poët. libr. 5. cap. ult. [f] Dio Chrysost. orat. 55. [g] Jul. Cæs. Scal. Poët. libr. 1. c. 56. [h] Virg. Eclog. 3. [i] Jul. Cæs. Scalig. ibid. & libr. 5. cap. ultim. [l] Plin. in præfat. [m] Plin. libr. 36. cap. 5. [n] Aristot. l. da Mundo. [o] Pauf. in Eliac. prior. libr. 5. [p] Plin. libr. 36. cap. 5.

lesceret, & quæ ipsi fecerant, aliorum opera viderentur, suum nomen in ipsis extare voluerunt; quanto magis id concedendum scriptoribus, quorum nomina majore cum damno ignorantur? Haud magni sanè refert, si quis Phidiæ signa Praxitelis esse credat, sed in litteris non ita est; sæpe nobis fucom faciunt, & pro optimis pessimi scriptores leguntur, & sub excellentium Auctorum nomine contemptissimi delitescunt. Huic autem malo mederi conantur hi, qui in libris nomen suum ponunt, quod utinam omnes fecissent, & satis id esset ad deterrendam quorumdam impudentiam, qui magnorum virorum claritate ad illustrandam obscuritatem suam abutuntur; non tot in erroribus versaremur, non tot ignobiles Auctores pro nobilissimis legerentur; nunc

5 autem, ut paucis contentus sim, quædam carmina frigida oppidò, atque inepta [a] Ovidii ingeniosissimi poëtæ nomine circumferuntur: ignoti Auctoris carmina pro sibyllinis leguntur: Orpheus [b] an unquam fuerit, ignoratur; quum tamen quædam poëmata extent, quæ Orphei esse dicantur, quorum scriptor a quibusdam [c] Atheniensis Onomacritus esse ponitur: Musæi versus qui putantur, sunt quidem elegantissimi; sed non a Musæo conscripti, sicut Julius [d] Scaliger existimavit, qui non est veritus ea carmina Homeri carminibus anteponere; ab eo, inquam Musæo, quem fabulæ ferunt Lunæ filium fuisse, & [e] Orphei auditorem, poëtam Trojano bello vetustiorem. Quot [f] Aristotelis libri suppositi esse dicuntur! quot fabulæ [g] Plauti nomen antiquitus præferebant, quæ non erant Plauti, quum centum triginta Plautinæ dicerentur, Plautus autem viginti, vel, si Lælio credimus, viginti quinque conscri-

6 pserit! Jam Maximiliani cujusdam ineptissimi nugatoris carmina Cornelio Gallo elegantissimo poëtæ tribuuntur. Auctoris haud sanè nobilis, & elegantis historia de Bello Trojano Daretis Phrygii nomine insignitur; sicut alius liber de eodem Bello Dictys esse Cretensis falsò existimatur. Jam Quintiliani declamationes quotusquisque non intelligit ab ejus auctoris dicendi genere abhorrere: jam Octavia Senecæ quàm longè distat ab ejus ingenio, & spiritus magnificentiâ! Quæ quamqoam non fallunt semper eruditos, tamen & ipsis interdum imponunt; quemadmodum Græcorum Imperatorum vitæ doctos viros diutissimè fefellerunt; quas Æmylii Probi esse tot sæculis omnes inscriptione decepti crediderunt; quò in libro, si Cornelius Nepos ejus conditor, ut meritò creditur, nomen posuisset, non tam diu debitâ gloriâ caruisset. Quare sapienter Ennius, ne quid ipsi tale 7
possit accidere, poëma sic inchoavit, ut ex primis versuum litteris hæc sententia efficeretur: Ennius fecit; ut si quis illud opus esset suffuratus, in eum dici posset, quod in quemdam plagiarium dixit [h] Martialis

Stas contra, dicisque tibi tua pagina, fur es.

Nec minùs prudenter Thucydides, qui & initio operis nomen suum posuit, & sæpissimè repetivit

DISSERTATIO II.

Exordia historiarum, utpote demonstrativi generis, attentionem lectoris, & docilitatem conciliare oportet. Historici res gestas ab initiis exordiuntur, & causas explicant, atque ordinem servant; poëtæ verò initiis prætermissis media narrant, deinde ordine inverso principia exequuntur; licet multi poëtæ id non observarint. Pecuniarum maxima erat apud Græcos penuria; ut quum Philippus aureum poculum haberet, pulvino semper subjiceret. Terrarum magna pars incognita erat tempore belli Peloponesiaci.

Quæ duo inprimis præstanda esse dicunt in exordiis demonstrativi generis, quæque sola ab historicis in exordiis præstari convenit; ut attentum, docilemque lectorem faciant, ea Thucydides in proœmii principio statim præstitit; & docilem quidem reddit, quum proponit se de bello scripturum, quod quum Peloponesiis Athenienses gesserunt, & ab ipso initio belli principium scribendi esse facturum; quo nomine historicorum narrationes a poëtarum narrationibus discrepant. Nam historici, quidem sic res narrare instituunt, ut 1
rerum ipsarum ordo postulat; itaque & rem altiùs repetunt, ejusque causas explicant, & ab initiis rerum exordiuntur, quod fadit noster Auctor, qui bellum Lacedæmoniorum, & Atheniensium narraturus incipit a bello, quod Epidamniis Corcyrei intulerunt; & [i] Sallustius, qui Catilinæ conjurationem scripturus multa dicit de corruptis moribus Romanorum, lapsaque vetere disciplinâ, quæ causæ Romanis intestini mali extiterunt; poëta verò, qui, ut Horatius [l] testatur,

Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec

[a] Ovid. Pulex. Philomela &c. [b] Aristot. apud Cic. de Nat. Deor. l. 1. & Suid. in V. Ὀρφεύς. [c] Clem. Alex. l. 1. Strom. [d] Jul. Scal. l. 5. c. 2. & Clem. Alexandr. libr. 1. Strom. [e] Suid. in V. Μουσαῖος.

[f] Aristotel. de Sapientiâ Ægypt. & de Mundo. [g] A. Gell. libr. 3. c. 3. [h] Martial. l. 1. epigr. 54. [i] Sallustius in Conjur. Catilin. [l] Horat. in Arte poët.

Nec gemino bellum Trojanum orditur ab ovo a principiis rerum non exorditur, sed illis initio prætermissis media narrat; ac deinde ordine inverso principia exequitur. Quam legem servavit, vel potiùs constituit Homerus, qui Iliada a decimo anno belli Trojani est auspicatus; & errores Ulyssis ab eo tempore, quo Calypso Jovis jussis coacta Ulyssem dimisit, quem sequutus Virgilius errores Æneæ ab extremo pæne ipsorum inchoavit. Nam initio divinæ Æneidos
2 dos Æneam inducit e Siciliâ solventem, & in secundo demum libro excidium Trojæ, errorumque principium incipit explicare; ceteri autem poëtæ id præceptum neglexerunt. Nam [a] Lucanus historicum agit, magisque Sallustium imitatur, quàm Homerum, aut Virgilium; non enim solùm bellum civile incipit a transitu Cæsaris in Italiam, quod principium fuit civilium armorum; sed etiam multa de luxu Romanorum, multa de vitiis queritur civitatis; quod Sallustius in conjuratione Catilinæ facit. Statius [b] autem & ipse potiùs legem sequitur historicorum, quàm poëtarum, qui ab OEdipi cæcitate bellum Thebanum exorditur. Idem statuendum de Silio [c] Italico, de [d] Valerio Flacco, & [e] Apollonio, qui sint reprehendendi, nec ne, non est hujus loci diligentiùs inquirere. Historicis certè aliter incipere non licet, quàm quomodo inceptutum se esse Thucydides profitetur; ab ipso scilicet initio belli; atque hoc pacto, ut dicebam, docilem efficit lectorem; attentum autem, quum belli, quod scripturus est, exaggerat, atque extollit magnitudinē, quod assequitur, quū bellum Peloponesiacum esse dicit ἀξιολογώτατον τῶν προγεγενημένων, hoc est: *omnium, quæ antea gesta sunt memoriâ dignissimum*; quo nihil dicere magnificentius potuit. Magna siqui-
3 dem apud Græcos opinio fuit, de rebus ante bellum gestis, quod Thucydides conscripsit; nam bellum Trojanum adeo est poëtarum ingeniis celebratum, ut nullum majus, nullum admirabilius fuisse videretur. Itaque Ælianus in variâ Historiâ hoc bellum maximum argumentum vocat; & Isocrates queritur in Evagorâ neminem posse consequi gloriam parem iis, qui Trojam ceperunt; quibus etiam Alexander [f] Magnus, quo nemo vel fortior, vel felicior, vel gloriosior apud Grecos fuit, dicitur invidisse. Jam [g] Atheniensium res adversùs Persas gestæ eo cothurno a Graiis celebrantur, ut plenæ sint rhetorum orationes, plenæ poëtarum fabulæ, plena historiarum monumenta prœliis ad Marathona, & Salamina commissis; hic est campus, ubi exultat eloquentia Græcorum; 4
hîc se [h] jactat gens illa in suas laudes effusissima. Jam de Plateis, de Thermopylis nullus est Auctor inter Græcos, qui non sibi aliquid scribendum putaverit; hinc omnis Athenarum, Spartæque gloria, quæ sibi [i] adeo ob Marathonium triumphum placebant, ut eos milites, qui in eo prœlio ciciderunt, ut [l] Pausanias testatur, heroum honoribus consecrarint; per quos jurare [m] Demosthenes non veretur; & qui Athenas laudat statim mentionem facit Marathonii trophæi. Poëta Græcus in Anthologiâ de Athenis ita loquitur

Ἡ καλὸν ἐν μαραθῶνι καταστήσασα τρόπαιον

hoc est

Quæ statuit pulchrum claro Marathone triumphum

& [n] Athenæus καὶ οὗτοι ἦσαν οἱ τοιοῦτοι, οἱ τὴν ἐν Μαραθῶνι νικήσαντες μάχην, καὶ μόνοι τὴν τῆς Ἀσίας ἁπάσης δύναμιν χειρωσάμενοι, hoc est; *& tales erant, qui Marathonio prœlio victores extiterunt, solique Asiæ universæ opes attriverunt*; & [o] Aristophanes Athenienses laudans μαραθωνομάχους appellat. Nec verò ullas res gestas cum rebus ad Salamina gestis comparari posse censebant; ideo [p] Plutarchus pugnam Salaminiam omnibus pugnis navalibus tam Græcorum, quàm Barbarorum anteponit. Atque hæc est causa, cur Thucydides in hoc procemio, quum sibi proposuisset ostendendum Peloponesiacum bellum majus, atrociusque fuisse omnibus bellis, Trojani, Persicique belli dumtaxat mentionem fecerit; quòd ea longè maxima, & clarissima extitissent; quod eo probat argumento, quod utrique plurimùm omni bellico apparatu eâ tempestate potuerunt. Et sanè nunquam validiores Atheniensium res fuis- 5
se memorantur; siquidem post accisas Persarum opes Athenienses annis quadraginta Græciæ principatu potiti mirum in modum viris, armis, opibusque florebant. Auxerat eorum potentiam [q] Periclis viri summi prudentia, qui Reipublicæ per annos quadraginta summâ cum laude præfuerat manu strenuus, ingenio validus, eloquentiâ mirabilis. Is præterquam quod deficientes ab Atheniensibus populos semper in potestatem redegit, & in omni bello victoriam reportavit, & quotannis sexaginta triremibus mittendis maritimis prœliis juventutem exercuit, nihil aliud, quàm bellum adversùs Lacedæmonios est meditatus. Itaque quó paratior id aggrederetur, quotannis decem talenta Lacedæmonem mittebat Ephoris, ut pecuniâ corrupti auctores

[a] Lucan. in Pharsal. [b] Stat. in Thebaid. [c] Sil. Italic. libr. 1. [d] Valer. Flacc. Agonaut. [e] Apollon. Rhod. Argonaut. [f] Plutarch. in Alex. [g] Isocr. Panegyr. & Panath. Aristides Panathen. Plato in Epitaphio. Demosth. in Epitaph. [h] Plin. libr. 3. cap. 5. [i] Herod. libr. 6. cap. 112. &c. & libr. 9. cap. 27. [l] Pausan. in Attic. [m] Demosth. in Philipp. [n] Athen. libr. 12. [o] Aristophan. in Nub. [p] Plutarch. in Themistocl. ex Simonidis sententiâ. [q] Plutarch. in Pericle.

res essent belli differendi. Jam pecuniam, quam universa Græcia quotannis Delum conferebat, Athenas convexerat, & in arce decem millia talentorum congesserat; quæ summa pecuniæ sexagies efficit centena millia coronatorum, quæ quum sit per se ingens, eo tempore ingentior longè habebatur. Magnam quippe fuisse auri,
6 argentique penuriam testatur [a] Athenæus libro sexto, qui tradit etiam Philippum Regem eâ tempestate ditissimum, propter inopiam auri, aureo poculo adeo fuisse delectatum, ut dormiturus id pulvino semper subjecerit. Hostes autem Atheniensium Lacedæmonii & ipsi se se ad id bellum summâ ope compararant; propterea quòd suspectam habebant felicitatem, & potentiam Atheniensium; nec verò illis defuere vires. Xerxe quippe devicto, concussoque Asiæ imperio, & domi, forisque egregiè Republicâ constitutâ, per ea tempora summas fuerant opes consequuti. His accedebant Co-
7 rinthii, Thebanique focii, quorum alteri divitiis, alteri viris præcellebant; nam Corinthum opulentissimam fuisse testis est in octavo libro Geographiæ Strabo, & Athenæus [b] libro sexto, qui tradit Corinthios quadringenta sexaginta millia servorũ possedisse; qua de causâ Oraculum Delphicum ipsos Chœnicometras ob dimensum, quod servis dabatur, dicitur appellasse: testes etiam veteres Corinthi tyrannorum divitiæ, inter quos [c] Cypselus tantùm auro fertur abundasse, ut ingentem statuam ex auro solido constantem Olympio Jovi dedicarit. Thebes [d] verò fortibus viris præstitisse testimonio est Leuctrica Spartanorum calamitas, & Epaminondæ dictum, qui teste Plutarcho, dicere solebat; turpe esse Thebanos Lacedæmoniorum, quum ipsis corporis viribus antecellerent, perferre turpiter servitutem. Harum igitur civitatum, & suis opibus Lacedæmonii subnixi magnos Atheniensium spiritus, & præclaram potentiam contuderunt; quum autem utrique tantas copias haberent, meritò noster Auctor dicit tam Lacedæmonios, quàm Athenienses omni bellico apparatu plurimum valuisse. Addit aliam rationem, cur bellum, quod scripturus est, magnum fuerit, & memoriâ dignissimum, quod nimirum Græcia universa aut Atheniensibus, aut Lacedæmoniis
8 se se conjunxerit, & quod is motus majorem Mortalium partem commoverit; quod licet magnificentiùs, quàm veriùs dictum videatur, tamen si referas ad Thucydidis tempora, quibus magna pars terrarum ignota omnino fuit, quæ parum cognita, consentaneum veritati est. Eo quippe [e] bello commota Persarum potentia est, qui quantum pene terrarum Indo amne, interno mari, Æthiopiæ, atque Ægypti, & Scythiæ finibus continetur, eo tempore possidebant; commota etiam Italiæ pars, quæ Magna Græcia vocabatur, commota Sicilia, immo concussa eâ belli tempestate; commota [f] Macedonia, Thracia, Illyrium, Græcia universa, quæ regiones magnam Orbis rum cogniti partem occupabant. Siquidem quãtum terrarum jacet ultra Hircanum mare non solùm eo tempore, sed etiam postea ignorabatur; ideo [g] Veteres, præter Ptolemæum, Caspium mare sinum esse Scythici 9
Oceani crediderunt; quò fiebat, ut Scythis illis, cujus longitudo quadragies centena millia passuum, latitudo vicies centena millia passuum patere dicitur, pæne omnis esset incognita. Nec verò aliæ Orbis partes notiores; Indiam [h] Alexandri Magni victoriæ aperuerunt; quæ nisi antea fuisset ignota, non tanta fabulandi licentia fuisset concessa [i] Megasthenì, & Nearcho Alexandri comitibus; neque homines [l] oris, & naris expertes, & in aurem dormientes, neque monoculos, neque Panas cuneato capite, neque gruum, & Pygmæorum prœlia, neque alia monstra Veteres credidissent. Sinarum autem ingens regio, Seres, & ultima Orientis, Arabiæ pleraque ne fando 10
quidem audita. Jam Africæ tantum litora adita, non etiam ulteriora penetrata; ignotæ Britanniæ, Hispaniæ, Galliæ, Germaniæ damtaxat auditæ, neque ulteriora Septemtrionis inventa, neque Italia ipsa fatis peragrata, quum auctore [m] Thucydide, etiam Siciliæ magnitudinem, quam bello aggrediebantur, ignorarent Athenienses. Quę quum ita se haberent, quid mirum, si noster Auctor Persas, Thracas, Illyrios, Macedonas, Græcos universos, Siculos, Italiæ partem, majorem Mortalium partem vocat?

DIS-

[a] Athen. libr. 6. cap. 14. [b] Athen. libr. 6. cap. 20. [c] Strabo libr. 8. [d] Plutarch. in Agesilai Vitâ. [e] Thucyd. libr. 1. [f] Thucyd. libr. 2. [g] Strabo libr. 2. & Plin. l. 6. cap. 3. [h] Plin. libr. 6. c. 17. [i] Arrian. de expedit. Alex. libr. 5. [l] Plin. libr 6. cap. 30. & Strabo libr. 15. [m] Thucydid. libr. 6. in princip.

DISSERTATIO III.

Historici initio amplificant res gestas, quas narraturi sunt. Antiqui inter se commerciis non miscebantur; ideo etiam proximas regiones ignorabant, ut ex eorum multis erroribus constat; quare meritò Livius verisimile non putat Numam ad audiendum Pythagoram peregrinatum esse, contra Glareani sententiam. Empedocles affirmat res amicitiâ conjungi, discordiâ vero dissolvi; sed in humanâ societate id falsissimum; nam bellis ea contracta est.

EST id in more positum historiarum scriptoribus, ut antequam initium narrandi faciant, magnitudinem rerum gestarum, quas narraturi sunt, pluribus verbis extollant, atque amplificent; ita Sallustius bellum Jugurthinum scripturum se se profitetur, quis
1 magnum, & atrox, variaque victoriâ fuit: ita Livius in procemio multa dicit, quibus magnitudo Romana declaratur: ita Cornelius [a] Tacitus historias exorditur a commendatione rerum, quas est traditurus: *opus*, inquit, *aggredior plenum variis casibus, atrox praeliis, discors seditionibus, ipsâ etiam pace saevum; quatuor principes ferro interempti*; multa praeterea addit, quibus argumentum susceptum majus, illustriusque esse videatur. Neque Graecis aliud consilium; tres rerum Romanarũ scriptores, Polybius, Dionysius Halicarnasseus, Appianus Alexandrinus ad commendationem sui operis imperium Romanum omnibus imperiis anteponont. Herodianus in exordio, quae scripturus est nova, mira esse praefatur; ceteri pene omnes ad eumdem ferme modum magnitudinem eorum, quae memoriae erant prodituri, ob oculos lectorum posuerunt; quod institutum noster Auctor sequutus, vel primus aliis ostendens, bellum, quod narrandum suscepit, omnibus Graecorum bellis diuturnius, majus, latiusque diffusum esse praedicat. Quod ut verisimile videatur, primùm docet magnum per se fuisse, ac memorabile, cum aliis de causis, tum quod utrique, Lacedaemonii scilicet, & Athenienses, viris, equis, armis, omnibus denique terrestribus, navalibusque copiis abundarint; deinde demonstrat res
2 a Graecis antiquitus gestas opinione hominum minores fuisse. Atque id eo probat argumento, quod constet Graeciam antiquitus minùs opibus valuisse, minusque etiam viris, atque armis floruisse; quod non dum essent inter homines commercia probè constituta, quod a Thucydide verissimè dictum hodierno die suscepimus ostendendum. Atque illud certissimum argumentum est, Veteres commerciis minus inter se solitos esse misceri, quod apparet Antiquis ignotas etiam proximas fuisse regiones. Nam ut omittamus illud saeculum, quod aureum a poëtis est appellatum, in quo nulla, ut ait [b] Ovidius,

... *Mortales praeter sua litora norant,*

& ad recentiora tempora veniamus; mirum est, quod ait [c] Strabo, Veteres Euxinum Pontum ab Oceano minimè distinxisse. Sed ea fortasse fuerit opinio vulgi; quid Sapientes? num terrarum situs peritiores, cautioresve in eo tradendo fuerunt? Orpheus [d] sive ille Musae filius, sive Pythagoricus quidam, ut placuit [e] Aristoteli, Rhiphaeos 3
montes, Calpen, Phlegram, Alpes in eadem regione collocavit, ab iisque Cimmeriorum includi terram est fabulatus: Apollonius [f] autem quasi cum Orpheo certet inscitiâ regionum, Danubii fontes in Rhiphaeis montibus ponit, & in duo flumina scindi confirmat, quorum alterum Hadriatico mari misceatur, quum Danubius ex Abnobae immanibus Germaniae jugis ortus septem ostiis in Scythicum mare effundatur. Idem [g] Eridanum cum Rhodano miscet, ac per eos in Tyrrhenum pelagus vectos esse tradit Argonautas; qui fluvius etiam Basilio Magno errandi praebuit occasionem, qui Padum e Rhiphaeis montibus nasci affirmavit. Nec mirum doctissimum virum Rhiphaeos montes cum Vesulo, unde Padus oritur, confudisse; quum Posidonius [h] eosdem montes cum Alpibus, Pyrenaeisque jugis pudendo sanè errore miscuerit; tradit enim apud Athenaeum libro sexto Rhiphaeos montes deinde Olbios, ac mox Alpes appellatos, & in iis incensâ silvâ argentum fluxisse, quod accidit montibus Pyrenaeis. Nec in eorum situ montium tradendo felicior fuit [i] Aristoteles, qui e 4
Pyrenaeis montibus Danubium nasci tradit, atque Tartessum, quem Baetin esse libro tertio Strabo docet; sed hoc defendi potest, sicut nonnulla dicta superiorum, quia non solùm montes, qui separant Galliam ab Hispaniâ, sed etiam Alpes Italiae, Alpesque Germaniae, Pyrenaei montes appellatae sunt; illud defendi non potest, quod [l] Tanain Araxis esse partem asseverat; quo in loco Paropamisum montem Parnassum vocat; ex eoque fluere Araxem falsò confirmat. Sed omnium superat errores Ponticus Heraclides, qui Gallos esse prodit eosdem, & 5
popu-

a Cornel. Tacit. Histor. libr. 1. n. 2. b Ovid. Metamorph. libr. 1. fabul. 3. c Strabo l. 1. d Orph. in Argonaut. v. 1120. e Aristot. apud Cicer. de Nat Deor. libr. 1. f Apollon. Argonaut. libr. 4. g Apollon. ibid. h Posidon. apud Athen. libr. 6. cap. 4. i Arist. Meteorol. libr. 1. l Aristot. ibid.

populos Hyperboreos, Romamque prope
Oceanum sitam esse; nam in libro de ani-
mâ scribit famam esse Gentem ex Hyper-
boreis profectam cepisse Romam græcam
urbem, Oceano adjacentem. Quod si Pon-
ticus Heraclides, qui tamdiu est in Græciâ
versatus, ubi esset Roma nescivit, quum
paucorum dierum itinere Roma distet a
Græciâ, intelligi potest eo tempore homi-
nes parum peregrinatos, parumque com-
merciis esse mixtos; quid enim causæ af-
ferre possumus, cur homo alioquin doctis-
simus urbis tam vicinæ, tam inclytæ, tam
6 magnæ situm ignoraret? Et quoniam Ro-
mæ feci mentionem, non minùs certum
hujus argumentum rei esse duco, quod
nunc ponam; quadringentesimo ferè ab
Urbe conditâ anno [a] Romani res gesserant
memoriâ dignissimas, multas urbes exci-
derant, multas fecerant vectigales, ingen-
tes exercitus Etruscorum, Samnitium, Cam-
panorum, Latinorumque deleverant; colo-
nias plurimas deduxerant, urbes totas in
Urbem receperant, innumerabiles trium-
phos de bellicosissimis populis duxerant;
Italiam omnem aut subegeranr, aut belli
terrore concusserant, & jam omnibus circa
gentibus devictis, Græciæ, quæ Magna di-
citur, imminebant; & tamen in Græciâ eâ
tempestate tanquam de Bactrianis, aut Bri-
tannis, altum silentium de Romania fuisse
accepimus; siquidem primum Theopom-
pum de Româ scripsisse aliquid memoriæ
proditum est, ut priùs pæne Romana arma
senserint Græci, quàm eorum famam audi-
verint. Quæ reputanti minùs profectò mi-
7 rum videbitur (licet id Numinis providentiâ
factum, res Sacris Paginis proditas nolen-
tis aliorum testimonio profanari gravissimi
scriptores me non repugnante judicarint)
quum res Hebræorum satis magnæ fuerint,
satisque præclaræ, nihil de his Græcos ve-
teres prodidisse; in magnâ quippe rerum
externarum ignoratione Græci versaban-
tur; & loquor de temporibus, quibus &
mare classibus navigabatur, & latrones fue-
rant, & Piratæ magnâ ex parte sublati.
Qoid si loquamur de temporibus, quibus
& maria infesta prædonibus, & terra latro-
nibus immanissimis, & homines nondum
artibus exculti, quibus ad omnem huma-
nitatem informamur, quàm difficile, quàm
arduum arbitramur fuisse ad exteras natio-
nes proficisci, & cum iis commercia insti-
tuere, a quibus linguâ, & moribus discre-
pabant? Enimvero miraculo fuisse existi-
mo, si quis e longinquâ regione venisset,
quoeirca advenas plerunque Veteres Cœlo
delapsos arbitrabantur; quod de Saturno
credidit antiquitas; unde proverbii loco
ceptum usurpari de iis, qui improvisò adve-
nerant, ut Cœlo delapsi dicerentur; quò res-
pexit [b] Tibullus, quum cecinit

Tum veniam subito, nec quisquam nunciet
ante,
Sed videar Cœlo missus adesse tibi

Verisimilius quippe quodammodo videba-
tur aliquem de Cœlo esse delapsum, quàm
in terrâ tam infestâ peregrinatum; nec a- 8
liam causam fuisse existimo, cur [c] Toxarin
& [d] Anacharsin Græci tantopere celebra-
rint, quòd ad mores, & instituta Græcorum
perdiscenda in Græciam venissent; quòd
mirum videretur, quemquam discendi cau-
sâ tantum laboris, & periculi suscepisse.
Itaque [e] Livius inter argumenta, quibus
probat non fuisse Numam Pythagoræ au-
ditorem, hoc meritò ponit, non esse verisi-
mile Numam per tot infestas, ac barbaras
nationes linguâ, moribus, institutis dissi-
dentes ad ingenii cultum capiendum pro-
fectum esse; quem quum reprehendit Gla-
reanus iniquissimus Livii censor, se anti-
quitatis ignarum esse declarat. Non enim,
fateor, per se mirum est aliquem e Sabinis
in Magnam Græciam pervenisse, quum vix
iter quinque dierum sit interjectum; sed
eo tempore rarum, mirandumque fuisse, id
verò seriò, constanterque ausim affirmare;
quum regiones clausæ essent feritate inco-
larum, & ignaro sermonis externi non sup-
peterent interpretes. Nam, ut ait Galenus
in libro *περὶ τῶν σφυγμῶν διαφορᾶς*, apud Ve- 9
teres miraculo fuit; siquis duabus linguis
loqueretur; *διγλωττός τις*, inquit, *ἐλέγετο πά-*
λαι, κὴ θαῦμα τότ' ἦν εἷς ἄνθρωπος ἀκριβῶν διαλέ-
κτως δύο. Quod si quis a me quærat, quam
esse causam arbitrer tantæ inter Antiquos, 10
ac tam insociabilis disjunctionis; responde-
bo id, quod [f] Empedocles affirmavit, esse
fortasse verum in conjungendis inter se, co-
pulandisque naturis, in efficiendâ humani
generis conjunctione falsissimum; ille enim
amicitiâ res congregari, necti, jungi, so-
ciarique; discordiâ dissolvi, disjungi, dissi-
pari est arbitratus. Ego verò, quod attinet
ad hanc gentium societatem, Mundum co-
njunctum esse bellis, & discordiis non ab-
surdè affirmarim; quod esse consentaneum
veritati comperiet quicunque ad primum
ortum civitatum animum, cogitationem-
que convertet. Plato [g] in libris de legibus
antiquissimum genus civitatum fuisse con- 11
firmat illud, quod Homerus proponit in
Cyclopibus, quum [h] ait

...... θεμιστεύει δὲ ἕκαστος
Παίδων, ἠδ' ἀλόχων, οὐδ' ἀλλήλων ἀλέγουσι

[a] Luc. Flor. libr. 1. [b] Tibull. libr. 1. El. 3. [c] Lucian. in Toxari. [d] Diogen. Laërt. libr. 1. in Vitâ Anacharsis. [e] T. Liv. libr. 1. [f] Plutarch. de Placit. Philosoph. libr. 1. cap. 3. [g] Plato Dialog. 3. de legib. [h] Homer. Odyss. 9.

primos videlicet homines familiæ suæ dumtaxat imperasse, Rempublicam nullam habuisse, & se invicem neglexisse; nec eorum, qui prope incolebant, res ad se pertinere quidquam putasse; agreste sanè, ac ferum vitæ genus, ac verè Cyclopibus dignum; sed animos tam insociabiles, quæ causa conjunxit, nisi discordiæ? Nam quum inter homines omnis publici juris ignaros, & communionis expertes rixæ quotidie nascerentur, inventi sunt præstanti prudentiâ viri, qui tantis malis ut mederentur, leges condiderunt, & Respublicas constituerunt; ita ex injuriâ jus ortum, ex dissidio concordia, ex disjunctione conjunctio; nec verò inter gentes aliter societas, communioque constituta est. Cyri bella [a] Asiæ regio-
12 nes inter se conjunxerunt: Alexandri Macedonis [b] res gestæ Europam Asiæ miscuerunt; Romanorum verò Occidentem Orienti copularunt. Neque verò solùm Orbem terrarum mansuefecerunt, sed in unam propemodum urbem contraxerunt; magno divinæ providentiæ, & admirabili consilio, quæ discordiarum irritamenta esse voluit concordiæ semina, & vincula charitatis.

DISSERTATIO IV.

Athenis pleraque ad vitam necessaria primùm inventa sunt. Crinium complicatio in acutum desinens, quæ in viris dicitur Crobylus; Corymbus appellatur in mulieribus; in pueris verò scorpius. Luxus Atheniensium, quos Athenæus usos fuisse versicoloribus vestibus tradit; lineis verò Thucydides, quæ etiam molles habebantur, & feminis conveniebant; Clemens tamen Alexandrinus redarguit vestes talares Atheniensium. Cur Athenienses cicadas aureas crinibus illigarent; hoc tamen ornamento magistratus tantùmmodo usos fuisse tradit Clemens Alexandrinus. Plurimi populi sese Autochthonas, seu Aborigines esse gloriantur, & quid hoc nomine significetur. Pueri duo ita educati, ut neminem loquentem audirent, quum adolevissent, beccos *petiverunt, quæ vox apud Phrygios* panem *significat; quod interpretati sunt Phryges primos Mortalium fuisse. Anaximander ex aquâ, terraque calefactis pisciculos putat extitisse, ex iisque conceptos homines; Epicurus verò e terrâ natos uteros, ex quibus fuerint homines propagati; alii alia de hominum procreatione prodiderunt.*

EST a Veteribus proditum, & a clarissimis celebratum scriptoribus Athenas [c] omnium artium, atque omnis humanitatis inventrices fuisse; nam & fruges [d] Atheniensi- 1
bus a Cerere omnium primis esse monstratas, & in [e] Atticâ vinum repertum, & ficus, & alia poma. Quin & Athenis primùm leges conditas, matrimonia a Cecrope institutas, unde bifrons, ut apud [f] Romanos Janus, fingebatur: Athenis [g] præterea judicia capitis primùm habita in Areopago: Athenis [h] inventam a Polygnoto picturam; dicendi vim perfectam; alias artes excogitatas, aut excultas vehementiùs: Athenienses [i] denique auctores fuisse Græcis urbium condendarum, & ex agresti, immanique vitâ ad aliam mitiorem, humanioremque transeundi. Hanc opinionem sequutus noster Auctor tradit, quùm Athenienses, sicut reliqui Græci propter metum ferocium accolarum, semper antiquitus arma gestarent, primos urbe munitâ ferrum deposuisse, ac mollius, remissiusque vivendi genus esse complexos; verba clarissimi Scriptoris sunt hujusmodi: [l]

Ἐν τοῖς πρῶτοι δὲ Ἀθηναῖοι τόν τε σίδηρον κατέθεντο,

[a] Xenphon. de Expedit. Cyri. [b] Arrian. de Expedit. Alexandri, & Q. Curtius. [c] Cicer. libr. 1. de Oratore circa init. [d] Diodor. Sicul. Biblioth. libr. 1. & Plin. libr. 7. cap. 56. [e] Cæl. Rhod. libr. 18. cap. 25. Ælian. libr. 3. cap. 39. [f] Plutarch. quæst. Roman. quæst. 22. [g] Cæl. Rhodigin. libr. 12. cap. 19. [h] Theophrast. apud Plin. libr 7. cap. 56. [i] Plin. ibid. Isocrat. in Panegyr. [l] Thucydid. libr. 1.

το, καὶ ἀνειμένῃ τῇ διαίτῃ ἐς τὸ τρυφερώτερον μετέστησαν, καὶ οἱ πρεσβύτεροι αὐτοῖς τῶν εὐδαιμόνων διὰ τὸ ἁβροδίαιτον οὐ πολὺς χρόνος ἐπειδὴ χιτῶνάς τε λινοῦς ἐπαύσαντο φοροῦντες, καὶ χρυσῶν τεττίγων ἐνέρσει κρωβύλον ἀναδούμενοι

quæ verba sic in Latinum sermonem transferuntur:

In quibus principes Athenienses ferrum deposuerint, & remissius, atque solutius genus vivendi sequuti ad luxum se se contulerunt; neque multum temporis est, ex quo seniores ex opulentis, quas propter mollitiem induebant, lineas tunicas gestare destiterunt, & aureas cicadas crinibus illigatas

Quibus in verbis adnotandum est [a] Cro-
2 bylon, ut Suidas, & vetus [b] interpres Thucydidis docent, esse complicationem crinium in acutum desinentem; quæ complicatio in viris Crobylos appellatur, in mulieribus Corymbus, in pueris verò Scorpius. Nec prætereundum Thucydidem in his verbis obscuriùs innuisse, quod Isocrates apertius tradit; Isocrates quippe memoriæ prodidit in Panegyrico Athenienses, quum in agris Græci sparsim habitarent, exemplo suo ad immigrandum in urbes, easque mœnibus sepiendas invitasse; neque enim arma deposuissent Athenienses, nisi priùs in urbem se contulissent, & murorum munimento freti accolarum incursiones contempsissent. Neque tamen in unam urbem initio congregati sunt; sed oppida plura coluerunt, quas *comas* appellabant, unde [c] comœdia nomen accepit, dictaque est græcè κωμῳδία quasi ᾠδή idest *carmen*, quod in his comis, idest vicis, aut oppidis publicè caneretur; ex iis autem oppidis unum fuit illud, quod ἀκρόπολιν postea appellarunt, quum antea arces πόλεις fuerint appellatæ. Primus Theseus dispersos, & pagatim ha-
3 bitantes Athenienses in unam urbem contraxit, ut auctor est Plutarchus in Thesei Vitâ, Valerius [d] Maximus, aliique scriptores; quo tempore plurimum auctâ opibus Republicâ, verisimile est cœpisse Atheniẽses luxuriari, quod indicat noster Auctor, quum dicit ἐς τὸ τρυφερώτερον μετέστησαν. De quo luxu agit [e] Ælianus in Variâ Historiâ, Athenæus libro duodecimo, qui tradit Athenienses purpureis vestibus amiciri solitos, induere versicolores tunicas, habere secum pueros, qui sellas plicatiles circumferrent, ut quotiescunque vellent, sedere possent non incommodè; postremò aureas cicadas crinibus illigatas. Quo in loco a Thucydide discrepat Athenæus; hic enim
4 versicoloribus, aut variis tunicis; ille autem lineis usos esse prodit, nisi forte in Thucydide subest mendum, & pro λινοῦς, ποικίλους reponendum est. Sanè ποικίλη ἐσθὴς *varia vestis* luxuriantibus magis convenit, quum muliebris haberetur; Artemidorus in Onirocritico libro secundo capite tertio γυναικὶ δὲ ποικίλη, καὶ ἀνθηρὰ ἐσθὴς συμφέρει hoc est: *mulieri varia, & florida vestis conducit*; linea verò vestis cur molliter, luxuriosèque viventibus tribuatur, haud sanè video; nisi forte, quod in usu minùs esset Antiquis, idcirco mollior habebatur; siquidem notant eruditi lineâ veste antiquitus viros non usos, feminas usas. Itaque [f] Plinius hoc in Serranâ gente adnotat peculiare, quod feminæ lineâ veste non induerentur; quemadmodum in Ægyptiis sacerdotibus habetur id peculiare, quod lino vestirentur, quod genus vestis & [g] Apollonius Tyaneus usurpasse, & Indorum Sapientes dicuntur; est præterea ratio, cur linea vestis luxui convenire videatur, quòd habet nihil asperi.
Itaque Alexander [h] Severus puram vestem 5
lineam sine purpurâ probabat; nam ajebat, si lintei idcirco sunt, ut nihil habeant asperi, quid opus est purpura? in lineâ autem veste aurum intexere dementiam judicabat, quum asperitati adderetur rigor; quæ quum ita se habeant, defendi potest lineas tunicas a Thucydide tanquam muliebres, mollioresque notatas. Alexandrinus [i] autem
Clemens non lineas, aut varias, aut versi- 6
colores tunicas Atheniensium notat, sed talares; quibus uti, mollis animi argumentum habebatur; unde Tibullus [l] inter cetera, quibus Osiridis mollitiem indicat, ponit pallam ad talos defluentem

Sed varii flores, & frons redimita corymbis,
Fusa sed ad teneros lutea palla pedes.

In eo autem omnes consentiunt Veteres,
Athenienses aureas cicadas gessisse crinibus 7
innexas, nisi [m] quod Clemens Alexandrinus non omnes eo usos ornamento, sed tantummodo magistratus affirmat; id autem ad luxum putant pertinuisse; nam aurum viris gestare haudquaquam decorum; quapropter Lacedæmonii laudantur, apud quos aureis ornamentis interdictum omnibus, præterquam meretricibus. Sed non desunt Auctores, inter quos est vetus interpres Thucydidis, qui tradunt ad ostendendam populi vetustatem eum ornatum Athenienses usurpasse; nam quum cicadæ oriantur e terrâ, eo argumento se ex eadem terrâ editos, quam incolerent, indicasse, quo Athenienses maximè gloriabantur; quocirca [n] Antisthenes ipsos irridebat, quũ diceret, nihil esse cochleis, & bruchis nobiliores. Vetus [o] autem Interpres Aristopha-

[a] Suidas in V. Κρωβύλος. [b] Vetus Interpres in hunc locum. [c] Arist. Poët. [d] Valer. Maxim. libr. 5. cap. 3. [e] Ælian. var. histor. libr. 4. c. 22. [f] Plin. l. 19. c. 1. [g] Philostr. in Vitâ Apoll. [h] Lamprid. in Alex. Sev. [i] Clem. Alex. Pædag. l. 2. cap. 10. [l] Tibull. l. 1. El. 7. [m] Clem. Alex. Pæd. l. 2. c. 10. [n] Laërt. l. 6. in Antisth. in princ. [o] Interpr. Aristoph. in Nub.

phanis ideo cicadas gessisse tradit Athenienses, quia cicadæ sunt Apollini sacræ, cui dicata civitas erat Atheniensium; sed prior sententia obtinuit; nam [a] Athenienses Autochthonas, hoc est Aborigines dictos accepimus; quare [b] Thucydides Atticam dicit ab iisdem semper hominibus habitatam, & ipsis eximia vetustas generis omnium concessu tribuebatur; quare Agallis apud Didymum primam in Orbe terrarum urbem Athenas conditas affirmavit. Quæ tamen
8 originis antiquitas non ita concedebatur Atheniensibus, ut non aliæ quoque gentes eamdem sibi vindicarent; nam [c] & Sicani Autochthones haberi; auctore Thucydide, voluerunt; & [d] Scythæ se vetustissimos Mortalium prædicabant; & [e] Ægyptii, & [f] Arcades non modò ante alios homines, verùm etiam ante Lunam se procreatos ferebant; ideo προσέληνοι dicebantur, quò respexit Poëta, qui [g] cecinit

Arcades huic veteres astris, Lunaque priores.

Neque mirum; nam [h] Lunam non multò ante Herculis cum Gigantibus prœlium apparuisse nonnulli fabulantur. Sed & Phry-
9 ges [i] quoque se vetustate generis præstare cunctis Mortalibus prædicabant, ipsis etiam Ægyptiis non repugnantibus; posteaquam Psammetichus Rex Ægyptiorum ita duos pueros educavit, ut neminem loquentem audirent, & quum ii adolevissent *beccos*, quæ vox Phrygio sermone *panem* significat, petiverunt; quo argumento dicitur intellectum Phrygas fuisse Mortalium primos, quoniam naturalis hominum sermo Phrygius esset deprehensus; quam historiam [l] Aristophanes respexit in hoc versu

Καὶ πῶς ὦ μῶρε σύ; καὶ κρονίων ὄζων, καὶ βεκκεσέληνε

quo in loco antiquus [m] interpres Paphlagones, non Phryges tradit esse vetustissimos. Sed & alii populi Autochthones fuisse perhibentur; nam Phæaces Autochthonas [n] Apollonius vocat, & [o] Thessalos Censorinus, & [p] Indos Diodorus Siculus, & [q] Æthiopas Autochthonas arbitratur, & [r] Britannos, & [s] Germanos aborigines Tacitus putat; & in Latio populi [t] proprio nomine Aborigines vocabantur, de quibus Virgilius [u] canit

Gensque virûm truncis, & duro robore nata

Cujus vocabuli vim, proprietatemque quoniam huc devenimus, & ad Thucydidis locum visa est pertinere, duximus explicandam. Veteres [x] igitur philosophi ferè universi, qui Mundum genitum sunt opinati, è terrâ hominem ortum esse voluerunt. 11
Neque enim soli [y] poëtæ è Promethei molli luto humanum genus fictum esse, & conformatum prodiderunt; verùm etiam [z] præcipui sapientiæ auctores non discrepantem sunt opinionem sequuti. Nam Anaximander [a] Milesius ex aquâ, terraque calefactis pisciculos quosdam putat extitisse, ex iisque conceptos homines adolevisse, & jam adultos in lucem prodiisse. Empedocles [b] autem singula hominum membra è terrâ procreata existimat, quæ quum coivissent, in solidi corpus hominis coaluerint; quæ sententia [c] Parmanidis etiam, & [d] Zenonis Eleatæ fuit. Jam Democritus ex aquâ, limoque homines genitos est arbitratus: jam Epicurus [e] e terrâ primum natos uteros terræ radicibus cohærentes, ex quibus fuerint homines propagati. Quum autem sententia obtineret ex humo editos homines, & procreatos, quorum Majores nunquam sedes mutassent, quique eamdem incolerent terram, quæ ipsos protulisset, Autochthones vocabantur, quasi ejusdem terræ filii, cujus essent incolæ; αὐτὸς est enim *idem*; χθὼν *tellus*. Quum verò gloriam vetustatis appeterent multi, multi Autochthones dici voluerunt, falsò; re quippe verâ nemo est Autochthon; culpâ siquidem [f] primi hominis excidimus ex illâ terrâ, quæ nos genuit, & in hanc dejecti, & deturbati sumus; neque enim amplius incolimus verum illud Elysium viventium, non mortuorum. Hæc verò terra, quæ nos alit, non mater est, sed noverca; quid ergo mirum, si malignè nobis, & coacta, ac vix ministrat alimenta, si venena producit, si serpentes ex se gignit, & procreat, si tot noxias, immanesque belluas nutrit, nihilque non est infestum nobis, & inimicum; quum oderit nos Cœlum, tanquam nocentes, & terra tanquam alienos. Quod si homines aleret eadem terra, quæ procreavit, felicius planè se res humanæ haberent, neque tot malis conflictaremur, morbis laboraremus, laboribus prememur; soluti curis, gaudio pleni, futu-

torum

[a] Cæl. Rhodigin. libr. 13. cap. 7. & libr. 18. c. 25. [b] Thucyd. libr. 1. in princip. [c] Thucyd. libr. 6. in princ. [d] Diodor. Sicul. libr. 2. Bibl. [e] Herodot. Histor. libr. 2. cap. 2. [f] Aristoph. in Nubib. & Apoll. libr. 4. Argonaut. [g] Stat. Thebaid. libr. 4. [h] Theodorus libr. 29. [i] Herod. Histor. libr. 2. cap. 2. Interpr. Aristoph. in Nub. & Suid. [l] Aristoph. in Nubib. [m] Schol. Apoll. libr. 4. Argonaut. Scholiast. Aristophan. in Nubib. [n] Apollon. Argon. 4. [o] Censorin. de die nat. cap. 3. [p] Diodor. Sicul. libr. 2. Bibl. [q] Idem libr. 3. in princip. [r] Idem libr. 5. [s] Tacit. de mor. german. [t] Tit. Livius Histor. libr. 1. in princ. [u] Virgil. Æneid. libr. 8. [x] Censorin. de die Natal. cap. 3. [y] Hor. libr. 1. Od. 16. & Ovid. Metamorph. l. 1. [z] Plato in Protagorâ, & Archelaus apud Diog. Laërt. in ejus Vitâ libr. 2. segm. 16. [a] Plutarch. de placit. philos. libr. 5. cap. 19. [b] Idem ibid. [c] Diogen. Laërt. in Vitâ Parmenid. libr. 9. segm. 22. juxta edit. Basil. & ut legit in suis Commentar. Aldobrandinus. [d] Idem in Vitâ Zenonis Eleat. libr. 9. segm. 29. [e] Lucretius libr. 5. & Censorin. de die nat. cap. 3. [f] Genes. cap. 1. & 2. & 3.

rorum securi, sponte natis bonis frueremur; non aëris intemperiem, non Cœli inclementiam sentiremus, non servituti, non egestati, non quod miserius est, divitiarum cupiditati obnoxii essemus; denique, quod maximum est, in Patriâ, non exilio viveremus.

DISSERTATIO V.

Principatus omnium Reipublicæ formarum antiquissimus, & optimus est. Nullum Regem fuisse antiquiorem Belo, qui in Sacris Litteris Nembroth appellatur, ejusque filio Nino, qui post diluvium centumquinquagintaduos annos regnare cœpit, recensendis pluribus antiquissimis regnis patet. Ogygium diluvium vetustissimum censebatur, inde omnia antiquaogygia nuncupabantur. Quodnam discrimen sit inter Tyrannum, & Regem. Anaxilaus filiorum tutelam servo commisit, cui tamen populi memoriâ defuncti Regis parere non detrectarunt. Ephori Spartanorum Reges multas mulctarunt, inter quos Archidamum, quòd exiguæ staturæ uxorem duxisset, veriti, ne Regulos pro Regibus procrearet. Judices antiquitus erant Reges, & certam, ac definitam potestatem habebant; quare Homerus non aberrat a decoro, quum Achillem, & Thersiten inducit in Agamemnonem jurgia impunè jactantes; nec Euripides, dum tradit Agamemnonem non potuisse a morte Polyxenam liberare; aberrat verò Seneca, qui totius rei orbitrium in Agamemnone situm confirmat. Æsymnetæ erant Reges, qui filiis regnum non relinquebant.

Est a [a] doctissimis viris præclarissimè dictum, idque [b] Platonis, & Aristotelis [c] auctoritate confirmatum, regiam potestatem eum præstantissimam esse, tum maximè naturalem, neque ullam Reipublicæ formam cum
1 Principatu posse meritò comparari; nam & in Regno plus inesse concordiæ, & optima consilia æmulantium studiis minùs impediri, & obtrectationi, lividiæ, ambitioni minùs esse obnoxia. Jam verò quum civitates imagines quædam sint magnæ Reipublicæ, & civitatis, quam Mundum appellamus, & in Mundo unus ille sit, cujus nutu reguntur omnia, atque administrantur; in civitate quoque, Rebusque publicis unum esse debere, ad quem omnia referantur; qui Regis illius divini, quoad ejus fieri potest, verum sit, expressumque simulacrum; quocirca nullam aliam gubernandi rationem putant magis aptam, accommodatamque naturæ esse, quàm Regnum; quum regno natura ipsa gubernetur. Et sanè si principia ejus repetamus, facilè intelligemus ab ipso pæne Mundi nascentis exordio Regnum incepisse; nam quum semper hominum cœtus, congregationesque sint celebratæ, consequens est semper aliquam usurpatam publica administrandi rationem. Quo probè constituto, necesse est Regna semper fuisse, quum inter omnes Reipublicæ formas antiquissima habeantur, quemadmodum plurimi prodiderunt, & Cicero testatur inprimis, qui in tertio de legibus libro tradit omnes antiquas gentes Regibus primùm paruisse, & Sallustius, qui sic ait in conjuratione Catilinæ: *Principio Reges; nam in terris id nomen imperii primum fuit*, & Justinus, qui sic historiam exorditur: *Principio rerum gentium, nationumque imperium penes Reges erat*: Quibus etiam [d] Thucydides assentitur, qui primùm tradit fuisse Reges; deinde invalescente quorumdam potentiâ tyrannides constitutas; quibus è medio sublatis, diversis Rerumpublicarum generibus Græciam cœptam esse administrari; verba clarissimi Scriptoris ad hunc modum se habent

Δυνατωτέρας δὲ γενομένης τῆς Ἑλλάδος, καὶ τῶν χρημάτων τὴν κτῆσιν ἔτι μᾶλλον, ἢ πρότερον ποιουμένης τὰ πολλὰ τυραννίδες ἐν ταῖς πόλεσι καθίσταντο, τῶν προσόδων μειζόνων γιγνομένων (πρότερον δὲ ἦσαν ἐπὶ ῥητοῖς γέρασι πατρικαὶ βασιλεῖαι)

Quæ sic in Latinum sermonem transferuntur: *validiore autem Græciâ factâ, & reditibus magis auctâ, quàm priùs, plerunque tyrannides sunt constitutæ (ante verò fuerant ad certa quædam munia patrii principatus)*

Ad quem locum illustrandum quoniam aliorum scriptorum auctoritate satis probavimus antiquitatem Regum, quam affirmat his verbis Thucydides; nunc exemplis ostendemus, vera esse, quæ de Regibus, Tyrannisque idem pronunciavit; &, ut ea verba etiam illustremus, quibus Reges testatur ad certa quædam munia obeunda constitutos, de Regibus antiquis nonnulla vobis, Auditores, ut arbitror, non injucunda dicemus. Inter omnes ferè constat, nisi fabulas Ægyptiorum, Chaldæorumque audire volumus, antiquissima temporum, quæ sunt 2
a scriptoribus profanis litteris, & memoriæ Posterorum commendata, ea esse, quibus [e] Ninus, ejusque parens Belus, qui Nembroth [f] in Sacris Litteris appellatur, imperavit; ijs antiquius apud scriptores nullum extat famæ, memoriæque [g] vestigium,

..... sed omnes illacrymabiles
Urgentur; ignotique longâ
Nocte......

Nec

a Isocrat. in Nicocle. b Plato de legibus Dialog. 3. c Aristot. libr. 5. de Republ. cap. 10. d Thucydid. Histor. libr. 1. e Justin. libr. 1. f Genes. cap. 10. g Horat. libr. 4. Od. 9.

Nec mirum sanè; nam [a] ab illo diluvio,
quo Orbis terrarum universus obrutus, ac
demersus est, ad illud tempus, quo Ninus
regnare cœpit, anni centum quinquaginta
duo dumtaxat recensentur; eadem [b] fere
tempestate Sicyonium Regnum est consti-
tutum; quod annos circiter mille usque ad
Agamemnonem, qui rem Sicyoniam ad My-
cenæos transtulit, mansit; neque alio tem-
pore Regnum Ægyptiorum fundatum esse
proditum est; his trecentis ferè annis re-
centius fuisse perhibetur Argivorum Re-
gnum, quod princeps Inachus tenuit; a
cujus initio regni ad Ogygium diluvium
anni ferè nonaginta numerantur; quod quia
vetustissimum Priscis videbatur, factum est,
ut omnia antiqua Ogygia nuncupentur, ut
Suidas [c] docet; Athenarum autem Regnum,
quod ipsum inter antiquissima numeratur,
quod primus obtinuit [d] Cecrops ante ex-
peditionem Trojanam cœpit annis ferè qua-
dringentis. Atque hæc imperia a profana-
3 rum rerum Auctoribus vetustate ceteris
præstare traduntur; ante ea nullas Respu-
blicas constitutas, nullos optimatium, vel
paucorum, vel populi dominatus memoriæ
proditum est; ex quo intelligi potest non
sine causâ a Veteribus dictum rem esse ve-
tustissimam regnum. Verumtamen quia mu-
tabiles, caducæque sunt res humanæ, & ni-
hil perpetuum in rebus suapte naturâ mor-
talibus inveniri potest; justissima illa regna,
quæ ab initio Reges ob excellentem justi-
tiam, sapientiamque volentibus populis fue-
rant consequuti, in deteriùs lapsa sunt, &
pro mitissimis Regibus importunissimi Ty-
ranni extiterunt, & quemadmodum Romæ
conditum a [e] Romulo Regnum in Tarqui-
nii superbam, intolerandamque tyrannidem
degeneravit; sic in Græciâ pluribus in lo-
cis Tyrannorum imperia sunt exorta. Id-
circo [f] verissimè est a Sapientibus dictum
in tyrannides Regna solere mutari; ita A-
thenis post justissimos Reges, quorum [g] a-
lius homines ex agresti, immanique vitâ ad
humaniorem, civilioremque revocaverat;
alius dispersos, & pagatim habitantes in u-
nam urbem congregarat; alius pro [h] Patriæ
salute se devoverat; alius alio beneficii gene-
re cives affecerat, sublatis è medio perpetuis
Prætoribus, quos [i] ἄρχοντας appellabant, qui
Regibus successerant, nec multum, ut o-
pinor, a Regibus discrepabant, Pisistratus
tyrannidem [l] occupavit: ita Corinthi Cy-
pselidæ [m] septuaginta tres annos regnarunt:
ita [n] Sami Polycrates, [o] Phalaris Agrigenti,
Procles [p] Epidauri, Trasybulus [q] Mileti, a-
libi alii rerum potiti sunt; quorum nonnulli
non quia crudeliter, & avarè, & libidinosè
imperarint, Tyranni sunt appellati, sed quia
Regnum a patre non acceperant, quod esse
discrimen inter Tyrannum, Regemque non-
nulli [r] posuerunt; quum quibusdam pla-
ceat omnes esse Tyrannos, qui in liberâ Pa-
triâ imperium occuparunt. Quare Pisistra-
tus [s] apud Diogenem Laërtium non satis
occupatæ tyrannidis crimen diluit, quum
se se ostendit neque publicam pecuniam si-
bi vindicare, neque quidquam sibi juris as-
sumpsisse, quod antiqui Reges non habuis-
sent, neque civium quemquam interfecis-
se; nam civibus invitis Rempublicam ex-
torsisse ad imponendum ipsi Tyranni no-
men odiosum satis habebatur. Nec illi pro-
derat, quod è stirpe regiâ [t] Codri esset pro-
creatus, quum è patre privato genitus justè
Regnum obtinere, nisi civium volūtate non
posset; quod indicat [u] Thucydides, quum
regnum justum patrium vocat. Qua de cau-
sâ clementissimi principes Tyranni sunt ap- 4
pellati, ut [x] Anaxilaus Rheginorum tyran-
nus, qui tam clementer, & justè imperavit,
ut quum filios parvulos reliquisset, eorumque
tutelam Micytho servo commisisset, regnum
steterit filiis memoriâ patris, & primores ci-
vitatis parere servo, quàm debitam mortuo
fidem violare maluerint. Illud etiam fuit
in causâ, cur Tyranni vocarentur, quod
nullis finibus circumscribebant jus suum,
sed universa munia ad se traxerant, & suæ
fecerant potestatis; Reges autem [y] vetustis-
simi legibus obnoxii vivebant, quibus coër-
cita certis quibusdam muneribus obeundis
regia potestas continebatur; quod est alte-
rum discrimen, quod inter antiquos Reges,
recentioresque Tyrannos [z] Thucydides po-
nit; nam de Regibus ait: πρότερον δὲ ἦσαν ἐπὶ
ῥητοῖς γέρασι πατρικαὶ βασιλεῖαι; hoc est: *priùs
autem erant ad certa quædam munia patrii
principatus*; quod secundo loco mihi propo-
sui ostendendum. Atque ut hinc initium
sumamus, Regum antiquorum certam, ac 5
definitam fuisse potestatem [a] Spartanorum
Re-

[a] Geneseos cap. 7. [b] Euseb. in Chronic. [c] Suid. in V. Ogygia. Pindar. Nem. Od. VI. vers. 73. & ibi Erasm. Schmid. [d] Georg. Cedren. Histor. pag. 34. edit. Basil. [e] Tit. Livius libr. 1. [f] Arist. de Rep. libr. 3. cap. 14. [g] Aristot. de Rep. libr. 5. cap. 10. Athen. libr. 13. in princip. Plutarch. in Theseo. [h] Valer. Maxim libr. V. cap. 6. Justin. libr. 2. [i] Plutarch. in Vitâ Solonis, Pausan. in Attic. Suid. in V. ἄρχων, & Cæl. Rhodig. l. 4. c. 9. [l] Aristot. de Rep. libr. 5. c. 10. & Justinus l. 2. [m] Herod. l. 5. Arist. de Rep. l. 5. c. 12. Strab. l. 8. & Cic. libr. de Fato. [n] Strabo libr. 14. Herod. libr. 3. [o] Plin. libr. 7. cap. 56. & Athen. libr. 9. cap. 12. [p] Polyænus Strateg. libr. 5. cap 1. Strabo libr. 8. Frontin. Strateg. libr. 3. cap. 9. & 15. [q] Herod. libr. 1. cap. 20. [r] Aristot. libr. 3. cap. 14. Politic. [s] Apud Diog. Laërt. in Solonis Vitâ l. 1. segm. 53. [t] Apud Diog. Laërt. ib. [u] Thucyd. loco citato in princ. hujus Dissert. [x] Macr. Saturn. libr. 1. cap. 11. Solin. libr. 4. [y] Aristot. libr. 3. cap. 14. Politic. [z] Thucydid. loco citato. [a] Arist. libr. 3. cap. 14. & 15. Polit.

Reges declarant, qui & Lycurgi [a] legibus obtemperabant, & rationem factorum reddere cogebantur, & ab Ephoris puniebantur; sic [b] Pausaniam res novas in Asiâ molientem Ephori Spartam ad causam dicendam revocarunt, & proditionis convictum interfecerunt: sic Plistoanactem mulctarunt [c], quum ab hostibus fuisset pecuniâ corruptus, quam mulctam, quum solvere non posset, coactus est exilii causâ solum mutare: sic [d] Agis quum Lycurgi legibus obtemperare noluisset, quibus erat constitutum, ut omnes in publico vescerentur, ab Ephoris est pecuniâ mulctatus; neque illi profuit, quod eo Imperatore Lacedæmonii Græciæ principatum fuerant consequuti: sic Archidamo non impune cessit, quod uxorem exiguæ staturæ duxisset, quum Lacedæmonii timerent, ne Regulos pro Regibus procrearet, &, ut ait [e] Athenæus, βασιλίσκους ἀντὶ βασιλέων. Adeo magistratibus obnoxii, legibusque subjecti Reges erant,
6 quarum veritus potestatem [f] Agesilaus, quū Asiam bello ureret, & Persarum potentiam concussisset, acceptâ Scytale Ephoris paruit, & spem omisit Asiæ subigendæ, & Persarum imperii evertendi. Sed & Atheniensium Reges habuisse quibusdam terminis circumscriptam potestatem apud [g] Diogenem Laërtium Pisistratus testatur, qui sic ait: ὁποῖα δὲ καὶ τοῖς πρὶν βασιλεῦσιν ἦν τὰ ῥητὰ γέρα hoc est: *qualia erant Regibus prioribus munia definita*. Et Reges, qui Trojam obsederunt, neque legibus liberos, & populis ob-
7 noxios fuisse comperimus; siquidem Rex Regum Agamemnon partem prædæ accipiebat, non quam ipse volebat, sed quæ a populo tribuebatur, ut [h] ex Iliados libro primo intelligi potest; tantumque aberat a summâ potestate suos populares coërcendi, ut a Thersite jurgiis impune lacesseretur. Quo [i] minùs mirum est Achillem induci cum Agamemnone altercantem, & conviciis non abstinentem; rem qippe belli arbitratu suo regebat Agamemnon, in ceteris pari parte jure cum aliis agebat; quod testatur [l] Aristoteles libro tertio civilis doctrinæ, qui tradit Agamemnonem in pugnâ vitæ, necisque habuisse potestatem, in concione, ceterisque non item. Quare non aberrat a decoro divinus Homerus, quum Achillem inducit adversùs Agamemnonem verba facientem liberiùs, & Regem ejus jurgia summo imperio non coërcentem, neque enim Græcorum dominus Agamemnon; quod Tragici declarant, & Euripides [m] inprimis, qui tradit Agamemnonem, quum vellet a morte Polyxenam liberare, populo repugnante non potuisse; a quibus quum Seneca recedit, minùs est poëtici decoris memor, qui quum Agamemnoni tribuat plenam jubendi, coërcendique potestatem; sic enim inducit [n] loquentem

Compescere equidem verba, & audacem malo
Poteram domare......

& paulo [o] ante in se positum dicit prohibere, ne Polyxena immoletur.

Non patiar; in me culpa cunctorum redit;
Qui non vetat peccare, quum possit, jubet,

& totius arbitrium rei situm in se confirmat; tamen Pyrrhum [p] ea inducit Regi convicia facientem, ut si fuisset ille patientissimus, tantam, ac tam enormem audaciam impunitam non pateretur. Sed dum Seneca vult Homerum imitari, ac simul Veterum instituta non respicit, sed præsentem consuetudinem, a verisimili aberravit, & a veritate discessit; ea quippe auctoritas Regum antiquorum fuit, quæ est in civitate
liberâ magistratuum. Nam [q] Heroicis tem- 8
poribus Reges rei bellicæ præerant, & sacrificiis, jusque dicebant, & eorum alii jurabant, alii minimè; jusjurandum [r] autem sceptri extensio fuit; immo omnis potestas regio nomine insigniebatur. Quapropter in [s] Odysseæ libro octavo Alcinous dicit tredecim Phæacibus præesse Reges in his verbis

Δώδεκα γὰρ κατὰ δῆμον ἀριπρεπέες βασιλῆες
Ἀρχοὶ κραίνουσι, τρισκαιδέκατος δ' ἐγὼ αὐτός.

hoc est

Bisseni populo Reges dant jura verendi,
In quorum numero decimus sum tertius ipse

& [t] Hesiodus Judices Reges appellat

...... μέγα κυδαίνων βασιλῆας
Δωροφάγους, οἳ τήνδε δίκην ἐθέλουσι δικάσσαι

Et ut uno verbo absolvam, omnes, qui aliquod imperium habebant, Reges vocabantur; quo [u] Sallustius respiciens, omne imperium dicit regio nomine appellari: *Principio*, inquit, *Reges; nam in terris id imperii nomen primum fuit*: Consueverunt [x] e-
tiam Veteres creare quosdam Reges, quos 9
Æsymnetas appellabant, qui filiis regnum non relinquebant, sed eorum principatus morte finiebatur; habebant autem plerique nullis terminis circumscriptam potestatem; ad certa etiam munia creabantur, ut [y] Pittacus adversùs exules.

DIS-

[a] Plutarch. in Lycurg. & Agesil. Vitâ. [b] Corn. Nepos in Pausan. [c] Thucyd. histor. libr. 2. [d] Pausan. in Laconic. [e] Athen. libr. 13. cap. 2. [f] Plutarch. In Agesilao. [g] Diogen. Laërt. in Solonis Vitâ libr. 1. segm. 53. [h] Homer. Iliad. libr. 1. [i] Homer. Iliad. α. β. & ι. [l] Aristot. 3. de Republ. cap. 14. [m] Euripid. in Troadibus. [n] Senec. in Troade Act. 2. Sc. 2. [o] Idem ibid. [p] Idem Seneca ibidem. [q] Aristot. libr. 3. cap. 14. de Republ. [r] Idem ibid. [s] Homer. Odyss. θ. v. 390. [t] Hes. in Operib. & dieb. v. 38. [u] Sallust. in Conjurat. Catilinæ. [x] Aristot. libr. 3. cap. 14. de Republ. [y] Aristot. ibid. & Diogen. Laërt. in ejus Vitâ l. 1. segm. 75.

DISSERTATIO VI.

De utilitate, quæ percipitur ex Historiæ lectione.

Homines magnam medicinæ partem ab animalibus didicerunt; sicut alias pleraſque artes; multas etiam a caſu edocti ſunt. Lucullus quum rei militaris eſſet imperitus, librorum lectione magnus evaſit imperator. Quantum multi exemplis ab hiſtoriâ petitis profecerint.

OMnibus quidem, Auditores ornatiſſimi, quicunque ſtudium aliquod aggrediuntur, plurimum prodeſt cognoſcere, quænam utilitas ex eo proficiſcatur; ſed
1 rerum geſtarum monimenta lecturis non ſolùm id plurimum prodeſt, ſed eſt etiam apprime neceſſarium, niſi volunt omni fructu carere, qui ex hiſtoriæ cognitione percipitur. Nam ſi quis hiſtoriam nihil differre ab anilibus fabulis arbitretur, quæ tantummodo ad aures imperitorum oblectandas confinguntur; nihilque, quod utile ſibi, ſuæque Reipublicæ inde putet excerpendum; quid, quæſo, proderit omnis ævi memoriam mente eſſe complexum? ſin autem præterita ſciat ideo cognoſci, ut futurorum conjecturam capiamus, & eventa rerum geſtarum exiſtimet eſſe documenta maxima gerendarum, quod ſalubrius, quæſo, quod fructuoſius, quod utilius, uberiuſque veræ prudentiæ ſtudium poterit invenire? Ideo prudenter Livius in præfatione Romanæ hiſtoriæ lectorem admonet cetera propemodum negligenda; illud eſſe præcipuè in cognitione rerum ſalubre, ac frugiferum omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri; inde tibi, tuæque Reipublicæ, quod imitere, capias: inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites. Quod ſi non ſine causâ eſt inſtitutum, ut qui aliarum facultatum Auctores ſuſcipiunt explicandos, a laudatione artis, quam tractant, exordiantur, quantò magis id eſt faciendum, qui hiſtoricum interpretatur, quum ex hiſtoriâ laudandâ non oſtentatio, & pompa verborum, ſed utilitas vitæ, & ingenii cultus petatur. Quæ quum ita ſe habeant, Auditores, nos, qui Thucydidem hiſtoricorum graviſſimum expoſituri ſumus hoc anno, hiſtoriæ laudes præterire ſine piaculo non poſſumus; quapropter hodierno die nullo verborum apparatu breviter oſtendemus, quanta utilitas ex verè, graviterque compoſitæ hiſtoriæ lectione capiatur. Ac mihi quidem in hominum ingenium intuenti nihil aptius videtur hiſtoriâ ad prudentiam comparandam; nam ſi rationis expertes animantes contemplemur, his a natu- 2
râ datum animadvertemus, ut omnia, quæ ſunt ad vitam neceſſaria, per ſe nullo duce aſſequantur. Neque enim aut lepores erudiuntur ad curſum, neque tauri docentur cornu petere, aut ſævire leones unguibus, aut apri dentibus hoſtem proſternere: non aves nidum tam artificioſè conſtruere, non formicæ alimenta ſibi recondere, non polypi inſidiari, non apes mella condere, niſi magiſtrâ naturâ didicerunt. Homo autem animantium prudentiſſimus, omnium rudis naſcitur, ac niſi eſſet in eo ſumma docilitas, ſumma imitandi ſolertia, nihil eorum, quæ natura deſiderat, aſſequi potuiſſet. Sed dedit illi Deus ingenium capax diſciplinæ, quod quum ad imitandum contulit, nihil eſt, quod non aſſequatur; quapropter [a] & telas texere ab araneis didicit, & ut placuit Democrito, ab [b] hirundinibus domos ædificare, & a luſciniis vocem modulari. Medicinæ [c] verò, quam plerique Deorum inventum eſſe, donumque ſunt opinati, magnam partem ab animantibus 3
ratione carentibus homines acceperunt; nam Hippopotamus [d] ipſos docuit ſanguinem mittere, qui ubi nimis obeſum corpus eſſe intelligit, exit in litus, & arundinum cæſuris, quas acutiſſimas videt, apprimit corpus, & venâ, quam habet in crure, vulneratâ gravitatem membrorum diſcutit; & [e] Ibies dejectione alvum medicos purgare docuerunt, & teſte [f] Plutarcho lupi, leones, tigres abſtinentiam a cibis utilem eſſe nimium repleto corpori oſtenderunt. Jam [g] verò teſtudines, quæ ſibi medentur origano; urſi, qui poſt diuturnum incubatum alvum ſolvere dicuntur aro Sil- 4
veſtri; ſerpentes [h], qui ad oculorum caliginem amovendam utuntur marathro, ſeu fœniculo; muſtelæ [i], quæ rutâ, quum ſerpentes glutiverunt; ſues, qui [l] cancros marinos vorant, quum hyoſcyamum comederunt; cervi [m], qui dictamnum adhibere feruntur ad infixas corpori ſagittas evellendas, nonne planè hominibus demonſtrant eſſe quoſdam herbarum ſuccos ad certos morbos curandos utiles, & ſalutares? Quid [n] nautilus ille, qui pompilus etiam appellatur, mirabilis piſcis, & ſacer, qui 5
membranâ, quam habet, utitur, tanquam velo.

[a] Plutarch. de ſolertiâ anim. [b] Vitruvius de arch. libr. 2. cap. 1. [c] Cæl. Rhodigin. libr. 29. cap. 11. [d] Plin. libr. 8. cap. 26. [e] Idem libr. 8. cap. 27. [f] Plutarch. de ſolertiâ animal. [g] Ælian. Hiſtor. animal. libr. 3. cap. 5. & libr. 6. cap. 12. [h] Ælian. Hiſtor. Animal. libr. 9 cap. 16. Plin. libr. 8. cap. 27. [i] Ælian. Hiſtor. Anim. libr. 4. c. 14. [l] Plin. ibid. [m] Plin. ibid. Virgil. Æneid. libr. 12. v. 411. [n] Plin. libr. 9. cap. 29. in fine.

velo, duobus brachiis tanquam antennis, reliquis remorum vice; nonne is artem navium regendarum Mortalibus, & armamenta monstravit? Nec hominibus erubescendum a mutis animantibus multa didicisse, quæ quamquam ratione carent, atque intelligentiâ; utuntur tamen solertiâ quadam naturali, quæ rationem plerunque vincit, quantoque præstantius est ingenium naturæ, quàm hominum, tam longè humanis artibus præstat. Illud magis mirandum ho-
6 mines ab his, quæ fortuitò contigerunt, exempla sumpsisse rerum plurimarum, usque casu duce temerario, & cæco sapientes artifices in his, quæ solertissimè excogitarunt. Neque enim solùm humana sapientia, quum Cœlum suspexisset, quum rerum ordinem, quum Mundi partes, & descriptionem esset contemplata, pleraque imitando ad suas utilitates, & commoda transtulit; verùm etiam, quæ casu acciderent, observavit, & fortuita ad sapientiam vertit, ut præcipuæ artium a casu artis experte adjuvarentur. Ita quum [a] silvis vehementior fortè ventus incubuisset, agitatæque arbores attritu ignem concepissent, idque animadvertissent homines haudquaquam hebetes, invenerunt, quo pacto ignis elici posset attritu durioris materiæ: ita
7 quum loquentibus temerè versus excidissent, observatum id ab hominibus acutis, & ad excogitandum solertibus, iisdemque numeris, & mensuris alii artificiosè conditi sunt, eaque ratione poëticam inventam testatur Auctor præclarus [b] inprimis Aristoteles, ut artium ingeniosissima non hominum ingenium, sed casum agnoscat auctorem: ita [c] quum incensâ Corintho metalla diversi generis urbis incendio li-
8 quefacta in unum confluxissent, & mirifica species æris extitisset, ejus metalli temperaturam, quod corinthium dictum est, tam insanè ab Antiquis appetitum artifices invenerunt: ita calathus [d] in monumento positus puellæ Corinthiæ, quum per eum acanthus fortè perrepsisset, ostendit architectis rationem Corinthii capituli conficiendi. Possem eodem modo pluribus exemplis uti, quibus hominum artem a casu adjutam sæpe, atque auctam ostenderem, nisi vererer, ne hæc nimis multa viderentur. Mihi quippe satis fuit genus ipsum attigisse ad mirificam declarandam humani generis docilitatem; nam si ab animantibus mutis, a casu non solùm rationis experte, sed etiam rationi contrario multa homines didicerunt, quanto plura necesse est ab hominibus didicisse? &, si exempla intelligentiâ carentium rerum, aut inanimatarum humanam prudentiam plurimum adjuverunt, quanto magis exempla prudentum, præcepta doctissimorum hominum, consilia sapientum eidem prodesse dicemus? O præ-
claram igitur historiæ vim, o admirabilem 9
utilitatem, cujus beneficio non unjus ætatis exempla, sed omnium; non paucorum hominum consilia, sed innumerabilium; non gentis unjus mores, sed cunctarum, quæ sunt, quæque fuerunt unquam, cognoscimus! Quis inficias ibit, quum nihil homines per se sciant, sed omnia aliorum exemplis doceantur, exempla verò universa ferè historia complectatur, humanam prudentiam omnem historiæ cognitione contineri? Nec verò non id plurimis docu-
mentis declaratum est; Lucullus [e] ille, qui 10
Mithridatem vicit, omnium Regum secundùm Alexandrum Magnum non solùm imperii magnitudine, & potentiâ, sed etiam scientiâ rerum bellicarum maximum, quum rei militaris imperitus haberetur, tantum historiæ cognitione profecisse dicitur, ut rebus gestis legendis clarissimus sit factus imperator. Nec aliâ de causâ [f] Alexander ille Severus tantâ cum laude Rempublicam administravit, ingentes Persarum copias profligavit, quàm quod hominibus historiæ peritis plurimum utebatur, quorum consilio pleraque decernebat. Nec verò necesse est singulorum exemplis commemorandis immorari; quum omnes omnium ætatum imperatores historiâ cognoscendâ plurimum profecisse compertum sit; & id eo argumento possit intelligi, quòd recentiores duces consiliis Antiquorum usos esse certum est. Sic [g] Tarquinius ille Superbus,
quum ingressus in hortum eminentiora pa- 11
paverum capita virgâ decussit, consilio est usus [h] Thrasybuli, qui spicas extantes detruncavit, quorum alter filio, alter Periandro per nuncium interrogantibus, quo pacto regnum stabilirent, præcepit eminentissimum quemque civitatis esse tollendum. Sic Periclis [i] factum est Fabius imitatus, quum Reipublicæ donavit agrum, quem intactum hostes reliquerant. Archidamus quippe, & Hannibal callidissimi imperatores, ut Periclem, & Fabium in suspicionem proditionis adducerent, quum hostium regionem bello urerent, omnibus circa depopulatis, eorum agris pepercerant, quo crimine fuit tam Pericli, quàm Fabio, nisi cavissent, con-

[a] Lucret. libr. 5. & Vitruv. de archit. libr. 2. cap. 1. [b] Arist. de Art. Poët. cap. 4. [c] Plin. libr. 34 cap. 2. [d] Vitruv. libr. 4. cap. 1. [e] Plutarch. in Vitâ Luculli. Cicer. Acad. quæst. libr. 2. seu 4. qui inscribitur *Lucullus* in princip. [f] Æl. Lamprid. in Vitâ Alexandr. Sever. [g] Liv. ab U. C. libr. 1.

[h] Herodot. libr. 5. cap. 92. & Diogen Laërt. libr. 1. segm. 100. in Vitâ Periandri; sed aliter Aristot. libr. 3. Politic. cap. 13. [i] Justin. libr. 3. cap. 7. Polyænus Strat. libr. 1. cap 36. Frontin. Strateg. libr. 1. cap. 8. Plut. in Fabio. Liv. libr. 22.

cidendum. Sic [a] Sylla calliditatem est æmulatus Tulli Hostilii Regis Romanorum, quum socios, qui transfugerant ad hostes, id suo jussu fecisse pronunciavit; quo consilio, & suos confirmavit, & hostes insidiarum, & proditionis metu deterruit. Sic [b] Themistocles, quum pontem, quo Xerxes
12 Hellespontum conjunxerat, rescindi vetuit, hostemque fugâ prohiberi, quot futuros postea duces exemplo docuit non esse committendum, ut hostibus desperatâ salute crescat audacia? Itaque id consilium sequutus est Mucius ille, cujus operâ, & virtute Romana res in Hispaniâ restituta est, quum reliquiæ duorum exercituum Romanorum quatuor victoribus Carthaginiensium exercitibus premerentur; is quippe circumventis a se Pœnis, quum animadvertisset eos ob hanc causam acriùs dimicare, ne inulti morerentur, laxatis manipulis spatium ad fugiendum dedit, ac deinde fugâ dissipatos insequutus cecidit: idem fecit & [c] Cæsar, qui Germanos inclusos, & ademptâ spe salutis fortiùs prœliantes emisit, & fugientes aggressus trucidavit: eodem consilio est usus Antigonus adversùs Ætolos, eodem Hannibal adversùs Romanos, eodem Agesilaus adversùs Thebanos. Quid [d] Cicero?
13 nonne quum Cæsare interfecto auctor senatui fuit, ut decerneret, ne quisquam eorum, quæ gesta fuerant, meminisset, eoque decreto sedavit innumerabiles discordias, quæ memoriâ præteritorum alioquin extitissent; id exemplum repetivit ab Atheniensium Republicâ, qui post exactos [e] triginta Tyrannos idem decrevisse dicuntur? quid Cæsar, quum simulato [f] metu Gallos eò temeritatis adduxit, ut Romana castra inconsultò aggrederentur, & eruptione factâ incompositos trucidavit, nonne imitatus est Paulum [g] Æmylium, qui eadem arte Ligurum copias delevit? Dies me deficiet, Au-
14 ditores, si diligentiùs velim recensere, quæ exempla ex historiâ deprompta ducibus, & principibus civitatum ad res bello præclarè gerendas, & Rempublicam administrandam profuerint. Nec verò res haudquaquam obscura pluribus illustranda; nam cui potest esse dubium, quin humana prudentia exemplis augeatur? ideo, qui ætate processerunt, consilio, & prudentiâ ceteris antecellunt, quia multa viderunt, quibus condocefacti prudentiùs reliqua moderentur. Quod si hominum vita brevis tantum lumen affert consilii, tanta adjumenta sapientiæ, quid omnium cognitio seculorum afferet, quum ille, qui ad longissimos ætatis humanæ terminos pervenit, eum eo comparatus, qui historiam cognovit, puer, aut potiùs infans dici jure possit? Qua de causâ apud Pla-
tonem [h] Ægyptius ille Sacerdos Græcos 15
pueros appellavit, quòd multorum seculorum historiam non haberent; quod si eam, quam historiæ cognitio affert consilii maturitatem, augeant crebræ scriptorum, pulcherrimæque sententiæ, non video quid excellentius possit desiderari. Atque hoc in genere Thucydidis historiam esse collocandam nemo rerum peritus judex inficiabitur, qui verborum numerum pene consequitur numero sententiarum. Hunc igitur Auctorem historiæ Græcæ principem non Græcæ fidei vobis affero, ut & ex historiæ cognitione, & ex prudentiâ scriptoris magnam percipiatis utilitatem.

DISSERTATIO VII.

Qua de nomine belli, quod Thucydides narrat, ejusque causis disceptatur.

Proverbium Isthmum perfodere *ex eo profluxit, quod multi Imperatores illum perfodere frustra tentarunt. Peloponesus olim Apia ab Apio Phoronei juxta Didymum, & juxta Athenæum a pyrorum copiâ est appellata; necnon etiam aliis multis nominibus. Asia divitiis abundabat, & præcipuè Phrygia; hinc fabula manavit, quidquid Midas attingeret, in aurum verti. Midas album, & nigrum plumbum invenit. Tarquinius Priscus opibus, & largitionibus Romæ regnum est assequutus; quemadmodum etiam quamplures in Græciâ. Causæ belli civilis inter Cæsarem, & Pompejum. Rebus publicis nihil magis formidolosius, quàm finitimorum potentia, ut multa etiam exempla declarant.*

Antequam in historiâ Thucydidis explicandâ longiùs progrediamur, duo videntur esse nobis exponenda; nomen belli, quod summus Auctor suscepit enarrandum, & causæ, quibus conflatum est; atque exarsit; quorum alterum Thucydides prætermittit, alteras luculentissimè explicat. Nam rationem nominis reddere ob-
vium, minusque conveniens rerum gesta- 1
rum scriptori; causas referre tanti motus magis arduum, magisque etiam historico ne-

[a] Frontin. Strateg. libr. 2. cap. 7. n. 1. & 2. [b] Frontin. Strateg. libr. 2. cap. 6. num. 8. Polyæn. Strat. libr. 1. [c] Frontin. Strategem. libr. 2. cap. 6. num. 3. idem eodem libro, & cap. num. 4. 5. 6. [d] Cic. Philipp. 1. [e] Plutarch. in polit. præcept. [f] Frontin. Strateg. libr. 3. cap. 17. exemplo 6. [g] Idem ibid. exemplo 2. [h] Plato in Timæo paullo post princip.

necessarium; nos utramque rem breviter exequemur, & in referendâ nominis ratione quædam haud omnino protrita afferemus, & in exponendis causis ea, quæ tradit Auctor, illustrabimus, & nonnulla, quæ prætermisit, addemus. Atque ut ab eo, quod primum proposui, proficiscatur oratio; sciendum est bellum, quod Peloponesiacum est postea dictum, quemadmodum Suidas [a] testatur, prius Archidamium appellatum ab Archidamo Rege Spartanorum, qui primus Atticam terram populatus est, primusque bellum Atheniensibus intulit, cujus prudentiam [b] Thucydides laudat; postea verò factum est, ut id bellum Peloponesiacum diceretur, quòd id Lacedæmonii adversùs Athenienses gesserunt, omnibus Peloponesi populis ad minuendam Atheniensium potentiam conspirantibus. Est autem [c] Peloponesus inter doo maria, Æ-
2 gæum, & Jonium interjecta peninsola, quæ celeberrimo illo Isthmo reliquæ Græciæ adhæret, quem perfodere tentaverunt Demetrius [d] Rex, Dictator Cæsar, Cajus Princeps, Domitius Nero irrito omnes incepto, conatuque; onde proverbium fluxit, quo [e] Isthmum perfodere dicuntur ij, qui rem, quæ fieri non possit, aggrediuntur. Est autem mirum tantorum principum potentiâ non potuisse perfodi intervallum illud, quod non ampliùs, quàm quinque millibus passuum patet; sed indomita natura earum angustiarum, quæ vincit violentiam maris utrinque urgentis, & terram conantis irrumpere, vicit & Regum, & Cæsarum potentiam. In medio Isthmo [f] Corinthus assurgebat urbs in paucis Græciæ nobilis, duobus succincta portubus, quorum alter Cenchreę, alter Lechæum vocabatur; Lechæum Occidentem, Italiamque; Cenchreæ Orientem, Asiamque spectant. Hujus peninsulæ figu-
3 ram platani [g] folio geographi compararunt; nam & ejus extremitas omnis mari sese per crebros insundēte sinus laceratur, & in multa promontoria excurrit, & sicut platani folium tantum ferè longitudine patet, quantum latitudine; nam longitudo mille quadringentis [h] circiter stadiis protenditur, latitudo verò tantundem. Hæc autem nomen frequenter motavit; nam & Ægialia [i] est noncupata ab Ægialeo Inachi filio; & Apia ab Apio Phoronei, ut Didymus affirmat, vel ut placet [l] Athenæo, a multitudine, copiaque pyrorum, quibus abundat, quæ Græcis apia dicuntur; & [m] Argos, & Pelasgia, postremo [n] verò Peloponesus a Pelope, qui eam imperio tenuit, quasi Pelopis insula est appellata. In illam Pelops Tantali filius, quum a Neptuno equos accepisset, ad petendas Hippodamiæ nuptias Pi- 4
sam venit. Erat [o] autem Hippodamiæ pater Oenomaus, qui sive quòd filiam formâ præcellentem incesto amore deperiret, & procos, tanqoam rivales odisset; sive quòd ab oraculo admoneretur, mortem sibi imminere ab eo, qui filiam ducturus esset uxorem (nam utrumque traditur) statuit Hippodamiam nuptum dare nemini; & quum equos haberet, ut [p] Hyginus tradit, aquiloue velociores, legem tulit, ut si quis puellæ conjugium cuperet, secum ante curru decertaret; victori præmium nuptiæ, victo mors temeritatis pœna proponebatur; neminem quippe futurum sibi parem judicabat, ac neminem filiæ thalamum consequuturum esse censebat. Sed ea res falsum hominem habuit; nam aurigæ Myrtili fraude datus in præceps Oenomaus e curru suæ crudelitatis pœnas dedit, & Pelops Hippodamiæ nuptiis, quas periculo vitæ petiverat, est potitus, & Regno; & ab eo Peloponesus nomen accepit. Atque id ita fabulis traditum; ceterùm ego crediderim Pelopem non equis fretum Neptuni, neque aurigandi arte, neque ejus numinis amore venisse in Græciam, & Peloponesi regnum affectasse; verùm opibus, quas ex Asiâ secum avexerat, quod etiam libro primo Thucydides confirmat. Asia nimirum divitiis
secunda generandis, cum semper, tum eo 5
tempore maximè, opulentiâ præstabat Europæ. Testes hujus [q] rei Cyri victoriæ, quibus ille Rex bellicosissimus argenti quingenta millia talentorum reportavit; auri verò trigintaquatuor millia pondo, præter vasa aurea, aurumque factum, & in eo folia, ac platanum, vitemque auream; quibus Persarum Regum potentia in tantâ imperii magnitudine, & opum affluentiâ vel maximè [r] gloriabatur; testes opes [f] Crœsi, testes [t] Gygis, & [u] Esubopis, & Salaucis, cujus aureæ cameræ, & argenteæ trabes, & columnæ, & Parastatæ memorantur. Sed cum omnis Asia divitiis abundabat, tum Phrygia maximè, ex qua Pelops profectus est, opibus præcellebat; quæ res locom poë-
tarom [x] mendacio fecit, quo traditum Mi- 6
dam Phrygiæ Regem eâ præditum vi fuisse,

[a] Suid. in V. Α'ρχιδάμειος πόλεμος. [b] Thucydid. Histor. libr. 1. [c] Plin. libr. 4 cap. 4. [d] Strabo libr. 1. Plin. libr. 4. cap. 4. Suet. in Caligulâ, & Philostrat. in Vitâ Apollon. [e] Herod. libr. 1. [f] Strabo libr. 8. & Plin. libr. 4. cap. 4. [g] Strabo libr. 2. & 8. Plin. libr. 4. cap. 4. [h] Strabo libr. 8. [i] Pauf. in Corinthiar.. [l] Ister apud Athen. libr. 14. c. 17. [m] Plin. libr. 4. cap. 4. & Strabo libr. 5. [n] Thucydid. libr. 1. [o] Hygin. fabul. 84. [p] Hygin. ibid. [q] Plin. libr. 33. cap. 3. [r] Herodot. libr. 7. c. 27. [f] Plin. ibid. [t] Herod. libr. 1. cap. 14. & Athen. libr. 6. cap. 4. Strab. libr. 14. [u] Plin. libr. 33. cap. 3. [x] Ovid. XI. Metam. fabul. 3. v. 86.

ut quidquid attigisset, in aurum statim verteretur; id autem ex opulentiâ Midæ originem duxit, qui [a] in monte Bermio fodinas auri feracissimas dicitur habuisse. Apparet autem metallorum studiosum fuisse Midam, quum [b] Hyginus tradat album, & nigrum plumbum principem invenisse. Nec Midas tantùm in Phrygiâ dives, verùm etiam omnes Phryges; ideo tragicorum princeps Euripides Phrygiæ populos appellat πολυχρύσους hoc est auro abundantes, & Priamus dives a poëtis nuncupatur; Horatius [c]

Ilio dives Priamus relicto

& Euripides μέγα ὄλβιον Priamum vocat. Idcirco Ovidius opes Phrygiæ, & Paridis extollit, ubi sic [d] ait:

Venerat, ut fama est, multo spectabilis auro,
Quique suo Phrygias corpore ferret opes

& alio in loco apertè dicit Phrygiam esse Græciâ ditiorem; sic enim in epistolâ Paridis ad Helenam scribit Paris:

Regnaque sunt Regnis divitiora tuis

His igitur [e] opibus subnixus Pelops quum
7 in Græciam venisset regionem eâ tempestate haudquaquam divitiis affluentem, inter inopes homines cœpit excellere, & exinde collectâ potentiâ Mycenarum regnum occupavit; sicut [f] Tarquinius Priscus Corintho oriundus, quum Romam, venisset, opibus, quas advexerat secum, prudenter utendo, & tempestivis largitionibus Romæ regnum peregrinus est assequutus. Verè enim divitias [g] Pindarus latè potentes appellavit; his omnia quamvis immerito parent, ac sæpe animi, qui ferro non sunt domabiles, auro vincuntur; his arbitror Græcos inductos sæpenumero exulibus, qui ex opulentiore terrâ veniebant, regnum detulisse: sic [h] Thebis regnavit Cadmus ex Phœniciâ profectus: sic [i] Argis Danaus ex Ægypto: sic Pelops e Phrygiâ, qui nomen Peloponeso dedit, ex qua Peloponesiacum bellum est appellatum; de cujus caussis mihi secundo loco
8 differendum. Adnotandum est autem, sicut omnium rerum, ita bellorum causas esse partim apertas, partim occultas; ita belli civilis, quod exarsit [l] inter Cæsarem, atque Pompejum, manifestæ quidem causæ ferebantur, mors Juliæ, quæ Cæsaris, atque Pompeii affinitatem diremit; eorum inter se æmulatio, expulsi ex urbe Tribuni plebis, Cæsar in ordinem coactus, ac jussus exercitum dimittere, Cæsaris ipsius vastus animus, immoderatus, immensa dominandi libido, & ambitio, quæ sibi turpe duceret cuiquam concessisse, ingens æs alienum contractum, quod nunquam nisi publicis opibus poticus exolvisset, neque salvus esse Cæsar, nisi exitio libertatis unquam potuisset; occultæ verò, luxus Romanorum, lapsa Veterum disciplina, corrupti civitatis mores, & ut ait ille [m]

Venalis populus, venalis curia Patrum

immensæ opes imperii, quæ civium quoque fortunam eò magnitudinis provehebant, ut esset publicæ libertati formidolosa. Quas
omnes [n] Lucanus Thucydidem imitatus 9
recenset; nam & Thucydides [o] utrumque causarum genus complexus est; & apparentem quidem causam Peloponesiaci belli fuisse tradit hujusmodi. Corcyræi, qui eâ tempestate plurimum re navali poterant, bellum Corinthiis intulerunt, propterea quia Corinthii auxilium tulerant Epidamnis colonis Corcyræorum, eamque civitatem sibi beneficio adjunxerant, a Corcyræis abalienaverant; quo in bello magnâ pugnâ navali victi Corinthii opem Spartanorum, ceterarumque sociarum civitatum implorarunt. Corcyræi quum viderent hostes ingentem vim armorum, & navium apparare, circumire Græciæ civitates, eorum legationes ab omnibus benignè audiri, conspirare Peloponesum ferè universam ad suâ potentiam evertendam, tantâ impendentis belli mole deterriti ad Atheniensium præclaras opes, & semper expositas his, qui a potentioribus opprimerentur, confugerunt. Athenienses autem, quum Corcyræos, qui communi sociorum consensu oppugnabantur, adjuvissent, visi sunt fœdus violasse, eaque de causâ bellum est ortum inter Athenienses, atque Spartanos, quum alteri Corcyræis, alteri Corinthiis auxilium ferrent. Atque hanc Thucydides apparentem causam tanti belli esse tradit; latentem verò, & efficaciorem, veriorem que, potentiam Atheniensium, quorum vires, quum in dies magis, magisque crescerent, Spartani suspectabant. Quocirca opprimere conati sunt adversarios, antequam ipsi oppri-
merentur; nihil quippe formidolosius, ni-
hil magis invisum regnis omnibus, omnibu- 10
sque Rebuspublicis, quàm opes vicinorum, nihilque magis depressum eunt ii, quibus cura imperandi, quàm potentes accolas, quibus quanto quisque utitur opulentioribus, tanto difficilior est sua tuendi ratio, & aliena occupandi. Hinc inter finitimos populos æterna dissidia, & alia ex aliis bella oriuntur, dum æqualitatem servare potentiam singulis ad se trahentibus arduum, & unusquisque incrementa vicini, diminutionem suæ majestatis esse censet. Atque hæc ita se habere exemplis pæne innumerabi-

[a] Strab. l. 14. circa fin. [b] Hyg. fab. 274. [c] Hor. l. 1. Ode X. [d] Ov. in Epist. Laodam. [e] Strab. l. 7. [f] T. Liv. libr. 1. Strabo l. 8. & Plin. libr. 34. cap. 3. [g] Pind. Olymp. 1. [h] Strabo libr. 9. [i] Idem Strab. libr. 7. [l] Appian. de bellis civilibus libr. 2. [m] Petron. Arbit. in Satyr. [n] Lucan. libr. primo. [o] Thucydid. libr. 1.

rabilibus ostendi potest. Quid enim tanto-
11 pere urebat Romæ proximas civitates, ut toties victæ, toties rebellarent, neque ruinâ vicinarum urbium, neque propriis cladibus admonerentur, ut pacem inviolatam servarent, nisi quòd tantam in medio crescentem molem æquo animo videre non poterant? quid Carthaginienses, atque Romanos ad arma alterutri populo futura exitio compulit, nisi vicinitas, & incrementa Romanæ potentiæ? Nam quamdiu Romani imperii fines procul aberant ab imperio Carthaginiensium, amici, & [a] conjuncti vetusto fœdere Carthaginienses cum Romanis; ubi [b] verò Siciliæ, cujus partem Pœni tenebant, imminere cœpit Romanus; tunc inter duos potentissimos in terris populos inexpiabile bellum susceptum. Eadem causâ [c] Philippi, & [d] Antiochi, & Persei [e] arma concitavit, eadem Cyrenarum, & Carthaginis bella commovit. Quid Græci?
12 nonne magis offendebantur potentiâ Spartanorum, vel Atheniensium, quàm Persarum; propterea quod illi proximi, hi magno terrarum intervallo, & mari interiecto remoti? Itaque Persas Græci nunquam bello lacessendos putarunt, ac sæpe opibus juverunt; adversùs Athenienses in hoc bello conspirarunt; adversùs Lacedæmonios paulò post, quum illi devictis Atheniensibus summas essent opes consequuti, & Agesilaus [f] bello ureret, quo facto Agesilai victorem impetum represserunt, & Persarum imperium ingenti periculo liberarunt; adversùs Thebanos denique Græci conjurarunt, quum [g] post accisas Leuctricâ pugnâ Spartanorum opes Thebani spiritus ingentes gererent.

DISSERTATIO VIII.

Qua Thucydides defenditur, & quinam populi barbari, quique Græci haberentur, ostenditur.

Dupliciter Barbari *nomen accipitur; nam & eos omnes, qui non sunt Græci, inter quos Romani ipsi recensentur, significat; & illos, qui inscitè loquuntur; unde* Barbarismus *inscita loquutio; licet Gellius neget hanc vocem in usu esse apud optimos Auctores. Thucydides autem non negat Homerum hoc nomen usurpasse; sed solùm in eo significatu, quo omnes gentes diversæ a Græcis accipiütur; quare immerito reprehenditur a Strabone; sicut etiam, dum asserit Homerum nunquam Græciam universam Helladem appellasse. Quamplures colonias deduxerunt Græci. Quodnam discrimen sit inter Italos, & Italiotas, inter Siculos, & Siceliotas apud grammaticos.*

GRæciam universam Helladis nomine appellatam ab [h] Hellene Deucalionis filio constat, qui in eâ Thessaliæ regione, quæ Phthiotis dicitur, imperavit; a quo eâ pars Thessaliæ Helladis nomen accepit, quod consequutis longo intervallo temporibus commune fuit Græciæ universæ. Hanc [i] Thucydides negat idem nomen antiquitus habuisse; sed quum Græci bellis inter se gerendis, mutandisque sedibus magis, ac magis in dies miscerentur, partis appellationem paulatim existimat ad omnes pervenisse. Eo autem utitur argumento, quòd Homerus, qui multis ætatibus post bellum Trojanum floruit, nunquam Græcos universos Hellenas nuncupavit, sed alios Danaos, alios Argivos, alios Achæos; Hellenas verò solos Achillis milites nominavit, qui meritò eo nomine vocabantur, quum essent e regione Phthiotide, in qua Achilles regnabat, qui ideo Phthius heros a poëtis appellatur; regio autem Phthiotis omnium prima Hellas diceretur, quemadmodum demonstravimus; & ideo putat nunquam barbaros dixisse Trojanos, aliosque præter Græcos Mortales, quod nondum Græci universi uno nomine Barbaris opposito continerentur; verba Thucydidis hæc sunt:

Τεκμηριοῖ δὲ μάλιστα Ὅμηρος, πολλῷ γὰρ ὕστερον ἔτι καὶ τῶν Τρωϊκῶν γενόμενος οὐδαμοῦ τοὺς ξύμπαντας ὠνόμασεν, οὐδ' ἄλλους, ἢ τοὺς μετ' Ἀχιλλέως ἐκ τῆς Φθιώτι-

---

[a] Tit. Liv. libr. 7. [b] Luc. Flor. libr. 2. c. 2. [c] Diodor. Sicul. libr. 15. Biblioth. Tit. Liv. libr. 31. & Luc. Flor. libr. 2. cap. 7. [d] Luc. Flor. libr. 2. cap. 8. [e] Tit. Liv. libr. 41. [f] Plutarch. in Vitâ Agesilai. [g] Diodor. Sicul. libr. 15. Bibliothec. [h] Thucydid. libr. 1. & ejus Scholiast. [i] Thucydid. ibid.

φθιώτιδος, ὅιπερ καὶ πρῶτοι Ε'λληνες ἦσαν, Δαναὺς δὲ ἐν τοῖς ἔπεσι, καὶ Α'ργέιυς, καὶ Α'χαιὺς ἀνακαλεῖ, ὐ μὴν ὐδὲ βαρβάρυς εἴρηκε, διὰ τὸ μηδ' Ε'λληνάς πω (ὡς ἐμοὶ δοκεῖ) ἀντίπαλον εἰς ἓν ὄνομα ἀποκεκρίσθαι

Quæ verba sic ferè latinè convertuntur: *Maximè Homerus est argumento; multò quippe junior bello Trojano Hellenas universos nusquam appellavit; neque alios, quàm eos, qui cum Achille ex Phthiotide militabant, qui primi hoc nomine censebantur; Danaos autem, & Argivos, & Achæos in carminibus vocat; quocirca neque barbaros dixit; propterea quòd, ut mihi videtur, neque Græci in unum nomen secreti contrarium fuerant a Barbaris*

2 Quem Thucydidis locum quoniam Strabo libro decimo quarto Geographiæ carpit, ab ipsius calumniâ primùm vindicabo; deinde ad eum illustrandum quinam populi barbari haberentur, exponam; & an meritò bonarum artium rudes, & humanitatis expertes habiti fuerint investigabo; postremò quoniam Thucydides Homerum Trojano bello multo statuit juniorem de Homeri ætate nonnulla subtexam; quæ omnia deinceps duabus dissertationibus exequar. Strabo igitur Geographorum eruditissimus libro decimo quarto Thucydidem reprehendit, quòd affirmerit Homerum nusquam Barbaros nominasse, quòd nondum opposito nomine Græci Barbaris responderent. Id autem falsum ideo existimat, quòd Homerus Cares Βαρβαροφώνυς appellavit in hoc versu [a]

Νάστης δ' αὖ Καρῶν ἡγήσατο βαρβαροφώνων

Reprehendit etiam, quòd Thucydides dixit, Homeri ætate nondum Græciam universam uno nomine appellatam, id autem illis Homeri carminibus refelli existimat [b]

Α'νδρὸς, τῦ κλέος ἐυρὺ καθ' Ε'λλάδα, καὶ μέσον Α"ργος

& [c]

Εἰ δ' ἐθέλεις τραφθῆναι ἀν' Ε'λλάδα, καὶ μέσον Α"ργος

Sed pace dixerim tanti viri, in utroque fallitur; &, ut ab eo exordiar, quod priùs posui; sanè Cares [d] Homerus Βαρβαροφώνυς vocat; atque hinc intelligi potest *Barbari* vocabulum Homero notum fuisse, sed non efficitur omnes homines, præter Græcos, eo tempore Barbaros appellatos, quod ad Thucydidem refellendum ostendi oportere. Nam Thucydides *Barbari* nomen inventum Homeri ætate fuisse haudquaquam negat; sed omnes homines in duo genera distributos, Barbaros, & Græcos, & Homerum Græcos Barbaris oppofuisse; id verò constanter negat. Duo quippe significat vox *Barbarus*, & Gentem a Græcâ diversam, & hominem imperitè, & perversè loquentem; itaque & Barbarus potest Græcè, sciteque loqui, & non esse Barbarus; & Græcus Barbarè loqui, & esse quodammodo Barbarus. Siquidem, ut idem [e] Strabo docet, vox *Barbarus* ficta est, & deducta a sono vocis, quem edere Græcis videbantur externi homines, & inscitè loquentes; & initio omnes, qui inscienter loquebantur, Barbari sunt appellati, unde barbarismus inscita loquutio, quamvis Gellius neget [f] eos, qui castè, & incorruptè loquuti sunt, dixisse barbarismum. Sed quia omnes, qui non erant Græci, Græcis malè loqui videbantur, omnes *Barbari* nomen acceperunt. Quamobrem scitè Clemens Alexandrinus [g] dixit omnes, quorum linguam ignoramus, esse nobis Barbarorum loco, & Anacharsis [h] ajebat: mihi Græcus Scythicè loquitur. Quod autem accidit in linguâ, accidit in moribus; nam sicut quia a Græciâ remotæ nationes vocis uti sono absurdiore videbantur, Barbaræ sunt appellatæ; ita quia earum pleræque moribus, & institutis esse feris, & inhumanis, & ab omni doctrinâ abhorrere; Græci [i] contra ad bonas artes percipiendas idonei, mansuetis moribus, & omni humanitate perpolitis videbantur; ideo omnes, qui morum immanitate excellerent, qui a studiis disciplinarum essent alieni, & rudes, & impoliti Barbari sunt nominati; ex quo factum est, ut vox *Barbarus* magis esset feritatis, & inscitiæ, quàm nationis. Quæ quum ita se habeant, & Homerus, quum Cares Βαρβαροφώνυς appellavit, non barbariem gentis, verùm linguæ notaverit, non video, cur in hoc Thucydidem Strabo reprehendat. Sed neque justiùs idem Thucydidem carpit, 3
quòd putaverit Græciam omnem Homeri temporibus nondum Hellada nuncupatam; neque adjuvant Strabonem Homeri versus, quos adduximus, quum Thucydides non dicat ignotum Helladis nomen fuisse principi poëtarum, sed affirmet Græciam universam, quæ postea Hellas est appellata, antiquitus uno nomine haudquaquam dictam fuisse, & ex Homeri carminibus neutiquam constet, an Helladis nomine Homerus Græciam universam intellexerit; immo, si locus est conjecturæ, probabilius fit Homerum, quum dicit ἀν' Ε'λλάδα, καὶ μέσον Α"ργος, non voluisse Græciam totam significare; neque enim addidisset, καὶ μέσον Α"ργος, si Helladis nomine Græcia universa contineretur. Favet huic opinioni, quod Achajam solam Græciam antiquam fuisse Plinius asseverat libro octavo Epistolâ vigesimaquartâ: favet, quod Solinus Helladem scribit

Isthmo

[a] Hom. Iliad. 2. v. 867. [b] Hom. Odyss. α. v. 344. [c] Idem Odyss. ο. v. 80. [d] Hom. Iliad. β. v. 867. [e] Strabo l. 14. [f] A. Gell. libr. 13. c. 6. [g] Clem. Alexandr. Strom. libr. 1. [h] Idem ibid. [i] Cic. Orat. pro Flacco.

Iſthmo [a] terminari; neque enim Hellas antiquiſſima, quæ ab Hellene Deucalionis filio nomen accepit (nam is in Phthiotide tantùm imperavit) Iſthmo finiebatur; ſed alia Trojano bello, & fortaſſe etiam Homeri ætate recentior. Nam, ut ad alteram
4 partem hujus diſſertationis accedam, in qua mihi propoſui oſtendendum, quinam Græci, & quinam populi Barbari haberentur, mihi videtur Helladis nomen paulatim, & quaſi per gradus quoſdam latiùs eſſe diffuſum; & [b] primò quidem ea regio Hellas eſt appellata, quæ Hellenis imperio paruit, quæ anguſtis ſanè finibus includebatur; deinde, quum Hellenis filii majorem eſſent potentiam adepti, latiùs id nomen patuiſſe, donec quidquid ad Iſthmum uſque protenditur, eodem nomine comprehenderetur; ac tum Acheloo flumine, Iſthmo, Macedoniæ finibus, mari Ægæo, atque Jonio circumſcribebatur; mox eadem appellatio etiam Iſthmum tranſcendit, & Peloponeſum ſibi totam vindicavit; poſtremò quum Athenienſes in Aſiam, Joniamque colonos miſiſſent, & quum inſulas Græci occupaſſent, longo temporis intervallo omnia loca, quæ tenuerant [c] Græci, Helladis nomine ſunt cognominata. Quin & Italiæ pars, quæ Magna Græcia dicitur Lacedæmoniorum coloniis referta nomen mutavit; idem accidit Siciliæ ab iiſdem occupatæ; unde ortum inter Italiæ, Siciliæque gentes nominis diſcrimen, quod a Grammaticis ponitur, ut qui duxiſſent originem a Græcis Ἰταλιῶται, & Σικελιῶται dicerentur; qui verò eſſent indigenæ, Itali, & Siculi, & Sicani nominarentur. Neque tamen omnes regiones, quò colonias Græci deduxiſſent, Græciæ nomen adeptæ ſunt; nam & Feſcenninum oppidum ab Athenienſibus conditum Servius libro ſeptimo ſcribit, & Sabinos Lacedæmoniorum colonos fuiſſe [d] teſtatur Plutarchus; & Romam Græcam, urbem [e] Plutarchus, Dionyſius [f] Halicarnaſſeus, Ponticus Heraclides vocant; & Neapolim Cornelius [g] Tacitus, Titus [h] Livius. Jam Cumas [i], jam [l] in Galliâ Maſſiliam, in Hiſpaniâ [m] Emporias, in [n] Africâ Cyrenas a Græcis conditas nemo non audivit; hanc ipſam urbem Græcorum coloniam eſſe, & Alpheas [o] ab origine Piſas a principe Latinorum poëtarum verè nominari, quem fugit? jam oram illam, quæ ingenti litorum flexu ambit Euxinum pontum, quis [p] neſcit Græcorum coloniis frequentatam, maris nomen mutaſſe, quod Axenon antea propter inhoſpitalem gentium barbariem vocabatur? quis in [q] Cypro Salamina a Teucro conditam, aliaſque urbes alibi quis ignorat? Neque tamen regionibus inditum Græciæ nomen, quum Græcia omnis his, quos diximus, terminis concluderetur; ceteri Mortales, quamvis moribus culti, bonis artibus inſtituti, legibus temperati, bar- 6
bari habebantur. Quocirca [r] Romani ipſi domini rerum, victores Orbis terrarum, Barbari vocabantur, quâ ſignificatione Plautus [f] dixit in Aſinariâ

..... huic nomen Græcè eſt Onagros Fabulæ, Demophilus ſcripſit, Plautus vortit barbarè & idem Poëta [s] Nævium barbarum vocat, & Cato apud Plinium [u]; *quandocunque iſta gens ſuas litteras dabit, omnia corrumpet, tum etiam magis, ſi medicos ſuos huc mittet, jurarunt inter ſe Barbaros necare omnes medicinâ:* idem queritur Romanos [x] Barbaros dici, quum ait: *nos quoque dictitant Barbaros, & ſpurciùs nos, quàm alios opicos appellatione fœdant*; & tamen hoc nomen Romanos non meruiſſe teſtatus eſt [y] Pyrrhus prudentiſſimus Græcorum imperator, qui quum Romana caſtra eſſet contemplatus, dixiſſe fertur, ea Barbarorum non videri. Sed minimè mirum eſt Romanos tanto remotos a 7
Græciâ intervallo a Græcis Barbaros appellatos, quum Macedonas finitimos, rerum geſtarum gloriâ clariſſimam gentem, Græci Barbaros nominarint. Qua de [z] causâ Demoſthenes Philippum, qui genus ab Hercule Argivo ducebat, Barbarum vocat; & Iſocrates de regni Macedonici conditore ſcribit, eum maluiſſe Barbaris, quàm Græcis imperare. In quo Græcorum levitas notari potuit, qui quum Philippi tempore Macedonas habuerint Barbarorum loco, ſimul atque Alexander ejus filius tres validiſſimos Perſarum exercitus fudit, Aſiamque univerſam in ſuam ditionem, poteſtatemque redegit, & Indiam victoriis peragravit; non ampliùs Græcis Barbari Macedones viſi, qui eorum, quos tanquam alienigenas contempſerant, gloriam ſibi impudentiſſimè arrogarunt. Quocirca [a] Demaratus Corinthius dixiſſe traditur, magno carere Græ- 8
cos, qui defuncti fuiſſent, gaudio, quòd Alexandrum in Darii ſedentem ſolio non aſpexiſſent, quaſi lætandum Græcis foret gloriâ gentis, quam ſemper contempſerant, & ad ſe pertinere diſſimularant. Eodem modo populus Romanus, dum cum finitimis populis colluctabatur, Barbarus dictus eſt, atque habitus; poſteaquam perdomito

Orbe

[a] Plin. libr. 4 cap. 7. & Solin. c. 13. vel 14. [b] Strab. libr. 8. & Plin. ibid. [c] Pauſan. in Laconic. ſive libr. 3. [d] Plutarch. in Vitâ Romuli. [e] Plutarch. ibid. in princ. [f] Dionyſ. Halic. libr. 1. [g] Corn. Tacit. libr. 15: Annal. cap. 33. [h] Tit. Liv. ab U. C. libr. 8. [i] Strabo libr. 5. & libr. 13. [l] Plin. libr. 3. cap. 4. [m] Tit. Liv. libr. 26. & Strab. libr. 3. & Plin. libr. 3. cap. 3. [n] Strabo libr. 17. [o] Virgil. libr. 10. Æneid. [p] Strabo libr. 7. [q] Strabo libr. 15. [r] Virgil. libr. 1. Æneid. [f] Plaut. Aſin. Prol. [s] Idem Mil. Glor. Act. 2. Sc. 2. v. 56. [u] Plin. libr. 29. cap. 1. [x] Idem ibid. [y] Plutarch. in T. Q. Flamin. Vitâ. [z] Demoſth. in Philippic. [a] Plutarch. in Alexandr. Vitâ.

9 Orbe terrarum nulla fuit barbara natio,
quæ non virtuti fuccumberet Romanorum,
certatim Græci Romam, Græcam urbem di-
cere, & a fe ortos Romanos gloriari, ipfis
non admodum faventibus, qui [a] Æneam,
Phrygem auctorem generis libenter agno-
fcunt; tum fermo Romanus non ampliùs
opicus, ac durus; fed, ut eft, majeftatis cu-
jusdam auguftæ pleniffimus videbatur. Ita-
10 que & Cumani [b] Græca civitas enixiffimis
precibus a Senatu impetrarunt, ut publicè
liceret uti fermone Romano, & multi Græ-
corum [c] omifsâ patriâ linguâ, Latinâ fcri-
pferunt, &, ut auctor eft [d] Auguftinus in
confeffionibus, vulgò fermonem Roma-
num condifcebant, Auctorefque Latinos
perquam ftudiosè lectitabant, & Græci Im-
peratores, & Aulici omnes non alio fermo-
ne utebantur, ut intelligi poteft ex oratio-
nibus Themiftii; quare idem Themiftius
linguam latinam *τὴν κρατοῦσαν, ϗ βασιλίδα dominantem, atque reginam vocat.*

DISSERTATIO IX.

Qua Barbaros non omnino fuiffe rudes bonarum artium probatur, & de Homeri Ætate nonnulla delibantur.

Philofophiam, & ceteras difciplinas Barbari invenerunt, & didicerunt ab ipfis Græci; verùm quia eloquentiâ Græci præftiterunt, fapientiores Barbaris habentur. Homerum tempore belli Trojani extitiffe quidam tradunt; alii ducentis annis poft excidium Trojæ floruiffe; alii demum centum triginta annis ante Olympiadas natum cenfent, & æqualem Lycurgo faciunt. Duo Lycurgi fuerunt.

Quod vulgus arbitrari teftatur in
libris de morum doctrinâ Ari-
ftoteles, omnia, quę prima Mor-
tales putant, divitiis contineri,
id de opibus, & potentiâ popu-
lorum dici veriùs poffit. Quum fortuna,
1 vel virtus gentis alicujus opes ad fummum
faftigium evexit; tunc non ea folùm, quæ
funt conjuncta magnæ potentiæ, gloria,
divitiæ, fama, obfequia populorum, volu-
ptates, otium, fecuritas altiffimam fortu-
nam confequuntur; fed ea quoque, quæ
funt disjunctiffima, & fortunæ non famu-
lantur; artes liberales, eloquentiæ ftudia,
Sapientum difciplinæ, nefcio tamen quo
pacto, comites opum, imperantis populi
potentiæ obfequuntur. Hujus exemplum
rei propofui Macedones, & Romanos; Ma- 2
cedones dum humili fortunâ utebantur, &
inopes finitimorum opes, & arma Græco-
rum pertimefcebant, Barbari videbantur,
quoivis neque moribus efferati, neque in-
geniis abfurdis, neque alieni a Græcorum
effent inftitutis, ut de illis meritò dici pof-
fet, quod de fe ingeniofiffimus Poëta [e] dixit

..... barbaria eft grandis habere nihil

Sed pofteaquam rebus profperis mirabili-
ter auctâ potentiâ Afiam fubegerant, Euro-
pamque partim in poteftatem redegerant;
partim rerum geftarum gloriâ compleverant;
non folùm Græci habiti funt, fed etiam Dii,
quum Athenienfes Regem eorũ Demetrium
inter [f] duodecim Deos effe ponendum de-
creverint. Idem accidit Romanis; quam-
diu potuit eorum virtus diffimulari, ne me-
moriâ quidem dignos Græci putaverunt;
ubi ad fummum rerum humanarum fafti-
gium pervenerunt, in Cœlo mores, infti-
tuta Romanorum quodammodo colloca-
runt, ficut in fuperiore differtatione de-
monftravimus. Qua quidem in re, quod
dici poteft ad Græcos excufandos, nec i- 3
pfum culpâ vacat; nam Macedones, & Ro-
manos idcirco Barbaros putaverunt, quòd
initio virtutem ipforum ignorarent; ubi
verò utrorumque virtus in illuftri loco fita
haudquaquam potuit delitefcere, ipfos Bar-
baros appellare deftiterunt, nec a fe alie-
nos exiftimarunt. Nam Barbaros omnis
virtutis expertes, & ab omni fapientiâ, at-
que adeo humanitate putabant abhortere;
fe [g] verò omnis humani juris inventores,
omnium artium laudabilium auctores arbi-
trabantur; fe naturâ liberos, Barbaros na-
turâ fervos; denique inter fe, & Barbaros
tantum, quantum inter Barbaros, & bel-
luas intereffe cenfebant; quod ipfos non
omnino verè, fed aliquâ cum fuperbiæ, &
arrogantiæ notâ aufos affirmare, breviter o-
ftendemus; tum a diverticulo ad Auctorem
noftrum revertemur, & de Homeri ætate
quemadmodum polliciti fumus nonnulla
dicemus. Barbaros igitur, non Græcos au-
ctores fuiffe artium plurimarum, quæ fu-
biiciemus, exempla declarant; & ut ab eâ
arte primùm exordiar, quæ quia lucidiffi-
mum, nobiliffimumque corpus contempla-
tur, clariffima, nobiliffimaque videtur; Af-
fyrii [h], vel, ut aliis placet Chaldæi, vel Æ-
gyptii Aftrologiam principes excogitarunt;
Cares [i] autem nonnullis auctoribus ex a- 4
ftro-

[a] Virgil. libr. 1. Æn. & Tit. Liv. libr. 1. [b] Tit. Liv. libr. 40. [c] Apulejos. [d] Auguft. Confeff. libr. 1. c. 14. [e] Ov. Amor. libr. 3. Eleg. 7. v. 4. [f] Diodor. Sicul. Biblioth. libr. 20. [g] Ariftot. Polit. l. 1.

[h] Joseph. Antiquit. libr. 1. & Plin. libr. 7. c. 56.
[i] Clem. Alexandrin. Stromat. libr. 1.

ſtrorum poſitu futura primi prædixerunt; & qui tanquam Græci ſermonis ignari ab Homero [a] arguuntur, tacitum Cœli, divinumque ſermonem primi intellexerunt. Ægyptii [b] Geometriam, Ægyptii [c] annum in duodecim menſes diſtribuere; Ægyptii leges [d], quibus vetuerunt in templis cum fœminis concumbere, & poſt coitum illotos in templum ingredi; lucernas [e] denique accendere Ægyptii primi docuerunt. Phœnices [f] autem litteras invenerunt, ut Critias apud Athenæum teſtatur hoc verſu [g]

Φοίνικες δ' εὗρον γράμματ' ἀλεξίλογα.

Apis [h] autem Ægyptius medicinam in lucem protulit; Idæi [i] Dactyli ferrum, & æris temperaturam; Iſauri [l], & Arabes auguralem ſcientiam; Etruſci tubam, & haruſpicinam, interpretationem ſomniorum Telmiſſenſes; Phryges autem avium volatus obſervarunt; Cyprii [m] ragulas primi confecerunt, byſſinas [n] veſtes Ægyptii, Samnites clypeos, Illyri peltam, Atlas navem, Carthaginienſes quadriremem, Sidonii triremem, Thraces gladium, qui harpe vocabatur, Amycus cæſtum. Jam in muſicâ Phrygius Olympus modos excogitavit; alius autem Olympus Myſus Lydiam harmoniam, & mixolydiam, & myxophrygiam, & Doricam [o] Thamyris; Satyrus autem obliquam fiſtulam trichordon, vehementeſque modos, & incitatos Arnes & ipſe e Phrygiâ; Troglodytæ ſambucam, Phryges tibiam, Cappadoces nablium, Siculi citharæ genus, quæ Græcis φόρμιγξ appellatur, & crotala. Jam Cadmus auri metalla, & conflaturam primus invenit, bigas [p] Phryges; lanas inficere Pœnorum eſt inventum, capillos tingere [q] Medeæ; & ne pluribus vos morer, pleraque inventa aut ad vitam excolendam utilia, aut ad agendam neceſſaria,
5 ſunt Barbarorum. Sed nec ea quidem, quæ Græci propriè ſibi vindicant, verè ipſorum eſſe reperiuntur; primam [r] in terris urbem Athenas a Cecrope [ſ] conditas, ac Cecropiam dictas fabulantur; quis [t] autem ignorat Belum Babylonem condidiſſe annis pluſquam ſeptingentis, antequam Athenæ conderentur? In Atticâ [u] vinum repertum confirmant; ſed nemini ignotum eſt a Noëmo [x] poſt illud diluvium, quo genus humanum obrutum, demerſumque interiit, & conſitam vitem, & ex ejus fructu vinum expreſſum multis ſæculis priùs, quàm Attica habitaretur. Frugum [y] Cererem inventricem ferunt; ſed quàm falsò, ex eo conſtat, quòd Ceres undecim ætatibus Moſe junior eſſe animadvertitur. Laterariam, & domos principes conſtituiſſe [z] Hyperbium, & Euryalum Athenis tradiderunt; antea in ſpeluncis homines habitaſſe; ſed id falſum eſſe declarant innumeræ urbes Athenis vetuſtiores: declarant [a] Babylonis muri e latere conſtructi a Semiramide, qui inter ſeptem [b] Orbis miracula reponuntur: declarat columna illa lateritia, quam ab Adami filiis poſitam Joſephus teſtatur, in qua ſiderum motus, poſituſque deſcripſerant. Philoſophiæ denique quia non auctores Græ-
cos agnoſcit? & tamen vetuſtiſſimus eo- 6
rum, qui rerum naturam ſunt contemplati, apud Græcos habetur Mileſius Thales; is autem non Græcos habuit auctores [c] ſapientiæ, ſed Ægyptios, apud quos diu verſatus, ut auctor eſt Jamblichus, omnem illam amplam ſanè, ac reconditam rerum copiam eſt conſequutus; quem imitati [d] Pythagoras, Democritus [e], & Plato [f] ad Ægyptios, Phœnices, Chaldæos, Indos peregrinati apud Barbaros pæne conſenuerunt, & Græciâ digniores evaſerunt, quam ab antiquâ barbarie. Barbaris auctoribus vindicarunt. Quare non rectè apud Euripidem Tyndarus exprobrat Menelao, quod in terrâ Barbarorum diutiùs immoratus Barbarus eſſet factus

Βεβαρβάρωσαι χρόνιος ὢν ἐν βαρβάροις.

Non enim feritatem a Barbaris Græci condiſcebant, ſed humanitatem, ſed bonas artes, ſed rerum cognitionem, & præcipuè civitatum ſcientiam regendarum. Quare &
Solon, ut Plutarchus in ejus Vitâ prodidit, 7
in Ægypto diutiſſimè commoratus eſt; & Lycurgus [g] Iſocrate locupletiſſimo teſte ab Ægyptiis ſaluberrimas, pulcherrimaſque legum ſuarum dicitur accepiſſe; ut non modò artes utiliſſimas vitæ, verùm etiam ſapientiam, juſtitiam, ceteraſque virtutes Græcia Barbaris, ac multò magis felicitatem debeat civitatum. Quæ quum ita ſe habeant, libet quærere, qua de causâ Græ-
ci quum ſint uſi ad omnia Barbaris magi- 8
ſtris, tamen longè ſapientiores fuiſſe videantur. Ac mihi quidem ſingula attentè reputanti, & diligentiſſimè perpendenti, atque examinanti venit in mentem ſuſpicari

[a] Homer. Iliad. 2. v. 867. [b] Herod. libr. 2. Strab. libr. 17. [c] Herodot. libr. 2. cap. 4. & Clem. Alexandr. Strom. libr. 1. [d] Idem ibid. [e] Idem ibid. [f] Herod. libr. 5. cap. 58. [g] Athen. l. 1. [h] Clem. Alexandr. libr. 1. Stromat. [i] Diodor. Sicul. libr. 17. [l] Clem. Alexandr. ibid. [m] Plin. libr. 7. cap. 56. [n] Clem. Alexandr. libr. 1. Stromat. [o] Plin. libr. 7. cap. 56. [p] Plin. ibid. [q] Clem. Alexandr. ibid. [r] Hygin. fab. 164. [ſ] Plin. libr. 7. cap. 56. [t] Euſeb. in Chron. [u] Vid. Diſſert. 46. in Anthol. num. 1. [x] Geneſ cap. 9. [y] Ovid. Metam. libr. 5. & Georg. Cedren. compend. Hiſtor. pag. 24. Edit. Baſil. [z] Plin. libr. 7. cap. 56. [a] Herodot. libr. 1. cap. 179. Strabo libr. 2. & 16. Plin. libr. 6. cap. 26. & Ovid. Metamorph. libr. 4. [b] Martial. Spectaculor. epigr. 1. [c] Diogen. Laërt. libr. 1. in Vitâ Thaletis. [d] Idem libr. 8. in Vitâ Pythagor. [e] Idem libr. 9. in Vitâ Democriti. [f] Idem libr. 3. in Vitâ Platon. [g] Iſocr. in Buſirid. circa princ.

ceteris in rebus Græcos Barbaris pares, aut non multo præstantiores extitisse, eloquentiâ longè superiores fuisse. Hæc una reliquas artes eorum commendavit: hæc eorum scriptis æternitatem peperit: hæc immortalem gratiam conciliavit, & quemadmodum Apelles Protogenis diligentiam, Amphionis dispositionem, mensuras Asclepiodori solâ venustate superavit; ita Græci aliarum gentium multas, variasque dotes eloquentiæ gratiâ vicerunt, & lepore dicendi. Illecebris eloquentiæ condita Græcorum oratio quàm blandè allicit, quàm suaviter movet, quàm jucundè afficit, quantâ cum voluptate etiam asperrima factu præcipit! Floret, & nunquam deflorescet non modò in oratorum sermonibus, poëtarumque carminibus, verùm etiam in Sapientum libris eximius quidam lepor, incredibilisque venustas, quæ nunquam animum expleri sinit satietate legendi. Jam sententiarum gravitas tanta est, tantusque verborum splendor, ut eorum ingenium satis admirari non posse videamur; quare quid mirum, quum omnia orationis ornamentis illustrentur, Græcorum sapientiam enituisse, jacuisse in tenebris Barbarorum, qui hac eloquentiæ luce caruerunt? Et sanè multo-
9 rum apud Barbaros doctrina celebratur, nullius eloquentia; nisi verò eos audire volumus, qui Homerum principem, & eloquentiæ, & litterarum fuisse tradunt [a] vel Ægyptium, vel Cyprium, vel Lucanum, vel Trojanum, vel Romanum, quum satis constet in Græciâ natum. Sed fuit hoc illi quasi fato datum, ut nihil de eo certi afferre possemus, ut qui clarissimus Mortalium haberetur, ejus omnia essent obscura præter nomen, & eloquentiam. Nam ut de Patriâ nihil dicam; quid est obscurius, quàm qua ætate floruerit Homerus, de qua mihi proposui disserendum; siquidem non desunt Auctores, qui tempore Trojani [b] excidii vixisse prodiderunt, bellique, quod scripserit, spectatorem fuisse, quos idem refellit Homerus, qui tempore Trojani belli homines viribus validiores, & mole corporis ampliores fuisse, quàm ii erant, qui eâ ætate vivebant, qua ipse florebat, scriptum reliquit; quod argumentum Vellejum Paterculum movit, ut plusquam ducentis annis post excidium Trojæ Homerum crederet extitisse. Quocirca neque illi audiendi, qui quinquaginta annis bello Trojano statuunt recentiorem, neque illi, qui centum; atque id sibi voluit noster Auctor quum dixit πολλῷ γὰρ ὕστερον ἔτι καὶ τῶν τρωικῶν γενόμενος. Sunt etiam qui Homerum faciunt recentiorem; nam Porphyrius [c] tradit centum triginta annis ante conditas Olympiadas natum; Suidas autem sexaginta sex, a qua opinione non multùm discrepat Vossius in libro de Græcis poëtis, qui circa Olympiadum initium existimat floruisse; & illi, qui æqualem Lycurgo fuisse dicunt, & cum eo etiam familiariter versatum. Nam
Lycurgus vixit ætate Iphiti Olympiadum cõ- 10
ditoris; nisi fortè libet credere [d] Clementi Alexandrino, qui Lycurgum centum quinquaginta annis facit vetustiorem; qui si deceptus est, eo fortasse deceptus, quod duo fuerunt Lycurgi, quorum alter antiquior, alter fuit recentior, & duorum gesta uni tribuuntur. Sed hæc, ut diximus, affirmari pro certis non possunt, & satis est nobis ad Thucydidem explicandum ostendisse, Homerum multò posterius bello Trojano extitisse, cujus rei locupletissimus est ipse testis, qui de eo tanquam re vetustissimâ loquitur.

DISSERTATIO X.

Solis defectus magnopere horrebant Veteres, quamquam Plutarchus affirmet Lunæ, non Solis deliquia terrorem antiquitus incussisse. Interfecto Cæsare Sol per annum caliginosus fuit. Aganice prævidens futuram eclipsem magicum murmur inchoare simulavit, quo persuasit se de Cœlo Lunam deducere; hinc poëtæ illam deduci magicis carminibus fabulati sunt: & in Lunæ defectione æra pulsabantur, ne veneficorum carmina exaudiret. Nicias Lunæ eclipsi deterritus exercitum perdidit; alii verò quamplures imperatores rationem inierunt, qua futurus Lunæ defectus milites non perterrefaceret.

EPicurum [e] Lucretius poëta doctus inprimis, & elegans laudat, quòd animos quasi quibusdam religionum nodis exolverit, mentesque trepidas, & divinum Numen hor-
rentea Deorum metu liberarit. Ineptè qui- 1
dem ille contemptorem sacrorum, divini juris eversorem, hostem sanctitatis, perniciem religionum, labem pietatis, laudibus in Cœlum extulit, & in eorum, quos ipse sustulerat, Deorum numero collocavit. Non enim illud fuit in libertatem homines vindicare, sed longè turpissimæ addicere servituti, justi domini metum excutere nobis jucundum, & salutarem; imponere tyrannidem exitiabilem, & non tolerandam vitiorum; ac perinde fecit Epicurus, ac si quis

[a] Suid. in V. Ὅμηρος, & Leo Alacc. Dissert. de Patriâ Homeri. [b] Suid. in V. Ὅμηρος. [c] Porphyr. apud Suid. ibid. [d] Clem. Alexandr. Strom. libr. 1. [e] Lucret. libr. 1.

quis magistratus omnes e civitate tolleret, Remque publicam populi temeritati committeret. Nam quemadmodum ille non libertatem virtutis civium, sed licentiam effrenem libidini, impunitatemque tribueret; sic Epicurus quum religionem sustulit, non hominum mentes liberavit, sed hac quidem sententiâ effudit præcipites in omne vitium. Quapropter ferenda non est illa [a] Epicuri jactatio

Quare relligio pedibus subjecta vicissim
Obteritur, nos exæquat victoria Cælo

Sed non ineptè quis philosophiam, rectam
2 dico, & de Numine vera sentientem, laudaverit, tanquam vindicem nostræ libertatis, contemptricem superstitionum, expultricem inanium terrorum; quod esse consentaneum veritati cum multa declarant, tum illud maximè, quod antequam philosophia vehementiùs coleretur, quæ naturâ proveniunt, tanquam Deorum irâ immissa timebantur, trepidumque mortale genus aspiciebat, tanquam impendentium malorum signa, quæ nullius indicia calamitatis, præsenti dumtaxat metu nocebant. At-
3 que hujus exemplum rei in Auctore nostro reperitur, qui Solis defectum rem fortasse non magis metuendam, quàm umbram nubium, aut noctem, inter ea numerat, quæ maximè perniciosa, & horrenda dictu Mortales extimescunt; sic enim loquitur scriptor clarissimus:

Τάτε πρότερον ἀκοῇ μὲν λεγόμενα, ἔργῳ δὲ σπανιώτερον βεβαιούμενα οὐκ ἄπιστα κατέστη σεισμῶντε πέρι, οἳ ἐπὶ πλεῖστον ἅμα μέρος γῆς, ϗ ἰσχυρότεροι οἱ αὐτοὶ ἐπέσχον, Ἡλίουτε ἐκλείψεις, αἳ πυκνότεραι παρὰ τὰ ἐκ τοῦ πρὶν χρόνου μνημονευόμενα ξυνέβησαν, αὐχμοίτε ἔστι παρ᾽ οἷς μεγάλοι, ϗ ἀπ᾽ αὐτῶν ϗ λιμοὶ, ϗ ἡ οὐχ ἥκιστα βλάψασα, ϗ μέρος τι φθείρασα ἡ λοιμώδης νόσος

Quæ verba sic latinè convertuntur:

Et quæ priùs fando quidem audita, reapse verò confirmata rariùs fidem sunt assequuta, terræmotus, qui maximam simul terræ partem, & validiores concusserunt, defectusque Solis, qui crebriores, quàm qui alio tempore memorantur, acciderunt; sunt & quidam, apud quos magnæ extiterunt siccitates, a quibus fames, & qui maximè nocuit, partemque Mortalium perdidit, pestilens morbus

Ex quibus apparet inter horribilia maximè, & perniciosa positos ab Auctore nostro Solis esse defectus; nec id sine causâ; ignaris quippe causarum Antiquis non mediocriter Solis eclipses timebantur. Quippe memoriæ proditum est tanto in errore versatos esse Veteres, ut interitum illius clarissimi luminis metuerent, quotiescunque Lunâ subeunte Sol obscurabatur. Quod Pindarus [b], & Stesichorus præstantissimi poëtæ declararunt, quum suum deficiente Sole terrorem nobilissimis versibus testati sunt. Qua de causâ Palamedes, qui, quum Græci Trojam obsiderent, Solis defectum prædixit, ejusque causam demonstravit, maximâ formidine Græcos dicitur liberasse; & Romanis ostentum visum est, quòd in Romuli [c] morte Sol defecisset. Sed minùs fortasse mirandum est ætate Romuli, vel Trojæ temporibus adhuc rudibus hominum ingeniis, quum philosophiæ studia nondum colerentur, terrori fuisse vulgo rem, quæ, si causa ignoretur, prodigio similis habeatur; illud multò mirabilius, postquam philosophia lucem attulerat rebus humanis, vivente Democrito, Anaxagorâ, aliisque Sapientibus clarissimis viris, non exemptum ex animis Mortalium eum errorem fuisse. Quapropter quum [d] Pericles ad bellum cum classe proficisceretur, & interpositu Lunæ Solis lumen oculis adimeretur, ingentem 4
ea res terrorem incussisset Atheniensibus, nisi Pericles ostendisset prodigii loco non magis habendam eam Solis obscuritatem, quàm quum nubes, vel aliud quippiam offecit visui, Solisque conspectum ademit; & Archelaus [e] Rex Macedoniæ, quum Sol defecisset, Regiam clausit, & ut in luctu fieri solet, filium totondit, quemadmodum auctor est Seneca in libro quincto de beneficiis; & Cleonymus Rex Lacedæmoniorum, quum post devictos ad Salamina Persas Isthmum munire esset aggressus, deterritus defectu Solis ab incepto dicitur destitisse. Quare quod Plutarchus in Niciâ confirmavit, 5
Lunæ deliquia terrorem antiquitus attulisse, non Solis; id non omnino consonum veritati debet existimari; quum ipse Plutarchus in Pelopidâ narret Pelopidam, quum adversùs Alexandrum Pheræum immanissimum tyrannum educturus esset exercitum, adeo vehementer esse perturbatum Solis defectu, ut milites conscribere supersederit. Idcirco eruditè [f] Virgilius inter cetera portenta, quæ mortem sunt Cæsaris consequu- 6
ta, Solis eclipsin retulit, & sæculum perpetuam noctem extimuisse dixit his verbis

..... Solem quis dicere falsum
Audeat? ille etiam cæcos instare tumultus
Sæpe monet, fraudemque, & operta tumescere bella;
Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam,
Quum caput obscurâ nitidum ferrugine texit,
Impiaque æternam timuerunt sæcula noctem

Quamvis, ut verum fatear, is Virgilii locus referri possit non ad Eclipsin, qua Lunâ Solis orbem subeunte clarissimum sidus obscuratur; sed ad illam caliginem, qua, quum Cæsar a conjuratis est trucidatus, Sol annum perpetuum obsitus, & obscurus ap-

 paruit

[a] Apud Lucret. libr. 1. [b] Apud Plin. libr. 2. c. 12. [c] Dionys. Halicarn. Antiq. Rom. libr. 1. [d] Plutarch. in Vitâ Pericl. [e] Senec. de Benef. libr. 5. cap. 6. [f] Virgil. Georgic. libr. 1.

paruit; quam tamen Solis obscuritatem defectum, idest Eclipsim [a] Plinius appellat his verbis: *fiunt & prodigiosi, & longiores Solis defectus, qualis occiso Dictatore Cæsare, & Antoniano bello totius pæne anni pallore continuo.* Sed minus propriè loquitur; non enim toto Sol anno defecit, sed continuâ quadam caligine obtectus numquam purum lumen emisit, nec solito calore terram fovit; ideo ferunt frigidam æstatem, autumnumque fuisse, neque fructus tam languido sidere ad maturitatem pervenisse; quemadmodum [b] Plutarchus testatur his verbis:

Καὶ τὸ περὶ τὸν Ἥλιον ἀμαύρωμα τῆς αὐγῆς, ὅλον γὰρ ἐκεῖνον τὸν ἐνιαυτὸν ὠχρὸς μὲν ὁ κύκλος, καὶ μαρμαρυγὰς οὐκ ἔχων ἀνέτελλεν, ἀδρανὲς δὲ, καὶ λεπτὸν ἀπ' αὐτοῦ κατήει τὸ θερμὸν: ὥστε τὸν μὲν ἀέρα δνοφερὸν, καὶ βαρὺν ἀσθενείας τῆς διακρινούσης αὐτὸν ἀλέας ἐπιφέρεσθαι, τοὺς δὲ καρποὺς ἡμιπέπτους, καὶ ἀτελεῖς ἀπανθῆσαι, καὶ παρακμάσαι

Quæ verba ita verti possunt:

Et radiorum Solis hebetatio, nam totum illum annum pallidus quidem Solis circulus, & splendore carens oriebatur; imbecillis verò, tenuisque calor descendebat; ita ut aër caliginosus, & gravis ferretur imbecillitate teporis ipsum disgregantis; fructus autem imperfecti, nec maturitatem assequuti deflorerent, & emarcescerēt Non enim eruditissimo illo sæculo, quo Cæsar est interfectus, in tantâ ignoratione rerum cœlestium homines versabantur, ut Solem æternis conditum iri tenebris existimarent, quotiescunque objectu Lunæ tegeretur; sed Poëta more suo non sæculum præsens aspexit, sed antiquum; quo nondum planè constabat, æternus esset ille siderum splendor, an aliquo casu posset interire, aut languescere, & hebetari ingenti Mortalium sollicitudine; quum & in defectu Solis sempiternas tenebras, atque adeo rerum omnium exitium pertimescerent; in deliquio autem Lunæ etiam veneficia, & magicas artes horrerent. Hinc factum, ut quotiescunque Luna in umbram [c] terræ incurreret, dissono æris, tubarumque sonitu succurrere laboranti sideri conarentur; quum enim Lunam magicis carminibus offendi, obscurarique, & de Cœlo detrahi censerent; ideo æra quatiebant, sonitumque quàm maximum edebant, ut veneficorum carmina a Lunâ minimè exaudirentur. Hoc autem moris Antiquis fuisse testantur nobiles Auctores; Juvenalis [d] quippe sic ait:

Tot pariter pelues, tot tintinnabula dicas
Pulsari; jam nemo tubas, aut æra fatiget;
Una laboranti poterit succurrere Lunæ

Nec aliò respexit libro primo elegiâ octavâ Tibullus, quum cecinit

Cantus & e curru Lunam deducere tentat,
Et faceret, si non æra repulsa sonent

& [e] Manilius, qui sic ait

Sed priùs Eoæ quærunt tua lumina gentes,
Post medio subjecta polo quæcunque coluntur,
Ultima ad Hesperios infectis volveris alis,
Seraque in extremis quatiuntur gentibus æra

& Cornelius [f] Tacitus, qui de Germanici militibus Lunæ defectione perturbatis ita scribit: *igitur æris sono, tubarum, cornuumque concentu strepere, prout splendidior, obscuriorve lætari, aut mærere.* Nec illud poterit esse dubium, quin hujusmodi obscuritatem Lunæ magicis artibus accidere vulgus arbitraretur, quum id Statius [g] affirmet, qui Lunæ deliquia Thessalorum artibus effici sic indicavit:

..... qualis per nubila Phœbes
Atracia rubet arte color......

Cui [h] Plinius astipulatur, qui homines imperitos ita opinari, & ut diximus, opitulari deficienti Deæ scribit his verbis: *& in Lunâ veneficia arguente mortalitate; & ob id crepitu dissono auxiliante.* Quam vulgi opinionem locum fecisse arbitror mendacio poëtarum, quo [i] Lunam Cœlo detrahi veneficorum cantibus prodiderunt; quum enim sidus illud claro repente Cœlo nullis nubibus officientibus visui, nullis impedimentis obstantibus, interdum occuli constaret, idque homines magicis carminibus crederent evenire, non sine causâ poëtæ deduci e Cœlo Lunam magicis artibus fabulati sunt. Alludunt autem ad hoc poëtarum commentum, vel vulgi opinionem cum alii multi, tum Martialis, qui sic [l] ait:

Quæ nunc Thessalico Lunam deducere rhombo

& [m] Tibullus in hoc versu:

Hanc ego de Cœlo ducentem sidera vidi

& Lucianus in Philopseude, qui quædam sacra magica describens his Lunam Cœlo detractam affuisse confirmat. Origo verò tam futilis opinionis repetitur ab Aganice Thessali [n] Hegetoris filiâ, quæ quum Astronomicis rationibus erudita nosset, quo tempore Lunæ defectus esset futurus, tunc magicum murmur se inchoare simulavit, quum Luna cœpit obscurari, eaque ratione mulieribus persuasit se habere vim, potestatemque sideris illius e Cœlo detrahendi, qua de causâ in vulgus manavit, atque inveteravit opinio, qua id fieri posse carminibus arbitrati sunt. Sed hæc levia, & quibus osten-

[a] Plin. libr. 2. cap. 30. [b] Plutarch. in Vitâ Cæsaris in fine. [c] Plutarch. de facie in Orbe Lunæ, & Plinius libr. 2. cap. 12. [d] Juvenal. Satyr. 6. v. 442. [e] Manil. libr. 1. cap. 2. [f] Cornel. Tacit. Annal. libr. 1. num. 28. [g] Stat. Thebaid. libr. 1. [h] Plin. libr. 2. cap. 12. [i] Apollon. libr. 4. Plato in Gorg. Virgil. Eclog. 8. Horat. Epod. Od. 5. & Od. 17. Ovid. libr. 12. Metam. & libr. 2. Amor. Eleg. 1. & in Epist. Hypsipyles Propert. libr. 1. Eleg. 1. & libr. 2. Eleg. 28. Petron. in Satyric. & Stat. libr. 6. Theb. [l] Martial. libr. 9. epigr. 30. [m] Tibull. libr. 1. Eleg. 2. [n] Plutarch. in Conjug. præcept.

stenditur vulgus imperitum dumtaxat Lu-
9 næ defectionibus vehementer solitum com-
moveri; illud verò maximum, quod [a] Ni-
cias peritissimus ille quidem rei bellicæ,
sed infelix Atheniensium Imperator, quum
Siciliam improsperè bello tentatam esset re-
licturus, viso deliquio Lunæ, & eo quasi
ostento deterritus, tam diu cunctatus est,
ut ab hostibus oppressus ingentem exerci-
tum occidione deletum amiserit, qui pœ-
nas profectò dedit philosophiæ, quam ne-
glexerat. Nam si ab Anaxagorâ, quem au-
dire potuerat, didicisset, quibus causis de-
liquium Luna pateretur, non se, Patriamque
suam in summum periculum, tamque
miserias conjecisset. Non [b] ita Dio Syra-
cusanus a Platone doctus; qui quum ad e-
10 vertendam Dionysii tyrannidem proficisce-
retur, & Luna defecisset, non est eâ re per-
turbatus, sed inceptum graviter exequu-
tus miserrimâ servitute oppressam Patriam
liberavit. Nec minùs philosophiæ debuit
Alexander [c] ille Magnus, cui quum idem
accidisset adversùs Darium exercitum du-
centi, haudquaquam commotus est, sed ex-
cogitavit rationem, qua illa defectio Lunæ
Macedonum animos magis confirmaret; &
Sulpicius [d] Gallus, qui quum Lunam præ-
vidisset proximâ nocte defecturam, ne mi-
lites id prodigium ducerent, concessu Du-
cis illos docuit Eclipsem futuram, & qui-
bus de causis soleat evenire; quo quidem
tempore Romani Græcos Græcorum arti-
bus superarunt. Nam quum a Poëtâ [e] præ-
clarissimè dictum sit Cœli meatus radio de-
scribere, & surgentia sidera dicere, non esse
Romanam artem; tamen hac ipsâ arte Ro-
mani Macedones Græcam gentem vicerunt,
qui Lunæ defectione trepidi, tanquam eâ fi-
nis Macedonici regni portenderetur, ob
eam causam minùs alacriter, minusque for-
titer prœlium commiserunt. Ex quo intel-
ligi potest non esse mirum si defectio Solis,
atque Lunæ [f] Thucydidis ætate maximè ti-
mebatur, quum belli Macedonici tempore,
quod annis ferè ducentis quinquaginta post
gestum est, maximè timeretur. Illud mi-
rum, qua de causâ, quum [g] Thales Mile-
sius olympiade quadragesima octavâ Solis de-
fectum prædixerit, hoc est ante Pelopone-
siacum bellum centum sexaginta ferè an-
nis, tamdiu ignorata fuerit eclipsium ratio,
immo quum [h] Anaxagoras teste Plutarcho
ante initium belli Peloponesiaci libellum
ediderit, quo de utriusque sideris defectio-
ne disserebat, quæri potest, cur tanta res,
ac tam facilis intellectu, vulgo non inno-
tuerit, cujus rei causam alio die breviter
exponemus.

DISSERTATIO XI.

*Tempore belli Peloponesiaci quamplures philo-
sophi floruerant, & adhuc florebant. Diver-
sæ fuerunt philosophorum sententiæ de ecli-
psibus cum Solis, tum Lunæ. Lunam pro-
prio lumine non carere multi existimarunt;
quinimo injuriam huic facturi sibi videban-
tur, si eam propriâ luce spoliarent. Socra-
tes accusatus est, quòd Lunam terram esse
existimaret. Multis philosophis pœnæ irro-
gatæ fuerunt. Veteres philosophi, & præ-
cipuè Pythagorici res philosophicas ambagibus
occultabant. Obscurum quid quum significa-
re volumus, obscurius Numero Platonis di-
cimus. Eclipsis nomen Thucydides usurpat,
secus Herodotus, qui noctem pro die esse fa-
ctam dicit, quum vult eclipsem significare.*

THucydidem gravissimum rerum
Græcarum conditorem osten-
dimus non sine causâ, quas e-
clipses Græci vocant, inter ea
posuisse, quæ maximè terrerent
homines, & miraculo proxima viderentur.
Quod ut clariùs probaremus, oppidò mul-
ta protulimus exempla, quibus apertè de-
claratur nostri Auctoris ævo tam Solis,
quàm Lunæ defectus ingentem Mortalibus
terrorem attulisse; cur autem adeo ignari
causarum Veteres, expertesque doctrinæ,
quæ cœlestia contemplatur, eâ tempestate
fuerint, ut rem minimè timendam metue-
rent, hodierno die nos esse dicturos pro-
misimus. Est enim sanè quàm mirum Thu-
cydidis ætate, consequutisque temporibus
prudentissimos viros, imperatoresque cla-
rissimos Solis, ac Lunæ deliquiis perturba-
tos; quasi ea non certâ naturæ lege, sed i-
râ Numinum evenirent; nam si tempora
diligenter putemus, eo sæculo floruisse
Thucydidem apparebit, quo philosophia
non mediocri studio colebatur. Testatur 1
Gellius [i] Auctor non omnino contemnen-
dus Thucydidem annos natum quadraginta,
quum Peloponesiacum bellum exarsit; quo
nondum finito naturę concessisse ex Ammia-
no Marcellino colligi potest; eo verò tempo-
re viri sapientissimi, in philosophiaque pæ-
ne perfecti & floruerant, & floruerunt. Si-
quidem Peloponesiacum bellum cepit anno
primo octogesimæ septimæ Olympiadis ex-
eunte, hoc est post Urbem conditam annis
ferme trecentis, atque triginta; eâ verè
ætate quot excellenti ingenio viri, & quàm
philosophiæ studio nobiles extiterunt! Ex-
titit Democritus ille; is natus est anno 2
ter-

a Plutarch. de Superstit. & in Niciâ. b Plutarch. in Vitâ Dionis. c Arrianus de Expedit. libr. 3. & Q. Curtius libr. 4. d Valer. Maxim. libr. 8, c. 11.

e Virgil. libr. 6. Æneid. f Thucyd. l. 1. g Cic. de Divinat. l. 1. & Plin. l. 2. c. 12. h Plutarch. in Vitâ Niciæ. i A. Gell. libr. 15. cap. 23.

tertio Olympiadis [a] septuagesimæ septimæ, mortuus ætatis anno [b] centesimo nono; quem in philosophiâ quasi Pentathlum quendam esse voluerunt, quòd quemadmodum Pentathli in omni ludorum genere elaborarent, & cæstu, cursu, luctâ, saltu, disco decertarent; ita Democritus & in physicis, & in doctrinâ morum, & in mathematicis disciplinis, & in popularibus sermonibus, & in artibus excelleret: extitit [c] Anaxagoras, quem propter excellentem scientiam [d] mentem nominarunt, qui quum bellum inter Athenienses, atque Peloponesios conflatum est, annum septuagesimum agebat: extitit [e] Empedocles, qui Olympiade octogesima quartâ, & Philosophiæ, & poëticæ laude floruit; & [f] Protagoras, quem non philosophum, non sapientem, sed sapientiam Veteres appellarunt; & Hippias, & Prodicus [g] Chius, & medicinæ parens [h] Hippocrates, & Astronomus Meto, & [i] Socrates ille omnium sapientissimus, qui quamquam philosophiæ partem, quæ sublimia contemplatur, non admodum approbavit, teste [l] Xenophonte, tamen harum [m] rerum oppidò peritus fuisse perhibetur. Quum autem tot, ac tam præstanti doctrinâ, & gloriâ viris illud sæculum ornaretur, quum præcessissent ingentes philosophi, Thales [n] Milesius, Pythagoras [o], Anaximander [p], ejus auditor Anaximenes [q], Xenophanes [r], Parmenides [s], Heraclitus [t], alii pene innumerabiles, mirum profectò videatur non innotuisse vulgo causam rei, quæ tam dilucidè a philosophis explicatur. Quod planè mi-
3 rari desinemus, si cogitaverimus eo tempore nondum inter philosophos penitus constitisse, qua causâ Solis, atque Lunæ defectus existerent. Nam [u] Anaximander Solem orbe quodam ferri tradidit, qui viginti septem partibus terræ magnitudinem præstet; in eo spiraculum esse, quo Solis radii transmittuntur, eo verò occluso Solem obscurari; Heraclitus [x] autem, qui Solem Sca-
1 phæ similem est arbitratus, interdum inverti, ob eamque causam tenebris obduci clarissimum sidus pronunciavit; nec defuerunt, qui fallentes oculorum [y] sensum nubes paulatim congregari, & inter Solem, conspectumque nostrum crederent interponi; quibusdam etiam traditum est in incognitam nobis terræ partem sidus incurrere, cujus interjectu tenebræ nobis offundantur, quod [z] Xenophanem tradunt affirmasse; nec ab hac sententiâ longè abivit Samius [a] Aristarchus, qui quum stare Solem, terram autem moveri circa Solem dixisset, inclinari aliquando eam, & lumen Solis intercipere confirmavit; & [b] Leucippus, qui Solem, & Lunam ideo deficere affirmavit, quòd ad meridiem terra interdum inclinetur. Eadem ferè de Lunæ defectibus opi-
nionum diversitas, eædemque philosophan- 4
tium sententiæ, Anaximene [c] spiraculum in deliquiis obstrui affirmante, quo lumen Luna transmittit; Heraclito, & [d] Beroso converti Lunam, & obscuram sui partem ostendere nobis asseverantibus; Xenophane [e] extingui paulisper existimante. Quæ sententiarum varietas nata est ex eo, quod naturam Lunæ ignorarent; nam quum sidus illud in puro, & purissimæ lucis pleno æthere positum arbitrarentur, non facilè in animum sibi inducebant per se obscuram esse Lunam, & alieno lumine illustrari. Itaque & [f] Anaximander, & [g] Antiphon, & Heraclitus luce suâ lucere Lunam, quemadmodum Solem prodiderunt; & [h] Stoici, quamquam Solis radiis illuminari concederent; tamen non planè expertem luminis opinabantur. Siquidem apud Plutarchum [i] ignem turbidum esse dicunt, & fæculentum; & apud [l] Stobæum Cleanthes ignem esse confirmat; & [m] Posidonius ex aëre, & igne commixtam ejus esse naturam. Licet autem multo ante Milesius [n] Thales carere proprio lumine Lunam confirmarit; & [o] Parmenides luce Solis compleri dixerit; præterea autem Anaxagoras [p] edito libello veram causam eclipsium explicarit; ea tamen opinio nondum obti-

[a] Diogen. Laërt. libr. 9. segm. 41. & Suidas in V. Δημόκριτος. [b] Hipparch. apud eundem Diogen. Laërt. in Vitâ Democr. libr. 9. segm. 43. [c] Apollod. apud Diog. Laërt. libr. 2. segm. 7. in Anaxagoræ Vitâ. Origen. in Philosophicis, & Plin. libr. 2. cap. 58. [d] Plutarch. in Vitâ Periclis, & Diog. Laërt. libr. 2. segm. 6. in Vitâ Anaxag. & Suid. in V. Ἀναξάγορας. [e] Diogen. Laërt. libr. 8. segm. 74. in Vitâ Empedocl. [f] Phavorinus apud Diog. Laërt. libr. 9. segm. 50. in Vitâ Protag. in princip. Ælian. var. Histor. libr. 4. cap. 20. ait appellatum fuisse λόγον, & Clem. Alexandr. Strom. libr. 6. Democritum refert sapientiam appellatum, ut & Suid. in V. Δημόκριτος. [g] Suidas in V. Πρόδικος. [h] Plin. libr. 29. cap. 1. [i] Apollon. apud Diogen. Laërt. libr. 2. segm. 44. in Vitâ Socr. [l] Xenoph. Memorab. libr. 1. in princ. [m] Max. Tyrus Diss. 22. [n] Diogen. Laërt. in Vit. Thaletis libr. 2. segm. 38. [o] Idem libr. 8. segm. 47. in Vitâ Pythagoræ. [p] Idem libr. 2. segm. 2. in Vitâ Anaximandri. [q] Idem libr. 2. segm. 3. in Vitâ Anaximenis. [r] Idem libr. 9. segm. 18. in Vitâ Xenoph. [s] Idem libr. 9. segm. 23. in Vitâ Parmen. [t] Idem libr. 9. in princip. [u] Plutarch. de Placit. Philosoph. libr. 2. cap. 20. & c. 21. & cap. 24. [x] Plutarch ibid. cap. 24. [y] Plutarch. ibid. [z] Apud Plutarch. ib. [a] Idem ibid. [b] Diogen. Laërt. libr. 9. segm. 33. in Vitâ Leucipp. [c] Plutarch. de Plac. Philosoph. libr. 2. cap. 25. & 29. [d] Idem ibid. [e] Gassend. Physic. section. 2. libr. 4. cap. 6. [f] Plutarch. ibid. cap. 25. [g] Idem ibid. cap. 28. [h] Plutarch. ibid. cap. 25. [i] De facie in Orbe Lunæ. [l] Jo: Stob. libr. 1. cap. 25. Eclog. Physic. [m] Idem ibidem. [n] Plutarch. de Placit. Philosoph. libr. 2. cap. 28. [o] Jo: Stob. libr. 1. cap. 25. Eclog. Physic. [p] Plutarch. in Vitâ Niciæ.

obtinebat. Quum autem inter Sapientes es-
5 set tanta dissensio, multò minùs vulgus poterat verum opinari. Accedebat eodem, quòd injuriam homines facturi sibi videbantur præcipuo, terrisque familiarissimo sideri, quo noctes illustrantur, si ipsum propriâ luce spoliarent, & alieno lumine crederent illuminari; ob eamque causam impium censebant hujusmodi quippiam affirmare; itaque in Apologiâ [a] Socratis accusator obiicit sapientissimo viro, quod Lunam terram esse existimaret; quin etiam his rebus inducti philosophiam universam, tanquam Deorum numen tollentem, suspectabant. Declarant id pœnæ, quas philosophis irrogarunt; nam [b] Protagoram in e-
6 xilium ejecerunt; Anaxagoram [c] quamvis architectum Mundi Deum princeps induxisset, & ab omni impietate abhorreret, in carcerem conjecerunt, quo ille vix Periclis potentiâ liberatus est; Socratem [d] autem pietate, sapientiaque præstantissimum virum veneno sustulerunt. Quas injurias ulta philosophia est, & quidem severissimè; nam si nullum gravius hominibus malum ignorantiâ rerum cognitione dignissimarum, nullo modo potuit philosophia punire severiùs imperitos, quàm arcendo eos a doctrinæ sacris, & arcana sua, & mysteria eorum oculis subtrahendo; quod illa diutissimè fecit. Nam antiquitus nullos philosophi libros publicabant; primus Alcmæon
7 Crotoniensis [e] librum de rerum naturâ dicitur edidisse, quemadmodum testatur Clemens Alexandrinus, quod alii fecisse primum [f] narrant Anaxagoram; Themistius autem [g] hujus auctorem rei esse prodidit Anaximandrum. Quæ verò vulgabant, quibus verborum ambagibus, quibus ænigmatis involvebant, ne vulgus hominum imperitorum intellectum eorum assequeretur? Ephesius [h] Heraclitus librum de rerum naturâ conscripsit tantâ obscuritate Sermonis, ut *σκοτεινὸς* quasi *tenebrosus* fuerit appellatus; nec majore perspicuitate loqutus esse fertur Syrius [i] Pherecydes in libro, quem de rebus divinis composuit. Pythagoricos autem quis nescit ambiguis dictis, & perplexis, & obscuris philosophiam occultasse, qui, ut auctor est Clemens [l] Alexandrinus, Proserpinæ canes appellarunt stellas erraticas; Saturni lacrymam, mare; multaque alia eodem modo, quæ si proferantur, absurda possint videri. Quas orationis tenebras, atque involucra quum illustrare, atque explicare esset [m] aggressus Hipparchus, e Pythagoreorum cœtu ejectus esse dicitur, quasi tacenda proloquutus, eique columna tanquam mortuo constituta est; tanta illis viris fuit cura, ne quæ divino ingenio Pythagoras invenerat, evulgata vilescerent. Quo studio occultandi
veritatem arbitror factum, ut multæ sanequam absurdæ, perque ridiculæ sententiæ Pythagoræ tribuantur. Cujusmodi illa est, quam refert Ælianus, qui Pythagoram tradit existimasse terræmotum non aliud esse, quàm animarum in hanc vitam migrantium tumultum, quas ejus auditores vulgasse autumo, ne veras Præceptoris opiniones edere cogerentur. Nec eam causam verisimile est Pythagoræ tantùm fuisse, ut aliena a sapientiâ suâ dixisse videretur; sed aliis etiam philosophis pæne universis, quando omnibus apparet curam fuisse occultandæ sententiæ. Extat apud Sextum Empiricum initium operis, quod Parmenides edidit, his figuris, quas allegorias Græci vocant, refertissimum; multa verò Empedoclis carmina recitantur, quibus Oedipo interprete opus esse videatur. Jam apud Platonem multa in convivio, in Phædro, in Phædone, in legibus per allegoriam dicta reperiuntur. Numerus autem Platonis tam est obscurus, ut quum [n] rem obscuram significare volumus, obscuriorem numero Platonis esse dicamus: jam Aristotelis [o] quidam sermones appellati sunt *ἐσωτερικοὶ*, quidam *ἐξωτερικοὶ*, quorum alteros cum multis, alteros cum paucis communicare consueverat; jam & Zeno Stoicorum Princeps, & Epicurus arcanos quosdam sermones [p] habuerunt. Quod a summis viris consilio summo est usurpatum, ne videlicet sapientiæ præcepta vulgata contemnerentur, & quæ ipsi excogitaverant, aliis hominibus, quàm suis auditoribus, proderentur. Quod ipsis utile institutum,
damnosum Reipublica fuit; siquidem mul- 9
ta, quæ cognita prodesse potuissent, ignorata nocuerunt. Non igitur mirum, si quum a philosophiâ peti deberet cognitio defectuum Solis, & Lunæ, & philosophia, quæ invenerat, in vulgus haudquaquam soleret efferre; vulgò, qua de causâ Sol, & Luna deficerent, nesciebant. Cujus tamen rei Thucydides rationem minimè ignoravit; siquidem libro secundo Solis deliquium non posse contingere manifestò docet, nisi Luna cum Sole coëunte; quo tempore laborare dicitur. Sciendum est autem Peloponesiaci belli tempore tres Eclipses contigis-

[a] Plato in Apologiâ Socratis. [b] Diogen. Laërt. libr. 9. segm. 51. in Vitâ Protagor. [c] Idem libr. 2. segm. 13 in Vitâ Anaxag. [d] Idem libr. 2. segm. 42. in Vitâ Socrat. [e] Clem. Alexandr. Stromar. libr. 1. [f] Clem Alexandrin. ibid. [g] Themistius Orat. 15. [h] Cic. de Finib. libr. 2. Clem. Alexandrin. libr. 5. Stromar. & Senec. Epist. 12. [i] Clem. Alexandr. libr. 5. Stromar. Diogen. Laërt. libr. 1. segm. 122. & If. Casaub. ibid. [l] Clem. Alexandr. libr. 5. Stromar. [m] Idem ibid. [n] M. Tull. Cicer. Epist. ad Attic. libr. 7. Epist. 12. [o] Clem. Alex. libr. 5. Stromat. [p] Idem ibidem.

tigisse [a] Solis; ideo noster Auctor confirmavit frequentiores, quàm aliis fuisse temporibus. Illud etiam videor animadvertisse Thucydidem proprio nomine Eclipsem appellare; Herodotum autem eo non uti, quia fortasse nondum erat inventum, sed quotiescunque vult significare Solem defecisse, noctem pro die esse factam [b] affirmare, ut verisimile sit Thucydidis ætate vulgato jam Anaxagoræ libro eclipsium causam fuisse notiorem, quàm Herodoti tempore, quo non solùm causa rei, verùm etiam nomen ignorabatur.

DISSERTATIO XII.

Quæ cum Septima est conjungenda, qua de belli, quod Thucydides narrat, nomine, ejusque causis disceptatur.

Omnes ferè, qui Respublicas everterunt, aut ære alieno oppressi, aut magnis sceleribus inquinati erant; quapropter etiam Periclem quidam tradunt Peloponesiacum bellum excitasse, ne sumptuum rationem reddere cogeretur; sed profectò falluntur. Nulla res magis in officio continet imperia, quàm metus hostium, eo autem sublato dissolvitur disciplina; & inde bella civilia oriuntur; itaque longè prudentior fuit Scipio Nasica, qui auctor semper servandæ Carthaginis fuit, quàm Cato, qui extindendam censuit.

Est illud ab [c] Aristotele sapienter dictum, tunc nos omnibus numeris absolutam rerum assequi scientiam, quum earum initia, causasque non ignoramus; nullumque veriùs inter indoctum, & sapientem esse discrimen, quàm quod ille res tantummodo videt; rerum causas aut negligit, aut non intelligit; hic autem, unde quæque oriantur,
1 quibus principiis constent, qua ratione efficiantur, sibi esse putat indagandum. Neque enim illi satis est perspicere hunc ornatum Mundi, hanc immensam, & admirabilem Universi molem, tot sidera partim errantia, partim certo, constantique cursu labentia, tantam aquarum vim, tantam aëris, terræque magnitudinem; sed longiùs animo progreditur, & quibus principiis hæc universitas rerum coaluerit; an ea corporeâ naturâ constent, an corporis expertia debeant haberi; quis ille rerum molitor, quod exemplar aspexerit, quibus causis motus universa fuerit fabricatus, investigat, eodemque modo singula contemplatur. Neque enim scire Sapienti sufficit Lunam laborare, Terram tremere, accendi fulmina, grandines, imbresque gigni; sed horum omnium causas quærendas esse censet; investigatio quippe causarum sola Sapientis est, nam ignoratis causis, & rerum naturam ignorari necesse est. Quocirca quicunque tradere aliquid instituunt, ejus causas exponant, oportet, quod [d] Thucydides luculentissimè fecit, qui bellum scripturus, quod adversus Lacedæmonios gesserunt Athenienses, a causis exorditur, quibus illud ortum est, atque conflatum; nos autem, ut Auctorem nostrum explicaremus, in superiore Dissertatione multa diximus, quibus illustrari posse videbatur; sed quoniam nonnulli scriptores alias hujus belli causas fuisse memoriæ prodiderunt, eas quoque hodierno die breviter exponemus. Sunt igitur nonnulli, qui [e] Periclem summum 2 virum, & suæ ætatis Atheniensium facilè principem vehementer accusant, qui tradunt eum tantum bellum excitasse, ne sumptuum, quos ipse fecerat, Atheniensibus rationem reddere cogeretur. Siquidem Alcibiadem [f] ferunt præstanti indole adolescentem, quum Periclem conventum vellet, eique renunciaretur, non esse otium Pericli; cogitare quippe secum, quo pacto Atheniensi populo rationem impensarum redderet; Alcibiadem verò dixisse, quin potiùs cogitat, quo modo non reddat? eoque dicto admonitum Periclem confundere omnia bello, ac perturbare concupivisse, ne repetundarum accerseretur. Nec illi difficile tantam belli ciere molem, quum & auctoritate summâ præstaret, & prudentissimus haberetur, eloquentiâ verò adeo valeret, ut tonare [g], fulminare, ac permiscere Græciam diceretur; quibus ingenii, ac fortunæ præsidiis instructus cives ad bellum suscipiendum facilè potuit incitare. Quæ sententia eorum est, qui rem magis aspiciunt, quàm hominem; sæpenumero quippe usuvenit, ut homines turbulenti, quum in an- 3 gustias rei familiaris incidissent, quum tantis sceleribus sese obstrinxissent, tantum æs alienum contraxissent, ut salvâ Republicâ salvi esse non possent, suas civitates in bella conjicerent, & res novas molirentur. Ita Cæsar dicitur, quum infinitam [h] pecuniam largitionibus, & publicis muneribus profudisset; quum eorum, quæ contra auspicia gesserat, ne rationem reddere cogeretur, timeret, civile bellum concitasse: ita manus illa conjuratorum, quam Catilina

[a] Thucyd. libr. 2. & libr. 4. [b] Herodot. libr. 7. cap. 37. & libr. 9. cap. 10. [c] Arist. Metaphys. libr. 1. cap. 3. [d] Thucydid. libr. 1. [e] Plutarch. in Vitâ Pericl. [f] Plutarch. in Apophtegm. [g] Aristoph. Acharn. Act. 2. Sc. 5. [h] Plutarch. in Cæs. Vitâ.

na ad Rempublicam evertendam comparavit, conflata, atque collecta esse [a] fertur ex hominibus audaciâ, & scelere perditis, qui rem familiarem prodegerant, publicæ inhiabant: ita [b] Clodius quum nefarium stuprum Bonæ Deæ pulvinaribus intulisset, quamvis judicibus corruptis fuisset absolutus; nunquam postea destitit debacchari, & perturbare statum civitatis: ideò Cæsar, quemadmodum [c] Tullius memoriæ prodidit, quum Rempublicam everteret, ære alieno obrutos homines, magnisque sceleribus obstrictos in familiaritatem libentissimè recipiebat: ita Cleon [d] Atheniensis, teste Plutarcho, semper auctor belli fuit, ut in turbidis Reipublicæ temporibus ipsius improbitas delitesceret. Quocirca quodam in loco Cicero [e] jocatur, quum dicat se tantam pecuniam debere, ut acerrimus conjurationis accusator conjurare cupiat. Est enim proprium eorum, quibus impeditæ sunt res privatæ, perturbari, ac misceri velle rempublicam. Quare qui Periclem in-
4 vidiæ flammam, qua se conflagraturum videbat, obruere incendio belli tradunt voluisse, rem fingunt a similitudine veri non abhorrentem; sed minimè ad ejus viri caussam, naturam, integritatemque respiciunt; non enim ille publicam pecuniam averterat, aut in privatos usus converterat, sed opera publica, quàm magnificentissimè extruxerat; Parthenonem [f], Odeum, Propylæa, longos muros, Telesterium, quæ quum urbi maximo essent ornamento, non poterat succensere populus Atheniensis auctori publici decoris, præsertim quum ille continentissimè egisset, & patrimonium non auxisset. An verò ille tantâ eloquentiâ præditus Atheniensibus probare non potuisset impensas, quibus populus alebatur, otiosa multitudo exercebatur, urbis ipsius majestas, & species evadebat digna Græciæ principatu? Propius vero est hanc famam a malevolis, & obtrectatoribus Periclis disseminatam, qui magnis viris nunquam defuerunt. Hi [g] Themistoclem tanquam menda-
5 cem, injustum, Patriæ proditorem; Socratem [h] tanquam impium tradoxerunt: hi Pompejum mollem, Cæsarem [i] impudicum, Ciceronem [l] tumidum, & infidum, Scipionem Affricanum [m] asotum, [n] Catonem ebriosum, Augustum [o] cynædum dixerunt: hi etiam [p] Periclem turpissimis maledictis exagitarunt. & Comici adversus ipsum famâ celebratos Atticos sales exercuerunt. Neque id fanè mirum, nam si in ullâ aliâ civitate verè dici potuit id, quod ajebat [q] Tiberius, in civitate liberâ liberas etiam linguas esse oportere, id usuveniebat Athenis, ubi poëtis fuit summa licentia carpendi summos viros; præsertim eo tempore, quo vigebat antiqua Comœdia, quæ maledictis constabat plerunque conjectis in principes civitatis. Hi poetæ [r] Comici etiam tradiderunt Periclem decretum 6
populi Atheniensis, quo Megarenses omnibus oppidis, & portubus Atticæ regionis arcebantur, noluisse tolli, propterea quòd Megarensibus irasceretur ob raptas Aspasiæ Scorti nobilis ancillas; ut si maledicentissimum quemque Comicorum velimus audire, vir maximus non modò suæ salutis causâ, verùm etiam levissimarum cupiditatum inexpiabili bello Græciam universam implicuisse credatur. Sed hæc a continentiâ viri, & ab ipsius animi magnitudine abhorrent, & a veritate; re quippe verâ, licet Pericles auctor belli gerendi fuerit, non tamen Athenienses 7
tantùm movit eloquentia viri, quantum eæ causæ moverunt, quas Thucydides affert, & alia, quæ occultissimè quidem, sed omnium vehementissimè ad bellum impulit Græciæ civitates; sublatus nimirum metus, qui a Persis imminebat antea. Nulla res magis in officio continet imperia, & Respublicas, quàm hostium validiorum metus; eo quippe sublato dissolvitur disciplina, bella civilia suscipiuntur, amicissimi populi infestis animis inter se concurrunt. Ita quamdiu stetit res Carthaginiensium Romani servantissimi legum, & publicæ disciplinæ; eversâ Carthagine lapsi paulatim mores, donec nihil integri relinqueretur. Ideo [s] Scipio Nasica semper auctor senatui fuit servandæ Carthaginis; qua quidem in re longè prudentior ille, quàm Cato, qui censuit excindendam. Ita iidem Romani postquam omnia vincentibus hostes defuerunt, ad arma civilia compulsi sunt: ita gentes Italicæ nullo unquam tempore cum populis Latinis, populoque Romano majore motu concurrerunt, quam [t] ubi Pyrrho expulso, Hannibale [u] superato, represso [x] Gallorum impetu, Antiocho [y], Philippo [z], atque [a] Perse vi-

[a] Sallust. in Conjur. Catil. [b] Plutarch. in Vitâ Cæsaris, & Ciceronis. [c] Cicer. Epist. ad Famil. libr. 8. Epist. 4. [d] Plutarch. in Vitâ Niciæ. [e] Cic. in Epistol. ad Famil. libr. 5. Epist. 6. [f] Plutarch. in Vitâ Pericl. [g] Plutarch. in Vitâ Themist. [h] Diogen. Laert. libr. 2. in Vitâ Socrat. [i] Suet. in Vitâ Julii Cæsar. cap. 49. [l] Plutarch. in Vitâ Cicer. [m] T. Livius libr. 38. & Plin. de Viris illustr. cap. 49. [n] Plutarch. in Vitâ Caton. [o] Sueton. in Vitâ Augusti cap. 68. [p] Aristoph. in Nub. Act. 3. Sc. 1. & Cratinus in Thressis, & Eupolis apud Plutarch. in Vitâ Pericl. [q] Apud Sueton. in Vitâ Tiberii cap. 28. [r] Aristoph. in Acharn. [s] Plutarch. in Vitâ Caton. Plin. libr. 15 cap 18. Histor. Natur. & cap. 47. de Viris illustrib. & D. Augustin. cap. 21. libr. 3. de Civitat. Dei. [t] Luc. Flor. libr. 1. cap. 18. [u] Tit. Liv. libr. 1. Dec. 3. [x] Luc. Flor. libr. 3. cap. 10. [y] Tit. Liv. libr. 37. [z] Plin. de Viris illustrib. cap. 51. [a] Luc. Flor. libr. 2. cap. 12. & Plutarch. in Vitâ Pauli, & Plin. de Vir. illustr. cap. 58.

se victis, excisâ [a] Carthagine, atque Numantiâ [b], Cimbris [c], Teutonisque [d] deletis nullus externus hostis Italiæ timebatur; tunc mutuis Romanorum, sociorumque cladibus bellum [e] sociale concitatum est. Atque hæc fuit causa, cur eæ civitates,
8 quæ in perpetuo metu versabantur, incorruptiore disciplinâ agerent; sic Massilia in Galliâ, Emporiæ in Hispaniâ quum undique immanium, ac barbararum gentium multitudine cingerentur, ob periculum tutæ, ob metum tranquillæ optimis legibus, & institutis administrabantur. Securitas quippe legum contemptum, & officii negligentiam parit, quæ utraque metu retinentur; qui quamvis a Cicerone malus officii magister nuncupetur; tamen in tantâ imbecillitate humanæ naturæ plus propemodum prodest, quàm recta ratio. Is igitur, donec arma Persarum timebantur, Græcos inter se conjunxit; postquam [f] Dario, ac [g] Xerxe devictis compertum est non esse metuendas Persarum vires, ipsi sibi Græci formidabiles evaserunt. Non igitur Pericles ac-
9 cusandus, neque propriæ utilitatis causâ bellum suscepisse putandus, ad quod Athenienses, & Græciam universam tot, tamque validæ causæ impellebant; immo laudandus est, suspiciendusque, qui tantis opibus Patriæ vires firmarit, tam longè providerit, ut licet Athenienses eo mortuo tam multa peccaverint, & tot expeditiones temerè susceperint, ab ejusque consiliis longissimè aberrarint, tamen [h] integram penè ætatem bellum tolerarint sæpe victores; & ad extremum victi fuerint magis imprudentiâ Reipublicæ administrandæ, quàm armis Lacedæmoniorum. Quæ satis declarant Athenienses, si viri consilia sequi voluissent, clarissimam de hostibus victoriam fuisse reportaturos; ex quo intelligi potest Periclem non privatum commodum, utilitatemque spectantem, sed Patriæ gloriam, & potentiam cunctis anteponentem, auctorem belli suscipiendi fuisse, nihilque libidine, sed prudentiâ summâ moderatum.

DISSERTATIO XIII.

De Pausaniæ morum mutatione, perfidiâ, supplicioque.

Proverbium Staterii paries *significat, ne tacenda proloquamur. Peregrinarum vestium usus maximè offendebat Veteres; necnon siquis molliore cultu incederet. Discincta vita pro solutâ sæpissimè accipitur. Voluptates insolitæ magis animum labefactant, ut multis Lacedæmoniorum exemplis evincitur.*

INsidias parari nobis a fortunâ, quum nimium secundis rebus utimur, & in altissimo gloriæ, & dignitatis gradu collocamur, & verissimè dici, & certissimis argumentis arbitror declarari. Nam voluptates, opes, copiæ, dignitas, potentia animos effeminant, inflant, extollunt; qui plerunque rebus asperis, & fortunæ injuriâ augentur, & confirmantur; & quemadmodum corpus umbrâ, desidiâ, luxuque marcescit; labore, Sole, vitæ duritiâ corroboratur; sic animus fortunæ prosperitate corrumpitur, durissimis rerum exercitus invalescit. Atque hujus rei documenta maxima tulit omnis ætas, omnisque Respublica; sed exemplum præcipuum proponit noster [i] Auctor in Pausaniâ Rege fortissimo Spartanorum, qui cæsis ingentibus Persarum copiis, quum Byzantium venisset urbem omnibus copiis affluentem, & magnitudine rerum gestarum elatus, & loci deliciis delinitus in superbiam, luxuriamque prolapsus est; & quum Patriæ proditionem moliretur, rebusque Persarum studeret, & in suspicionem affectatæ tyrannidis incidisset, in Patriam est ab Ephoris revocatus; & tamen, quum certissimis criminibus accusaretur, & manifestò teneretur, judicibus pecuniâ corruptis est absolutus; ac nisi quod stultissimè animo conceperat, audacissimè exequi perseverasset, omnem invidiæ flammam, qua pæne conflagraverat, evasisset. Hanc historiam Thucydides [l] breviter his verbis indicat alio loco fusius exequuturus.

Ἐν τούτῳ δὲ οἱ Λακεδαιμόνιοι μετεπέμποντο Παυσανίαν, ἀνακρινοῦντες ὧν πέρι ἐπυνθάνοντο, καὶ γὰρ ἀδικία πολλὴ κατηγορεῖτο αὐτοῦ ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων τῶν ἀφικνουμένων, καὶ τυραννίδος μᾶλλον ἐφαίνετο μίμησις, ἢ στρατηγία: ξυνέβη τε αὐτῷ τε καλεῖσθαί τε ἅμα, καὶ τοὺς ξυμμάχους τῷ ἐκείνου ἔχθει παρ' Ἀθηναίους μετατάξασθαι, πλὴν τῶν ἀπὸ Πελοποννήσου στρα-

[a] Plin. de Vir. illustr. cap. 58. [b] Plin. ibid. [c] Tit. Liv. libr. 68. Luc. Flor. libr. 3. cap. 3. & Plutarch. in Vitâ Marii, & Syllæ. [d] Luc. Flor. ibid. & Plutarch. in Vitâ Marii, & Plin de Vir. illustrib. cap. 67. [e] Luc. Flor. libr. 3. cap. 18. [f] Herod. libr. 7. cap. 4. [g] Idem libr. 8. cap. 24. [h] Diodor. Sicul. Biblioth. libr. 12. [i] Thucyd. libr. 1. [l] Thucydid. ibid.

στρατιωτῶν: ἐλθὼν δὲ ἐς Λακεδαίμονα τῶν μὲν ἰδίᾳ πρός τινα ἀδικημάτων εὐθύνθη, τὰ δὲ μέγιστα ἀπολύεται μὴ ἀδικεῖν: κατηγορεῖτο δὲ αὐτοῦ οὐχ ἥκιστα μηδισμός Quæ sic exponuntur *Interea Pausaniam Lacedæmonii accersiverunt in judicium vocaturi rationem redditurum eorum, quæ renunciabantur; nam Græci ab exercitu venientes eum injustè multa fecisse arguebant, videbaturque tyrannum imitari magis, quàm agere imperatorem; fortè autem fortunâ evenit, ut & ipse accerseretur, & illius odio socii ad Athenienses desciscerent, præterquam milites ex Peloponeso; quum autem Lacedæmonem venisset, privatis quidem criminibus, quorum ab aliquo reus agebatur, est condemnatus; maximis autem judicio liberatus, quum præcipuè rebus Medorum studuisse argueretur*

Quam historiam quoniam breviter, satisque obscurè narrat noster Auctor, nos pluribus absolvemus. Quum igitur Pausaniam judi-
2 ces, uti dicebamus, pecuniâ corrupti insontem videri pronunciassent, ipse haudquaquam capitis periculo deterritus cepta exequi statuit; & quum de Patriæ proditione cum [a] Rege Persarum per litteras frequenter ageret, ad extremum sic est deprehensus. Erat quidam Argilius olim Pausaniæ ætatis flore gratus, quem Pausanias maximè fidum sibi ducebat; huic epistolam ad Regem Persarum quum dedisset, Argilius, ut erat sagaci vir ingenio, quum animadvertisset ex his, qui ad Persas essent profecti cum litteris, neminem revertisse, id, quod erat, suspicatus, epistolam resignavit, ut si nihil invenisset, quod ad suam perniciem pertineret, rursus obsignaret, & Regi perferret, lectâ autem epistolâ nefariam Græciæ proditionem contineri videt, & ad extremum additum esse mandatum, quo Pausanias Regi Persarum præcipiabat, ut litterarum latorem interfici juberet. Itaque Argilius Ephoros adit, Pausaniam res novas moliri denunciat, Epistolam ostendit, tanti criminis testem. Ephori quamquam & Argilius non vana afferre videbatur, & Pausaniam servos publicos ad defectionem sollicitasse ipsi Hilotæ deferebant; ne tamen Regem capitis condemnarent, antequam ex ejus ore crimen audirent, Tænarum confugere tanquam supplicem hominem jubent. Erat autem in Tænaro, sicuti Suidas testatur, Neptuni templum, & in eo Asylum eodem confugientium servorum; ibi quum tugurium ædificasset, duos Ephoros occultavit; Pausanias re novâ perculsus hominem adit, interrogat causam subitæ fugæ; ille contra queritur sibi mortem paratam nihil tale merito; se, quum sciret illum de Patriæ proditione quotidie cogitare, nunquam rem ad Ephoros detulisse; Pausanias ea vera fateri, sed hominem bono animo jubere esse, & ad Regem Persarum proficisci, ne rebus impedimento esset, seque antea de eo optimè meritum perditum iret. Quæ quum Ephori audissent, non ampliùs dubitatum, quin Pausanias manifestæ proditionis crimine teneretur; itaque [b] in æde Minervæ, quæ Chalciœcos dicebatur, quò confugerat, inclusum hominem fame necant. Hic fuit exitus viri
alioquin clarissimi indignus quidem rebus 3
ab ipso gestis, dignus scelere nefario, quo Græciam, quam [c] liberarat, Patriamque servitute opprimere conatus est. Factum est autem nescio quonam fato, ut duo fortissimi Græcorum imperatores, Pausanias, & Themistocles eundem exitum vitæ sortirentur; sed [d] Themistocles innocentior, qui non nisi coactus, quum in exilium ab ingratis civibus esset ejectus, & ab omni Græciâ pelleretur, Persarum opem imploravit, & quum Patriam subacturum se promisisset, non sustinuit videre captam urbem, quam ipse restituerat; quocirca [e] tauri sanguine hausto, quemadmodum nonnulli prodiderunt, sibi ipsi mortem conscivit. Ceterùm ut ad Pausaniæ casum revertamur; simile quippiam Staterio cuidam traditur accidisse, qui ea loquutus est testibus, interjecto pariete, audientibus, quibus in judicium protractus capitis damnatus est, unde *Staterii* [f] *parieti* emanavit proverbium, quo admonemur, ne tacenda proloquamur, & redituras in jugulum voces enunciemus. Nec dissimili fraude [g] Sabinus est circumventus, cui, quum de Tiberio multa questus esset, a delatoribus, qui tectum inter, & laquearia sese abstruserant, sermo exceptus causa exitii fuit. Sed hæc non pertinent ad
Thucydidem intelligendum; illud pertinet 4
scire, qua de causâ Pausanias in tantum Græcorum odium incurrerit, & quid tantopere socios offenderit, ut res novas moliri videretur, ac [h] sciendum est illud inprimis insolens visum, & in externos mores hominis degenerantis, quod patrium vestitum cum Medicâ stolâ commutavit; nec id leve antiquitus habebatur. Alexandrum [i] Macedonem non alia magis causa fecit invisum, quàm vestis mutatio. Scipio [l] Africanus, quum in Siciliâ versaretur, in Africam trajecturus Romæ vehementissimè accusabatur, quòd cum pallio, crepidisque gymna-

[a] Diodor. Sicul. libr. 11. Biblioth. & Cæl. Rhodigin. libr. 30. cap. 35. [b] Diodor. Sicul. ibid. [c] Diod. Sicul. ibid. [d] Plutarch. in Vitâ Themist. & Diod. Sicul. libr. 11. Biblioth. [e] Plutarch. in Vitâ Themistocl. [f] Cæl. Rhodig. libr. 30. c. 35. [g] Dion. libr. 58. in princip. [h] Cornel. Nep. in ejus Vitâ. Diod. Sicul. Biblioth. libr. 11. & Athen. libr. 12. cap. 9. [i] Q. Curt. libr. 6. num. 6. & Athen. ibid. [l] T. Liv. libr. 29.

gymnasiis inambularet: nec Heliogabalus Imperator hominum reprehensiones vitavit, quòd amictus veste Syriâ Romæ conspici voluerit. Neque immerito, non enim Veteres tantùm offendebantur, si quis pe-
5 regrinis vestibus uteretur, sed etiam, si quis molliùs, fluxiùsque patrio habitu vestis cultus incederet. Quamobrem [a] Cæsarem ferunt malè audisse, quòd malè præcingeretur; hinc [b] Cicero quum a Cæsare interrogaretur, cur in electione partis errasset, respondisse fertur, præcinctura me fefellit; & Sylla [c] Pompejo dixisse traditur, caveret Cæsarem puerum malè prætextatum. Hortensius [d] autem, Cicerone excepto, clarissimus oratorum traducebatur, quòd molliore veste indueretur: nec Demosthenis κομψὴ illa *χλανὶς, καὶ μαλακοὶ χιτωνίσκοι elegans illa lænula, mollesque tuniculæ* [e] effugerunt hominum reprehensiones; quod ipsum in Mæcenate reprehenditur, cui vestis mollis obiiciebatur, & quòd discinctus incederet; & in Nerone, cujus inter alia probra Dio recenset *ἀζώστους χιτῶνας discinctas tunicas* induisse; molliorem quippe corporis cultum, discinctamque vestem mollis animi, ac discincti argumentum arbitrabantur; hinc discincta vita, pro solutâ luxu frequenter a Senecâ usurpatur. Hinc Satyricus [f] Poëta Nattam discinctum vocat

Non pudet ad morem discincti vivere Nattæ?

& in Jambicis [g] Horatius

Quod aut avarus, ut Chremes, terrâ premam,
Discinctus aut perdam, ut nepos

& Seneca in epistolâ nonagesimâ secundâ altè einctum pro forti accepit, & generoso: *altè cinctum putes dixisse; habuit enim ingenium, & grande, & virile, nisi illud secum discinxisset.* Contra verò eleganter vestem componere laudi ducebatur; sic apud Laërtium [h] Zeno præcipiebat adolescentibus omni modestiâ uti in incessu, in habitu corporis, vestituque, & Plato in Theæteto inter argumenta hominis liberaliter instituti vestem ponit eleganter compositam, & [i] Theocritus Chius Anaximenis amictum, ut ineruditi proprium, reprehendisse dicitur. Quum autem patrii vestitus elegantia tantopere laudaretur, reprehendereturque negligentia, haudquaquam mirum est, si multo magis peregrinus amictus probro ducebatur, & si eâ [l] causâ Pausanias offendit animos Græcorum, quòd Medicâ stolâ uteretur. Sed non solùm mu-
6 tatio vestis ab eo animos hominum abalienavit; verùm etiam difficiles aditus, quos esse proprios Orientis Regum [m] Tacitus testatur; itaque videbatur eorum favere imperio, quorum mores imitabatur. Reprehendebantur & Medi corporis stipatores, & epularum splendidus apparatus, & superbia, & luxus, & fastus; quæ tanto in eo graviora putabantur, quantò magis ab anteactâ vitâ abhorrebant; siquidem mirificâ vitæ modestiâ, & continentiâ egerat; cujus argumentum est non vulgare, quòd mulierem captam eximiâ formâ, ac venustate inviolatam remisit. Sed profectò nihil est tam fluxum, tamque mutabile, quàm 7
hominis ingenium, præsertim ubi assuetum vitæ severiori transit ad molliorem; neque verò ulla res animum ita labefactat, ut insolitæ voluptates. Quare non sine causâ Plato in legibus præcipit, ut expertes omnino voluptatum esse nolimus; sed cautè eum his congrediamur, & quasi adversùs validum antagonistam exerceamur; ne si quando undique circumfusæ nos aggrediantur, insolentiâ earum turpiter supplantemur. Et sanè constat intolerantiores esse voluptatum populos, qui nimis adstrictâ disciplinâ domi vivunt, quàm qui solutiore; qua de causâ Spartanos legimus, quum diutiùs apud exteros morabantur, turpiùs, quàm ipsos voluptatibus indulsisse. Ita [n] Rex La- 8
cedæmoniorum Archidamus quum externas delicias primùm degustavit, mollissimè vixit: ita Pharax [o] Lacedæmonius tam incontinenter egit, ut magis ob intemperantiam Siculus, quàm ob Patriam Spartanus putaretur. Ideo prudenter Lacedæmonii, ne sui Imperatores in externos mores delaberentur, successorem Pausaniæ mittere noluerunt, & Græciæ imperium ad Athenienses transferri maluerunt, quàm corrumpi suos cives; quos utinam essent imitati Romani, non Asiâ devictâ devictarum gentium mores induissent; & Macedones, qui paucissimis annis Persis, quos domuerant, similiores, quàm Majoribus evaserunt. Sed fuit id fatale populis bene institutis, ne illorum imperium esset æternum, & victores pariter, victique vincerentur; sic visum illi, qui, ut [p] ait Horatius, gaudet ima summis mutare, & insignem, obscura dum promit, attenuat.

D. I. S.

[a] Dio libr. 43. Histor. Roman. & Suet. in Vitâ Jul. Cæsar. cap. 42. [b] Macrob. Saturnal. libr. 2. cap. 3. [c] Suet. in Vitâ Cæs. cap. 42. & Macrob. ibid. & Dio libr. 43. [d] A. Gell. libr. 1. c. 5. [e] A. Gell. ibid. [f] Pers. Sat. 3. vers. 31. [g] Horat. in Epod. Od. 1. [h] Diog. Laërt. libr. 7. segm. 22. in Vitâ Zenonis Citiei. [i] Athen. libr. 1. cap. 18. [l] Cornel. Nepos in Pausan. [m] Cornel. Tacit. libr. 2. Annal. n. 2. [n] Theopompus apud Athen. l. 12. cap. 9. [o] Idem apud eundem Athen. ibid. [p] Horat. libr. 1. Od. 34.

DISSERTATIO XIV.

De Cylone Atheniensi, ejusque cæde; De Epimenide, qui Athenas lustravit.

Epimenides ab aliquibus inter septem Sapientes collocatur, excluso Periandro, utpote tyranno; sed Plato Mysonem inter eos statuit, alii Anacharsin, alii alios. Epimenides quinquaginta septem annos dormivit, & sapientiam suscepit; inde ad centesimum quinquagesimum ætatis annum pervenit; vocatur Græcorum propheta a Divo Paulo, & ejus versus citatur. Extant exempla multorum, qui pestem, aut grandinem avertisse dicuntur; necnon ventos evocarunt, aut prohibuerunt; Æacus verò pluviam impetravit. Expiationibus adhibebantur oleæ rami, aqua, sulfur, ova, sal, & laurus.

PRosperis homines rebus efferri, & indulgentiâ fortunæ elatos præcipites in summa scelera, summasque miserias ferri sapientissimorum hominum dictis, & exemplis cum antiquis, tum recentibus admonemur. Ideo [a] Simonides ille non solùm poëta suavis, sed philosophus præstans, quum a Pau-
1 saniâ Rege Spartanorum convivio esset exceptus, & inter epulandum aliquid dicere sapienter juberetur, dixisse fertur: memento te esse hominem. Videbat nimirum Pausaniam rebus adversùs Medos feliciter gestis altiores spiritus concepisse, quàm ut moderari felicitati suæ posset. Neque eas res falsum habuit sapientem virum; nam quum Pausinias dictum contempsisset, & imperium Græciæ occupare moliretur, & intolerandam superbiam præ se ferret paulo post ab Ephoris condemnatus, quum in ædem Minervæ confugisset, quod [b] miserrimum est mortis genus, fame vitam finivit; quoquidem tempore Simonidis, quem contempserat, dicitur meminisse. Sed de Pausaniâ satis dictum a nobis alio die, nunc ad aliud exemplum venio humanæ superbiæ, quod a Thucydide in primo libro historiarum proponitur. Cylon Atheniensis,
2 ut erant ea tempora, satis dives, & fortunatus fuit; is ut non modò generis claritate, sed etiam virtute nobilis haberetur, in Olympicis ludis certavit, & coronam, qua nulla præclarior in Græciâ ducebatur, est consequutus; qua nobilitatus, quum de se magnificè sentiret, uxorem duxit filiam Theagenis, qui Megaris eâ tempestate injustè regnum occuparat, & quum Tyranni affinitate fortunam tyrannorum admirari didicisset, Patriæ libertatem eripere constituit. Sed quia nulla res ferè majoris momenti tunc temporis gerebatur, quin Delphicum oraculum prius consuleretur, Deum scitatus est, quo tempore, quoque modo rem aggredi deberet, a quo responsum accepit, ut in maximâ Jovis celebritate arcem occuparet. Quum autem Olympia agerentur, ratus Cylon eos ludos maximam dici Jovis celebritatem, missâ a Theagene Socero satellitum manu arcem occupavit; sed quum populus Atheniensis ex agris undique concurrisset ad arcem recuperandam, Cylonisque satellites obsedisset; Cylon quidem ex arce clam fugit, & in exilio vitam miserrimè egit; alii verò quum ad aram Minervæ confugissent, nullo religionis respectu jugulati sunt. Quo scelere contactâ civitas quum diuturnâ seditione laboraret, vate- 3
sque superstitione, & terrore complerent omnia, passimque canerent admissum piaculum, urbem lustrandam, propitiandum Deorum Numen, accersitus Athenas Epimenides Cretensis vir sapientiâ clarus inprimis, qui quibusdam sacrificiis adhibitis urbem expiavit. Hanc historiam partim noster [c] Auctor, partim Plutarchus in Solone perscribit; qui etiam addit satellites Cylonis Megacle suadente ad caussam dicendam in forum descendisse manu filum tenentes, quod ipsi ad aram Deæ alligarant, quo sponte rupto, tanquam Dea eorum supplicationem repudiante, a Megacle sunt interfecti. Quod consultò noster Auctor prætermittit, ut vanum; neque enim portentis narrandis lectorum voluptatem aucupatur; sed nudam veritatem sequitur, quam amœnis narrantiunculis distinguere haudquaquam putat historicæ gravitati convenire. Qua de caussâ neque Epimenidis mentionem fecit, quum multa de eo mira posset memorare;
nam fuisse dicitur [d] Epimenides Baltæ nym- 4
phæ Cretensis filius Phæstio natus tantâ sapientiâ præditus, ut ab ejus ætatis hominibus tanquam unus ex antiquis illis Curetibus, quos principes divini intelligendi Sallustius [e] fuisse prodit, suspiceretur. Nec desunt [f] Auctores, qui inter septem Sapientes Epimenidem collocent excluso Periandro, quem utpote tyrannum stultissimum judicant; quamquam Plato [g] id honoris tribuit Mysoni, alii [h] Anacharsi Scythæ, alii

Acu-

[a] Ælian. Var. Histor. libr. 9. cap. 41. [b] Hom. Odyss. η. vers. 216. & μ. vers. 342. [c] Thucydid. libr. 1. [d] Plutarch. in Vitâ Solonis, & Diog Laert. libr. 1. segm. 115. in Vitâ Epimen. [e] Sallust. in fragm. apud Lactant. Firm. de falsâ Relig. libr. 1. cap. 21. [f] Clem. Alexandr. Stromat. libr. 1. & Diogen. Laërt. libr. 1. segm. 41. in Vitâ Thaletis. [g] Plato in Protagorâ. [h] Clem. Alexandr. Stromat. libr. 1.

Acusilao [a] Argivo, alii [b] Pherecydi Syrio. De hoc Epimenide id narratur mirabile; puerum itinere, & æstu fessum in Antrum secessisse, & ibi solidos annos obdormivisse [c] quinquaginta septem, ac deinde expergefactum rerum mutationem mirantem, hinc pari dierum numero consenuisse, & ad [d] centesimum quinquagesimum ætatis annum pervenisse; nec illud soporem fuisse nonnulli autumant, sed [e] mentis e corpore quemdam excessum, & peregrinationem, altissimamque rerum cœlestium contemplationem, &, ut verbo absolvam, sapientiam omnibus numeris absolutam. Eodem modo Pythagoram scribunt decem annos latuisse, Zoroastrem viginti. Et sanè
5 dignus est habitus Epimenides, qui in spectandis divinis diutissimè versaretur, hinc a [f] Platone vir divinus appellatur in legibus; quin & veræ doctrinæ, & religionis princeps [g] Paulus Græcorum propheram vocat, quo loco citat Epimenidis versum, qui ad hunc modum se habet

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί

Quam ille famam non sine causâ est consequutus; nam & [h] Munychiam plurimorum malorum Atheniensibus causam futuram prædixisse fertur; & [i] Persarum bellum, quum Græciæ jam immineret, divinis rebus procuratis dicitur distulisse; tantâ verò [l] continentiâ egisse, ut, quum ei passim tot honores, & dona ab Atheniensibus congererentur, omnia recusarit, & nihil aliud poposcerit, quàm oleæ sacræ ramum, ex qua victoribus in Panathenaicis corona donabatur, quam moriam dicunt.
6 Sed præcipuum opus Epimenidis fuit Atheniensibus Deorum cultum ostendere, & religionem veterem emendare, urbemque trepidam, & Cylonio scelere obstrictam superstitionum terriculis, & vatum minis liberare. Quod ipsum non tam re ipsâ, quàm opinione hominum arbitror consequutum; non enim ro verâ imminentia mala, ultoresque scelerum Deos poterat averruncare, sed potuit, quia posse videbatur; quum enim castus, & sanctus, Diisque, quos placabat, simillimus crederetur, acceptus cœlestibus homines arbitrabantur, quæ ille sacrificia perageret, quasque victimas immolaret, ob eamque causam civitatem a præterito metu, atque tristitiâ ad meliores spes, cogitationesque lætiores erexit, ac revocavit. Nisi verò quis arbitretur fuisse quasdam potestates, quas Numina Veteres appellabant, quæ sui cultu delectarentur, hominesque ideo perterrefacerent, ut iis honoribus afficerentur; credatque a veritate non abhorrere, quæ prodigiis propiora in hoc genere narrantur ab historicis, neque enim desunt exempla, quibus hæc opinio affirmetur. Nam [m] Diotimam ferunt, quæ in
7 symposio laudatur a Socrate, pestem jam impendentem quibusdam sacrificiis distulisse; & nonnullos esse vates circa [n] Cleonas, qui grandinem imminentem prævidentes, carminibus, & victimis avertant calamitatem ab agris, & Cœlo serenitatem reddant. Sed & illud memoriæ [o] proditum Aristæum, quum Etesiæ venti non spirarent, & immodico æstu segetes corrumperentur, animalia interirent, ventos evocasse. Sed [p] & Empedocles dictus est *Κωλυσανέμας*, seu *Pausanemas* quòd quum circa Acragantis muros incolis pestilens flaret ventus, ipsum compressit; quamquam id [q] Plutarchus ad naturalem causam refert, qui speluneam immanem ab Empedocle esse tradit obstructam, unde pecori, atque hominibus spiritus ille noxius erumperet; & Græci, quum Xerxes [r] ingenti illâ classe Græciam invasisset, admoniti oraculo ventis rem divinam fecerunt; qui quum adversi perflassent Persarum, secundi Græcorum navibus ad victoriam consequendam plurimùm Græcis profuerunt. Quod autem de Æaco [f] Isocrates memoriæ prodidit, longè mirabilius 8
est, qui quum Græcia gravi æstu laboraret, omnesque fructus humoris inopiâ interirent, Græcorum precibus fatigatus ascendit in montem, & quum supinas tetendisset ad Cœlum manus, pluviamque poposcisset, extemplo tonitrus auditus ingens, collectæ nubes, tantus e Cœlo effusus imber, ut totam repente regionem impleverit. His exemplis siquis moveatur, credatque excellentium justitiâ virorum precibus divinum Numen affuisse, habebit auctores non tantùm philosophos profanos, verùm etiam sacros, & Christianæ pietatis principes. Nec deerunt, qui multa prodigia dicant accidisse consilio pravorum Geniorum, quos adorabat antiquitas, ut magis mentes humanæ superstitione sævâ imbuerentur, a quibus

---

[a] Diogen. Laërt. libr. 1. segm. 41. in Vitâ Thaletis. [b] Clem. Alex. Strom. l. 1. [c] Varr. 7. de ling. lat. Diog. Laërt. l. 1. segm. 109. & Plin. l. 7. c. 52. & Plutarch. in libro An seni gerenda sit Resp. at Pausan. in Attic. c. 20 tradit quadraginta annos dormisse. [d] Diogen. Laërt. & Plin. ibid. [e] V. Suid. in V. Ἐπιμενίδης. [f] Plato libr. 1. de legib. [g] D. Paul. Epist. ad Tit. cap. 1. v. 12. [h] Plutarch. in Solonis Vitâ, & Diog. Laërt. libr. 1. segm. 114. in Vitâ Epimen. [i] Plato libr. 1. de legib. [l] Plutarch. libro de Reip. gerend. præcept. & in Vitâ Solonis. Paulo aliter Diogen. Laërt. in Vitâ Epimenid. libr. 1. segm. 111. [m] Plato in Conviv. & Clemens Alexandr. libr. 6. Stromat. [n] Clem. Alex. ibid. [o] Clem. Alexandr. ibid. [p] Clem. Alexandr. ibid. Plutarch. adversùs Colot. & de curiositate, & Suid. in V. Ἀ'μύνδας, & Diog. Laërt. libr. 8. segm. 60. in Vitâ Empedocl. [q] Plutarch. libris iisdem. [r] Herodot. libr. 7. cap. 178. [f] Isocrat. in Encom. Evagoræ, Pind. Nem. 5. vers. 19. & ibi Erasm. Schmid.

bus etiam multas calamitates ob eandem causam verisimile est humano generi importatas; certè constat ab Antiquis certas cæremonias institutas, quibus hæc mala averterent, & expiarent. Sic [a] grassante pe-
9 stilentiâ clavum figendi causâ Dictatorem creabant: ad [b] eandem pestem finiendam scenicos ludos primùm Romæ legimus celebratos: ita [c] quotiescunque lapidibus pluisse esset renunciatum, novendiale sacrum institutum; ad imponendum autem finem bello Apollini [d] ludos instauratos; Matrem Deûm [e] Pessinunte Romam deportatam; sicut [f] Æsculapium Epidauro pestilentiæ causâ. Clemens [g] autem Alexandrinus testa-
10 tur Branchum, quum Milesii pestilentibus morbis vulgò laborarent, urbem lustrasse aspergentem populum ramo lauri, & canentem carmina quædam, quorum erat initium

Μέλπετε, ὦ παῖδες, ἑκάεργον, καὶ ἑκαέργαν

Et [h] Lucanus prodigia, quæ ante Cæsaris civile bellum evenerant, expiasse Romanos urbem cum Pontificibus circumeuntes, aliisque sacerdotibus narrat. Quin etiam certæ res erant, quæ ad homines lustrandos, & expianda scelera pertinebant; nam & [i] oleæ ramos, & aquæ aspersiones in lustrationibus adhibitas legimus; unde Virgilius [l] cecinit

Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ

& alio [m] in loco

Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero......

& sulfur, & ova; Tibullus [n]

Ipseque ter circum lustravi sulfure puro

& [o] Ovidius

Præferat & tremulâ sulfur, & ova manu

& laurum, ex quo Satyricus [p] poëta cecinit

.... cuperem lustrari, si qua darentur
Sulfura cum tædis, & si foret humida laurus

Sed & salem lustrationibus adhiberi solitum Lycophron indicat, quum appellat ἁγνίτην hoc est *habentem vim lustrandi*; unde aquam maris ad purgandum idoneam Proclus testatur, quo respexit [q] Catullus, quum cecinit

Quum facit is patruum, qui non sinit esse maritum?
Ecquid scis quantum suscipiat sceleris?
Suscipit, o Gelli, quantum non ultima Thetys,
Non genitor Nympharum abluat Oceanus:

DISSERTATIO XV.

De Athletarum, qui in sacris certaminibus vicerant, gloriâ; de Athletis etiam pluscula adnectuntur.

Græci majoribus præmiis affecerunt ludicras artes, quàm doctos viros, imperatoresque summos; quos etiam aut exilio, aut morte mulctarunt; nec minùs Romani corruptâ disciplinâ leves artes opibus, & honoribus cumularunt; inopes autem neglexerunt viros ingenio præstantes, & aurigarum studio insaniverunt. Sortitio Athletarum quomodo fieret. Pueri, qui in sacris certaminibus decertabant; erant planè impuberes, non imberbes adolescentes, ut docet Faber. Græci Veteres in certaminibus genitalia præcingebant; primus autem Acanthus Lacedæmonius nudus in stadio decucurrit; mox verò etiam virgines nudas Lacedæmonii decertare coëgerunt. Dionysius Halicarnasseus non rectè arguit Romanos a Græcis originem ducere, quia subligaculis uterentur, quum etiam Barbari omnes pudenda velarent. Athletæ dicebantur victi aut animo, aut corpore.

INter ea, quæ negotium possunt exhibere legentibus Græcorum monumenta, est incredibilis quædam gloria, quam ii consequebantur, qui in sacris certaminibus victores extitissent. Nam quicunque audit fuisse quosdam Græciæ ludos, in quibus, qui superassent adversarios, coronarentur; ex re ludicrâ levem, & ludicram gloriam comparari solitam arbitratur; quum verò animadvertit apud celeberrimos quosque Auctores hujus ludicræ victoriæ mentionem reperiri tam frequēter, fieri non potest, quin accuset levitatem Scriptorum, qui de re tam humili, & contemnendâ toties, & tam seriò putaverint sibi esse memorandum. Hæc autem admiratio oritur ex ignoratione consuetudinis Græcorum, qua victorem citari in publicis ludis præclarissimum habebatur, de quo Græcorum more, quoniam Thucydides nobis offert occasionem, hodierno die dicendum esse duxi. Est autem locus
maximè opportunus; nam [r] Thucydides 1
Cylonem Atheniensem tradit Patriæ regnum affectasse, ad tantam autem spem erectum non solùm nobilitate, opibus, Theagenis, qui Megaris imperabat, affinitate; sed

[a] Tit. Liv. libr. 7. [b] Tit. Liv. ibid. [c] Idem libr. 1. & libr. 25. & 29. [d] Idem libr. 27. [e] Idem l. 29. [f] Idem libr. 10. & libr. 29. & Ovid. Metam. libr. 15. fab. 53. v. 622. & Valer. Maxim. libr. 1. cap. 8. [g] Clem. Alexandrin. libr. 5. Strom. [h] Lucan. Pharsal. libr. 1. [i] Macrob. libr. 5. cap. 7. [l] Virgil. Æneid. libr. 6. [m] Virgil. Æneid. l. 2. [n] Tibull. libr. 1. Eleg. 5. [o] Ovid. de Art. Am. libr. 2. [p] Juven. Satyr. 2. v. 157. [q] Catull. epigr. 89. in Gellium. [r] Thucyd. libr. 1.

Acusilao [a] Argivo, alii [b] Pherecydi Syrio. De hoc Epimenide id narratur miribile; puerum itinere, & æstu fessum in Antrum secessisse, & ibi solidos annos obdormivisse [c] quinquaginta septem, ac deinde expergefactum rerum mutationem mirantem, hinc pari dierum numero consenuisse, & ad [d] centesimum quinquagesimum ætatis annum pervenisse; nec illud soporem fuisse nonnulli autumant, sed [e] mentis e corpore quemdam excessum, & peregrinationem, altissimamque rerum cælestium contemplationem, &, ut verbo absolvam, sapientiam omnibus numeris absolutam. Eodem modo Pythagoram scribunt decem annos latuisse, Zoroastrem viginti. Et sanè
5 dignus est habitus Epimenides, qui in spectandis divinis diutissimè versaretur, hinc a [f] Platone vir divinus appellatur in legibus; quin & veræ doctrinæ, & religionis princeps [g] Paulus Græcorum prophetam vocat, quo loco citat Epimenidis versum, qui ad hunc modum se habet

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσαι, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Quam ille famam non sine causâ est consequutus; nam & [h] Munychiam plurimorum malorum Atheniensibus causam futuram prædixisse fertur; & [i] Persarum bellum, quum Græciæ jam immineret, divinis rebus procuratis dicitur distulisse; tantâ verò [l] continentiâ egisse, ut, quum ei passim tot honores, & dona ab Atheniensibus congererentur, omnia recusarit, & nihil aliud poposcerit, quàm oleæ sacræ ramum, ex qua victoribus in Panathenaicis corona donabatur, quam moriam dicunt.
6 Sed præcipuum opus Epimenidis fuit Atheniensibus Deorum cultum ostendere, & religionem veterem emendare, urbemque trepidam, & Cylonio scelere obstrictam superstitionum terriculis, & vatum minis liberare. Quod ipsum non tam re ipsâ, quàm opinione hominum arbitror consequutum; non enim ea verâ imminentia mala, ultoresque scelerum Deos poterat averruncare, sed potuit, quia posse videbatur; quum enim castus, & sanctus, Diisque, quos placabat, simillimus crederetur, acceptus cælestibus homines arbitrabantur, quæ ille sacrificia peragere, quasque victimas immolaret, ob eamque causam civitatem a præterito metu, atque tristitiâ ad meliores spes, cogitationesque lætiores erexit, ac revocavit. Nisi verò quis arbitretur fuisse quasdam potestates, quas Numina Veteres appellabant, quæ sui cultu delectarentur, hominesque ideo perterrefacerent, ut iis honoribus afficerentur; credatque a veritate non abhorrere, quæ prodigiis propiora in hoc genere narrantur ab historicis, neque enim desunt exempla, quibus hæc opinio affirmetur. Nam [m] Diotimam ferunt, quæ in symposio laudatur a Socrate, pestem jam 7
impendentem quibusdam sacrificiis distulisse; & nonnullos esse vates circa [n] Cleonas, qui grandinem imminentem prævidentes, carminibus, & victimis avertant calamitatem ab agris, & Cœlo serenitatem reddant. Sed & illud memoriæ [o] proditum Aristæum, quum Etesiæ venti non spirarent, & immodico æstu segetes corrumperentur, animalia interirent, ventos evocasse. Sed [p] & Empedocles dictus est Κωλυσανέμας, seu *Pausanemas* quòd quum circa Acragantis muros incolis pestilens flaret ventus, ipsum compressit; quamquam id [q] Plutarchus ad naturalem causam refert, qui speluneam immanem ab Empedocle esse tradit obstructam, unde pecori, atque hominibus spiritus ille noxius erumperet; & Græci, quum Xerxes [r] ingenti illâ classe Græciam invasisset, admoniti oraculo ventis rem divinam fecerunt; qui quum adversi perflassent Persarum, secundi Græcorum navibus ad victoriam consequendam plurimùm Græcis profuerunt. Quod autem de Æaco [f] Isocrates memoriæ prodidit, longè mirabilius 8
est, qui quum Græcia gravi æstu laboraret, omnesque fructus humoris inopiâ interirent, Græcorum precibus fatigatus ascendit in montem, & quum supinas tetendisset ad Cœlum manus, pluviamque poposcisset, extemplo tonitrus auditus ingens, collectæ nubes, tantus e Cœlo effusus imber, ut totam repente regionem impleverit. His exemplis siquis moveatur, credatque excellentium justitiâ virorum precibus divinum Numen affuisse, habebit auctores non tantùm philosophos profanos, verùm etiam sacros, & Christianæ pietatis principes. Nec deerunt, qui multa prodigia dicant accidisse consilio pravorum Geniorum, quos adorabat antiquitas, ut magis mentes humanæ superstitione sævâ imbuerentur, a qui-
bus

[a] Diogen. Laërt. libr. 1. segm. 41. in Vitâ Thaletis. [b] Clem. Alex. Strom. l. 1. [c] Varr. 7. de ling. lat. Diog. Laërt. l. 1. segm. 109. & Plin. l. 7. c. 52. & Plutarch. in libro An seni gerenda sit Resp. at Pausan. in Attic. c. 20. tradit quadraginta annos dormisse. [d] Diogen. Laërt. & Plin. ibid. [e] V. Suid. in V. Ἐπιμενίδης. [f] Plato libr. 1. de legib. [g] D. Paul. Epist. ad Tit. cap. 1. v. 12. [h] Plutarch. in Solonis Vitâ, & Diog. Laërt. libr. 1. segm. 114. in Vitâ Epimen. [i] Plato libr. 1. de legib. [l] Plutarch. libro de Reip. gerend. præcept. & in Vitâ Solonis. Paulo aliter Diogen. Laërt. in Vitâ Epimenid. libr. 1. segm. 111. [m] Plato in Conviv. & Clemens Alexandr. libr. 6. Stromat. [n] Clem. Alex. ibid. [o] Clem. Alexandr. ibid. [p] Clem. Alexandr. ibid. Plutarch. adversùs Colot. & de curiositate, & Suid. in V. Ἀ'μίνδας, & Diog. Laërt. libr. 8. segm. 60. in Vitâ Empedocl. [q] Plutarch. libris iisdem. [r] Herodot. libr. 7. cap. 178. [f] Isocrat. in Encom. Evagoræ, Pind. Nem. 5. vers. 19. & ibi Erasm. Schmid.

bus etiam multas calamitates ob eandem causam verisimile est humano generi importatas; certè constat ab Antiquis certas cæremonias institutas, quibus hæc mala averterent, & expiarent. Sic [a] grassante pe-
9 stilentiâ clavum figendi causâ Dictatorem creabant: ad [b] eandem pestem finiendam scenicos ludos primùm Romæ legimus celebratos: ita [c] quotiescunque lapidibus pluisse esset renunciatum, novendiale sacrum institutum; ad imponendum autem finem bello Apollini [d] ludos instauratos; Matrem Deûm [e] Pessinunte Romam deportatam; sicut [f] Æsculapium Epidauro pestilentiæ causâ. Clemens [g] autem Alexandrinus testa-
10 tur Branchum, quum Milesii pestilentibus morbis vulgò laborarent, urbem lustrasse aspergentem populum ramo lauri, & canentem carmina quædam, quorum erat initium

Μέλπετε, ὦ παῖδες, ἑκάεργον, καὶ ἑκαέργαν

Et [h] Lucanus prodigia, quæ ante Cæsaris civile bellum evenerant, expiasse Romanos urbem cum Pontificibus circumeuntes, aliisque sacerdotibus narrat. Quin etiam certæ res erant, quæ ad homines lustrandos, & expianda scelera pertinebant; nam & [i] oleæ ramos, & aquæ aspersiones in lustrationibus adhibitas legimus; unde Virgilius [l] cecinit

Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ

& alio [m] in loco

Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero......

& sulfur, & ova; Tibullus [n]

Ipseque ter circum lustravi sulfure puro

& [o] Ovidius

Præferat & tremulâ sulfur, & ova manu

& laurum, ex quo Satyricus [p] poëta cecinit

.... cuperem lustrari, si qua darentur
Sulfura cum tædis, & si foret humida laurus

Sed & salem lustrationibus adhiberi solitum Lycophron indicat, quum appellat *ἀγνίτην* hoc est *habentem vim lustrandi*; unde aquam maris ad purgandum idoneam Proclus testatur, quò respexit [q] Catullus, quum cecinit

Quum facit is patruum, qui non sinit esse maritum?
Ecquid scis quantum suscipiat sceleris?
Suscipit, o Gelli, quantum non ultima Thetys,
Non genitor Nympharum abluat Oceanus:

DISSERTATIO XV.

De Athletarum, qui in sacris certaminibus vicerant, gloriâ; de Athletis etiam pluscula adnectuntur.

Græci majoribus præmiis affecerunt ludicras artes, quàm doctos viros, imperatoresque summos; quos etiam aut exilio, aut morte mulctarunt; nec minùs Romani corruptâ disciplinâ leves artes opibus, & honoribus cumularunt; inopes autem neglexerunt viros ingenio præstantes, & aurigarum studio insaniverunt. Sortitio Athletarum quomodo fieret. Pueri, qui in sacris certaminibus decertabant; erant planè impuberes, non imberbes adolescentes, ut docet Faber. Græci Veteres in certaminibus genitalia præcingebant; primus autem Acanthus Lacedæmonius nudus in stadio decucurrit; mox verò etiam virgines nudas Lacedæmonii decertare coëgerunt. Dionysius Halicarnasseus non rectè arguit Romanos a Græcis originem ducere, quia subligaculis uterentur, quum etiam Barbari omnes pudenda velarent. Athletæ dicebantur victi aut animo, aut corpore.

INter ea, quæ negotium possunt exhibere legentibus Græcorum monumenta, est incredibilis quædam gloria, quam ii consequebantur, qui in sacris certaminibus victores extitissent. Nam quicunque audit fuisse quosdam Græciæ ludos, in quibus, qui superassent adversarios, coronarentur; ex re ludicrâ levem, & ludicram gloriam comparari solitam arbitratur; quum verò animadvertit apud celeberrimos quosque Auctores hujus ludicræ victoriæ mentionem reperiri tam frequĕter, fieri non potest, quin accuset levitatem Scriptorum, qui de re tam humili, & contemnendâ toties, & tam seriò putaverint sibi esse memorandum. Hæc autem admiratio oritur ex ignoratione consuetudinis Græcorum, qua victorem citari in publicis ludis præclarissimum habebatur, de quo Græcorum more, quoniam Thucydides nobis offert occasionem, hodierno die dicendum esse duxi. Est autem locus maximè opportunus; nam [r] Thucydides 1
Cylonem Atheniensem tradit Patriæ regnum affectasse, ad tantam autem spem erectum non solùm nobilitate, opibus, Theagenis, qui Megaris imperabat, affinitate; sed

a Tit. Liv. libr. 7. b Tit. Liv. ibid. c Idem libr. 1. & libr. 25. & 29. d Idem libr. 27. e Idem l. 29. f Idem libr. 20. & libr. 29. & Ovid. Metam. libr. 15. fab. 53. v. 622. & Valer. Maxim. libr. 1. cap. 8. g Clem Alexandrin. libr. 5. Strom. h Lucan. Pharsal. libr. 1. i Macrob. libr. 5. cap. 7. l Virgil. Æneid. libr. 6. m Virgil. Æneid. l. 2. n Tibull. libr. 1. Eleg. 5. o Ovid. de Art. Am. libr. 2. p Juven. Satyr. 2. v. 157. q Catull. epigr. 89. in Gellium. r Thucyd. libr. 1.

sed etiam quod Olympia vicisset, & præclaram illam, & ab omni Græciâ expetitam coronam esset consequutus. Sic enim loquitur clarissimus [a] Scriptor

Κύλων ἦν Ἀθηναῖος ἀνὴρ Ὀλυμπιονίκης τῶν πάλαι εὐγενής τε, καὶ δυνατὸς, ἐγεγαμήκει δὲ θυγατέρα Θεαγένους Μεγαρέως ἀνδρὸς, ὃς κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον ἐτυράννει Μεγάρων.

quæ sic latinè transferuntur

Cylon erat Atheniensis vir Olympionices nobilis, & potens, uxorem autem duxerat filiam Theagenis viri Megarensis, qui eâ tempestate Megaris tyrannidem occuparat. Ad quem locum illustrandum ostendam, quantis honoribus afficerentur, & quantâ gloriâ essent, qui in sacris certaminibus coronati fuissent, & præcipuè qui Olympia vicissent; ex quo sermone constabit, cur paulò post maximum Jovis festum Olympicos ludos vocet, deinde nonnulla dicam de iisdem. Et quoniam ab hinc triennium ex hoc loco de sacris Græcorum certaminibus multa verba feci, ea duntaxat attingam, quæ eo tempore prætermisi. Magnum igitur Hieronicarum decus, magnamque gloriam fuisse quis ignorat, qui vel mediocriter fuerit in Græcorum lectione versatus? Quod si De-
2 mosthenes [b] præclarum sibi ducebat oratori maximo, qui Græciam eloquentiâ permiscebat, Regesque potentissimos concionibus perterrebat, unius aniculæ digito monstrari: si princeps Lyrici carminis apud Latinos [c] Horatius amplissimum laborum suorum præmium existimat

Monstrari digito prætereuntium

quantâ Athletæ victoris gloria fuit, qui in plenissimo Theatro, in conspectu pæne totius Græciæ immortali honore afficiebatur, ab omnibus celebrabatur, ab omnibus digito monstrabatur? Quæ solita fieri testatur Lucianus in libro, qui Anacharsis inscribitur, qui sic ait: *& præmia, quemadmodum antea dixi, non parva laudari a spectatoribus, maximèque gloriâ insignem evadere, ostendique digito tanquam suæ ætatis præstantissimum*; quibus astipulatur Dionysius Halicarnasseus, qui sic ait: *his autem immortalis gloria contingit, & unicuique eorum laudes abundè congeruntur, & digito monstrantur, quasi per unam actionem, victoriamque facti sint non unius urbis cives; sed totius Orbis terrarum*. Quin & divinis honoribus affectos idem testatur his verbis: *καὶ ὅτι αὐτοῖς τοῦτο συνέβη, ὅτι πολλοὶ καὶ ἰσόθεοι ἐνομίσθησαν· οἶδε καὶ ὡς θεοὶ τιμῶνται, καὶ τῶν πάλαι* hoc est: *& quod hoc ipsis contigit, ut multi Diis æquales crederentur, nonnulli autem Antiquorum tanquam Dii colantur*; & Lucianus in dialogo de Gymnasiis *isotheus* Athletas victores esse pronunciat; ex quibus intelligi potest, cur dixerit [d] Horatius

...... palmaque nobilis
Terrarum dominos evehit ad Deos

& [e] alio in loco

Sive quos Elæa domum reducit
Palma cœlestes, pugilemve, equumve
Dicit......

Sed non poëtæ modò, sed etiam Dii gentium sibi ipsis æquales Hieronicas putave- 3
runt; siquidem [f] oraculi jussu Deorum immortalium honoribus consecratos accepimus Euthymum pugilem, & Cleomedem; & [g] Euthymum quidem vivum, atque sentientem; ut mihi Diis pares Hieronicas habitos cogitanti referre non libeat, quod ait Cicero in Tusculanis Olympiæ victoriam apud Græcos non minore in honore fuisse, quàm apud Romanos antiquum consulatum; pigeatque dicere tantæ felicitatis eam rem visam, ut [h] Diagoras Rhodius quum tres filios Olympiæ victores declarati, coronarique vidisset, in eorum complexu gaudio expiraverit; nec in argumentum dignitatis afferre consilium sit, quod [i] Aristophanes in nebulis indicat eos, qui vicissent in sacris certaminibus, indutos veste purpureâ, quam Xystida appellabant, curru sublimes in Patriam invehi solitos, quasi triumphantes; satis illa, quæ diximus, Athletarum in sacris certaminibus coronatorum dignitatem declarant. Quæ si fuit in aliis omni-
bus impendiò magna, atque præclara, in 4
Olympiæ victoribus fuit præclarissima, quorum nomine in Græciâ, sicut Romæ Consulum [l] nominibus anni notabantur, quemadmodum ex Diodoro [m] Siculo, aliisque [n] constat, qui quanto ceteris præstiterint, Solonis [o] lex argumento est, quæ Isthmia vincentibus centum annuas drachmas, quingentas constituit Olympia. Quæ quum ita se habeant, non Thucydidis levitas accusanda, qui tanquam magnum aliquid retulerit Olympionicen fuisse Cylonem, sed Græcorum, quibus fatale fuit ludicras artes, & leves majoribus afficere præmiis, quàm graves, & illustres. Sic [p] Thebani
Pindari quidem præcellentissimi Lyricorum 5
poëtarum, qui fuit unicum ferè ornamentum Thebarum, nullam statuam posuerunt, simulacrum autem Cleonis cantoris constituerunt: sic Athenienses Pothino [q] Neurospastæ scenam dederant, ex qua divinas Tra-

[a] Thucyd. libr. 1. [b] Cicero Tuscul. libr. 5. [c] Horat. libr. 4. Od. 3. [d] Horat. libr. 1. Od. 1. [e] Horat. libr. 4. Od. 2. [f] Pausan. Eliacor. poster. sive libr. 6. [g] Plin. libr. 7. cap 47. & Pausan. Eliacor. post. sive libr. 6. [h] Cicer. Tuscul. quæst. libr. 1. [i] Aristoph. in Nubib. Act. 1. Sc. 1. [l] Tit. Liv. in Histor. passim. [m] Diod. Sicul. in Biblioth. pass. [n] Herodot. in Histor. Thucyd. Pausan. Diogen. Laërt. &c. [o] Plutarch. in Vitâ Solonis, & Diog. Laërt. libr. 1. segm. 55. in Vitâ ejusd. [p] Athen. libr. 1. cap. 16. [q] Athen. ibid.

Tragœdias Euripides recitaverat: sic Euriclidis[a] præstigiatoris simulacrum juxta summi poëtæ Æschyli statuam collocarunt: sic Oritæ præstigiatori Theodoro[b] in Theatro imaginem statuerunt; sic Milesii[c] Archelao citharœdo: sic apud[d] Antiochum Regem, quum tot essent summi viri belli, pacisque artibus excellentes, maximis honoribus afficiebatur saltator Archelaus: sic denique[e] Athenienses philosophiæ principem, & parentem veneno sustulerunt, Theseum[f] urbis conditorem, Themistoelem alterum[g] Athenarum conditorem, clarissimos[h] imperatores Milciadem, [i] Aristidem, Alcibiadem, aliosque in exilium ejecerunt; athletas tam immodicis in Prytaneo sumptibus aluerunt, ut eos lege latâ Solon resecare, & minuere coactus fuerit. Nec id
6 Græcorum dumtaxat vitium; omnium populorum est; ubique leves artes, & ludicræ magis a vulgo, quàm severæ, & graves celebrantur; nam ludicræ habent admixtam voluptatem, ideo pronis animis accipiuntur; severæ honestatem, ideo a populo repudiantur. Illa ipsa Roma, ex qua nata gravitas videbatur, non illa quidem integrâ disciplinâ, sed tamen aliquando insanivit aurigarum studiis, & quo tempore [l]

..... celebres, notique poëtæ
Balneolum Gabiis, Romæ conducere furnos
Tentabant .....

aurigæ statuis, & amplissimis præmiis donabantur; & quum[m] Senecas, &[n] Thraseas interficiebat Nero, ipsamque virtutis indolem excindebat, Specillus[o] Myrmillo, & Menecrates citharœdus triumphalium virorum patrimoniis augebantur. Roscius ille Comœdus[p] Ciceronis libris clarissimus mercedem diurnam[q] mille denarios sine suis gregalibus de publico accipiebat; Plautus[r], atque Terentius, quorum ille versus recitabat, & quorum ingeniis placebat, in summâ rei familiaris angustiâ vitam traduxerunt. Marcus[s] Antonius triumvir Anaxenorem citharœdum quatuor civitatum tributis locupletavit; quis unquam historico, aut philosopho tantum dedit? Atque utinam hic mos exolevisset hoc tempore, & artes bonæ colerentur, jacerent malæ, atque ea studia expeterentur, quibus animi, non quibus corporis voluptates efficiuntur! sed nolo de sæculo queri; ad olympicos ludos revertamur. Inter cetera, quæ in his ludis usurpabantur, de quibus nihil diximus, quum Epigramma primum Anthologiæ explicaremus; inprimis digna memoratu est Athletarum sortitio, quæ sic expediebatur. Sortes[t] in si- 7
tulam coniiciebantur, in quibus inscriptæ erant singulis litteræ singulæ, eâ tamen ratione, ut non una solùm littera α, aut β, aut γ sortibus inesset; sed duæ sortes immittebantur, quæ α, duæ quæ reliquas litteras inscriptas haberent, qui autem α, vel β e situlâ extraxisset, cum eo committebatur, qui alterum α, vel β extraxisset; sic reliqua paria componebantur; ac si numerus Athletarum par esset, commodiùs fiebat sortitio; sin autem impar, tùm ille, qui nullum haberet adversarium, cum aliquo certabat, qui imparem litteram esset sortitus, ita plerunque plagis confectus cum intacto, integer viribus cum fesso congrediebatur. Quum autem unusquisque suum adversarium sortitus fuerat, tum certaminis præsides Athletas ad hunc modum exhortabantur: si vobis elaboratum fat.s, ut digni sitis Olympico certamine, nihilque ignavè, nihil humiliter fecistis, ite fidentes. Aderant autem illi, quos[u] μαστιγοφόρες Græci vocant, 8
qui, si quid peccarent Athletæ, eos plecterent; unde legimus cursores, qui, antequam signum daretur, exiluissent, verberibus esse mulctatos. Qua quidem in re celebre Themistoclis dictum memoratur, qui quum auctor esset, ut Græci cum Xerxe quàm primùm confligerent, &[x] Adimantus dixisset: *atqui in certaminibus, o Themistocles, intempestivè exilientes verberant;* respondisse dicitur: *sed nec segniùs procurrentes coronant.* Atque hi certamini præsidebant virgam tenentes in manibus; primum autem in O- 9
lympicum stadium pueri progrediebantur, inter seque certabant, deinde viri; in Pythiis autem pueri cum viris, dispari sanè certamine committebantur; non enim, ut Faber[y] docet, pueri intelligendi sunt imberbes adolescentes, sed impuberes planè; quare[z] Plato in legibus tria constituit certamina, unum puerorum, aliud imberbium, tertium virorum. Nec illud prætermittendum, quod ad alium[a] Thucydidis locum illustrandum pertinet, ubi sic ait: *ἐγυμνώθησάν τε πρῶτοι, καὶ ἐς τὸ φανερὸν ἀποδύντες λίπα μετὰ τὸ γυμνάζεσθ ἠλείψαντο:* nudos Athletas in Græciâ decertasse; quod contra Veterum institutum inductum est. Nam Ve- 10
teres genitalia subligaculis præcingebant

Ll Ho-

[a] Athen. libr. 1. cap. 16. [b] Athen ibid. [c] Athen ibid. [d] Athen. ibid. [e] Diog. Laërt. libr. 2. segm. 42. in Vitâ Socratis. [f] Plutarch. in Vitâ Thesei. [g] Corn. Nep. & Plutarch. in Vitâ Themistocl. & Diodor. Sicul. libr. 11. [h] Cornel. Nep. in Vitâ Milciad. [i] Cicer. Tuscul. quæst. libr. 5. & Plutarch. in Vitâ Aristid. & Niciæ, & Themistoclis. [l] Juvenal. Satyr. 7. v. 4. [m] Sueton. in Vitâ Neron. cap. 35. [n] Idem ibid. cap. 37. [o] Idem ibid. cap. 30. [p] Cicer. de Oratore libr. 1. & pro Sext. Roscio Comœdo. [q] Macrob. Saturn. libr. 3. c. 14. [r] A Gell. libr. 3. cap. 2. [s] Strabo libr. 14. [t] Lucian. in Hermotimo. [u] Petr. Fab. de Re Athlet. libr. 1. cap. 23. [x] Plutarch. in Apophth. [y] Petr. Fab. de Re Athleth. libr. 3 cap. 9. [z] Plato de Legib. libr. 8. [a] Thucydid. l. 1.

Homero [a] teste, qui cecinit

..... cunctis laudantibus acer Ulysses
Pannis præcinxit genitalia, magna, venustaque
Exudans femora, & pectus, validosque lacertos,
At latos humeros.....

Quem morem servarunt Romani semper, ut Dionysius Halicarnasseus libro septimo testatur, quo in loco Romanos a Græcis originem duxisse eo quoque argumento probat; sed id est perquam infirmum, & leve, quum [b] Thucydide teste omnes pæne Barbari in gymnasiis pudenda velaverint; primi autem Lacedæmonii subligacula abjecerunt, primusque [c] Acanthus Lacedæmonius nudus in stadio decucurrit; minimè verò [d] omnium Lacedæmonii in hac re pudori pepercerunt, qui etiam puellas in palæstrâ nudas cum viris cogerent decertare. Nec omittendum certaminum genera fuisse
11 duo, in quorum altero animo Athletæ vincebantur, in altero autem corpore; nam qui [e] pancratio, cæstuque superabantur, tunc pro victis erant, quum se inferiores faterentur, & animo cederent adversariis. Quod eâ de causâ arbitror institutum, ne victores usque ad necem victi procederent, quod in illis certaminibus accidisset, quum essent maximè periculosa; itaque pancratii, & cæstus victoribus ea victoria contingebat, quam maximam Claudianus [f] vocat

..... quæ confessos animo quoque subjugat hostes.

In reliquis autem certaminibus non adversariorum confessione, sed exitu certaminis victoria cernebatur; ideo Lacedæmonii suos
12 cives pancratio, cæstuque decernere vetuerunt; certare verò cursu, luctâ, disco permisere, ne assuescerent animo vinci, seque victos fateri; nam corpore superari, quàm animo damnosum minùs publicæ disciplinæ ducebant; quod [g] Seneca testatur his verbis libro quincto de beneficiis: *Lacedæmonii vetant suos pancratio, aut cæstu decernere, ubi inferiorem ostendit victi confessio; cursor cretam prior contingit; velocitate alium, non animo, antecessit; luctator ter abjectus perdidit palmam, non tradidit. Quum invictos esse Lacedæmonii cives suos magno æstimarent, ab his certaminibus removerunt, in quibus victorem facit non judex, non per se ipse exitus, sed vox cedentis, & tradere jubentis.* Atque hoc est, cur Virgilius in quinto libro Æneidos cetera certamina eventu dijudicata dicat; Entelli, & Daretis cæstu contendentium pugnam Daretis ipsius, qui hortatu Æneæ cessit, concessione diremptam; sic enim [h] loquitur

Infelix, quæ tanta animum dementia cepit?
Non vires alias, conversaque numina sentis?
Cede Deo; dixitque, & prælia voce diremit,
Ast illum fidi æquales.....

Non licebat autem in Olympicis ludis certare, nisi ei, qui matrem, patremque posset ostendere, integramque, & sinceram stirpem generis, ut auctor est Themistius.

DISSERTATIO XVI.

De Palæstris.

Bello utiliores erant exercitationes Romanorum, quàm Græcorum Palæstræ. Ungebantur Veteres ceromate in Palæstris, quod ξηραλοιφεῖν dicebatur, ut distingueretur ab unctione, qua in balneis utebantur; hinc multorum Auctorum interpretatio habetur. Unde in arenam descendere *originem duxerit, & pulvis pro labore accipiatur. Lacedæmonii primi hostium duces pretio corruperunt. Cur Palæstræ non solùm Herculi, sed etiam Apollini, & Mercurio dedicatæ essent.*

NUnc ad Veterum delicias, adversæ valetudinis levamenta, præsidia secundæ, meditamenta belli, pacis ornamenta, Palæstras venio, quæ tanto in pretio Veteribus, & tanto in honore fuerunt, ut magnam vitæ partem in his occupati plerique traducerent; ac nemo vestrûm mihi succenseat, Auditores, si diverticula amœna quærere, & ab instituto opere longiùs videar evagari. Res est enim cognitu dignissima, & ad veteres Auctores intelligendos perquam necessaria, ut non tam delectationis, quàm utilitatis gratiâ debeat explicari; tum autem locus ipse Thucydidis nos invitat, ut hæc de Palæstris Græcorum suscepta disputatio non modò non inutilis, verùm etiam non intempestiva debeat judicari. Nam duas Græciæ civitates Athenas, & Lacedæmonem tradit [i] summus Auctor mutasse plurimùm Veterum mores, & instituta; & Athenienses quidem, quum veteres Græci semper arma gestarent, primos ferrum deposuisse memoriæ prodit, & molliùs, atque delicatiùs vitæ genus instituisse; Lacedæmonios autem in Palæstris primos corpus denudasse. Quod si leve Palæstræ studium fuisset Antiquis, leve id omnino videatur, necesse est, & Thucydides reprehen-

[a] Hom. Odyss. σ. v. 65. [b] Thucyd. libr. 1. [c] Dionys. Halicarn. libr. 7. Antiq. Roman. [d] Xenoph. in Lacedæm. Repub. & Propert. libr. 3. Eleg. 14. Plutarch. in Apophth. & Athen. libr. 13. cap. 2.

[e] Sen. de Benef. libr. 5. cap. 3. [f] Claud. de Sexto Consul. Hon. carm. 28. v. 249. [g] Senec. de Benefic. libr. 5. cap. 3. [h] Virg. Æn. libr. 5. [i] Thucydid. libr. 1.

hendendus, qui de re tam parvi momenti, tanquam in eâ salus Græciæ verteretur, mentionem fecerit; sin autem primam gymnasiorum curam Veteres habuerunt, & his Reipublicæ salutem contineri arbitrabantur, non sine causâ Thucydides quamlibet in his mutationem memoratu dignissimam esse duxit. Ostendam igitur magno studio Græcos gymnasia celebrasse, visamque rem dignam, in qua omnis ætas, & præcipuè juventus elaboraret, ut his exercitationibus corpora confirmata Patriæ munimento, sociis auxilio, hostibus terrori esse possent. Et sanè dubitari non potest, quin, si quod quotidie licet experiri, ignavia [a] corpus hebetat, labor firmat, & in fortibus bellatoribus firmæ, non imbecillæ corporis vires desiderantur, hujusmodi laboribus juvenum corpora exercendo, in pace bellicis rebus plurimum consuleretur. Hinc apud maximum Latinorum poëtarum in egregiè institutâ civitate, quibus ætas laborum patiens, non ignavis indulgent voluptatibus, sed [b]

Ante urbem pueri, & primævo flore juventus
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus,
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent, cursuque, ictuque lacessunt.

& Romani, licet auctore [c] Sallustio, usu militiam discerent, nihilo tamen secius, & ad cursum [d] exercebantur, & ad [e] saltum, & Tiberim nando transmittebant, & palum,
2 vel scuta viminea, tanquam hostem, ferire assuescebant, & incedere gradu militari, & lapides jactare, & plumbatas discebant, & equum ascendere meditabantur; denique nulla militiæ pars fuit, ad quam novi milites rudes, & inexercitati accederent. Laudabiliùs ii quidem, quàm Græci, quantò eorum exercitationes ad belli similitudinem propiùs accedebant; sed & Græci laudandi, qui quum altissimo otio, & diutinâ pace fruerentur, studia belli non omittebant, & exercitationes ad utrunque tempus ita accommodarunt, ut in his multum utilitatis, ac multum etiam inesset delectationis. Nam pulchritudines corporum admirabiles, lectissimorum adolescentium robur, & celeritatem, dexteritatemque cum in cavendis, tum inferendis ictibus eximiam, ac singularem, varios casus, & inopinatos, certantium studia, & alacritatem videre jucundum; assuefacere verò corpora, ut neque pulverem, neque solem, neque frigus, aut æstum, aut laborem, sudoremque nuda refugerent; id verò cum utile corporum salubritati, tum verò Reipublicæ maximè fructuosum. Nihil est enim, quod non exercendo, meditandoque assequamur; & ut [f] Poetæ verbo utar, quasi extundamus. His rationibus motus Plato [g] summus auctor bene instituendæ Reipublicæ gymnasticam pueris exercendam esse præcipit, senibus non omittendam; & Veteres adolescentibus laudi dabant, si Palæstram probè scirent, & in eâ modestè versarentur; nec eum satis liberaliter institutum putabant, qui esset expers Palæstræ. Hinc apud [h] Terentium ita servus adolescentem laudat

Tacent; satis laudant: fac periclum in litteris,
Fac in Palæstrâ, in musicis; quæ liberum
Scire æquum est adolescentem, solertem dabo.

& Aristophanes in Nebulis veteres Athenienses ideo summam in bello tradit gloriam comparasse, quòd & musicam rectè exercerent, & in Palæstrâ verecundè se gererent; huc etiam pertinet, quod Statius puerum his versibus exornavit 3

Sive catenatis curvatus membra Palæstris
Staret, amyclæâ conceptum matre putares

& quod lege sancivit [i] Solon servos μήτε ξηραλοιφεῖν, μηδὲ παιδεραστεῖν hoc est *neque Palæstræ operam dare, neque amori adolescentium;* quo in loco adnotandum est verbum ξηραλοιφεῖν esse compositum ἐκ τοῦ ξηροῦ, & ἀλείφειν quod *ungere* [l] significat. Nam quum 4 etiam in balneis ungerentur, ideo ξηραλοιφεῖν dictum ungi in Palæstrâ, ut discrimen ab unctione balnei notaretur. Et sanè Palæstra Græcis res habebatur liberis digna, non servis; siquidem quemadmodum Plato [m] memoriæ prodidit, sicut ferè omnes musicam, ita post musicam Palæstram discebant; quæ causa est, ut Græcos unctos Horatius [n] appellet in hoc versu

Psallimus, & luctamur Achivis doctiùs unctis

quod est idem, ac si dicas utentes Palæstrâ. Nam in Palæstrâ ceromate ungebantur, hoc est oleo cerâ subactâ; hinc apud Auctores frequens ceromatis mentio; Martialis [o]

Seu lentum ceroma teris.....

& [p] Juvenalis

Endromidas tyrias, & femineum ceroma
Quis nescit?.....

& [q] Plinius libro vigesimoquinto: *plura de hac parte non sum dicturus; non hercules magis, quàm de terræ usu in ceromatis*. Cujus rei Lucianus rationem tradit hujusmodi; *& in luto, & in arenâ se se luctatores exercebant; qui in luto exercebantur, quo magis lubri-*

[a] Cornel. Celsus Medicinæ libr. 1. c. 1. [b] Virg. libr. 7. Æn. [c] Sallust. in Bell. Jugurth. [d] Jul. Capitolin. in Vitâ Maximini. [e] Sil. Italic. libr. 8. & Strabo libr. 5. [f] Virg. libr. 1. Georgic. [g] Plato libr. 8. de legibus. [h] Terent. in Eunucho Act. 3. Sc. 2. [i] Plutarch. in Solone. [l] Suidas in Voce Ξηραλοιφεῖν. [m] Plato in Protagorâ. [n] Horat. libr. 2. Epist. 1. [o] Martial. libr. 4. epigr. 19. [p] Juvenal. Satyr. 6. v. 246. [q] Plin. libr. 25. c. 13.

lubrici evaderent, oleo corpus inungebant; hinc
5 apud Sidonium lubrici dicuntur pugilatu, & nexibus palæstritæ; & apud Martialem libro tertio legitur hoc [a] carmen

Non perdit oleum lubricus palæstrita

Qui verò in arenâ exercebantur, id eo consilio faciebant, ut adversarium tenaciùs apprehenderent, atque in hoc genere Nili pulvis commendatur. Qua in re a scriptoribus Leonati, & Crateri Alexandri Magni comitis luxus notatur, qui Nili pulverem in exercitu secum circumferebant; quemadmodum [b] Ælianus in variâ historiâ testatur, & [c] Plinius, & [d] Athenæus, quos imitatum esse constat Patrobium [e] Neronis Libertum. Ex hoc autem certandi modo aliquot translationes ductæ, ut qui fine cer-
6 tamine vicisset adversarium, ἀκονιτὶ, hoc est *sine pulvere* superasse diceretur, vel, ut Plinius [f] loquitur, citra pulveris tactum; & pulvis pro labore poneretur, qua significatione Statius dixit:

..... *sine me hoc sudare parumper*
Pulvere......

& *in arenam descendere* contritum vulgò proverbium non aliunde manavit. Duorum autem luctæ generum eam tradit Lucianus fuisse rationem, ut in luto qui volutabantur, quamvis lubricum hostem apprehendere assuescerent; qui verò in arenâ, id eâ causâ faciebant, ut effugere condiscerent etiam tenacissimè apprehendentem. Qua quidem in re, sicut in aliis, omnem artem luctstores, omnemque industriam adhibebant, ut & adversarium nexibus impedirent, & his impediti se se exolverent; nec enim magis virium, quàm artis illud certamen fuit. Quare neutiquam probandi Lacedæmonii, qui nullos luctantibus magistros præponebant, ut illud opus virtutis esset, non artis, quò Poëta respexit in Anthologiæ [g] libro primo, qui sic sit:

Ο῎Υτ' ἀπὸ Μεσσάνας, ὔτ' ἀργόθεν εἰμὶ παλαιςάς.
Σπάρτα μοι, Σπάρτα κυδιάνειρα Πατρίς.
Κεῖνοι τεχνάεντες, ἔγωγε μεν, ὡς ἐπέοικε
Τοῖς Λακεδαιμονίων παῖσι, βίᾳ κρατέω.

Quod ego epigramma sic transtuli:

Non ego Messanæ luctator, & editus Argis;
Sparta mihi Patria est prole superba virûm.
Arte illi vincunt, ego vi; Lacedæmone natos
Sic virtute decet, non superare dolo.

Quo in loco gloriatur Athleta Spartanus non sicut ceteros arte, sed robore se victo-
7 riam consequi, quia Spartani omnem e Palæstris artem sustulerant; quasi verò Palæstræ non essent belli meditamenta, & in bello Spartani hostem dolo fallere non solerent; qui, ut Pausanias in Messenicis testis est locupletissimus, primi hostium duces pretio corruperunt. Enimvero qui Palæstras principes excogitarunt, non tam vires in his, quàm ingenium valere voluerunt; neque eas Herculi solùm dedicarunt, sed etiam Apollini, ut Lucianus tradit in dialogo, qui de Gymnasiis inscribitur; & Mercurio [h], qui etiam Palæstræ fuisse perhibetur [i] inventor. Quocirca [l] ἐναγώνιος quasi præses certaminum a Pindaro appellatur, & [m] Horatius ipsi tribuit his versibus inventionem Palæstræ:

Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti catus, & decoræ
More Palæstræ.

DISSERTATIO XVII.

De iisdem Palæstris.

Lampadum ludus quomodo perageretur, ex quo plurium Auctorum loca explicantur; & apparet Vulcanium sæpiùs malè interpretatum esse Arrianum. Nihil egregium sine amore effici potest; ideo in Palæstris, & in ipsâ Academiâ Amoris simulacrum collocatum erat; quare non omnino justè in hoc reprehenduntur Antiqui a Lactantio, & Salviano; quum in Academiâ ridere effusiùs non liceret, & in Palæstris Gymnasiarchi obscenitates coercerent. Solon sanxit, ut, siquis, qui ex ephebis excessisset, in scholis versaretur, capite plecteretur.

THucydidis, quem explicamus admoniti loco, multa diximus de Gymnasiis, Palæstrisque Græcorum, & ad extremum ostendimus Palæstras [n] Herculi, & Mercu- 1
rio, & Apollini dedicatas, quod eo consilio ab Antiquis factum affirmavimus, ut nos docerent corporis vires cum sapientiâ conjunctas esse oportere; nam, ut præclarè Synesius in libro de providentiâ monet, robori copulata sapientia invicta est, atque insuperabilis; Ideo prudenter Ægyptii Mercurii simulacrum duplex effinxerunt, & juvenis formam formæ senis adjunxerunt; quarum altera argumentum est roboris, atque virium; altera verò prudentiæ, quæ in seni-

[a] Martial. libr. 3. epigr. 58. [b] Ælian. libr. 9. c. 3. [c] Plin. libr. 25. cap. 13. [d] Athen. libr. 12. c. 9. [e] Plin. libr. 25. cap. 13. [f] Plin. libr. 35. cap. 11. [g] Anth. libr. 1. epigr. 6. εἰς ἀγῶνας. [h] Pausan. in Messenicis. [i] Hygin. fab. 277. & ult. Diodor. Sic. libr. 5. Biblioth. Lactant. libr. 1. de falsâ Relig. cap. 10. at Pauf. in Attic. auctorem facit Theseum. [l] Pind. in Pyth. Od. 2. vers. 18. & Isthm. Od. 1. vers. 85. [m] Hor. libr. 1. Od. 10. [n] Pauf. in Messenic.

fenibus videtur excellere; nunc de iisdem Palæſtris libet paucula quędam adhuc delibare. Et quoniam Deorum fecimus mentio-
2 nem, quorum fimulacra in gymnafiis Veteres collocabant, non omittendum etiam Cupidinem inter alios Deos in Palæſtris a Veteribus confecratum, ut doctiſſimus interpres Homeri [a] Euſtathius memoriæ prodidit; & in Academiâ quidem, quod gymnafium Athenis celeberrimum fuiſſe dicitur [nam tria Athenis gymnaſia; [b] Academia, Lyceum [c], & [d] Cynofarges, ubi nothi exercebantur] fuiſſe perhibetur fimulacrum Amoris, unde lampada accendebant, qui erant eo ludi genere certaturi. Nec injucundum fortaſſe fuerit vobis, Auditores, fi quomodo id ludi genus Antiqui luderent, explicarim; nec a fuſcepto abhorret argumento, quum in Palæſtria id certamen celebraretur. Curſores [e] igitur curſu quàm maximè poterant incitato lampadem ferebant, & qui ſervaſſet inextinctam, victoriam conſequebatur; fin autem primus curfor accenſam non pertuliſſet, fecundus excipiebat, ac fubinde tertius; ita fiebat interdum, ut omnes certarent, nemo coronaretur, nemo vinceret, omnes vincerentur; genus autem id ludi [f] Athenis Prometheo, & Vulcano, & Minervæ celebrabatur; celebrabatur & [g] Corinthi, & Neapoli. Meminit hujus Lucretius, cujus obſcurus alioquin locus hujus notitiâ certaminis illuſtratur, ubi [h] fic ait:

Et quaſi curſores vitai lampada tradunt

Meminit & Varro, qui fic ait: *non curſu lampada tibi trado*, & Plato in primo libro de Republicâ his verbis: οὐδ' ἴστε, ὅτι λαμπὰς ἔσται ἀφ' ἵππων τῇ θεῷ: *Neque ſcitis Deæ lampadis ludum ex equis celebratum iri*. Sed om-
3 nium frequentiſſimè in hiſtoriâ de rebus ab Alexandro Magno geſtis meminit [i] Arrianus, cujus ideo fecimus mentionem, quòd eum femper Vulcanius eſt malè interpretatus; nam ubi Arrianus habet Ἀλέξανδρος ἔθυσε, καὶ λαμπάδα ἐποίησε, femper vertit: *Alexander facrum fecit multis collucentibus facibus*, quaſi verò λαμπάδα ποιῶν ſignificet accendere faces, & non lampadis ludum celebrare, quemadmodum Suidæ [k] auctoritate declaratur. Sed, ut ad amorem, qui ſtatuebatur in gymnaſiis, revertamur, eo conſilio a
4 Veteribus poſitum accepimus, ut oſtenderent id, quod Cicero in Oratore præclariſſimè dixit; non poſſe quidquam egregium effici, niſi amoris quidam ardor concipiatur;

quo mentes accenduntur cupiditate pulcherrimâ quæque conſequendi, qui nihil arduum fibi putat, nihil autem intentatum relinquit. Et fanè quod eſt in rerum naturâ ſtudium, quæ facultas, aut diſciplina, cujus aſſequi excellentem doctrinam fine mentis ardore poſſimus? aut quem poſſumus nominare excellentem artificem, aut præſtantem philoſophum, qui non amore flagraverit ejus facultatis, quam profitebatur? An verò arbitramur Geometrarum principem [m] Archimedem, quum formis deſcribendis intentus Romanorum gladios contemnebat, Patriamque captam, & direptionis mala patientem non reſpiciebat, non incredibili arſiſſe cupiditate reperiendæ veritatis; an [n] Demoſthenem putamus, quum relicto æqualium cœtu, quum urbis deliciis repudiatis fub terrâ totos menſes ad dicendum fe fe exercebat, non eloquentiam flagrantiſſimo ſtudio concupiviſſe? an [o] Cleanthem, quum irrigandis hortis operam locaret, ut noctibus totis incumbere in ſtudia fapientiæ poſſet, non amore inflammatum philoſophiæ fuiſſe? Id animadvertentes Antiqui in gymnaſiis Amorem ſtatuerunt, quòd eum ducem arbitrarentur ad eas artes, quæ in Academiâ celebrabantur; neque tam ab ejus 5
arâ lampada curſorum accendi, quàm Numine animos pulcherrimarum ſtudio facultatum putabant. Neque enim amor ille fuit turpium cupiditatum; neque qui fimulacrum illud poſuit, ad libidinem adoleſcentes voluit adhortari, qua omne corporis, animique robur enervatur, omneſque nervi veræ virtutis eliduntur. Quamquam non me fugit a Lactantio Firmiano nimis acri 6
objurgatore philoſophorum id conſilium doctorum hominum; quo Cupidinem in Academiâ confecrarunt reprehenſum, qui Palæſtram illam non virtutis theatrum, fed turpiſſimarum cupiditatum fuiſſe cenſet. Nec ignoro Salvianum Palæſtras vehementiſſimè reprehendiſſe, quum dixit: *Quidquid immunditiarum eſt, hoc exercetur in theatris; quidquid luxuriarum, in Palæſtris*. Nec tamen doctiſſimis viris omnino aſſentior, quum & in Academiâ, quam Lactantius reprehendit, verecundiam tam fevere cultam a philoſophis animadvertam, ut in eâ effuſius ridere nemini liceret; & in Palæſtris, quas accuſat Salvianus, pudicitiæ quoque habitam rationem intelligam; teſtatur id Sidonius Apollinaris, qui libro fecundo epiſtolâ fecundâ fic ait: *Quorum etiam viventium*

---

[a] Euſtath. ad Odyſſ. 9. [b] Diog. Laërt. in Vitâ Platon. libr. 3. ſegm. 7. Pauſan. in Attic. five libr. 1. & Suid. in hac voce Ἀκαδημία, & Plutarch. in Syllâ, & Cicer. de Finib. libr. 5. [c] Plato in Lyſide, Livius libr. 1. dec. 4. & Pauſan. libr. 1. [d] Tit. Liv. ibid. Plutarch. in Themiſtocle in principio. [e] Cæl. Rhodig. libr. 11. cap. 27. [f] Idem ibid. & Suid. in V. Λαμπάδος. [g] Idem ibid. [h] Lucret. libr. 2. [i] Arrian. libr. 3. de Exped. Alex. [k] Suid. in V. Λαμπάδος. [m] Tit. Liv. libr. 25. [n] Plutarch. in Vitâ Demoſth. [o] Valer. Max. libr. 8. cap. 7. Diogen. Laërt. libr. 7. ſegm. 168. & Senec. Epiſtol. 44.

tium luctas, si involvantur obscœniùs, castâ confestim Gymnasiarchorum virgâ dissolvit. Nec tamen negaverim nuda corpora formosorum adolescentium improbius fuisse spectaculum, quàm ut pati Christiana severitas posset; præsertim in Græciâ, ubi laudi ducebatur adolescentulis quàm plurimos habere amatores. Sed quis nobis dabit in rebus humanis bonum, quod non habeat aliquid admixtum mali, aut quis est omnino locus, quo non libido irrumpat improborum? ea nihil invium, nihil sanctum, nihil occlusum patitur, aut inviolatum; quæ neque a sacris, neque a templis impias, & consceleratas cupiditates arcet, & exercitationes virtutis in irritamenta libidinis vertit. Nec ideo tamen improbandi, qui aliquid repererunt, quod utile vitæ, quod frugiferum publicis rebus esse posset, si eo nonnullorum improbitas ad inconcessas abutitur voluptates. Nam si Palæstras repudiamus, quod in iis aliquid auderet protervo-
7 rum petulantia, cur non repudiemus & scholas, in quibus, nisi aliquid, quod ad corruptelam puerilis ætatis pertineret, homines nequam designarent, non tam graviter Solon sanxisset, ut si quis, qui excessisset ex ephebis, in scholis esse versatus redargueretur, capite plecteretur? Non igitur Græci reprehendendi; invenerunt enim Palæstras, ut corpora puerorum, adolescentiumque laboribus firmarentur, nec vires modò susciperent incrementum; verùm etiam corporis motus, gestusque formaretur. Atque hæc ars propriè Palæstra est appellata; qui verò harum rerum essent imperiti, apalæstri a [a] Cicerone, & [b] Quintiliano dicuntur; sed latius patuerunt exercitationes Palæstræ, ut his omnis ars gymnastica contineretur, qua corpora ad summam firmitatem perducebantur, neque frigus, aut Solem reformidabant. Quapropter in libro Luciani, qui de Gymnasiis inscribitur, legimus Græcos intecto capite gravissimos æstus, & frigora pertulisse, & eorum corpora fuisse habitiora, & coloratiora. Quocirca Agesilaus quum Asiatica mancipia ven-
8 deret, ea nuda traditur vendidisse, ut appareret, quantò magis fluxa, & corporibus Græcorum essent minùs colorata; & [c] Xenophon Mosynœcorum divitum corpora nimis alba fuisse animadvertit, quòd scilicet, ut Græci, non exercerentur. Nec verò corpora solùm in Palæstrâ, sed animi formabantur; quum in iis philosophi, & rhetores, & alii laudandarum artium magistri disputarent; sic in Academiâ, & Lyceo non tam artes athletarum, quàm immortale Platonis [d] ingenium effulsit. Atque hac de causâ [e] Vitruvius in Palæstris constituendas esse præcipit sedes, in quibus philosophi, ceterique, qui studiis delectantur, sedentes disputare possint; qui locus verba Ciceronis [f] illustrat in Oratore: *Num tandem aut locus hic non idoneus videtur, in quo porticus hæc ipsa, ubi inambulamus, & Palæstra, & tot locis sessiones gymnasiorum, & Græcarum disputationum memoriam quodammodo commovent?* & [g] alio in loco: *Et hoc ipso tempore, quum omnia gymnasia philosophi teneant, tamen eorum auditores discum audire, quàm philosophum malunt, qui simul ut increpuit in mediâ oratione de maximis rebus, & gravissimis disputantem philosophum omnes unctionis causâ relinquunt;* ad hos igitur usus inventæ Palæstræ, quibus improbi si abutebantur, hominum id vitium, non rei habendum esse quis dubitet?

DISSERTATIO XVIII.

Quænam Deæ Σεμναὶ vocarentur, & de furiis multa.

Epidamnus Dyrrhachium appellatum est, quia Veteres ea, quæ infaustum nomen haberent, nominare verebantur; sicut etiam, quæ sacra haberentur; hinc Apollodorus negat ab Antiquis cerebrum unquam nominari; sed hoc ex Homero falsum evincitur. Sternutamenta tanquam sacra adorabant, & ex ipsis omina captabant. Deæ Semnæ sunt eædem, ac Furiæ; licet Philemon diversas putet; duas Phylarchus recenset; plerique tamen tres esse tradunt; appellatæ autem sunt Eumenides ab Oreste, quia ipsi benevolæ fuissent; quare falsò putavit Scaliger per antiphrasin appellari. Furiæ sunt tres animi perturbationes, scilicet ira, cupiditas, libido. Proverbium alia apud alios pulchra *unde fluxerit. Antiqui tam bona, quàm mala, immo etiam vitia, & res obscenas Deorum nominibus, ac templis colebant.*

Est ab Antiquis religione summâ observatum, ut nominibus quàm faustissimis uterentur; quocirca nonnulla nomina animadvertimus commutata, quòd mali ominis viderentur. Sic [h] Dyrrhachium, quum
antea Epidamnus vocaretur, quòd ea vox 1
damnum significaret, aliâ appellatione Veteres nominarunt; qua superstitione ducti, quæ sibi accidere noluissent, ea ne nominare quidem sustinebant: ὐ βέλομαι, inquit De-

[a] Cic. de Oratore. [b] Quintilian. Inst. Orator libr. 9. cap. 4. [c] Xenophon de Expedit. Cyri libr 5. [d] Diogen. Laërt. libr. 3. in Vitâ Platon. [e] Vitruvius libr. 5. cap. 11. [f] Cicer. de Oratore libr. 2. [g] Cicer. ibid. [h] Plin. libr. 3. cap. 23.

Demosthenes δυσχερές τι εἰπεῖν οὐδὲν ἀρχόμενος *nolo quid triste dicere incipiens*; & Cicero in Philippicâ primâ, ne sibi violentam mortem imminere dicat, sic ait: *sed ut, si quid mihi humanitus accidisset*; (*multa autem impendere videntur præter naturam etiam, præterque fatum*) & Nisus [a] Virgilianus eodem modo mortem circumscribit:

Sed siquis, quæ multa vides, discrimine tali,
Siquis in adversum rapiat casusque, Deusque,
Te superesse velim; tua vitâ dignior ætas

quæ loquendi genera apud bonos Auctores frequentissima reperiuntur. Fuit etiam alia ratio nominum silendorum, quum quid
2 tanquam sacrum nominare verebantur, qua ratione cerebrum negat Apollodorus ab Antiquis unquam dictum, qui quamquam Homero [b] teste convincitur, tamen id sæpe observatum animadvertimus. Ita Sophocles cerebrum albam medullam vocat in Trachiniis, ubi his verbis utitur

Κόμης δὲ λευκὸν μυελὸν ἐκραίνει μέσου
Κρατὸς διασπαρέντος αἵματος ὁμοῦ

& [c] Euripides

..... ἔνθεν ἐκγελᾷ,
Ὀστέων ῥαγέντων, φόνος, ἵν᾽ αἰσχρὰ μὴ λέγω

hoc est ..... *inde ruptis ossibus,*
Ne proloquar nefanda, prorupit cruor

Quod ideo Veteres fecisse nonnulli putant, quòd cerebrum sacrum haberetur, quòd sensus omnes ex eo proficiscuntur; ideo & per caput jurabant, Virgilio [d] teste, qui dixit:

Per caput hoc juro, per quod pater ante solebas.

Et sternutamenta tanquam sacra adorabant,
3 ut [e] Athenæus testatur; & [f] omina rerum gerendarum ex ipsis captabant; quocirca Themistocli [g] ante navalem pugnam sternutamentum a dextrâ parte datum omen fuit victoriæ. His autem de causis Deas, quas Latini Furias, Græci Erinnyas, vel Eumenidas [h] appellarunt, proprio nomine haudquaquam vocant; sed σεμνὰς θεὰς hoc est *venerandas Deas*, quibus aram, templumque constituit [i] Epimenides, quum Athenienses a Cylonio scelere expiaret. Quorum quoniam mentionem facit Thucydides in his [l] verbis

Καθεζομένους δὲ τινὰς καὶ ἐπὶ τῶν Σεμνῶν θεῶν ἐν τοῖς βωμοῖς ἐν τῇ παρόδῳ διεχρήσαντο

quæ verba sic transferuntur:

Sedentes autem quosdam in venerandarum templo Dearum in altaribus transeuntes occiderunt, quærendum esse visum est, quænam σεμναὶ θεαὶ *venerandæ*, vel *severæ Deæ* Thucydidi nominentur. Nam [m] Philemon, auctore Sophoclis Interprete, alias esse tradit venerandas Deas, alias Furias; quamobrem nobis, ut nostræ interpretationis ratio constare videatur, auctoritate nobilium scriptorum probandum est easdem esse venerabiles Deas, ac Furias, quod quum fuerimus exequuti, tum de ipsis nonnulla dicemus. Sophocles
igitur in Oedipo Coloneo Furias esse, quas 4
Athenienses venerabiles Deas vocaverunt, ita significat:

..... αἱ γὰρ ἔμφοβοι
Θεαί σφ᾽ ἔχουσι γῆς τε, καὶ σκότου κόραι.
Τίνες; τὸ σεμνὸν ὄνομ᾽ ἂν εὐξαίμην κλύων;
Τὰς πάντ᾽ ὁρώσας Εὐμενίδας

hoc est ....: *namque formidabiles.*
Hunc filiæ terræ, atque tenebrarum incolunt.
Effare quæ sint; namque venerandum audiens
Nomen severas prece fatigabo Deas
Supplex; videntes omnia Eumenidas loquor

Et ne quis dubitet eas esse, quas Græci Semnas dicunt, paulò post addit: venerandarum ubi sedem Dearum caperem, & hospitium; & Euripides in Oreste

Ἔδοξ᾽ ἰδεῖν τρεῖς νυκτὶ προσφερεῖς κόρας.
Οἶδ᾽ ἃς ἔλεξας, ὀνομάσαι δ᾽ οὐ βούλομαι,
Σεμναὶ γάρ, ἀπαίδευτα δ᾽ ἀποτρέπει λέγειν

hoc est ......
Tres concolores horrida nocti Deas
Visus videre; quas loquare intelligo,
Sed nominare nolumus; venerabiles
Sunt namque; rectè dicere indocta abstines

Sed & Suidas in Voce Σεμναὶ θεαὶ hanc sententiam confirmat, & Phornutus in libello de naturâ Deorum, & [n] Thucydidis Interpres antiquus, qui negant aliud venerabilium Dearum nomine, quàm Furias in-
telligi. Has autem Phylarchus duas esse tra- 5
dit; plerique cum Polemone tres esse putaverunt, quas nonnulli [o] Saturni filias, Hyginus autem Æthere procreatas affirmat. Matrem earum omnes ferè consentiunt esse Terram, quam Euonymen Ister dicit appellari, vel noctem; atque huc pertinet Virgilii locus in sexto libro, qui sic ait

..... ipse atri velleris agnam
Æneas matri Eumenidum, magnæque sorori
Ense ferit, sterilemque tibi, Proserpina, vac-
cam: 8

nam Eumenidum matrem Noctem, sororem Terram interpretantur. Nomen [p] autem Eumenidum Furias accepisse Orestis ætate, quum is ab Atheniensibus judicio esset absolutus, ipsisque nigram ovem sacrificas-

---

[a] Virg. libr. 9. Æneid. [b] Hom. Il. γ. v. 300. & Odyss. ν. v. 395. [c] Eurip. in Thebaid. [d] Virg. l. 9. Æn. [e] Athen. l. 2. c. 25. Xenoph. de Exp. Cyri l. 3. [f] Hom. Odyss. l. 17. & Plin. l. 2. c. 7. & libr. 28. cap. 2. [g] Plutarch. in Vitâ Themist. [h] Plutarch. in Theseo, & Pausan. in Attic. [i] Diogen. Laërt. libr. 1. segm. 112. in Vitâ Epimen. [l] Thucydid. libr. 1. [m] Cæl. Rhodigin. libr. 7. cap. 22. [n] Græcus antiq. Interpr. Thucyd. ad locum supra citat. [o] Hesiod. in Theogon. [p] Sophocl. in Oedipo Colon. & ejus Scholiast. & Suidas in Voce Εὐμενίδες.

ficaſſet, nobiles Auctores prodiderunt, ac
dictas Eumenides voluerunt, quòd Oreſti
benevolæ fuiſſent; quorum ſi vera ſenten-
6 tia eſt, falsò putavit Scaliger [a] Eumenides
καθ' ἀντίφρασιν appellatas, quòd minimè eſ-
ſent benevolæ; qui vel uno eo argumento
antiphraſim non eſſe tollendam exiſtimat.
Utcunque tamen ea ſe res habet, certè O-
reſtis [b] ætate Eumenidum ædes Athenis eſt
conſtituta, atque ibi eximiè Eumenides co-
lebantur; colebantur & Romæ, unde Fu-
rinalia ſacra, quæ [c] Varro teſtatur penitus
exoleviſſe; & Palæſte in oppido Orici, qua
de cauſâ Palæſtinas Deas [d] Ovidius appel-
lat, quum de Aty furore percito ſic ait:

Sæpe Palæſtinas jurat adeſſe Deas

Ratio autem, cur eas Antiqui colerent, e-
rat, quòd eſſe placatas trepido metu cupie-
7 bant; nihil quippe funeſtius, nihil horri-
bilius Furiis, aut omnino pernicioſius exi-
ſtimabant; has omnium ſcelerum hortatri-
ces eſſe, has ſæviſſimas animi peſtes, has
immaniſſimas nocentium pœnas arbitraban-
tur. Quare non abhorret a ſenſu vulgi, quod
Poëta de Alectone [e] cecinit:

Tu potes unanimes armare in prælia fratres,
Atque odiis verſare domos, tu verbera tectis,
Funereasque inferre faces; tibi nomina mille,
Mille nocendi artes .....

Nam ſi quid impium, ſceleratum, imma-
ne, execrandum committeretur, id Furiis
inſtigantibus factum mentiebantur; hinc
Seneca [f] Furiis impellentibus tradit Atreum
ad ſæviſſimum facinus incitatum, quo fra-
tri filios appoſuit epulandos: hinc [g] Sta-
tius Furiis hortantibus Polynicen, & Eteo-
clen fratres compulſos inducit ad mutuam
cædem. Quæ ſapienter a poëtis magno Mor-
talium documento ſunt tradita; ſiquidem,
teſte [h] Lactantio, Furias nihil aliud eſſe vo-
luerunt, quàm tres animi perturbationes,
iram, cupiditatem, libidinem, quibus, qua-
ſi Furiis inſtinctus animus nihil ſancti, ni-
hil penſi habet, ſed præceps rapitur in om-
ne facinus; quid enim eſt, aut tam fœdum
dictu, aut tam crudele factu, quod non li-
bido ſuſcipiat, ira audeat, avaritia perficiat?
Quocirca nominibus maximè fœdis Furias
Veteres appellarunt; nam & Harpyias dixe-
8 runt [i] Virgilio teſte, qui Harpyiam Celæno
ſic inducit loquentem:

Quæ Phœbo pater omnipotens mihi Phœbus
Apollo
Prædixit, vobis Furiarum ego maxima pando

& canes; quemadmodum [l] Servius tradit
explicans hemiſtichium Virgilii:

..... viſæque canes ululare per umbram

Unde natum auctore Suidâ [m] Græcum pro-
verbium *ἄλλα παρ' ἄλλοις καλὰ* hoc eſt *alia
apud alios pulchra*; quum enim Athenienſes
Furias Eumenidum ſatis miti nomine co-
honeſtarent, alibi autem nominibus quàm
ſæviſſimis eædem fœdarentur, percrebuit
parœmia, quæ ſignificaret, quædam apud
nonnullos eſſe pulchra, quæ apud alios
turpia cenſerentur; cujus meminit in Oe-
dipo Coloneo Sophocles. Quamquam illa
Sophoclis verba *ἄλλα δ' ἀλλαχῦ καλὰ* videri
poſſint ad excuſandum Athenienſium con-
ſilium pertinere, qui Furias maximas ani-
morum peſtes Deorum immortalium ho-
noribus conſecraſſent, colerentque perſan-
ctè eas, quæ nihil ſanctum Mortalibus eſſe
paterentur, & pernicioſiſſimas cupiditates
inter utiliſſimos vitæ Deos Neptunum, &
Prometheum adorarent; quorum alter i-
gnem [n] hominibus oſtendiſſe dicitur, alter
optimæ [o] elementorum aquæ præſes eſſe pu-
tabatur. Quamquam Athenienſes defendit
Veterum conſuetudo, qui tam bona, quàm
mala Deorum nominibus, & honoribus co-
honeſtabant; ita Tullus Hoſtilius [p] Pallori,
& Pavori fana vovit, & conſecravit; ita Fe- 9
bris [q] in palatio a Romanis colebatur, ex
quo ille [r] cecinit

Sacra illam Actiaco tenuere palatia Phœbo:

ita ab iiſdem [ſ] ara malæ Fortunæ Exquiliis
eſt conſtituta; ita [t] in Laconicâ Podagræ
Dianæ templum eſt dedicatum: ita in Atti-
câ [u] Veneri Meretrici ſacrificabant: ita Ho-
merus Calamitatem Deam nuncupat, quæ
ſupra hominum capita incedat; quin & Tem-
peſtatem [x] colebant, & [y] Robiginem ſactis
ſacris avertebant, unde [z] Robigalia; & [a] A-
thenis Contumeliæ templa poſuerunt. Jam
verò vitia, reſque dictu obſcenas Deorum 10
honore non caruiſſe quis neſcit? Laver-
nam [b] furum Deam, Burnum Deum libi-
dinum, Mutunum [c], cujus, ut loquitur
Arnobius, immanibus pudendis, horrenti-
que faſcino virgines, antequam viro trade-
rentur, inequitabant; Perſicam, quæ obſce-
nas

---

[a] Serv. ad libr. 6. Æneid. Virg. [b] Pauſ. in Achaic. [c] Varro libr. 5. l. l. [d] Ovid. Faſt. libr. 4. [e] Virg. libr. 7. Æneid. [f] Senec. in Thyeſte. [g] Stat. in Thebaid. [h] Lactant. Firmian. de vero cultu libr. 6. cap. 19. [i] Virgil. Æneid. libr. 3. [l] Servius ad Virgil. Æneid. libr. 6. [m] Suid. in V. *Εὐμενίδες*. [n] Horat. libr. 1. Od. 3. [o] Virgil. libr 1. Æneid. [p] Tit. Liv. libr. 1: Lactant. Firm. de falsâ Relig. libr. 1. cap. 20. & D. Auguſt. de Civit. Dei libr. 4. cap. 23. [q] Val. Maxim. libr. 2. cap. 1. de modo comedendi antiquor. & Plin. l. 2. c. 7. [r] Angelus Politian. Eleg. in Albieram. [ſ] Plin. libr. 2. cap. 7. [t] Soſibius apud Clem. Alexandr. in Protreptic. [u] Athen. libr. 13. cap. 4. [x] Ovid. in Faſtis. [y] Varro de Re Ruſt. libr. 1. cap. 1. & D. Auguſtin. de Civit. Dei cap. 21. libr. 4. [z] Plin libr. 18. cap. 29. [a] Cic. de Legib. libr. 2. & Pauſ. libr. 1. [b] Horat. Epiſtol. libr. 1. Epiſt. 16. & Acron in eum locum. [c] Arnob. libr. 3. Adversùs gentes, & D. Auguſtin. de Civit. Dei libr. 6. cap. 9. & Lactant. Firm. de falsâ Relig. libr. 1. cap. 20. quem Deum vocat Mutinum.

nias perficit voluptates; Pertundam [a], quæ, ut verbis utar ejusdem, præsto est Virginalem scrobem effodientibus maritis, venerabantur. Multa præterea, quæ nominari sine pudore non possunt, Deorum affecta esse cultu compertum est; quæ licet, ut sunt, ridicula esse videantur; tamen ab opinione vetustissimâ duxerunt originem, quam secuti nonnulli veterum philosophorum, vitam erroribus, & sententiis maximè impiis de divino Numine referserunt, de qua alio die disseremus.

DISSERTATIO XIX.

De duobus principiis boni, & mali, quæ nonnulli posuerunt, & de Furiis.

Plato, atque alii philosophi Deum nullius auctorem mali esse existimarunt; quam sententiam malè aliqui interpretati Deum omnium esse auctorem negarunt; & Gnostici animas a contemplatione summi boni prolapsas Mundum fabricasse dixerunt; alii verò duos Mundi conditores ponebant, alterum bonorum, alterum malorum auctorem; & hunc quidem Ægyptii Typhonis, illum Osiridis nomine exprimebant; hinc Manichæi stultissimè multa sunt fabulati de duobus principiis boni, & mali. Furias esse animi cupiditates Lactantius docet; alii tamen esse pœnas a scelerum conscientiâ profectas, quas Deus in impios constituit, & nemo effugit, ut multis exemplis patet.

Qui bonorum omnium fontem, atque omnium rerum conditorem Deum sapientiùs contemplati sunt, quum animadverterent nihil ab illâ divinâ, immortalique naturâ magis abhorrere, quàm malum; Deum nullius auctorem mali esse habendum statuerunt; faciliùs quippe flam-
1 mas è gelu nasci, a Sole tenebras propagari posse existimabant, quàm ullum malum a summâ bonitate proficisci. Quæ sententia Veterum, & præcipuè [b] Platonis, licet consentanea veritati, occasionem præbuit malè intelligentibus innumerabilium pœne errorum. Quum enim vita hominum malis plenissima videretur, quum nihil innoxium in rerum naturâ appareret; sed effectrices dolorum esse voluptates, contemplationem rerum non scientiæ, sed dubitationis parentem, sapientiæ studia plena molestiæ, consentaneam virtuti vitam laboribus, & periculis refertissimam; quum tot pestes viderent, quum innumerabiles morbos, quũ tam perniciosa animantium genera, tot animorum vitia, tam ardentes, tamque cæcas cupiditates, tantam denique vim malorum, & agmen calamitatum, quod est dictu nefas, Deum omnium auctorem esse negaverunt; sed esse quoddam maleficum numen, ac dirum, quod & mala ab initio procreasset, & semper in Mundo conservaret, & æterno dissidio ab æterno illo bono dissideret. Nec defuerunt, qui Mundi non Deum architectum, sed animam a con- 2
templatione summi boni prolapsam, & jam peccantem assererarent; ob eamque causam Mundum non esse omnibus numeris absolutum, sed imperfectum, & malorum turbâ refertissimum; quæ sententia fuit Gnosticorum, quos doctissimè confutat, & refellit libro contra Gnosticos Plotinus. Sed omnium stultissimè, atque adeo insanissimè illi, quos a Mane sectæ auctore Manichæos appellant, qui duo ponunt principia, alterum boni, alterum mali; & boni quidem patrem septemtrionalibus, occi- 3
duis, ortivisque plagis; malum verò austrinis Mundi partibus imperare. Hoc autem mali principium fabulantur, quum violentiùs invasisset regionem boni, bonum, ne omnia corrumperentur, quasi providum imperatorem, qui partem exercitus pro salute totius opponit, animas malo tradidisse, ut reliqua servarentur. Et sanè fuit ipsi timendum, quum tantam Mundi partem malum teneat, & ex tot sideribus, ac tam ingentibus duo tantùm lumina, Sol videlicet, & Luna, bono tribuantur, quæ ideo confirmant deficere, quia vela sibi quædam obducunt, ne a malorum exercitu, qui quotidie turbas ciet, opprimantur. Jam ipsum nequitiæ principem, auctoremque peccandi ex quinque animalibus constant, ex aquilâ, pisce, leone, aliisque duobus nescio quibus monstris; atque ipsum in quinque conclavibus habitare animalia quædam, atque arbores devorantem. Quæ commenta deliramentis anicularum longè stultiora è vetustissimâ opinione promanarunt, quam 4
Plutarchus in libello de Iside, & Osiride scribit, omnium tam Græcorum, quàm Barbarorum esse consensu comprobatam, quæ duos rerum dominos, duos Mundi ponit conditores; alterum mitem, beneficum, salutarem, bonorum largitorem; alterum immanem, malignum, perniciosum, malorum, atque adeo scelerum omnium machinatorem; & hunc quidem Ægyptii Typhonis nomine, illum autem Osiridis exprimebant. Romani verò, Græcique, & Barbari

a D. Augustin. & Arnob. libr. 3. Adversùs gentes.

b Plato Dialog. 2. de Republ.

sicut illud summum bonum unum, verum in plura quasi numina discerpebant; ita hoc falsum malum in plures Deos, & Deas,
5 quos [a] averruncos Romani dicunt, distrahebant. Hinc illa nimirum nomina absurdorum planè Deorum, quæ superiore dissertatione recensuimus, originem habuerunt: hinc ipsæ Furiæ, quarum causâ sermo susceptus est nobis, quæ, si quemadmodum [b] Lactantio placet, sunt animi cupiditates, meritò inter malefica numina collocantur. Quid enim fœdius, tetrius, immanius, humano generi perniciosius, quàm cupiditates? querimur incensas nobilissimas urbes? incenderunt cupiditates: querimur innumerabiles clades per bella Mortalibus illatas? intulerunt cupiditates: querimur justitiam, pietatem, fidem, ceterasque virtutes omnes proculcatas? proculcaverunt cupiditates: querimur circumventam innocentiam, labefactatam pudicitiam, oppressam veritatem? horum omnium malorum causæ fuerunt cupiditates. Quod animus humanus, purus, immortalis, incorruptus in tantam corruptelam, perniciemque delabitur, & in cæno quodammodo vitiorum volutatur; quod immemor est originis, Patriæque cœlestis, quòd angitur, mæret, conflictatur, inceditur, distrahitur, agitatur; quid aliud est in culpâ, quàm cupiditates? Quocirca [c] non sine causâ Veteres certissimas animi furias esse dixerunt
6 cupiditates; his [d] faces addiderunt, quòd nihil incensius sit animo cupidorum; & flagella [e] manibus gestare voluerunt, quòd quibusdam quasi verberibus perturbatus animus incitetur; & serpentibus easdem [f] cinxerunt, quòd perniciosissimis quibusdam venenis imbuta sit omnis cupiditas, eaque transfundat in animum cupidorum; & [g] noctis esse filias voluerunt, quòd nulla caligo, nullæque tenebræ cum iis comparari possint, quas afferunt animo cupiditates, ubi perniciosa libido rationis lumen extinxit. Sed non defuerunt sapientes viri; qui Furias non animi cupiditates, sed
7 certissimas pœnas a Deo in impios, & consceleratos homines constitutas esse tradiderunt; animus nimirum humanus quum aliquo facinore se se obstrinxit, sibi conscius neutiquam potest conquiescere, sed scelerum conscientiâ vecordem rapi, vexari, differri necesse est. Qua de causâ Pythagoras dixit malorum animos conscientiâ scelerum vexatos graviùs cruciari, quàm corpus illorum, qui flagris proscinduntur, qui cruciatus animorum Furiæ nominantur. Cicero in oratione pro Sexto Roscio Amerino: *nolite enim putare, quemadmodum in fabulis sæpenumero videtis eos, qui aliquid impiè, sceleratèque commiserint, agitari, at perterreri Furiarum tædis ardentibus; sua quemque fraus, & suus terror maximè vexat, suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit, suæ malæ cogitationes, conscientiæque animi terrent.* Nec poëtæ dissentiunt; nam Euripides in Oreste inducit interrogantem Menelaum

Quid patere Oresta, quisue te morbus premit?

respondet Orestes:

Mens conscia urget sceleris infanda, impia,
Quia perpetrasse me scio . . . .

Non igitur Furiarum faces ardentes Orestem agitabant, non Alecto verbera incutiebat, non serpentes intentabat; sed scelere mens impedita, sed horror maternæ cædis hominem exagitabat, atque perterrebat; quod alio loco idem Euripides expressit, quum dixit

Τὸ μητρὸς αἷμα νιν τροχηλατεῖ

Maternus illum sanguis agit instar trochi

Quam comparationem susiùs est [h] Virgilius persequutus in Furiis Amatæ Reginæ

Immensam, inquit, *sine more furit lymphata per urbem;*
Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent; ille actus habenâ
Curvatis fertur spatiis, stupet inscia turba,
Impubisque manus mirata volubile buxum;
Dant animos plagæ . . . . . .

Atque hanc mentis agitationem quòd effugere nemo potest, qui scelus aliquod ma-
gnum suscepit; ideo poëtæ Furias acutè 8
cernere prodiderunt; idcirco [i] Pindarus ὀξεῖαν Furiam vocat

Ἰδοῖσα δ' ὀξεῖ' Ἐρινὺς
Πέφνεν οἱ σὺν ἀλλαλο-
φονίᾳ γένος ἀρήϊον.
Λείφθη δὲ Θέρσανδρος ἐ-
ριπόντι Πολυνείκει

Neque aliâ de causâ Sophocles Furias δεινῶπας appellat; nam ut cetera supplicia effugiant impii, lateant magistratus, judices fallant, seipsos latere non possunt; quos neque pecuniâ corrumpere, neque gratiâ queunt commovere, neque eloquentiâ inducere, neque exilio declinare. Atque hoc est quod [l] Juvenalis cecinit

. . . . . prima hæc est ultio, quòd se
Judice nemo nocens absolvitur, improba quamvis
Gratia fallacis Prætoris vicerit urnam

& [m] Isocrates præcepit: *nunquam, quum aliquid turpe perpetraris, celaturum te spera; nam*

[a] A. Gell. libr. 5. cap. 12. in fine. [b] Lactant. Firm. de vero cultu libr. 6. c 19. [c] Cic. pro Roscio Amerino. [d] Virgil. Æneid. libr. 7. [e] Idem ibid. [f] Catull. in Argonaut. Propert. libr. 3. Eleg. 5. & Tibull. libr. 1. Eleg. 3. [g] Æschyl. in Eumenid. & Virgil. Æneid. libr. 7. [h] Virgil. Æneid. libr. 7. [i] Pindar. Olymp. Od. 2. vers. 73. [l] Juvenal. Satyr. 13. v. 2. [m] Isocrat. ad Demonicum.

nam licet alibi lateris, tibi conscius eris: & Pythagoras [a] admonebat homines, ut seipsos maximè vererentur, animumque sibi conscium; hunc enim judicem maximè formidandum, censoremque nobis apposuit, has præsentes pœnas inflixit Deus, quæ nunquam temporis diuturnitate mitigantur, neque scelerum assuetudine leniuntur. Quamobrem eos, qui sceleratissimi fuisse perhibentur, animadvertimus nunquam animo potuisse consistere; sic Nero [b] im-
9 manissimus tyrannorum, quum ea perpetrasset, quæ commemorari sine quodam horrore non possunt, adeo conscientiâ scelerum agitabatur, ut videre maternam speciem sibi videretur, ardentesque tædas, & verbera Furiarum; neque obsequia senatus, neque gratulationes populi Romani, neque tot deliciæ, quibus affluebat; neque tantæ voluptates, quæ ex universo Orbe terrarum illi undique conquirebantur, ægrum animum ad meliorem spem, jucundioresque cogitationes erigebant; ducebat ille noctes insomnes, dies inquietos, semper anxius animo, semper trepidus. Occurrebat quippe scelerum conscientiâ perterrito frater [c] Britannicus veneno sublatus, interfecta crudeliter [d] mater, coactus mori sanctissimus [e] moderator suæ juventutis, uxores, affines, consanguinei trucidati, tot senatores, tot consulares viri, tot nobilissimi homines manu strenui, eloquentiæ studio memorabiles jugulati, incensa Urbs, direpta Deorum templa, cædes innocentium passim factæ, damnati nullâ suspicione criminum cives; scelerum magnitudinem reputanti formidinem, ac terrorem incutiebant. Nec tranquilliùs vixit [f] Cali-
10 gula, quem fulgura etiam minima, & tonitrua exhorrescere, quem levissimis de caussis perturbari solitum testantur historici; aut [g] Commodus, qui quum scelerum Furiis noctu excitaretur, de Palatio in Cœlium montem, & in Vectilianas ædes migravit; tanquam loci mutatio, non morum tranquillitatem esset animo allatura. Nam quid de Tiberio dicam, qui litteras, quas ad senatum dedit, exorsus est his [h] verbis: *quid scribam vobis, Patres Conscripti, aut quomodo scribam, aut quid non scribam hoc tempore? Dii me, Deæque pejùs perdant, quàm perire quotidie sentio, si scio*: Quæ verba verissimè dictum a Platone [i] declarant, Tyrannorum mentes si recludantur, posse as-
11 pici laniatus, & ictus; quando, ut corpora verberibus, ita sævitiâ, libidine, malis consultis animus dilaceretur. Quæ pœnæ quum sint certissimæ sceleratorum, meritò Furias Antiqui Σεμνὰς θεὰς non ad avertendam ominis diritatem, sed ad exprimendam veritatem nominarunt; σεμνὸς quippe *severius*; severissima autem ultrix facinorum est ipsa scelerum conscientia; meritò etiam Eumenides appellatæ sunt, siquidem nihil tranquillius animo nullius culpæ sibi conscio; unde Socrates [l] interrogatus, quinam tranquillè viverent, respondit, qui nullius sibi conscii essent absurditatis; & Periander veram libertatem appellavit rectam conscientiam.

DISSERTATIO XX.

De Hilotis Lacedæmoniorum Servis, & de Servis multa.

Romani Brutiis pro Servis utebantur; sic etiam Thessali Bœotis, quum Patriam relinquere noluissent, & Menestæ a manendo fuerunt appellati; postea verò Penestæ; Mariandyni verò quum se regere non possent, se tanquam servos Heracleotis dediderunt; alii pariter 2
alios pro servis habuerunt. Ephori quum magistratum inirent, bellum servis indicebant. Cato reprehendebatur, quòd mancipia ætate confecta venderet. Servi multos potentissimos populos, ipsos etiam Romanos prœliis afflixerunt; Ephesum condiderunt. Multitudo servorum apud Antiquos: Ovinius martyr quinque millia servorum manumisit; & octo millia Melania.

Est omnibus ferè notum nonnullos populos adeo obnoxios quibusdam civitatibus fuisse, ut servorum loco publicè haberentur; sic Brutii [m], quum Italorum primi ad 1
Hannibalem defecissent, pulsis Italiâ Pœnis, ignominiæ causâ non milites scribebantur, sed euntibus in provinciam [n] magistratibus servorum vicem præministrabant; unde Brutiani publici magistratuum servi sunt appellati, qui flagra gestabant, ut, quos visum esset magistratibus, verberarent: sic Thessali [o] servis usi dicuntur Bœotis, qui, quum ipsi Ameam regionem occupassent, amore Patriæ solum, in quo nati fuerant, relinquere noluerunt, & a manendo Menestæ sunt appellati; postea verò corrupto vocabulo Penestæ non a paupertate, sicut fortasse quis arbitretur, quum eorum nonnulli

[a] Jo: Stob. serm. 24. de Conscient. [b] Suet. in Neron. Vitâ c. 46. [c] Suet ib. c. 33. [d] Idem c. 34. ib. [e] Idem c. 36. & 37. &c. [f] Suet. in Vitâ Calig. cap. 50. [g] Æl. Lampr. in Vitâ Commod. [h] Sueton. in Vitâ Tiberii cap. 67. [i] Plat. Dialog. 9. de Republ. [l] Jo: Stobæus serm. 24. de Conscientiâ. [m] T. Livius libr. 23. [n] A. Gell. libr. 10. cap. 3. [o] Strab. libr. 12. & Cæl. Rhodigin. libr. 25. cap. 18.

nulli dominis essent ditiores, nominati sunt,
qui etiam a quibusdam Thessalœcetæ vo-
cantur: sic [a] Heracleotis Mariandyni ser-
vorum ministeria præstiterunt non coacti,
sed sponte; quum enim seipsos regere, &
2 Rempublicam administrare ex animi sen-
tentiâ nullo modo possent, se, & sua om-
nia Heracleotis dediderunt eâ conditione,
ut ab ipsis alerentur, & extra Heracleota-
rum fines ne venderentur, qui planissimè
ostenderunt id, quod est a principe [b] Pe-
ripateticorum verissimè confirmatum, quo-
sdam homines esse naturâ servos: sic deni-
que [c] Cretenses finitimos populos non pro
sibi subjectis, sed pro servis planè habue-
runt; & Cares Leleges, & Byzantii Bithy-
nos; Cretensium autem servi eâ de causâ
periœci vocabantur. Sed [d] & Lacedæmo-
nii quum Elos urbem cepissent, cives uni-
versos in ditionem redegerunt, & servitu-
tem sarvire coëgerunt, & servos omnes Hi-
lotas appellarunt; de quibus, quoniam men-
tionem Thucydides facit, hodierno die dis-
seremus; tum nonnulla de servis scitu non
injucunda subtexemus; verba [e] Thucydi-
dis, quæ suscepimus illustranda, ad hunc
modum se habent *διεκωλύθησαν δὲ ὑπὸ τοῦ γε-
3 *νομένου σεισμοῦ, ἐν ᾧ καὶ οἱ Εἵλωτες αὐτοῖς, καὶ τῶν
*περιοίκων Θουριᾶταί τε, καὶ Αἰθεεῖς ἐς Ἰθώμην ἀπέστη-
σαν. terræmotu autem prohibiti sunt, qua occa-
sione sumptâ, & Hilotæ, & finitimorum Thu-
riatæ, atque Æsbeenses quum descivissent, I-
thomam se contulerunt*; is autem terræmo-
tus, cujus noster Auctor meminit, est ille
famâ celebratus, quem quum futurum præ-
videret Anaximander Milesius, dicitur La-
cedæmoniis præcepisse, ut urbem, ac tecta
custodirent, instare quippe terræmotum.
Nec præstanti vir doctrinâ vanus fuit va-
tes; tam vehementer quippe terra concus-
sa est, ut totam funditus urbem everterit;
quin & Taygeti montis magna pars abru-
pta in formam puppis eminens quum dein-
de procidisset, immensam edidit omnium
rerum stragem; qua clade perculsa civitas,
dum in urbe instaurandâ est occupata, ec-
ce insuper alia clades nunciatur, servos
Messeniis [f] adjunctis rebellasse; quod bel-
lum diuturnum, atrox, & anceps populum
Spartanum in summum discrimen adduxit.
Quod ipsis non immerito accidit; siquidem
nimis durè, & crudeliter servos habebant;
4 nam & Ephoros tradunt, quum inirent ma-
gistratum, bellum servis indicere solitos,
ut eos impunè liceret occidere; quin [g] &
aliquando robustissimos juvenum cum pu-
gionibus in insidiis collocabant, qui omnes
Hilotas, quos comprehendere potuissent,
trucidarent, quo modo fortassè duo millia
servorum cæsa sunt; quos quum fortitudi-
nis ergo Spartani libertate donassent, Thu-
cydides negat usquam postea comparuisse,
ac neminem dicere potuisse, quo pacto, &
ubi periissent. Atque hoc [h] tam immane,
tam impium, & execrandum facinus *κρύ-
πτην* vocabatur; quod in Republicâ jure Pla-
to reprehendit; quid enim sævius, quid
sceleratius excogitari potest? nonne satis
fuerat, quod Lacedæmonii servis ad ludi-
bria abutebantur, quod [i] inter epulas, quas
phiditia appellabant, servos plus meri bi-
bere coactos, quàm ferre possent, indu-
cebant; quod turpes cantilenas; quod in-
decoros corporis motus edocebant, ut
non solùm corpore, sed etiam animo e-
vaderent servi? quid attinebat miseros pe-
cudum more passim trucidare, crudeliús-
que etiam tractare, quàm pecudes? nam
mansuetas bestias, & innoxias, nisi victus
causâ, non occidimus; illi servos inno-
centes, nec inutiles, nullo eorum facto
offensi, nullâ injuriâ lacessiti crudelissi-
mè jugulabant. Non sine causâ [l] Cato ille 5
Censorius a Sapientibus notatur, quòd man-
cipia ætate confecta venderet, aut expelle-
ret, quasi pecudes; quantò magis Lacedæ-
monii reprehendendi, qui servos non inu-
tiles annis, sed vigentes, atque robustos
non vendebant, aut domo pellebant, sed
obtruncabant, & suam juventutem adeo
frequenti hominum cæde efferabant, & ad
omne scelus assuefaciebant? Et miramur,
quòd [m] Plato Lycurgi leges culpaverit, quòd 6
unius bellicæ virtutis habere curam, cete-
ras negligere videantur? illæ verò non so-
lùm negligunt, sed etiam inimicè insectan-
tur, sed e civitate funditus tollunt. Quo
enim pacto in eâ urbe humanitas esse po-
terat, in qua, legibus concedentibus, ho-
mines immanissimè obtruncabantur? quo
justitia, quæ in tuendâ humani generis so-
cietate consistit, ubi cives homines tam a
se alienos existimabant? quo mansuetudo,
pietas, fides, ubi tam perfidè, tam impiè,
tam crudeliter sæviebatur? Enimvero una
dumtaxat Lycurgi potest esse defensio, non
fuisse ab eo hujusmodi legem constitutam;
sed tam sceleratum morem cœpisse usurpa-
ri, quo tempore servos rebellantes Lace-
dæmonii subegerunt; quo magno exem-
plo docti periculosam esse nimiam servorum
turbam, eos hac ratione minuere statue-
runt, quod ut facerent, non solùm dome-
stico exemplo admonebantur; sed etiam ex-
ternis. Siquidem & Tyrii quondam servo- 7
rum conspiratione deleti fuerant, & Scy-
thæ

[a] Strabo libr. 12. [b] Aristot. libr. 1. de Rep. [c] Strabo libr. 12. [d] Idem Strab. libr. 15. & Athen. libr. 6. cap. 20. [e] Thucydid. libr. 1. [f] Thucyd. ibid. [g] Plutarch. in Vitâ Lycurgi. [h] Plutarch. ibid.

[i] Plutarch. adversùs Stoicos. [l] Cato de Re Rust. cap. 2. in fine, & Plutarch. in Vitâ ipsius Catonis. [m] Plato in Lachete.

thæ quum ab Asiaticâ expeditione reverterentur, bello servili excepti fuisse dicuntur, & quum servos armis superare non possent, flagris domuisse; & Samios mancipia multis cladibus affecerunt, quæ quum Samii vincere nequivissent, fœdere icto, multitudinem eam ex insulâ incolumem dimiserunt, quorum mille Ephesum Asiæ urbem inclytam inprimis condiderunt; & Chios eorum servi multis, magnisque prœliis fæpe fuderunt; & [a] Atheniensium servi, quum Sunii arcem occupassent, Atticam terram populationibus diu vexarunt. Quæ minimè mirum est accidisse, quum victricem Orbis terrarum potentiam Romanorum servile [b] bellum Spartaco duce vehementer concusserit, quam antea Eunus in Siciliâ, & Athenio ingenti collectâ servorum manu sollicitam habuerat. Quæ ne vobis, Au-
8 ditores, fabulis propiora videantur, causa exponenda est, cur antiquitus tantum servi valuerint, ut potentissimos populos bello terrere potuerint; ac sciendum conspirationem servorum Antiquis timendam fuisse propter ipsorum ingentem multitudinem, siquidem nullus Veteribus modus mancipia possidendi, quemadmodum exemplis planum faciam. Mnasonem [c] ferunt Aristotelis philosophi familiarem mille servos possedisse; multo majorem numerum habuisse tradunt [d] Smindyridem Sybaritam, qui Clisthenis filiam ducturus uxorem secum mille servos adduxit, aucupes, coquos, & venatores. Agatarchides autem apud [e] Athenæum Dardanos tradit adeo servis abundasse, ut multis eorum mille, vel etiam plures fuerint; & Xenophon [f] memoriæ prodidit Niciam mille servos aluisse, quorum operam Sosiæ Thraci locaverat ad effodienda metalla. Qui servorum numerus licet ingens, cum eo comparari nullo modo potest, quem multi Romanorum habuerunt. Siquidem Cajus Cæcilius Claudius Isidorus testamento reliquit servorum quatuor millia centum sexdecim; sed omnem superat fidem, quod [g] Athenæus tanquam notissimum scribit, fuisse Romæ permultos, qui decem millia, vel viginti servorum possiderent; ut mirari non debeamus ab Ovi-
9 nio Martyre clarissimo quinque millia servorum manumissa, octo millia a Melaniâ juniore; ac multò minùs admirationi [h] leges nobis esse debeant, quæ modum statuerunt servos liberandi; non enim solùm verebantur, ne infinitâ libertorum multitudine civitas inquinaretur; sed etiam, ne si innumerabilis hominum multitudo, quam vix compedes, vix ergastula coërcebant, libertatem nancisceretur, factâ conspiratione Rempublicam invaderet, & tyrannidem occuparet; multis quippe partibus major fuit servorum numerus, quàm liberorum. Nec Romæ solùm, ubi nullus opulentiæ modus, verùm etiam in aliis urbibus; nam Demetrius [i] Phalereus quum censum habuisset, viginti millia civium, decem inquilinorum, servorum quadringenta millia fertur censuisse; & in [l] Æginâ, parvâ admodum insulâ, fuisse dicuntur quadringenta septuaginta millia servorum; Corinthi [m] autem quadringenta sexaginta; ut nihil de Arcadibus dicam, qui trecenta millia ferunur aluisse. Quanta verò in Urbe terrarum principe servorum fuerit multitudo, magno est argumento id, quod Seneca refert in libro primo de clementiâ, in Senatu sententiam dictam, ut servos a liberis vestis diversitas distingueret; deinde apparuisse quantum periculum immineret, si servi liberos homines numerare cœpissent.

DISSERTATIO XXI.

In qua de Servis, ut in Superiore, agitur.

Heroicis temporibus homines paucis contenti erant; ideo nec Servis indigebant; itaut Reges sibi ipsis dapes appararent, & hospitibus ministrarent; quare ineptè quidam Homerum reprehendunt; in quo si Virgilius illum non est imitatus, ad magnificentiam sui sæculi respexit. Servi a servando appellati. Lacedæmonii servitium invenisse dicuntur; primi autem Chii pretio mancipia paraverunt; quæ eorum pretia essent. Artificia omnia servorum operâ expediebantur; & quidem notarii erant, & grammaticam docebant, & medicinam faciebant, educabant etiam pueros, & pædagogi vocabantur; quin & aliqui philosophi extiterunt. Musicam verò maximè exercebant; hinc in conviviis servorum usus maximus; quum etiam essent, qui ad pedes, *seu* circum pedes *appellabantur; alii autem a curâ catellæ erant, alii a cunis movendis.*

Cum multa laudanda sæculum illud, quod Heroicum est appellatum, tum nihil laudabilius dicitur habuisse, quàm quòd homines paucis rebus indigebant; neque enim terrâ, marique pretiosas epulas conquire-

a Athen. libr. 6. cap. 20. b Idem ibid. & Luc. Flor. libr. 3. cap. 19. c Athen. libr. 6. cap. 20. d Athen. ibid. cap. 21. e Idem cap. 20. f Xenoph. de ratione redit. g Athen. libr. 6. c. 20. h Inst. libr. 1. tit. 5. & 6. i Athen. libr. 6. cap. 20. & Ælian. var. Histor. libr. 3. cap. 17. l Aristot. apud Athen. ibid. m Epitimæus libr. 3. Histor. apud eundem ibid.

rebant, neque unguenta exotica, neque vi-
na alterius ætatis, neque formosos mini-
stros, neque peritos obsonii scindendi ma-
1 gistros, neque coquos, ut Plinii verbis u-
tar, triumphorum pretiis paratos, neque
alias hujusmodi nugas desiderabant. Certè
Homerus eorum ætati proximus bubula as-
sa vescentes facit, & simplici victu semper
utentes; delicias autem, & scitamenta ab
illis removet universa; sed illud præcipuè
est adnotandum Heroës sibi ipsis dapes ap-
parasse, neque Servorum ministerio eguis-
se; siquidem, quemadmodum [a] Chrysippus
testatur, etiam summi viri maximè gloria-
bantur, si scitè possent convivis ministrare.
Itaque & Ulysses inter [b] suas laudes ponit,
quòd ignem accendere, secare ligna, ce-
nam parare quàm commodissimè sciret; &
Patroclus, atque Achilles Agamemnonis le-
gatis convivium instruunt ipsi; & Mene-
lao filii nuptias celebrante sponsus ipse Me-
gapenthes pocillatoris ministerio fungitur.
Quos Homeri locos qui reprehendunt, fa-
ciunt imperitè, quum omnia arbitrantur
ad nostræ ætatis mores accommodanda.
Nam sicut hoc tempore, quia indecorum
videretur, si vit Princeps tale quippiam
ageret, ideo poëta non satis decorè vi-
rum principem tale quippiam agentem in-
duceret; ita eo tempore, quia decorum
habebatur sibi, & hospitibus ministrare, i-
deo poëta non peccat, quum ptimarios vi-
ros inducit hospitibus ministrantes. Qua-
re distinguamus ætates, neque Homerum
accusemus, sed potiùs Virgilii judicium
suspiciamus, qui quum Homerum maxi-
mè admiraretur, Homericæ simplicitati ma-
gnificentiam sui sæculi admiscuit. Quo-
circa quo splendore, quo luxu, quo ap-
paratu Regum celebrat convivia, neque
unica tantum famula mensam apponit,
carnes coquus congerit, pocillator vina
miscet. sed [c] illi

Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum struere, & flammis adolere penates;
Centum aliæ, totidemque pares ætate ministri,
Qui dapibus mensas onerent, & pocula ponant

Nec Virgilianum convivium simpliciter, &
sine ullo strepitu, quemadmodum illa Ho-
merica, apparatur [d]

At domus interior regali splendida luxu
Instruitur, mediisque parant convivia tectis,
Arte laboratæ vestes, ostroque superbo,
Ingens argentum mensis, cælataque in auro
Fortia facta patrum, series longissima rerum
Per tot ducta viros antiquæ ab origine gentis

in quibus universis non ingenia, sed ætates
discrepant poëtarum. Sed ut eò revertar, un-
de me ingeniorum maximotū contemplatio,
nescio quo pacto, avocavit, quum heroicis 2
temporibus viri principes paucis essent con-
tenti, eaque sibi parare non erubescerent,
paucis etiam servis indigebant, atque eo sæ-
culo feliciùs res humanæ se habebant; quum
neque luxus indolem fregisset animorum,
neque auri cupido, gemmarumque ingenia
corrupisset, & quanto quisque paucioribus
indigeret, tantò præclarior haberetur, ne-
que multis mancipiis homines, sed suis cu-
piditatibus imperarent. Sed hanc discipli-
næ severitatem magno generis humani malo
ad molliora flexerunt posteriora tempora;
& quum a rectâ vitæ ratione ad superbiam,
luxuriamque quasi quodam æstu cupidita-
tum homines essent ablati, modum tenere
haudquaquam potuerunt; & quum multa
ad corporis cultum, multa ad opum osten-
tationem requirerent, magno etiam servo-
rum numero, magnâ fortunæ pompâ uti
cœperunt. Hinc ab Auctoribus servorum
greges, agmina, cohortes, legiones non
magnificè magis, quàm verè memorantur:
hinc non solùm privatorum securitas ce-
pta labefactari, quum tot quisque domesti-
cos hostes domi inclusos contineret; sed
etiam publica, quum multis partibus ma-
jor servorum capitum numerus, quàm li-
berorum haberetur; ex quo multa bella,
multæ civitatum clades extiterunt, inter
quas non ultima fuit Spartanorum calami-
tas, quam jam memoravimus, & cujus no-
ster Auctor mentionem facit. Hoc autem
malum, quibus auctoribus ortum fuerit, &
quo pacto in immensum creverit, dicam;
neque commemorabo id, quod omnes fe-
rè sciunt, natas a bello servitutes, & ser-
vos a [e] servando nominatos; fuit illa hu- 3
manitatis plena ratio parcere vitæ bello ca-
ptorum, neque longiùs progredi ferri li-
centiam pati, quàm quò necessitas coge-
ret; illi autem reprehendendi, qui primi
mancipia ære comparare, & hominum, &
libertatis rei nullo pretio æstimandæ nun-
dinas instituerunt. Id autem [f] primi fecis-
se dicuntur Chii, qui mancipia pretio prin-
cipes paraverunt, nec id illis cessit impu-
nè; siquidem [g] paulò post a Drimaco fugi-
tivo bello victi leges acceperunt, & multis
deinde sæculis elapsis, quasi Deo ejus facti
pœnas repetente, Chii a Mithridate in ser-
vitutem redacti, traditi sunt servis vincti,
ut in Colchorum terram transueherentur.
Sed [h] & Lacedæmonii, qui servitium in-
venis-

[a] Chrysipp. apud Athen. libr. 1. cap. 15. [b] V. Athen. ibid. [c] Virgil. Æneid. libr. 1. [d] Virg. ibid. paulo superius. [e] §. Servi 3. Instit. titul. de jur. Pers. [f] Athen. libr. 6. cap. 18. [g] Athen. ibidem. [h] Athen. ibid.

venisse traduntur, pœnas dederunt facti sui,
& a Messeniis, quibus pro servis utebantur,
in summum periculum adducti sæpenumero
libertatem pæne amiserunt. Nec
ideo aliæ gentes deterritæ, & præcipuè Ro-
4 mani, qui nec propriis etiam cladibus moti,
& [a] Euni, Athenionisque [b] rebellantium
victoriis, crescenti in dies multitudini
servitiorum nullum modum adhibuerunt.
Causa autem fuit hujus rei luxus, qui quotidie
in immensum gliscebat; Sapientes, &
priscæ parcimoniæ viri paucis erant contenti
servitiis. Plato [c] servos tres dicitur
habuisse, duos Stoicorum Zeno [d] princeps,
nullum [e] Diogenes: Scipio, qui Africanus
est [f] appellatus, quum ad leges dandas Regibus
proficisceretur, quinque servorum usus
est ministerio; Cæsar quum [g] in Britanniam
Galliarum victorem exercitum traiiceret,
trium: Cato quinque servos Consul
in Hispaniam duxit. Sed illi, qui omnia
5 sua extra se collocabant, sibi homiles, & abjecti
videbantur, nisi ingenti servorum agmine
stipati incederent; itaque legimus
apud [h] Athenæum Romanos illos, qui decem,
aut viginti millia servorum possidebant,
magnam eorum partem secum per urbem
duxisse, quæ servorum agmina cum ad
augendum splendorem domini, tum ad populum
submovendum comitabantur. Hinc
Sanctissimus vir [i] Joannes Chrysostomus ita
de divitibus loquitur τί γάρ σοι βούλεται
τὰ πλήθη τῶν οἰκετῶν; καὶ τὸ σοβεῖν ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς;
μὴ γὰρ μεταξὺ θηρίων περιπατεῖς, ὅτι ἀπελαύνεις
τοὺς ἐντυγχάνοντας: μὴ φοβηθῇς, οὐδεὶς δάκνει
τῶν προσιόντων, καὶ πλησίον σοι βαδιζόντων:
ἀλλὰ γὰρ ὕβριν ἡγῇ τὸ μετὰ πάντων συμβαδίζειν,
καὶ πόσης τοῦτο ἀνοίας; τὸν μὲν ἵππον πλησίον ἑπόμενον
μὴ νομίζειν φέρειν ὕβριν, ἄνθρωπον δὲ εἰ μὴ ἀπὸ
μυρίων ἐλαύνοιτο σταδίων καταισχύνειν ἡγεῖσθαι:
hoc est: *quid sibi volunt servorum turbæ? quid
obvios refert in foro submovere? nunquid inter
feras ambulas, quòd decedere jubes occurrentes?
ne timeas; nemo accedentium, & prope
te ambulantium mordet; sed enim contumeliam
ducis cum omnibus incedere; quantæ
autem stultitiæ est, equum quidem prope te subsequentem
non existimare dedecus afferre; hominem
autem, nisi submoveatur a multis stadiis,
probro esse ducere?* Ex quibus verbis intelligi
potest quanta fuerit multitudo famulorum,
quæ viros opulentos, & potentes
præcedebat, quum populus a tanto intervallo
submoveretur. Jam verò quantus
6 fuerit servorum usus, & quæ multitudo vel
ex eo conicere possumus, quod nullum
non artificium servorum operâ expediebatur.
Nam & servis medicis utebantur; hinc
Paulus Orosius narrat urbem premente fame
servos Româ pulsos ferè omnes præter
medicos, & præceptores; & [l] Justinianus
servos medicos ceteris anteponit; notarios
quippe quinquaginta solidis; medicos verò
sexaginta, reliquos artifices triginta æstimat.
Nec unus omnes medicinæ partes
profitebatur; siquidem & clinicos medicos,
& chirurgos, & iatraliptas, & ocularios, &
medicas, quæ scilicet muliebribus morbis
mederentur, fuisse animadvertimus; ut in
eadem sæpe familiâ esset turba medicorum.
Sed & puerorum curæ servos præficiebant,
qui pædagogi vocabantur; quò fiebat, ut
absurdo planè more sub quodam servorum
imperio liberi homines educarentur; hinc
Auctor de caussis corruptæ eloquentiæ liberorum
curam vilissimis mancipiorum queritur
damandari; & lex Ælia [m] Sentia minori
viginti annis pædagogum manumittere
permittebat. Quin & disciplinas, quæ
liberales appellantur, propterea quod libe-
ro homine sunt dignæ, servi tradebant. 7
Qua de causâ Seneca tradit fuisse Romæ libero
homini turpe docere, quod esset dicidisse
pulcherrimum; & Suetonius Tranquillus
memoriæ prodidit, immensa fuisse
pretia grammaticorum; & Luctatiom Daphnidem
docentis millibus nummûm a Quincto
Catulo emptum; ut minimè mirum sit
servos etiam philosophiam attigisse, & Diogenem
[n], qui unus omnium Mortalium maximè
liber fuit, servitutem servisse; & Phædonem
Socraticum, & Menippum, cujus
Varro Satyras est imitatus, quas appellavit
Menippeas; & Polum, & Perseum, quorum
alter Philostrato Peripatetico, alter Zenoni
Stoico servivit; & Epicuri servum,
qui Mys vocabatur, non incelebrem fuisse
tradunt auctorem sapientiæ; & [o] Epictetum
vindicem libertatis verè philosophantium
servili conditione fuisse, testatur ipse
Epictetus. Sed omnium artium liberalium
musicam servi maximè exercebant, quos
deliciarum causâ nobiles homines multos 8
habuisse constat. Hinc in oratione pro Milone
Cicero narrat Milonem, quum Lanuvium
proficisceretur, symphoniacos uxoris
pueros duxisse; & in quinctâ Verrinâ
tradit Verrem captâ navi piraticâ symphoniacos
sex cuidam amico muneri misisse
Romam. Neque immerito hæc ars inprimis

[a] Luc. Flur. libr. 3. cap. 19. & Athen. libr. 6. c. 21. & Paulus Orusius libr. 5. cap. 5. & Eutropius libr. 4. cap. 3. [b] Cicer. in 5. in Verrem Action. & Asconius Pedianus in 4. in Verrem Action. [c] Senec. de Consulat. ad Helviam cap. 12. [d] Sen. de Consul. ad Helv. cap. 12. tradit nullum servum habuisse. [e] Manes illius servus aufugit Diogen. Laërt. libr. 6. segm. 55. Ælian. var. histor. libr. 13. cap. 28. & Senec. de Tranquill. cap. 8. [f] Athen. libr. 6. cap. ult. [g] Athen. ibid. [h] Idem ibid. [i] D. Jo: Chrysostum. in Epist. D. Pauli ad Corinth. 1. cap. 15. Homil. 40. [l] L. In communes 1. §. Ne autem 5. Cod. de Comm. serv. manum. [m] §. Eadem Inst. Tit. Quib. manumitt. &c. [n] A. Gell. libr. 2. c. 18. [o] Apud A. Gell. ibid.

mis a servis colebatur; non enim ferè con-
vivia [a] beatorum hominum sine cantoribus
celebrabantur, quos viri nobiles non pre-
tio liberos conducebant, sed domi servos
habebant; atque hoc est quod Horatius ly-
ram [b] alloquens dixit:

Nec loquax olim, neque grata; nunc &
Divitum mensis, & amica templis

Græci verò non servis utebantur cantori-
bus, sed ut Hesychius est auctor, circum-
9 ferebant in conviviis citharam, ad quam
ipsi canebant; unde [c] Themistocles, quum
in convivio lyram recusasset, habitus est
indoctior; neque secus faciebant antiqui
Romani, quos cantu celebrare solitos lau-
des fortium virorum Cato [d] memoriæ pro-
didit; a quo more tam longè Romani po-
stea recesserunt, ut, Qintiliano teste, omne
convivium streperet obscenis cantibus; qua
de causâ laudatur a Claudiano [e] Stilico,
quum ait

..... nullo citharæ convivia cantu,
Non pueris lasciva sonant .....

Et sanè deliciis Alexandrinis digna audie-
bantur, & quod est deterius, visebantur;
siquidem saltatriculæ tonsæ lascivia moti-
bus convivarum libidinem irritabant, quod
acerrimus insectator vitiorum Juvenalis non
tacuit satyrâ [f] undecimâ, cujus illi sunt
versus:

Forsitan expectes, ut Gaditana canoro
Incipiat prurire choro, plausuque probatæ
Ad terram tremulo descendant clune puellæ,
Irritamentum Veneris languentis.....

Meritò igitur sanctissimus ille Cæsarum The-
10 odosius [g] has turpissimarum illecebras vo-
luptatum conviviis adhiberi lege latâ pro-
hibuit; quid enim opus est inter epulas præ-
textatis verbis, obscenisque spectaculis pru-
rientem libidinem incitare? satis illa con-
vivii hilaritate, lautioribus epulis, capacio-
ribus poculis inflammatur; meritò etiam
hujusmodi animorum corruptelas philoso-
phantium convivia respuerunt; nec [h] in
Symposio Platonis placuit admitti psaltriam,
quum quidam postulassent. Sed [i] doctis, &
sapientibus viris in seipsis positæ sunt vo-
luptates, neque indigent arte musicâ verè
philosophantes, quum præstantiorem ipsi
musicam factitent, quæ non in vocum, fi-
diumque cantu, sed in morum, virtutum-
que concentu sita est. Et sanè cur aliunde
accersitas oblectationes desiderent, quum
sermone uti possint non opico, & rudi,
sed scito, & eleganti; quum jocis convi-
valibus possint, quum jucundissimis fabel-
lis oblectari? Imperiti verò quum sibi ipsis
ferè displiceant, non sine causâ externas
voluptates requirunt; neque solùm femi- 11
nas saltatrices, similesque mulierum salta-
tores; verùm etiam [l] Citharœdos formâ li-
berali, longâ comâ decoros, fidicinas [m] e-
ximiâ pulchritudine, sambucistrias [n], tibi-
cinas [o], crotalistrias, cymbalistrias, fistu-
lâ pueros canentes, choraulas, hydraulas,
tympanistrias, lyristas epulis lautioribus
adhibebant; quorum quanta fuerit multi-
tudo Seneca [p] declarat his verbis: *in com-
messationibus nostris plus cantorum est, quàm
olim in theatris fuit spectatorum*. Neque ve-
rò solùm turbâ musicorum solita divitum
triclinia frequentari, sed etiam scurris, mo-
rionibus, nanis, præstigiatoribus esse acce-
pimus; Plinius [q]: *accepi litteras tuas, qui-
bus quereris tædio tibi fuisse quamvis lautissi-
mam cenam; quia scurræ, cynædi, moriones
mensis inerrabant*; & [r] Athenæus de Nuptiis
Hippolochi Macedonis: μεθ' ὃς ἐσῆλθον ἰθύ-
φαλλοι, καὶ σκληροπαίκται, καὶ τινὲς καὶ θαυματουργοὶ
γυναῖκες εἰς ξίφη κυβιστῶσαι, καὶ πῦρ ἐκ τοῦ στόματος
ἐκριπίζουσαι γυμναί, hoc est: *post hos Ityphal-
li, & Scleropæctæ, & aliquæ feminæ præstigia-
trices per erectos gladiorum mucrones se pro-
volventes, & ignem efflantes ex ore*. Aderant
præterea formosi pueri, qui ad cyathos mi- 12
nistrabant; horum præcipua laus habeba-
tur, si quàm elegantissimè vina infunderent,
poculaque aptissimè porrigerent; Xenophon
libro primo de Cyri institutione: οἱ δὲ τῶν
βασιλέων οἰνοχόοι κομψῶς τε οἰνοχοοῦσι, καὶ καθαρίως ἐγ-
χέουσι, καὶ διδόασι τρισὶ δακτύλοις ὀχοῦντες τὴν φιά-
λην, καὶ προσφέρουσιν ὡς ἐνδοῖεν τὸ ἔκπωμα εὐληπ-
τότατα τῷ μέλλοντι ἐκπίνειν, hoc est: *horum
autem Regum pocillatores eleganter vina mi-
scent, infunduntque puriter, & præbent digi-
tis tribus phialam gerentes, & ita porrigunt,
ut poculum tradant ad capiendum aptissimè bi-
bituro*. Grandiores [s] autem pueri & ipsi ni-
tidi, comptique, & vel omnino intonsi,
vel crinibus in orbem præsectis, aquam af-
ferebant [t]; aderant & alii adolescentes pri-
mæ lanuginis, quibus graviora ministeria
committebantur. Atque horum servorum
greges pædagogia vocabantur, ut Seneca
de beatâ vitâ testatur his verbis: *quare pæ-
dagogium pretiosâ veste succingitur*; & Ter-
tullianus in Apologetico: *quum de pædago-
giis aulicis nescio quem cynædum Deum facitis*.
Ex quibus constat, quid significet [u] Ulpia-
nus de fundo instructo, ubi sic ait; *si in-* 13
stru-

[a] Plutarch. de Musicâ in fine. [b] Horat. libr. 3. Ode 11. [c] Cicer. Disput. Tusc. libr. 1. in princip. [d] Cato de Originib. apud eundem Cic. Tusc. Disput. libr. 4. [e] Claudian. in princip. cons. Stilich. carm. 22. v. 141. [f] Juvenal. Satyr. 11. v. 162. [g] Aurel. Vict. in Theodosio. [h] Plato in Convivio, & Macrob. libr. 2. cap. 1. Saturnal. [i] Plato in Protagorâ. [l] Virgil. libr. 1. Æneid. in fine.

[m] Jul. Capitolin. in Vitâ Veri, & D. Hieronym. in Epistol. ad Furiam. [n] Tit. Liv. Decad. 3. libr. 9. & A. Gell. libr. 1. cap. 11. [o] Sil. Ital. Punicor. libr. 6. [p] Senec. Epistol. 84. [q] Plin. libr. 9. Epistol. 17. [r] Athen. libr. 4. cap. 1. [s] Phil. Judæus libr. de Vitâ Contempl. [t] Petron. in Satyr. [u] L. quæsitum 12. §. Si instructum, ff. de Fund. instr.

structum fundum legasset, ea pædagogia, quæ ibi habebat, ut quum eò venisset, præstò essent in triclinio, legato contineantur. Aderant & pueri, quos *ad pedes* appellabant, quod stabant ad pedes, quemadmodum Seneca testatur his verbis libro tertio de beneficiis: *Servus, qui cenanti ad pedes steterat, narrat, quæ inter cenam ebrius dixisset;* & [a] Cicero, quum ait: *nec aliam ob causam Pollucem servum a pedibus meum Romam misi;* hos autem etiam *circum pedes* Cicero vocat in secundâ Verrinâ: *Servos*, inquit, *artifices pupilli quum haberet domi, circum pedes autem homines formosos, & litteratos.* Ex quo [b] notatur Ca-
14 ligulæ intoleranda superbia, qui senatores summis honoribus gestis cenanti sibi ad pedes stare passus est. Præterea verò conviviis aderant Structores, qui quantâ arte scinderent aves, & reliqua, declarat his versibus Juvenalis [c]

Structorem interea, ne qua indignatio desit,
Saltantem spectes, & chironomonta volanti
Cultello, donec peragat dictata magistri
Omnia; nec minimo sanè discrimine refert,
Quo gestu lepores, & quo gallina secetur.

& [d] alio in loco

Sed nec Structor erit, cui cedere debeat omnis
Pergula, discipulus Tryphæri doctoris....

Et ut aliquando e triclinio exeamus, in quo diutiùs, quàm oporteret, fumus immora-
15 ti; neque enim propositum nobis convivia Antiquorum describere, sed ostendere, quantus fuerit servitiorum numerus; & tamen ex hac ipsâ turbâ, quæ in triclinio ministrabat, colligi potest reliquorum mancipiorum multitudo. Nam si cenantibus dominis tot servi præstò erant epulas mensis [e] inferentes, vina miscentes, tripudiantes, canentes, tot [f] scurræ, moriones [g], nani, præstigiatores, histriones [h], aretalogi, structores, symphoniaci [i], exoleti [l], partim aquam afferentes, partim disponentes argentum, partim stantes ad pedes, sputa detergentes, nihil agentes, ut, Senecâ teste, populi capaces cenationes requirerent, quantum in agris, quantum in ceteris ministeriis servorum fuisse dicemus? Itaque non abutar patientiâ vestrâ, Auditores, neque diutiùs immorabor in recensendâ [m] mediastinorum, coquorum [n], amanuensium [o], anagnostarum [p], librariorum, notariorum, vestitorum, tabellariorum, aucupum, atriensium [q], capsariorum [r] turbâ. Sed illud satis magnum vobis erit argumentum servo- 16
rum multitudinis; non unus, exempli causâ, servus universæ præerat supellectili, sed singulis generibus mancipia præficiebantur. Quamobrem ex veteribus inscriptionibus didicimus, servorum alios ab auro escario, alios ab auro potorio, alios ab auro gemmato, alios ab argento potorio, alios ab argento escario, alios a Corinthiis, alios a veste fuisse. Jam verò quibusdam ministeriis admodum exiguis dictu servos occupatos habebant; itaque in veteri sepulcro legimus quamdam ancillam fuisse a curâ catellæ; jam cunis infantium movendis quosdam præfuisse dubitare non possumus, quum in vetere lapide legamus:

D. M. Teiæ Threptæ Sororis piissimæ Cunariæ;

& [s] Martialis dixerit

Cunarum fueras motor Charideme mearum

Jam quosdam fuisse corporis tractatores, ac tractatrices, quæ, quive corpus fricarent, testatur idem Martialis [t] hoc versu

Percurrit agili corpus arte tractatrix

& [u] Seneca: *an potiùs optem, ut malacissandos articulos exoletis meis porrigam, ut muliercula, aut aliquis in mulierculam ex viro versus, digitulos meos ducat?* Jam ancillas quasdam fuisse umbelliferas, quasdam vestiplicas, quæ vestem plicarent; quosdam famulos avium fartores, qui aves saginarent, fuisse, quosdam junctores, qui jungerent equos, præclaris Auctoribus credi convenit: jam cursores tanto numero locupletes dominos præcessisse, ut agminum speciem præberent, quis inficietur? quum Seneca dicat: *omnes jam ita peregrinantur, ut illos Numidarum præcurrat equitatus, ut agmen cursorum antecedat.* Denique non defuisse, qui id muneris haberent, ut vas obscenum do- 17
minis præberent, quis ex [x] Petronio Arbitro non didicit? apud quem Trimalcio lautissimus homo digitis concrepuit, ad quod signum matellam spado ludenti supposuit; quò respexit & [y] Martialis, qui dixit:

Digiti crepantis signa novit Eunuchus

Jam si velim rura peragrare, infinitam servorum multitudinem possim recensere, qui quum tot servorum greges in privatis essent familiis, quantos in domo Princi-

a Cicer. ad Attic. libr. 8. epist. 5. b Sueton. in Vitâ Caligul. cap. 26. c Juvenal. Satyr. 5. v. 120. d Idem Sat. 11. v. 136. e Virg. Æneid. libr. 1. in fine. f Jul. Capitol. in Æl. Vero. g Æl. Lamprid. in Alexandr. Sever. h Suet. in August. cap. 75. i Cic. Act. 5. in Verr. l Martial. libr. 3. epigr. 82. & Senec. Epist. 66. in fin. m Horat. libr. 1. Epist. 14. vers. 14. Non. in V. Mediastinus. L. 1. §. Ceterùm ff. Naut. caupon. n Cicer. in Pison. o Sueton. in Vitâ Neron. cap. 44. p Cic. ad Att. libr. 1. Epist. 9. q L. 1. §. Ceterum si quis ff. Naut. caupon. stabul. Cic. in Pison. & in 5. Paradox. Colum. libr. 12. cap. 3. & Apulejus in libr de Mundo. r Juvenal. Satyr. 10. v. 216. & in L. Nam salutem §. ult. ff. de offic. præf. vig. & Cujacius libr. 5. Observat cap. 8. & Sueton. in Neron. cap. 36. s Martial. libr. 11. epigr. 50. t Idem libr. 3. epigr. 82. u Senec. Epist. 66. in fine. x Petron. arbit. in Satyric. y Martial. libr. 3. epigr. 82.

pis, quantos credibile est in urbibus fuisse universis, & in Urbe urbium Regina? quid ergo mirum, si graves aliquando fuerunt Rebuspublicis, quum adversùs liberos infinitis partibus plures insurgerent servi?

DISSERTATIO XXII.

In qua de funeribus Antiquorum disceptatur.

Defunctorum laudationes quis instituerit. Curules magistratus adepti imagines Majorum consequi dicebantur. Alexander Severus Ciceronis, Virgilii, Achillis, & aliorum heroum imagines habebat in Larario secundo; Alexandri verò Magni simulacrum inter Divos collocarat. Antonini Philosophi imaginem qui non haberet, quum posset, sacrilegus habebatur. Προτίθεμαι significat propo- nere, *& est proprium funerum; cui simile est verbum* producere. *Augustus auditâ clade Varianâ caput foribus illidebat. Præficarum munus. Nænia quid esset, & quis ejus auctor? Mulieres effusissimæ in lacrimas: Quid esset tacitum funus.*

MOrtuorum colere monumenta, & eorum, qui nobis in vitâ cari, acceptique fuerunt, laudes celebrare acerbum quidem, sed gratum solatium vivorum esse, nemo est adeo humanitatis expers, qui non fateatur; neque enim lacrymæ ullæ dulciores, quam quæ in amicorum funeribus profunduntur, neque memoria ulla jucundior eâ, qua eorum facta recoluntur;
1 sed carorum hominum desiderio illacrimari,
magnificaque extruere monumenta, & eorum memoriam ad Posteros propagare, non injucundum fortasse privatis, inutile certè Reipublicæ fuerit, nisi, quos celebres, factis æternitatem nominis meruerint. Sed ubi clarorum virorum memoriam colas, funeris pompa, luctus civitatis, funebres laudationes, extructæ in altum moles, omnes numeros, & pietatis habent, & honestissimæ utilitatis. Idcirco institutum, ut bene de Republicâ meritorum hominum laudationes publicè haberentur; non ut inani luctu cives defuncti exequias honestarent, sed ut virtutum memoriâ ad laudem excitarentur. Hunc autem adeo laudabilem morem quis invenerit, dubitatur, nam alii hujus auctorem Solonem [a] fuisse tradunt, alii Valerium Publicolam, qui Brutum Romanæ libertatis vindicem, pro Patriâ defunctum laudaverit; ut non satis constet Græcis, an Romanis hujus inventi gloria debeatur; utrisque certè clarorum hominum memoria eximiè culta est, & celebrata. Nam Romani non solùm viros, verùm etiam feminas
illustres funebri laudatione defunctas af- 2
fecerunt; & in Circensi pompâ imagines insignium virorum tulerunt, & magnorum Ducum nomen saliari carmini inseruerunt; quod genus [b] honoris Germanico decretum esse, memoriæ proditum est; & domi quisque Majorum imagines, qui honores gesserant, & egregiis facinoribus immortalitatem meruerant, vel cerâ, vel marmore expressas habebat. Quocirca qui curules magistratus adipiscebantur, imagines Majorum consequi dicebantur, ut intelligi potest ex Cicerone; nec Majorum modò effigies, sed aliorum præstantium, vel ingenio, vel rerum gestarum gloriâ virorum simulacra coluerunt. Hinc [c] Alexander Se-
verus Ciceronis, & Virgilii, Achillis, & a- 3
liorum heroum imagines in Larario secundo dicitur habuisse; Alexandri verò Magni simulacrum inter Divos collocasse; & post Antonini Philosophi mortem, qui ejus imaginem, quum posset habere, non haberet, sacrilegus putabatur. Sed & in Curiâ in augustissimo Orbis terrarum templo statuas, & clypeos clarissimis hominibus posuerunt; ut quo loco virtus, & ingenium maximè enitebat præstantium Senatorum, ibi præcipuè coleretur; sed nec Græci minores hominibus excellenti virtute præditis, qui fato concesserant, honores detulerunt. Nam,
ut omittam ingentem statuarum multitudi- 4
nem, quas egregiorum civium, & optimorum ducum virtuti erigebant; ut nihil dicam, quòd publico sumptu in [d] Prytaneo Athenienses alebant bello interemptorum Liberos; quòd mortuorum memoriam Deorum immortalium cultu, atque honoribus consecrarunt; hujus exemplum rei Thucydides proponit in libro secundo historiarum; quo in loco describit funeris pompam, quod iis duxerunt Athenienses, qui in bello pro Patriâ pugnantes ceciderant, de quorum virtute Pericles eloquentissimus ætatis illius orator, & clarissimus civis luculentissimam habuit orationem, quæ ἐπιτάφιος inscribitur; ubi quoniam funeris ordinem, & exequiarum formam fusiùs persequitur, nos etiam Thucydidis verbis inhærentes ea afferemus in medium, quæ ad Thucydidem illustrandum pertinent, & occasione sumptâ nonnulla de funeribus disseremus. Verùm antequam ad dicendum de hisce rebus accedamus, funeris ordinem breviter exponemus, quo noster Auctor elatos

[a] Plutarch. in Vitâ Publicol. [b] Corn. Tac. Ann. libr. 2. num. 83. [c] Æl. Lamprid. in Alexandr. Severo. [d] Cicer. libr. 1. de Orat. & T. Liv. Dec. 5. libr. 1.

tos proditeos, qui in pugnâ fuerant interempti; Græca autem verba, ne simus longio-
1 res, ponere supersedebimus; sic igitur Thucydides [a] publicum funus tradit esse celebratum; defunctorum corpora in quodam
5 tentorio proponebant, ut cuivis liceret accedere, & quæ vellet, inferre; quum verò ea essent efferenda, arcas e cupressu factas agebant plaustra singula singularum tribuum; inerant autem ossa eorum, qui ejus tribus erant; unus verò lectus inanis ferebatur stratus eorum, qui non comparuerant; efferebant autem, qui vellent tam hospitum, quàm civium; cognatæ verò feminæ cum comploratione muliebri præsentes erant sepulturæ, quæ publica fuit in suburbano loco pulcherrimo, qua condere solebant omnes, qui in bello cecidissent; præterquam eos, qui in Marathoniis campis occubuerunt; quorum virtutem eximiam, & singularem judicantes, eodem in loco monumentum, ubi mortem oppetierant, condiderunt. Quum verò corpora humo condita fuerant, vir, qui ceteris prudentiâ, & arte dicendi præstare videretur, & dignitate princeps esset civitatis electus a populo, de laudibus interemptorum orationem habebat, qua auditâ, unusquisque discedebat. Atque his ferme verbis, quibus usi sumus, a Thucydide funeris pompa describitur; nunc ad Thucydidis locum illustrandum pergamus. Ac primum se se nobis obiicit adno-
6 tandum verbum *προτίθενται* quod est funerum proprium, & significat *proponere*; ductum est autem ex veteri more, quo cadavera ante ostium pedibus viam spectantibus proponebant; quemadmodum Lipsius in Electis docet; utitur autem eodem verbo Lucianus in sermone *περὶ πένθους*; ita enim loquitur: *καὶ μύρῳ τῷ καλλίστῳ χρίσαντες, καὶ στεφανώσαντες τοῖς ὡραίοις ἄνθεσι προτίθενται*, & Euripides in Hecubâ

Προθώμεσθ᾽ ὡς μὲν ἀξίαν πόλιν
Οὐκ ἂν δυναίμην ......

Quod [b] Virgilius fortasse dixit ponere in hoc versu.

Sic, o sic positum affati discedite corpus.

Cui non absimile est verbum *producere*, quod spectat ad funera, quo Virgilius utitur in his [c] carminibus:

.... *nec te, & tua funera mater*
Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi
Veste tegens.......

& Statius:

Spectatumque Urbi scelus, & puerile feretrum
Produxi ....

Videtur autem noster Auctor indicare sic Veteres corpora posuisse, ut volentibus potestas fieret adeundi, deplorandique, & dona afferendi, quæ omnia runc acta præclari scriptores memoriæ prodiderunt. Nam
Lucianus, ubi productum cadaver descripsit, 7
addit statim: *deinde sequuntur ululatus, luctusque feminarum, & ab omnibus fusæ lacrymæ, contusa pectora, laceratæ comæ, genæ unguibus cruentatæ, abscinditur vestis, pulvere caput aspergitur; & viventes defuncto sunt longè miserabiliores; hi quippe humi volutantur, & sæpenumero caput illidunt pavimento.* Quibus in verbis Lucianus recenset omnia, quæ fieri solebant in luctu; qui locus illustrari potest locis poëtarum pæne innumeris; nos paucis erimus contenti; sic Tibullus [d] ad Deliam:

Tu manes ne læde meos, sed parce solutis
Crinibus, & teneris, Delia, parce genis

sic apud Euripidem

Jacet Hecuba miserum pulvere aspergens caput

sic [e] apud Virgilium

Ducitur infelix ævo confectus Acetes
Pectora nunc fœdans pugnis, nunc unguibus ora,
Sternitur & toto projectus corpore terræ.

Sic [f] Tibullus non renuit

..... *Tellurem genibus perrepere supplex,*
Et miserum sancto tundere poste caput

Quod genus luctus [g] Augustus usurpavit au- 8
ditâ clade Varianâ, quem adeo consternatum ferunt, ut per continuos menses caput interdum foribus illideret. Atque hæc funeris tragœdia non solùm vero luctu, sed etiàm ficto celebrabatur; nam [h] præficæ mercede conducebantur, quæ mortuum flerent, & versibus etiam ad fides, & tibias laudarent, Plautus [i] in Truculento

..... *Argutum* [inquit] *civem mihi habeam pro præficâ,*
Quæ alios collaudare absentes, se se verò non potest

Hæc autem laudatio versibus comprehensa, ut auctor est [l] Varro, Nænia dicebatur, quò respicit Horatius, quum a suo funere Nænias amovet his [m] verbis:

Absint inani funere Næniæ,
Luctusque turpes, & querimoniæ:
Compesce clamorem, ac sepulcri
Mitte supervacuos honores

Quod genus carminis a Simonide repertum ideo [n] Catullus dixit:

Mœstius lacrimis Simonideis

Hæ verò mulieres a Virgilio [o] significantur, quum dicit

At circum Iliades crinem de more solutæ

 Sed

[a] Thucyd. libr. 2. [b] Virgil. Æneid. libr. 2. [c] Virgil. libr. 9. Æn. [d] Tibull. libr. 1. El. 1. [e] Virgil. libr. 11. Æneid. [f] Tibull. libr. 1. El. 2. [g] Suet. in Vit. Augusti cap. 23. [h] Nonius Marcell. & Festus Pompejus in V. Præficæ. [i] Plaut. in Trucul. Act. 2. Sc. 6. v. 14. [l] Varro de Vit. Populi Rom. libr. 4. apud Non. Marcell. in V. Nænia. [m] Horat. libr. 2. Od. 20. [n] Catull. epigr. 39. ad Cornificium. [o] Virgil. Æneid. libr. 3.

Sed harum luctus levior; illa species mise-
9 rabilis, quum mater, paterve corpori affixi lamentarentur, & voces, quas infixus visceribus dolor exprimebat, profunderent; quum omnes cognati, omnes affinas, omnes amici, famuli, clientesque defunctum acerbissimè complorarent; & præcipuè mulieres, quarum intemperantissimus dolor, omnia luctu, ululatuque complerent. Nam mulierum, quarum in lacrimas effusissimum genus, in complorando defuncto præcipuæ partes erant, quod indicat noster Auctor, quum dicat; mulieres cum comploratione muliebri sepulturæ affuisse; & Homerus, qui in Hectoris funere solas Andromacham, Hecubam, & Helenum lamentantes, & ejulatu femineo deflentes inducit Hectoris mortem. Quò factum existimo, ut
10 quod hujusmodi lamentis, & clamoribus, & tragœdiâ publicâ funus careret, tacitum diceretur, cujus meminit Seneca in libro de tranquillitate vitæ, quum dicat: *minùs molestiarum habet funus tacitum*; & [a] Ovidius in libris tristium in hoc versu:

Formaque non taciti funeris intus erat

Quamquam non me fugit, funus tacitum esse privatum, sine designatore, sine pompâ, sine præcone, sine imaginibus; tamen eo potissimùm, quòd clamoribus careret, & luctus intra domesticos parietes contineretur, ita crediderim appellatum.

DISSERTATIO XXIII.

De iisdem Funeribus in eundem Thucydidis locum

Solon, & Epicurus ipse, qui nullum post mortem sensum superesse hominibus credidit, memoriam sui defunctorum celebrari præceperunt; quare verissimum est Pyrrhonis dictum hominem exuere difficillimum. *Galli servos, clientesque cum dominis concremabant; alii maximè dilectam defuncto uxorem immolabant; alii verò cum Rege defuncto præcipuam concubinam sepeliebant. Cupressus quare funeribus dicata esset.*

SI quis, Auditores ornatissimi, fortè naturam humani generis ignoret, quæ frequenter non ratione, & mentis nutu, sed inani ducitur opinione, profectò miretur, quid sit, quòd homines hominibus vitâ defunctis plura propemodum tribuant, quàm vivis, atque sentientibus. Non libet hoc loco [b] comme-
morare Neronis in Poppææ funere, quam 1
ipse necaverat, prodigum luxum, qui tantum supremis illis ignibus rogi dicitur consumpsisse, quantum non annuo fetu universa producit Arabia; nec Alexandri Macedonis [c] effusam magnificentiam, qui in Hephæstionis honorem decem millia talentorum fertur impendisse; nec dicam tantis impensis celebrari funera antiquitus consuevisse, ut jure [d] Plinius Arabiam nostris funeribus beatam esse factam prædicet. Minùs mirum est homines veræ rationis ignaros mutum cinerem, terramque non sentientem splendidissimis donis affecisse, & ea ad mortuum pertinere arbitratos, quæ ne vivo quidem prodesse poterant, aut afferre voluptatem; illud mirum philosophos præstantissimos voluisse post mortem sui memo-
riam celebrari; & [e] Solonem quidem suam 2
mortem amicorum fletu honestandam his versibus præcepisse:

Mors mea ne careat lacrimis, linquamus amicis
Mœrorem, ut celebrent funera cum gemitu

Epicurum [f] autem, qui hujusmodi res maximè omnium irriserit, nullumque post mortem superesse crediderit sensum hominibus, testamento cavisse, ut sui natalis memoria quotannis celebraretur; ut minùs hæc illi curasse videantur, qui animos immortales esse tradiderunt, quàm ille, qui cum corpore extingui mentem quoque est arbitratus. Nam & [g] Platonis, & Plotini dies natales a Platonicis, & in honorem Antipatri, Diogenis, & Panætii Athenis conviviis celebrabantur ab eorum sectato-
ribus, sed sponte, & non ex ipsorum ul- 3
timâ voluntate. Sed profectò, quod maximus auctor Scepticæ philosophiæ [h] Pyrrho dixit, hominem exuere Mortali difficile inprimis, atque arduum est, in hac re difficillimum; inhæret enim semper animis penitus insita quædam opinio, qua corpus illud animâ spoliatum esse hominem arbitramur eundem, qui ante vitâ fruebatur, iisdemque rebus delectari, quibus antea delectabatur. Hinc omnibus cura summa funerum, & exequiarum; sed præcipuè Romanis, atque Græcis, de quorum funeribus dicendi Thucydides nobis obtulit occasionem, qui funus ab Atheniensibus militibus celebratum, qui pro Patriâ pugnantes ceciderant, fusissimè describit; quo in [i] loco quum in tentorio quodam cadavera poni solita dixisset, ut adeundi, deplorandique pote-

[a] Ovid. Trist. libr. 1. Eleg. 3. [b] Plin. libr. 12. cap. 18. [c] Plutarch in Alexandr. Vitâ. [d] Plin. libr. 12. cap 18. [e] Plutarch. in Comparatione Solonis, & Publicolæ, & Cicero Tuscul. quæst. libr. 1. & in Catone Majore. [f] Diogen. Laërt. libr. 10. segm. 18. & Cic. de Finib. libr 2. & Plin. libr. 35. cap. 2. [g] Marsil. Ficin. in Comment. ad Conviv. Platonis. [h] Pyrrho apud Diog. Laërt. libr. 9. segm. 66. in Vitâ Pyrrhonis. [i] Thucydid. libr. 2.

potestas unicuique fieret, addit *καὶ ἐπιφέρει τῷ αὑτοῦ ἕκαστος, ἤν τι βούληται infert autem unus-quisque suo cadaveri, si quid velit*. Quod in-
4 telligendum esse puto de donis, quæ cum defuncto arsura defuncto affines, amici, cognatique afferebant; quod quoniam obscurius a Thucydide indicatur; ideo nobis allatis aliorum poëtarum, scriptorumque locis illustrandum. Euripides igitur in Hecubâ Græcos inducit Polyxenæ ferentes dona, & se invicem ad ferendum adhortantes:

..... ὁ δ' ἐς φέρων
Πρὸς τὸν φέροντος τοιάδ' ἤκουεν κακά:
Ἔστηκας, ὦ κάκιστε, τῇ νεανίδι
Οὐ πέπλον, οὐδὲ κόσμον ἐν χεροῖν ἔχων

hoc est

Et qui ferebat non ferentem munera
Sic arguebat, quid stetisti, pessime,
Ullum nec affers Virgini ornatum, aut peplum?

& Virgilius Æneam dona Pallanti splendidissima largientem facit; sic enim [a] loquitur:

Tum geminas vestes ostroque, auroque rigentes
Extulit Æneas, quas illi læta laborum
Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat, & tenui telas discreverat auro.
Harum unam juveni supremum mæstus honorem
Induit, arsurasque comas obnubit amictu,
Multaque præterea Laurentis præmia pugnæ
Aggerat, & longo prædam jubet ordine duci;
Addit equos, & tela, quibus spoliaverat hostem.

Hæc autem dona vestes erant, coronæ, odores, & ea omnia, quibus defunctus fuerat delectatus; ut & equos, & canes occisos legamus, & exoletorum, quos mortuus amaverat, sanguine parentatum; & [b] Galli quidem servos, clientesque eadem pyrâ, quâ dominum, concremabant; & [c] Indi, & [d] Thraces, & Getæ maximè dilectam defuncto uxorem immolabant, & Gerrhi Scythica gens unà cum Rege defuncto præcipuam concubinarum, pincernam, coquum, agasonem, ac ministrum sepeliebant, equosque, ac quinquaginta ex ministris præfocabant; gemmas etiam cum cadavere injectas rogo comperimus; unde illud Propertii [e]

Et solitum digito beryllon adederat ignis

Quæ dona quum, qui voluerat, attulisset, refert noster Auctor elata corpora cupressinis arcis, quod & ipsum non sine causâ facie-
bant. Nam cupressum [f] Diti sacram esse 6
Auctores prodiderunt; ideo cupressus Horatius appellat invisas, ubi [g] sic ait

...... *neque harum, quas colis, arborum*
Te præter invisas cupressus,
Ulla brevem dominum sequetur

& [h] Antiquis placuit, ut ante fores posita funeris esset signum; ideo Æthiops cupresso coronatus omen aliquando mortis fuit. Idcirco autem cupressus [i] funeribus dicata est, quoniam succisa non regerminat, sed Varro [l] auctor est eâ de causâ solitos rogos cupressubus cingi, ne pyræ tætro odore corona offenderetur multitudinis; quem morem Virgilius aspexit, quum libro sexto cecinit.

Ingentem struxere pyram, cui frondibus atris
Intexunt latera, & ferales ante cupressus
Constituunt, decorantque super fulgentibus armis

Sicut autem cupressinis arcis, ita scirpeis facibus utebantur; quamquam in funeribus puerorum cereos accepimus accendisse. Co-
mitabantur [m] & funus imagines Majorum; 7
quocirca [n] Cornelius Tacitus in Juniæ funere viginti clarissimarum familiarum imagines prælatas esse testatur; quæ ad hunc usum in atriis asservabantur, quò respexit Juvenalis [o] his verbis:

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas sola est, atque unica virtus

& auctor carminis ad Pisonem

Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroso Consule fasti?

Atque hoc est, quod Ancum [p] Livius unâ imagine Numæ nobilem dicit; hæ verò Majorum imagines circumfusæ lecto ferebantur; ideo [q] Tacitus in Drusi funere circumfusas Juliorum, Liviorumque imagines fuisse testatur. Ipse autem defunctus lecto
impositus ferebatur; nam lecto ad hoc of- 8
ficium usos fuisse Priscos accepimus, quod & Thucydides tangit in eo loco, ubi lectum inanem stratum in hoc publico funere latum esse tradit eorum, qui non comparuerant, quod & [r] Propertius indicavit, quum cecinit:

Nec mihi tum fulcro sternatur lectus eburno,
Nec sit in Attalico mors mea nixa toro

Huic autem lecto mortui præponebatur effigies;

[a] Virg. libr. 11 Æneid. [b] Jul. Cæsar. libr. 6. Commentar. Bell. Gallic. & Pompon Mela libr. 3. cap. 2. [c] Cicer. libr. 5. Tuscul. quæst. Strabo libr. 15. Valer. Maxim libr. 2. cap. 1 Phil. Judæus in libr. de Abrahamo, Solin. cap. 65. & Euseb. Præparat. Evangel. libr. 6. cap. 8. & Propert. libr. 3. Eleg. 7. & Plutarch. in Libello, Quod ad infelicitatem satis sunt Vitia. [d] Herod libr. 5. cap. 5. Pompon. Mela libr. 2. cap. 2. & Solin. cap. 15. & Diod. Sicul. libr. 19. [e] Propert. libr. 4 Eleg 7. [f] Plin. libr. 16. c. 33. [g] Hor. l. 2. Od. 14. [h] Plin. libr. 16. cap. 33. [i] Fest. Pomp. libr. 3. [l] Varro apud Servium in hunc libr. 6. Æneid. locum. [m] Plin. libr. 35. cap. 2. [n] Cornel. Tac. Annal. libr. 3. in fin. [o] Juvenal. Satyr. 8. v. 18. [p] T. Liv. libr. 1. [q] Cornel. Tac. libr. 4 num. 9. Annal. [r] Propert. libr. 2. Eleg. 13.

figies; Cornelius Tacitus: *præpositam toro effigiem, meditata ad memoriam virtutis carmina*; nec unus tantum torus, sed plures in illustrium virorum funeribus portabantur; siquidem in [a] Marcelli funere sexcentos lectos, in [b] Syllæ sex millia lectorum, fuisse accepimus. Verumtamen id crediderim factum ubi magnus aliquis, ac magnâ dignitate vir, aut Imperator efferebatur; tunc enim illa funeris tragœdia magnificentiùs celebrabatur; tunc præcedebant incompta signa, versi fasces, numerus [c] ingens servorum, quos defunctus libertate donaverat, & reliqua pompa, & apparatus magnæ fortunæ ad sepulturam extinctum comitabantur; quod [d] fieri solitum Cornelius Tacitus indicat, & Pedo Albinovanus in Elegiâ ad Liviam his verbis:

9

Quos primùm vidi fasces, in funere vidi,
Et vidi versos, indiciumque mali.

& Statius libro sexto Thebaidos

..... *versis ducunt insignibus ipsi*
Grajugenæ Reges.....

Quò respexit [e] Ovidius, quum in funere Tibulli cupidinem inversam pharetram ferre deplorat eleganter

Ecce puer Veneris fert eversamque pharetram,
Et fractos arcus, & sine luce facem

Comitabantur & mortuum non solùm clientes, cognati, amici, sed etiam amicorum consanguinei, & alii, qui cum his erant familiaritate conjuncti; quare apud Terentium Phædriæ pater prodit in funus mulieris, cui Phædria amicitiâ conjunctus erat; sic enim loquitur:

Quid multa? ego quoque ejus causâ in funus prodeo.

DISSERTATIO XXIV.

In qua de Funeribus disputatur, ut in Superioribus.

Imaginarium funus quid esset, & quid cenotaphium. Manes insepultorum Antiqui errare credebant. In Urbe sepeliri mortuos prohibitum erat; Imperatoribus verò, ac triumphalibus viris, Vestalibusque concessum; sed nullus, præter Trajanum, ad invidiam declinandam sepultus est. Porta Libitinensis dicebatur ea, qua efferebantur cadavera. Flamini Diali neque fabam tangere, neque nominare licebat. An concremarentur cadavera.

Explicationem loci, quo [f] summus Auctor describit funus, quod iis, qui pro Patriâ vitam profuderant, duxerunt Athenienses, in superiore dissertatione tractavimus; sed quia temporis angustiis impediti non omnia persequi potuimus, quæ ad Thucydidem illustrandum pertinebant; ideo quædam hodierno die, quæ tunc prætermisimus, exponemus. Et, ut ab eo, quod primum occurrit, exordiamur; tradit Historicus, 1
his quorum ossa legi non potuissent, inanem lectum ferri solitum; quo in loco admonemur moris antiqui, quo solemne fuit etiam his, quorum corpora non comparebant, vel quorum aliis de causis copia non erat, funus celebrare, quod funus imaginarium a Julio [g] Capitolino dicitur. Nam, ut Ælius [h] Spartianus est auctor, imaginâ ducebatur, quo funeris genere Pertinacem Severus Imperator honestavit; sed in hoc funere, quod hic a Thucydide describitur, imagines mortuorum non sunt latæ; neque enim id fieri facilè poterat, quum & multi essent, quibus funus ducebatur, & ignoti. Hujus autem rei ea fuit ratio, quòd putabant Antiqui manes eorum, qui sepul- 2
cro carebant, vagari, nec habere portum, quo se reciperent, quod Virgilius [i] expressit his carminibus:

Hæc omnis, quam cernis, inops, inhumataque turba est;
Portitor ille Charon; hi, quos vehit unda, sepulti;
Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Transportare priùs, quàm sedibus ossa quierunt;
Centum errant annos, volitantque hæc litora circum

Quum autem errare miserrimè putarentur inho-

[a] Servius ad libr. 6. Æneid. Virgil. ad illud: *Egregium formâ juvenem, &c.* [b] Idem ibid. [c] Persius Satyr. 3. in fine, & Interpr. ibid. [d] Cornel. Tacit. Annal. libr. 2. & 3. in fine, & libr. 4. [e] Ovid. libr. 3. Amor. El. 8. [f] Thucyd. l. 2. [g] Jul. Capitol. in Vitâ Pertinac. in fin. [h] Æl. Spart. in Vitâ Severi. [i] Virg. libr. 6. Æneid.

inhonorati, & insepulti; si corpus periisset,
defuncti nomini exequias celebrabant, &
monimenta excitabant, quæ [a] cenotaphia
a Græcis appellantur. Atque hujus, & fu-
neris, & sepulcri exemplum illustre repe-
ritur apud Virgilium sexto divinæ Æneidos
libro, quo in loco sic Deiphobo ab Ænea
tradit parentatum

Tunc egomet tumulum Rhetæo in litore ina-
nem
Constitui, & magnâ manes ter voce vocavi.
Nomen, & arma locum servant, te, amice,
nequivi
Conspicere, & patriâ decedens ponere terrâ

& apud [b] Lucanum Cornelia Pompeii Ma-
gni uxor ita marito insepulto debitum pie-
tatis munus exoluit; sic enim Poëta loqui-
tur:

Collegit vestes, miserique insignia Magni,
Armaque, & impressas auro, quas gesserat
olim,
Exuvias, pictasque togas, velamina summo
Ter conspecta Jovi, funestoque intulit igni.
Ille fuit miseræ Magni cinis, accipit omnis
Exemplum pietas, & toto litore busta
Surgunt Thessalicis reddentia manibus ignem

Et ne poëtarum tantùm testimoniis utar,
Dio Coccejus in libro quinquagesimoquin-
cto prodit, Augustum Druso hujusmodi se-
pulturam in Rheni ripâ condidisse; & apud
alios poëtas, atque scriptores alia hujus fu-
neris, atque sepulturæ exempla reperiun-
tur. Quæ, ne in re pervulgatâ longior esse
3 videar, sciens prætermitto, & ad alium lo-
cum [c] Thucydidis accedo, quo tradit A-
thenienses eorum cadavera, qui in bello cæ-
si fuerant, sepelisse in suburbano loco. In
quo animadvertendum morem extra urbem
mortuos condendi Romanos ab Athenien-
sibus, quorum leges imitati sunt, accepis-
se. Itaque lege duodecim tabularum [d] ve-
titum, ne quis cadavera in Urbe ureret,
aut sepeliret; quocirca institutum, ut in Cam-
po Martio cremarentur, inditumque Portæ
Romanæ nomen, quæ Libitinensis est ap-
pellata, cujus meminit his verbis [e] Lam-
pridius; *galea ejus per Libitinensem Portam*
elata est, quæ sic dicta est, quòd per eam
mortuorum corpora efferrentur, quæ for-
tasse est eadem, ac porta Metia, de qua
Plautus [f]:

Ille ædepol videre ardentem te extra portam
Metiam,
Credo, ecastor velles .....

Pleraque autem sepulcra in viis condita com-
perimus, quæ hominum frequentiâ celebra- 4
bantur, ut viatores mortalitatis admoneren-
tur; hinc illud [g] Propertii

Marmor ad extremæ nuper humata viæ

Præcipuè verò sepulcrorum multitudo Lati-
nâ viâ spectabatur, unde [h] Juvenalis

Quorum Flaminiâ tegitur cinis, atque Latinâ

Nec nullâ ratione constitutum, ut mortui
extra Urbem humarentur, ne Pontifices,
& Sacerdotes aspectu feralium funestaren-
tur; tantâ quippe religione cautum, ut ab
omnibus funestis abessent, qui Deorum sa-
cris præerant, ut [i] Flamini Diali fabam nec
attingere liceret, nec nominare, quòd ad
mortuos pertinere putaretur; & ne Cœlum
Urbis, quod quàm saluberrimum esse opor-
teret, fœdo cadaverum odore contamina-
retur; ideo [l] cautum lege duodecim tabu-
larum, ne bustum propius sexaginta pedes
invito domino adiiceretur; quo quidem in 5
loco bustum pro sepulcro accipiendum es-
se [m] Cicero docet, quum ita scribat: *pœna-*
que est, siquis bustum, nam id puto appellari
τύμβον, violarit, dejecerit, fregerit. Atque
hic modus, quem lex duodecim tabularum
præscribit, indicatur a [n] Pomponio in le-
ge de mortuo inferendo, ubi sic loquitur: *si*
propiùs ædes tuas quis ædificet sepulcrum, opus
novum nunciare poteris; si propius ædificium
alienum intra legitimum modum mortuus illa-
tus sit, postea eum probibere non poterit ædi-
ficii dominus, quominus alium mortuum eò in-
ferat. Ex quibus quum constet leges provi-
disse, ne privatæ domus afflarentur aëre in-
salubri, quem exhalarent sepulcra, multò
magis est verisimile prospexisse publicæ sa-
lubritati. Nec tamen omnibus interdictum
in Urbe sepeliri; nam [o] Imperatoribus, tri- 6
umphalibus viris, virginibusque [p] Vestali-
bus concessum; quod tamen jus a nemine
ferè usurpatum; siquidem Eutropius narrat
solum ex Imperatoribus [q] Romanis Traja-
num in foro conditum; ceteri autem, qui-
bus permissum in Urbe sepeliri, ad invi-
diam declinandam, in forum deferebantur,
& ubi fax corpori subdita fuisset, auferaban-
tur. Tam præclarum visum in Urbe con-
sequi sepulturam, ut eum honorem usur-
pare clarissimi viri non auderent; quod Ro-
mæ feveriùs, quàm in aliis urbibus obser-
vatum est. Nam, ut [r] omittam Lacedæmo-
nem, ubi Lycurgi legibus concedebatur 7
in urbe defunctos humare, Euphronem
Sicyonij in foro humaverunt, quem, quam-
quam beneficio Patriam affecisse videbatur,
The-

[a] Suid. in V. Κενοτάφια. [b] Lucan. Pharsal. libr. 9. [c] Thucyd. l. 2. [d] Apud Cic. libr. 2. de Legibus. [e] Lampr. in Vitâ Commod. [f] Plaut. Casin. Act. 2. Se. 6. [g] Propert. l. 4. El. 7. [h] Juv. Sat. 1. v. ult. [i] A. Gell. libr. 10. cap. 15. [l] Apud Cic. libr. 2. de Legib. [m] Cicer. ibid. [n] L. Si propiùs 3. ff. de Mort. infer. &c. [o] Cic. ibid. Plutarch. in Probl. cap. 79. [p] Servius ad libr. 11. Æneid. Virgil. in eum locum: *Avectaque partim Finitimos tollunt in agros, &c.* Rosin. Antiq. Rom. libr. 8. c. 6. & Cæl. Rhodig. libr. 17. c. 19. [q] Eutrop. de gestis Rom. libr. 8. in princ. & Sext. Aurel. Vict. in Trajano. [r] Plutarch. in Vitâ Lycurgi, & Instit. Laconic.

Thebani jure interfectum judicarant, & Castricium quemdam obscurum hominem Cicero in oratione pro Flacco propter nonnulla beneficia a Smyrnæis in urbem illatum esse tradit. Nisi fortè id levitati Græcorum tribuendum est; quum Pergameni Publium Scipionem Reipublicæ Romanæ lumen eo honore non afficerint; nec Athenienses Marcellum clarissimum virum; quamquam Athenienses non levitate ducti magno viro id negaverunt, quod nemini unquam concessisse memorantur. Sed hujus arbitrium rei postea populis omnibus omnino sublatum fuit, quum [a] Antoninus Philosophus legem tulisset, ne in urbes mortui introferrentur; adeo Posteri mutaverunt
8 consuetudinem Antiquorum, ut sæculis recentioribus corpora mortuorum ne in urbibus quidem humari paterentur; antiquitus autem [b] domi quisque sepeliret. Nam de Græcis id Plato in legibus testatur; de Romanis autem Servius, quod respexisse Virgilium [c] putat, qui cecinit:

Sedibus hunc refer ante suis, & conde sepulcro

Quin [d] & larvas ideo dictas volunt, & Deos ex hoc more coli cœpisse memorant; unusquisque nimirum suos mortuos, tanquam Deos præsides domus, auguste, sanctèque venerabatur; quem morem ab Ægyptiis acceptum crediderim, quos [e] cadavera condire, & domi servare solitos animadvertimus. Atque eâ tempestate Romani mortuos non comburebant, sicut fortasse, neque
9 Græci; cujus rei illud argumentum est, quòd [f] Plutarchus tradit Megarenses mortuos ita sepelisse, ut ad ortum spectarent, Athenienses ad occasum; neque enim ortum, aut occasum spectare potuissent, si igne essent consumpti; & [g] quod Thucydides refert, quum insula Delos purgaretur, & cadavera auferrentur, dimidiam partem eorum Carum fuisse deprehensam, idque ex armaturæ genere cognitum; ex quo intelligi potest sepulta cum armis corpora, ac proinde non esse concremata. Atque id tempus fortasse respicit Alexander, ubi negat Græci [h] moris fuisse corpora mortuorum comburere, quod ipsum quærendum esse visum est. Nam Thucydides in hac publici funeris descriptione cadavera haudquaquam refert igne consumpta; & tamen scimus vetustissimum fuisse morem apud Græcos corporum cremandorum. Nam Homerus, a quo præcipua rerum antiquarum notitia jure petitur, Hectorem ustum esse a Priamo tradit, & Patroclum ab Achille; & Euripides inducit Hecubam ita loquentem

Ὡς τώδ' ἀδελφὼ πλησίον μιᾷ φλογί
Δίοιν μερίμνα μητρὶ κρυφθῆτον χθονί

hoc est

Ut duo propinquos unicâ fratres face
Curam parenti duplicem terra occulat

Et [i] fabula, quæ de fratribus Thebanis narratur, quorum rogus quum succenderetur, flamma in partes diducta contrarias esse fertur, satis indicat, Heroicis temporibus corpora mortuorum in ignem poni consuevisse. Nec de recentiori ætate potest esse dubium, quin eo tempore mortui cremarentur, quum [l] Thucydides ipse in descriptione pestilentiæ sic dicat: ἐπὶ πυρὰς γὰρ ἀλλοτρίας φθάσαντες τοὺς νοσήσαντας, οἱ μὲν ἐπιθέντες τὸν ἑαυτῶν νεκρὸν ὑφῆπτον, οἱ δὲ, καιομένου ἄλλου ἄνωθεν ἐπιβάλλοντες, ὃν φέροιεν, ἀπῄεσαν quæ verba ita convertuntur: *Nam alienæ pyræ prævenientes ægrotos, alii quidem suum cadaver imponentes ignem subiiciebant, alii verò, quum aliud corpus combureretur, ipsi eo, quod ferebant, injecto discedebant*; cui Lucianus etiam astipulatur in libro περὶ πένθους, quo in loco comburere corpora mortuorum Græcorum proprium esse confirmat. Quare si unquam in Græciâ non sunt corpora concremata, ante Trojana tempora id fortasse factum, qua tempestate Græci Barbarorum moribus utebantur. Barbari quippe corpora non ure-
bant; nam Indi circumdata vitro recondebant, Scytharum [m] nonnulli populi epula- 10
bantur; Hircani [n] voranda canibus obiiciebant, quos dictos accepimus ob eam caussam sepulcrales; Ægyptii variis modis condiebant cerâ circumlita; Persæ [p] asservabant; Lotophagos [q] loculis perquam abjectis inclusa in mare abjecisse memoriæ proditum est; Albani [r] mortuorum curam omnino nullam agebant; in [s] sterquilinia proiiciebant Sabæi; Græcis duntaxat, & Romanis post Syllæ tempora mos est usurpatus cadavera igne absumendi.

DIS-

[a] Jul. Capitol. in Vitâ Antonin. Philos. [b] Servius in 5. libr. Æneid. ad eum locum: *Præterea si nona diem &c.* & ad libr. 6. locum inferiùs relatum. [c] Virgil. libr. 6. Æneid. [d] Idem Servius in eundem libr. 6. Æneid. locum. [e] Herod. libr. 2. cap. 86. Diodor. Sicul. libr. 2. cap. 5. Strabo libr. ult. Pompon. Mela libr. 1. cap. 9. & Sil. Ital. libr. 13. [f] Plutarch. in Vitâ Solon. [g] Thucydid. libr. 1. [h] Alexander ab Alexandr. libr. 3. cap. 2. [i] Sophocl. in Oedip. Eurip. in Phœniss. & Stat. Thebaid. libr. 11. [l] Thucydid. libr. 2. [m] Herodot. libr. 4. cap. 74. [n] Strabo libr. 11. quem cit. Cæl. Rhodigin. libr. 17. cap. 19. Cic. libr. 1. Tuscul. quæst. Plutarch. in Libello. Num improbitas sufficiat ad infelicitatem. D. Hieron. in Jovian. l. 2. & Sil. Ital. libr. 13. [o] Plin. libr. 11. cap. 37. Lucian. de Luctu, & Stobæus serm. 122. [p] Stobæus ibid. [q] Cæl. Rhodigin. libr. 17. cap. 19. [r] Cæl. Rhodig. ibid. [s] Idem ibid.

DISSERTATIO XXV.

De Supplicibus.

Quamplures licet gravia passi Supplicibus pepercerunt. Vestam veluti Universi Larem, seu focum censebant, & tanquam antiquissimam adorabant; ideo Vestæ ante omnes in sacrificiis libabant. Asylorum origo, & auctores qui fuerint. Quæ templa Asylorum jus habuerint. Hujusmodi honor non solùm Deorum, sed etiam Principum statuis habebatur. Pindarus Ephesi tyrannus, quum urbis portas templo alligasset, ab obsidione Crœsi se liberavit. Omnes, qui templa violarunt, miserrimè perjerunt.

Esse nobis a naturâ insitum, ut Supplicum preces haudquaquam negligamus, & pudore suffundi homines, quotiescunque aliquid æquum, honestum, debitum petentibus denegarent, quum Veteres animadverterent, esse quendam mitem, facilemque Supplicum Deum prodiderunt, qui repudiatas eorum preces ulcisceretur; quod illi sapientissimè invenerunt, ut esset miseris in calamitate perfugium, in luctu solatium, in adversis præsidium, hominesque potentes, & in alto dignitatis gradu a fortunâ collocati erubescerent humilium vota contemnere, & pro nihilo putare. Atque hæc religio tantum apud Antiquos va
1 luit, ut [a] Achilles Priamo hosti, quamvis gravissimè irasceretur, supplicanti filii cadaver ad sepulturam concesserit; & Theseus Argivorum precibus motus, quorum cognatos in bello cæsos humari vetuerat Creon, Thebanis bellum indixerit; & Crœsus [b] Adrasto, qui Atym filium ipsius interfecerat, supplicanti pepercerit. Neque id immerito sanè; quemadmodum enim Heraclitus etiam in humili casâ Deos esse existimavit; sic & Antiqui etiam humiliorum fortunæ Deos adesse vindices putabant insolentiæ superborum. Quapropter neminem contemnendum, nullius miseri justas
2 preces negligendas esse censebant; non enim Deos plebejos, &, ut ita dicam, proletarios, sed Jovem ipsum optimum, maximum tueri Supplices, & ulcisci acceperant, quem ex re Græci ἱκέσιον appellabant; cujus Jovis mentio est apud Euripidem in Hecubâ

Θάρσει: πέφευγας τὸν ἐμὸν ἱκέσιον Διά

hoc est

Animo bono sis; supplicem meum Jovem
Nam te scias fugisse......

Alludit & Homerus, qui Supplices Jovem sequi dicit, & [c] Virgilius libro secundo, ubi sic ait:

...... sed jura, fidemque
Supplicis erubuit, corpusque exangue sepulcro
Reddidit Hectoreum, meque in mea regna remisit

Sed exemplum hujus religionis [d] Thucydides proponit in Themistocle clarissimo 3
Græcorum Imperatore, qui ab ingratis civibus Patriâ pulsus, quam servaverat, & tanquam Græciæ proditor undique exagitatus, quum ad Admetum Regem Molossorum confugisset, quicum ei veteres inimicitiæ intercedebant, non tamen ullo incommodo affectus est ab eo, sed & servatus incolumis, & dato præsidio ad Regem Persarum deductus est. Causa autem, cur Themistoclem Admetus adeo benignè tractaverit, omnemque iram deposuerit, fuit, quòd supplex in lare sedit parvulum Admeti filium manu tenens; atque hoc habitu illius misericordiam imploravit; quod supplicandi genus apud Molossos longè sanctissimum habebatur; & cui, quemadmodum in Themistocle testatur Plutarchus, nihil omnino denegari sine scelere summo posse videretur. Ad quem locum Thucydidis quoniam devenimus, quibus Antiqui modis preces adhiberent, & quo ritu supplicarent, quove Supplices confugerent, disseremus; nec a Thucydide, quem explicamus, hujusmodi abhorrebit oratio, qui sexcentis in locis Supplicum ad templa Deorum confugientium mentionem fecit. Sed antequam longiùs progrediamur, adnotandum est hujus Molossorum moris, cujus hic 4
noster Auctor meminit, extare vestigium apud maximum Græcorum poëtarum, quo in loco inducit Ulyssem Alcinoo supplicantem; nam quemadmodum Themistocles, ita & Ulysses in cinere [e] supra focum sedit ..... ἐπ' ἐσχάρῃ, ἐν κονίῃσι

Sed apud Homerum Ulysses neminem ex Alcinoi Liberis tenuit, quod Themistocles fecit, qui filium Admeti manu apprehendit, & sic ejus iracundiam est deprecatus; ex quo apparet non antiquum Græcorum morem fuisse, sed peculiarem Molossorum, nec sine causâ ab ipsis usurpatum; nullum quippe supplicationis genus sanctius esse poterat, aut efficacius. Sanè precibus enixissimis aliquid rogare credimur, quum aliquem per ea, quæ carissima habet, rogamus; ita Palinurus [f] Virgilianus Æneam

...... per Cœli jucundum lumen, & auras,
Per genitorem orat, per spem surgentis Juli.

Ita Mago Æneæ genua amplectitur, & precatur [g].

[a] Homer. Iliad. libr. 24. in fin. [b] Herodot. libr. 1. cap. 44. [c] Virgil. Æneid. libr. 2. [d] Thucydid. libr. 1. [e] Hom. Odyss. η. v. 153. [f] Virg. libr. 6. Æn. [g] Virg. libr. 10. Æn.

Per patrios manes, & spes surgentis Juli
& [a] Leucagi frater ita supplicat:
Per te, per, qui te talem genuere, parentes.
Quibus in locis omnibus prudenter Virgi-
lius inducit Supplices per ea precantes, quæ
5 Æneæ carissima arbitrabantur; nam & Pa-
linurus, qui mortuus jucundissimâ lucis u-
surâ carebat, Cœli lumen esse censuit Æ-
neæ jucundissimum; & reliqui quum sci-
rent Æneam tanti fecisse genitorem, ut
quum Græci Trojanis permisissent, ut u-
nam rem, quàm maximè vellent, tollerent,
& secum ferrent, ipse patrem senio con-
fectum sustulerit, meritò parentis memo-
riam Æneæ carissimam putaverunt; ideo
per Anchisem rogantes inducuntur. Per
spes autem Juli quum orant, nonne per
multò carissimam rem Æneam orant? quam
enim jucundam spem Æneam concepisse
arbitramur, quum Ascanium cogitaret non
solùm Regem fore Latinorum, sed etiam
auctorem Gentis universis Regibus impera-
turæ! Quamquam si nulla spes imperii, nul-
la tantæ fortunæ urbis condendæ fatis por-
tenderetur, per nullam rem cariorem ora-
re poterant, quàm per Ascanium. Quid e-
nim jucundius nobis, quàm iis, quos ex
nubis ipsis procreavimus? quid suavissimis
pignoribus dulcius, aut amabilius? Hanc
6 igitur Caritatem, & amorem Liberorum
quum animadverterent Supplices Molosso-
rum, filios manu apprehendebant, quò pa-
tres exorarent, ut iis quasi oppositis ira,
quam conceperant, languesceret, & ani-
mum dulcissimorum conspectu pignorum
mollirent, & ad misericordiam inflecterent.
Nec verò solùm iratis opponebant filiorum
caritatem, sed etiam Deorum sanctitatem;
nam in lare sedebant; qui locus universæ
domus habebatur sanctissimus, & præcipuâ
religione consecratus. Hinc nimirum Græ-
cum proverbium emanavit ἀφ' ἑςίας ἄρχεσθαι,
cujus in Euthyphrone meminit Plato, quod
latinè possumus interpretari, *a foco*, vel *a
lare incipere*, quo significabant aliquem a
sanctissimis, ac maximè venerandis injuriam
facere incepisse. Nam quemadmodum Ve-
stam in Mundo, quam Universi larem, &
7 quasi focum esse censebant, tanquam san-
ctissimam, antiquissimamque Deorum ado-
rabant; ideo Vestæ ante omnes in sacrifi-
ciis libabant, sic in ædibus Larem tanquam
sanctissimum venerabantur; idcirco rem di-
vinam Lari faciebant, Horatio [b] teste, qui
Phydili placandos
...... *hornâ*
Fruge Lares, avidaque porcâ

præcipit. Lares videlicet habere curam do-
mesticæ rei, & esse domuum custodes, &
familiæ tutelæ præpositos Deos censebant,
quemadmodum intelligi ex Aululariâ Pla-
uti [c] potest. Atque hujus religionis illud 8
est etiam non mediocre argumentum, quod
multis in locis ad focum Supplices confu-
giebant; ideo Plutarchus supplices ἐφεςίυς
dicit appellatos. Dionysius [d] Halicarnasse-
us narrat Coriolanum in lare sedentem ta-
citum, & capite involuto Tulli Volscorum
principis opem implorasse; neque enim ad
larem confugissent supplicantes, nisi la-
rium præcipua religio fuisset, quum Suppli-
ces ad loca religione Deorum consecrata
confugere solerent; ideo aræ, & sanctissi-
ma templa Supplicibus patuerunt; Plutar-
chus de superstitione: ἐςὶ δὲ δύλῳ φεύξιμος
βῶμος, ἐςὶ δὲ λῃςαῖς ἀβέβηλα πολλὰ τῶν ἱερῶν,
κὶ πολεμίυς φεύγοντες, ἂν ἀγάλματος λάβωνται,
ἢ ναῦ, θαῤῥῶσιν. Hinc Asylorum jus descen-
dit, cui debetur origo maximæ olim in ter-
ris civitatis, quod princeps invenisse dici-
tur [e] Cadmus, quum Thebas conderet, qui
servis, liberisque Asylum aperuit; quò for-
tasse [f] Livius respexit, quum dixit Romu-
lum Asylum aperuisse vetere consilio con-
dentium urbes, qui obscuram, atque hu-
milem conciendo ad se multitudinem e ter-
râ natam sibi prolem ementiebantur. Nam
& Cadmus sibi mentitus est e terrâ natum 9
populum; unde fabula extitit satorum Dra-
conis [g] dentium, ex quibus armati extite-
runt; nec [h] desunt, qui filios Herculis hu-
jus conditores juris fuisse tradant. In hæc
autem Asyla se recipiebant, ut [i] Lipsius
in Tacitum notat, servi malefici, & obæ-
rati; nec tamen omnibus templis id juris
concessum videtur; nam & [l] Strabo Asyla
templa distinguit ab aliis; & Cornelius Ta-
citus [m] auctor est Tiberium causâ cognitâ
multis Asylis jus ademisse; quamvis Tran-
quillus [n] Suetonius dicat id eum omnino
sustulisse; & [o] Dio Cassius testatur nullum
Romæ templum extitisse, quod Asyli jus
obtineret, præter illud, quod initio a Ro-
mulo fuerat consecratum; quod ipsum, ne
præbere perfugium posset sceleratis homi-
nibus, Romani obsepserunt; neque enim
in Urbe vastâ, & innumerabili hominum
multitudine refertissimâ, quò ex omnibus
populis, & nationibus innumeri cujusvis
generis homines confluebant, satis tutum
aliquem esse locum, quò qui confugissent,
suorum scelerum pœnam non pertimesce-
rent, quod audaciam aluisset, & ad peccan-
dum consceleratos homines incitasset. Quo-
rum-

[a] Virgil. libr 10. Æneid. [b] Horat. libr. 3. Od. 23. [c] Plaut. in Prolog. Aulul [d] Dionys. Halicarnass. libr. 8. Antiq. Roman. [e] Alex. ab Alexandr. cap. 20. libr. 3. [f] Tit Liv. libr. 1. [g] Ovid. Metam. libr. 3. fab. 1. [h] Servius ad libr. 2. Æneid. Virg. ad eum locum. *Iunonis asylo*, & Stat libr. 7. Thebaid. [i] Just. Lipsius in Comment. ad libr. 3. Ann. Cornel. Tacit. circa finem [l] Strabo libr. 5. & 8. & 16. [m] Cornel. Tacit. libr. 3. Annal num. 60. [n] Suet. in Vitâ Tiberii cap. 37. [o] Dio Hist. l. 47.

10 rumdam verò templorum tanta sanctitas visa est, ut non solum templo ea religio esset, sed magno circa templum intervallo; sic Hierocæsareæ non solum Persicæ Dianæ templo, sed etiam duobus millibus passuum Asyli jus concessum accepimus; sic Dianæ Ephesinæ [a] Alexander concessit, ut intra stadii spatium circa templum nemini vis afferretur, quod intervallum auxit deinde Mithridates usque ad sagittæ, quam ipse miserat jactum; quod [b] Antonius postea duplicavit, visusque est nimiam licentiam dare facinorosis hominibus; quapropter Augustus [c] Antonii privilegium abolevit. Ejusdem templi religio universæ Epheso præstitit incolumitatem, quum obsidente Crœso Pindarus Ephesi tyrannus funibus urbis portas ad Templi columnas alligavit; unde Crœsus veritus urbem capere Deæ consecratam ab obsidione abscessit; tanta Priscis templorum fuit veneratio; nec mirum; severissimè Dei animadvertisse dicebantur in eos, qui in hoc genere templorum jura violassent. Syllam [d] Pausanias e-
11 xistimat pediculari morbo, miserrimo mortis genere extinctum, quòd Aristionem tyrannum Atheniensium abstractum a templo, araque Minervæ, quò confugerat supplex, occidisset; Heliceque terræmotu funditus eversam [e] concidisse, quòd Achæi ab arâ Neptuni supplices abductos trucidassent, & magnum illum terræmotum, qui Spartam totam ingenti ruinâ prostravit, non aliâ de causâ extitisse, quàm quòd Lacedæmonii Pausaniam [f] inclusum Æde Minervæ Chalciœci fame necaverant. Sed & [g] Sybarim eversam auctores prodiderunt, quòd Sybarita servum ab arâ Junonis abstraxerat, & verberarat; quo quidem tempore & fontem sanguine infectum e pavimento emanasse, & alia prodigia extitisse Deorum iram significantia memoriæ prodidit Ælianus. Sed & simulacris Deorum eandem re-
12 verentiam præstabant, unde apud [h] Virgilium

> .... *Hecuba, & natæ nequicquam altaria circum,*
> *Præcipites atrâ ceu tempestate columbæ,*
> *Condensæ, & Divûm amplexæ simulacra tenebant*

quod Æschylus dixit βρετῶν ἔχειν. Nec simulacris Deorum tantùm, sed & Cæsarum eum honorem exhibebant; siquidem legimus Cretenses Augusti simulacro Asylorum jura impetrasse, & Aspendi Tiberii Statuæ pro Asylis fuerunt; neque enim imagines Principum minùs, quàm Deorum colebant, quas aliquando obscœnis admovisse crimen fuit morte puniendum. Nam quum cœnaret [i] Paulus vir Prætorius, & 13
haberet in digito anulum, & in ejus palâ gemmam Tiberii imagine insculptam, & ebrius matulam poposcisset, adnotavit id Maro delatorum suæ ætatis acerrimus, & accusaturus erat Paulum, & majestatis reum peracturus, quo crimine ipsi fuisset concidendum, daturusque carnifici jugulum; nisi servus domini vitæ prospexisset, qui anulum detraxit Paulo, antequam pudendis admoveret, ostenditque convivis, & testatus est omnes, qui aderant, nihil fecisse dominum, quo læsa majestas Cæsaris videretur; ita vir illustris famuli curâ est atrocissimo crimine liberatus.

DISSERTATIO XXVI.

De Supplicibus, & supplicandi ritibus.

Vox γενεῖον potiùs barbam, *quàm* mentum *significat. Numa instituit, ut Fidei sacrum fieret dexterâ usque ad digitos involutâ, ut significaret fidem tutandam, ejusque sedem in dextris esse. Scytharum, & Regum Orientis mos, qui sanguine inviolabile fœdus inibant. Aræ antiquitus appellabantur ansæ, quia Supplices eas apprehendebant. Hominem, quum multis periculis obnoxius sit, multis etiam sese ultro offerat, natura voluit plura habere instrumenta auxilii implorandi; hinc etiam quibus imbecillis sexus, vel ætas lacrimæ datæ faciliores.*

CIvitas Atheniensium omnis humani juris inventrix, & laudandarum artium magistra, cum multa sapienter fecit, tum illud multò sapientissimè, quòd aram constituit misericordiæ [l] non floribus lætam, non ture fumantem, non odoribus refertam, non victimarum sanguine redundantem, sed fletibus miserorum aspersam, sed suspiriis, & Supplicum votis, precibusque resonantem. Quod enim in tantis humanæ vitæ periculis, tantis illecebris peccandi magis 1
colendum Numen, quàm misericordiæ? Hæc est una perfugium miseris, salutis portus periclitantibus, ærumnis levamentum, præsidium, atque ara sontibus juxta, atque insontibus; hac omnes tegimur, hac servemur, hac denique semper indigemus,

[a] Strabo libr. 14. [b] Strabo ibid. [c] Strabo ibidem. [d] Pausan. in Attic. sive libr. 1. & in Bœotic. sive libr. 9. [e] Idem in Achaic. sive libr. 7. [f] Corn. Nepos, & Plutarch. in Vitâ Pausan. [g] Ælian. Var. Hist. l. 3. c. 43. [h] Virg. Æn. l. 2. [i] Senec. de Benef. l. 3. cap. 26. [l] Pausi. libr. 1. & Diod. Sic. Bibl. libr. 13. & Statius libr. 12. Thebaid.

quia ferè ſemper aut delinquimus, aut in calamitate verſamur; ideo ceteræ gentes, & ſi non quemadmodum Athenienſes, aram miſericordiæ ſtatuerunt, tamen ubique miſeris, atque Supplicibus perfugium patere voluerunt. Nam & in quibusdam corporis partibus præcipuam religionem collocarunt, varioſque ſupplicandi ritus invenerunt, de quibus ad Thucydidis locum, quem explicamus, diximus, & hodierno die dicemus. Et, ut a partibus cor-
2 poris exordiamur, adnotandum [a] eſt, mentum, vel barbam Supplices attigiſſe, cujus in Euripide moris non ſemel mentio reperitur. Nam in Iphigeniâ ſic Iphigeniam inducit patri ſupplicantem

Ναὶ πρὸς γενείω σ' ἀντόμεσθα δύο φίλω

hoc eſt

Per barbam amici deprecamur te duo

& in eadem tragœdiâ ſic eadem loquitur

Οὐμὸς δ' ὅδ' ἦν περὶ σὸν ἐξαρτωμένης
Γενεῖον, ὃ νῦν ἀντιλάζομαι χερί

hoc eſt

Meus hic tuâ pendentis a barbâ fuit
Sermo, manu prehendo quam nunc ſupplice

& alio in loco Clytæmneſtra Achillem precatur πρὸς γενειάδος, quo nomine *mentum*, vel *barba* ſignificatur; ſed & in Hecubâ ſæpe alludit ad hunc morem, ut quum ait

Ἀλλ', ὦ φίλον γενεῖον, αἰδέσθητί με
Sed, amica barba, me verere ſupplicem

& Homerus in Iliadis libro ſeptimo de Thetide ſupplicante ſic loquitur

Ἥ οἱ γούνατ' ἔκυσσε, καὶ ἔλλαβε χειρὶ γενείου

quæ converti ſic poſſunt

Quæ complexa genu, barbamque prehendit inhærens

Quibus in locis γενεῖον aptiùs convertitur
3 *barba*, quàm *mentum*; nam licet ea vox utrumque ſignificet, præcipua tamen religio fuit in barbâ; itaque feminis, quum ſupplicabant, non mentum, ſed genas attingebant, Euripide teſte, qui Ulyſſem inducit Hecubæ genas in precando tangentem. Nec de dexterâ poteſt eſſe dubium, quin eam orantes attingerent, quum apud Virgilium [b] Venulus dicat

Contigimuſque manum, qua concidit Ilia tellus

Et meritò, qui ſupplex fidem alicujus implorabat, dexteram attingebat, quæ fidei ſa-
1 cra habebatur, quemadmodum Livius libro primo teſtatur. Quocirca Numa dicitur inſtituiſſe, ut Sacerdotes Fidei ſacrum facerent dexterâ uſque ad digitos involutâ, ut ſignificarent fidem tutandam eſſe, ejuſque ſedem in dextris eſſe; & [c] Perſæ dextras inter ſe miſcentes fidem ſanciebant, idque fœderis genus ſanctiſſimum habebatur, ut Joſephus eſt auctor; unde Tacitus libro decimoquinto Annalium notat Tiridatem, Corbulonemque congreſſos dexteras miſcuiſſe. Quam quidem in re celebrat morem Scytharum Lucianus, qui cæſis digitis ſan- 4
guinem inde profluentem in calicem infundebant, & quum in eo gladii mucronem immerſiſſent, ſanguinem hauriebant; atque id amicitiæ fœdus non violabile putabatur, quo inito totius vitæ ſocietas inibatur, tantaque vis in eo ineſſe credebatur, ut nemo duriſſima quæque perpeti, nemo pro amico mortem oppetere dubitaret. Cui ſimilem morem fuiſſe Regum Orientis Cornelius Tacitus memoriæ prodidit, qui dextras implicabant, & pollices inter ſe vinciebant, nodoque conſtringebant; & quum ſanguis in artus extremos ſe ſe effudiſſet, levi ictu cruorem eliciebant, invicemque lambebant; quod arcanum fœdus cenſebatur, ut pote partis ejus, quæ maximè fidem continet, ſanguine ſacratum. Atque adeo ea opinio celebrata eſt, ut dextra pro fide interdum accipiatur; ſic in hiſtoriarum libro primo Cornelius Tacitus dixit; dextras mittere: *miſerat*, inquit, *vetere inſtituto civitas Lingonum dona legionibus, dextras hoſpitii inſigne*; 5
& in libro ſecundo Annalium: *miſerat amicitiam, & fœdus memoraturos, & cupere renovari dexteras*; quo loquendi genere etiam Græcos uſos animadverto, apud quos δεξιὰς πέμπειν eſt *dare fidem abſenti*. In multis autem humani corporis partibus ineſſe quandam religionem arbitrabantur, & præcipuè quod attinet ad ſupplicandum; nam præter dextram, genas, & mentum, de quibus jam ſatis diximus, etiam pectus ſupplicantes tangebant; cujus moris meminit Sidonius Apollinaris libro primo epiſtolâ un- 6
decimâ, ubi ait: *quum mihi Conſul ad pectus, præfectorii ad manus cadere; ille ipſe meus amicus crebrò, & abjectè miſerantibus cunctis humiliari; ita ut timerem, ne invidiam mibi ſupplicando moveret, quam criminando non concitaverat*; & genua etiam amplectebantur; ſic apud Livium libro trigeſimo Sophoniſba genibus advoluitur Maſiniſſæ victoris: ſic apud [d] Tacitum Haterius quum Tiberii causâ deprecandi genua amplecteretur, Tiberiuſque concidiſſet, pæne eſt a militibus interfectus: ſic apud Apollonium Rhodium Medea ad genua Jaſonis accidit

..... Αἶψα δὲ μὲν περὶ γούνασι πεπτηυῖαν
Ἤκ' ἀναειρόμενος προσπτύξατο, φώνησέν τε

Homerus [e] autem de Thetide ſupplicante ſic cecinit

Καί ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο, καὶ λάβε γούνων

& [f] de Priamo

Χερσὶν Ἀχιλλῆος λάβε γούνατα, καὶ κύσε χεῖρας

& Sidonius Apollinaris de ſe ipſo: *quid multa? capti hoſpitis genua complector*; ex quo

factum

a Plin. libr. 11. cap. 45. *b* Virgil. libr. 11. Æneid. *c* Juſt. Lipſius in Comm. ad libr. 15. Annal. Corn. Tacit. *d* Cornel Tacit. Annal. libr. 1. num. 13. *e* Hom. Iliad. *α*. v. 500. *f* Idem Il. *ω*. v. 478.

factum eſt, ut γονάζομαι, & γουνοῦμαι pro ſupplicare Græci dicerent; Homerus

Γουνοῦμαί σε, θεὰ γλαυκῶπις τριτογένεια

Videtur autem non ſine cauſâ factum, ut quo maximè in tot, ac tam variis vitæ caſibus mortalitas indigeret, id multis modis facere liceret; ut quum innumerabiles quotidie incidant cauſæ, innumera eſſent genera ſupplicandi; nam & apud ſingulas nationes multi ritus adhibendi preces, & apud diverſas diverſi, atque multiplices extiterunt. Apud [a] Lacedæmonios enim cruda exta in manus obtuliſſe religioſiſ-
7 ſimum ſupplicationis genus habebatur; & apud [b] Scythas in bovis corio a ſe immolati ſedere, manibus poſt tergum reductis; & [c] apud Græcos oleæ ramum lanâ involutum prætendere, quæ velamenta Supplicum Livius libro vigeſimo tertio vocat. Jam ſupplicantes in cinere ſedere ſolitos quis neſcit; quum Homerus celeberrimus poëtarum de Ulyſſe [d] cecinit

Ὣς εἰπὼν κατ' ἄρ' ἕζετ' ἐπ' ἐσχάρῃ, ἐν κονίῃσι:

jam aras [e] tangere ſupplicantium fuiſſe ritum omnibus notum eſt, quum Virgilius dicat [f]

Talibus orantem dictis, araſque tenentem
Audiit omnipotens......

& Ovidius

Tange manu menſam, tangunt quo more precantes.

Unde Varro notat aras antiquitus anſas appellatas, quòd a precantibus apprehendi ſolerent: jam humi procumbere, jam verrere ſolum crinibus, barbam promittere, ve-
8 ſte obſoletâ uti, ingenii ſunt humani ad ciendam miſerationem reperta, jure in hoc plurimum laborantis, quòd animadverteret etiam naturam hujus rei magnam babuiſſe rationem, quæ vocem nobis dedit, quæ ad flebilem ſonum, humileſque preces mirè inflectitur; & vultum, qui dolorem etiam tacentium, voluntatemque declarat; & oculos animi teſtes, indiceſque, quorum præcipua vis in ſupplicando eſt. Nec aliud ſibi vult ille ad quidlibet impetrandum efficax, ille promptus, ac tam liber ex oculis profluens humor, quàm mollire pectora etiam immanium hominum, & efferatorum, & mentes quantumlibet duras inflectere, & mitigare, & ad veniam, vel tutelam Supplicum commovere; ideo, quibus imbecillior ſexus, aut ætas, lacrymæ datæ faciliores; ut qui maximè aliorum ope indigerent, maximè eſſent inſtructi ad ſupplicandum. In quo naturæ providentiam mirari ſubit, quòd hominem per ſe infirmum, ac multis caſibus, & periculis non minùs obnoxium, quàm ſe ſe offerentem, tot inſtrumenta habere voluerit auxilii implorandi; ut qui a vi defendere ſe non poſſet, tutior alieno auxilio redderetur.

DISSERTATIO XXVII.

In qua duæ clariſſimæ Civitates Athenæ, & Lacedæmon comparantur.

Athenienſium civitas vitiis omnibus, omnibuſque virtutibus abundabat; quod Parrhaſius picturâ exprimere auſus eſt. Lacedæmonii lege caverant, ne quis nauticam exerceret. Lex erat Athenis, quæ permittebat filiis non alere parentes, ſi ipſi non curaſſent, ut aliquam artem filii condiſcerent. Areopagitæ puniebant eos, qui nullam artem facerent; itaque Herondas quendam otii damnatum aixit pœnas ferre libertatis. Spartanus nullus orator fuit, aut philoſophus, aut poëta. Lacedæmones Archilochum ex urbe ejecerunt, quia ſcripſiſſet in bello ſatiùs eſſe clypeum abiicere, quàm vitam profundere; & Cteſiphontem, quod ſe jactaſſet de qualibet re propoſitâ poſſe dicendo diem conſumere. Iſocrates Athenas nobili ſcorto comparabat; quòd ſicut multi ad illud libidinis explendæ causâ commeant, nemo tamen velit matrimonio copulari; ita Athenas animi causâ multos convenire, ſed neminem ſibi eam Patriam optare. Advenæ Lacedæmone pellebantur, & vetitum erat cives in externâ regione diutiùs ſine causâ verſari. Terpandrum Lacedæmonii mulctarunt, quòd octavam chordam in citharâ inveniſſet. Populus Athenienſis reſpuit Themiſtoclis conſilium licet utiliſſimum, quòd eſſet injuſtum.

Parrhaſius [g] ille, qui judicio omnium picturæ plurimum fertur contuliſſe, naturam populi Athenienſis exprimere penicillo conatus, ingenioſo planè argumento pinxit hominem, quem ſimul iracundum, injuſtum, inconſtantem, exorabilem, clementem, excelſum, glorioſum, humilem, ferocem, fugacem volebat oſtendere. An verò ille tantam morum diverſitatem, tot, ac 1
tam inter ſe contraria vitia, virtuteſque ponere ob oculos, ac repræſentare coloribus potuerit, vehementer dubitaverim. Nam ut corporum formas, ut oris lineamenta picturâ non ineleganter expreſſerit, ſic animum –

[a] Herodot. libr. 1. [b] Suidas. [c] Tit. Liv. Dec. 3. libr. 4. & libr. 9. Virgil. libr. 7. Æneid. & libr. 8. & 11. Lucan. libr. 3. & Diod. Sicul. libr. 16. cap. 10. Dionyſ. Halicarnaſſ. libr. 1. [d] Hom. Odyſſ. η v. 153. [e] Macrob. Saturn. libr. 3. c. 2. [f] Virg. Æneid. libr. 4. [g] Plin. libr. 35. cap. 10.

mum pingere, qui sensum effugit oculorum, præstantioris facultatis esse crediderim; mores autem civitatis tam varios, tamque diffidentes quis credat Parrhasium perfectè reddidisse? Sed quod Parrhasii pictura non potuit, mores Atheniensium, & ingenium illius clarissimæ civitatis noster Auctor in [a] oratione, quam apud Lacedæmonios habuisse tradit Corinthios, eleganter expressit. Quo quidem in loco duarum Greciæ principum civitatum Lacedæmonis, & Athenarum vitia, virtutesque describit; & Lacedæmonios quidem ostendit fuisse graves, cunctatores, cautos, moris antiqui tenaces, nihil temerè suscipientes, nihil inconsideratè. Quæ quamquam a Corinthiis dicuntur Lacedæmonios incusare, & plerisque virtutibus vitii nomen imponere cupientibus; tamen ex his intelligitur mos gravissimæ civitatis. Contra verò Athenienses fuisse tradit audaces, rerum novarum studiosos, contemptores periculorum, ad excogitandum acutos, ad agendum promptos, & in adversâ fortunâ, & in prosperâ partis assuetos non acquiescere, sed majora semper concupiscere; quæ cogitanti mirum profectò videatur tam diversis moribus præditas civitates ad eandem tamen potentiam pervenisse. Nam & in iis, quæ Thucydides tangit, mirifica cernitur inter hos duos populos morum, institutorumque diversitas, & in multis aliis; quæ quoniam Thucydides [b] in Epitaphio recenset, de his hodierno die verba faciemus. Sic eadem operâ duas Auctoris orationes illustrabimus, & rem cognitione dignissimam dissertatio continebit; nam & per se cognoscere duarum clarissimarum instituta civitatum non inutile, & inter se comparare tam dissimiles mores jucundum; perspicere verò, quo pacto duæ Respublicæ per oppositas vias ad idem potentiæ fastigium pervenerint, nonnullam affert admirationem. Neque enim ulla civitas ci-
2 vitati tam dissimilis, quàm Athenis Lacedæmon; Lacedæmonii [c] quippe auro, & divitiis bellum indixerant; Athenienses ope summâ nitebantur, ut quàm maximas possent, opes pararent: illi paupertate validi; hi divitiis, & opulentiâ potentes; ideo [d] Athenienses quidem rei nauticæ, quâ divitiæ augentur, studuerunt; Lacedæmonii, nè quis [e] civium nauticam exerceret, lege caverunt: & illi quidem terrestribus, hi maritimis copiis valuere: & illi Atticam populari non molestissimè patiebantur, hi tanto studio Laconicam defenderunt, ut nemo hostium ante Epaminondam per annos supra quadringentos Eurotam trajecisse dicatur. Ex quo [f] quidam Laco, quum Atheniensis dixisset, nos quidem vos Lacedæmonios sæpenumero ab Illisso rejecimus, & abire coëgimus, respondit: at nos ab Eurota nunquam repulimus Athenienses; quo dicto significavit, potuisse Lacedæmonios ad Illissum Atticæ flumen penetrare, & Atticam populari; non potuisse unquam Athenienses ad Eurotam pervenire, & Laconicam ferro, ignique vastare. Jam artes La-
cedæmonii universas, quæ non ad fortitu- 3
dinem, remque bellicam conducerent, vel ex urbe sustulerunt, vel ipsi ab earum studio abstinuerunt; Athenienses adeo artes omnis generis coluerunt, ut artificibus universis civitas pateret, lexque Athenis [g] esset, quæ filiis permitteret fenio confectos non alere parentes, si parentes non curassent, ut aliquam artem filii condiscerent; quin & eos, qui nullam artem [h] facerent Areopagitæ severè puniebant; quod tam contrarium legibus fuit Spartanorum, ut Herondas Lacedæmonios, quum Athenis ageret, audissetque [i] quemdam otii damnatum, sibi ostendi rogaret hominem, qui libertatis pœnam sustineret. Sicut autem Spartani sedentarias artes, minusque homine nobili dignas a suis civibus exerceri prohibuerunt; ita liberales non admodum amplectebantur. Itaque nul-
lum oratorem, nullum philosophum, aut 4
poëtam Laconem fuisse accepimus; nam Alcman [l], atque [m] Tyrtæus, quum Spartani non essent, ob merita postea sunt civitate donati. Jam verò Comœdias, & Tragœdias non spectabant omnino; Archilochum [n] ex urbe ejecerunt, quia scripsisset in bello satius esse clypeum abjicere, quàm vitam profundere; Ctesiphontem oratorem Spartâ expulerunt, quòd se jactasset de quaslibet re propositâ posse dicendo diem consumere; nec majore in pretio pictores, architecti, sculptores habebantur. Declarabat id species urbis non signis exornata, non tabulis pictis, non elegantiâ conspicua ædium privatarum, non splendida magnificentiâ publicorum ædificiorum, non templis superbè constructis, non Theatris, non porticibus, non palæstris, non amphitheatris; sed cruentis armis, & spoliis plena Barbarorum, sed trophæis, monumentisque victoriarum, studiisque belli terribilis. Contra verò Athenarum pulchritudinem quis dignè possit exornare dicendo? quis ædificiorum splendorem, & elegantiam,

[a] Thucydid. libr. 1. [b] Idem libr. 2 [c] Athen. libr. 6. c. 4. & Plutarch. in Vitâ Lysandri. [d] Xenoph. l. 7. Hist. Græc. paulò post init. [e] Plutarch. in Instit. Lacon. [f] Idem in Apophthegm. Lac. [g] Alex. ab Alexandr. l. 6. c. 10. [h] Plutarch. in Vitâ Solon. [i] Plutarch. in Apophthegm. Lac. [l] Suid. in V. Ἀλκμάν. [m] Idem in V. Τυρταῖος. [n] Plutarch. in Apophthegm. Laconic. & Strabo libr. 12.

tiam, ornamenta urbis universæ, picturarum, statuarumque infinitum numerum recensere? quando spoliatis jam, atque dire-
5 ptis Athenis tria millia signorum superfuisse [a] Plinius tradit? Qui pulcherrimæ urbis nitor e studio Atheniensium proveniebat, quo artes colebant, & artificum ingenia mirabantur. Sed si Athenis plurimum ornamenti pictores, architecti, statuarii addiderunt, multo magis urbem exornarunt artes excellentium doctrinâ virorum; siquidem novem oratores Athenis eadem ætate insigni eloquentiâ floruerunt, Athenis [b] inventa comœdia, Athenis [c] perfecta tragœdia, Athenis [d] maximè culta philosophia, non solùm civibus ibi philosophantibus, artesque profitentibus liberales, verùm etiam exteris in eam urbem confluentibus, qui vel ingenio, vel arte, vel doctrinâ præstabant; nam advenas, & præcipuè studio florentes optimarum facultatum Athenienses benignissimè excipiebant; semperque Atheniensium civitas gratissimum in eam confluentibus exteris hospitium præbuit; quapropter Isocrates eloquentissimus, & prudentissimus scriptor eam urbem scorto nobili comparabat. Nam quemadmodum ad amicas formâ præcellentes multi libidinis explendæ cupidi frequenter commeant; nemo tamen velit cum iis certo, stabilique conjugio copulari; ita Athenas animi causâ multos convenire, & in eâ urbe summâ cum voluptate versari, nec advenis in universâ Græciâ sedem esse jucundiorem; sed neminem, cui cor sapiat, eam Patriam sibi optaturum propter metum impendentium civibus periculorum. Qua de causâ [e] Græciæ larem Athenas oraculum
6 Apollinis appellavit; non enim ea urbs civibus, quàm externis patebat magis; quo factum est, ut quum Demetrius [f] Phalereus censum egisset Atheniensium, tertiam partem inquilinorum invenerit, & advenarum. Qua in re magnum inter Athenas, & Lacedæmonem discrimen intercedebat; nam advenæ [g] Lacedæmone pellebantur; sicut etiam legibus vetitum Lycurgi, ne quis Lacedæmonius civis in externâ regione sine causâ diutiùs moraretur; quod ideo a Lycurgo constitutum, ne sui cives peregrinorum moribus inficerentur; assueti quippe vitæ duriori, assueti laboribus tolerandis, æstibus, & algoribus perferendis magnopere verebantur, ne si cives externas delicias, & voluptates degustassent, omnino corrumperentur. Nam quemadmodum a nimiis laboribus ad immodicum otium, ignaviamque repente transire corpori insalubre est; minusque ægrotant in delitiosâ vitâ delitiosè vivere assueti, quàm laboribus, & exercitationibus innutriti; sic faciliùs in vitia delabitur animus, quum severissima disciplinâ temperatus, & duriter, contentèque habitus excipitur subitò illecebris libidinum, & insolitis fruitur vol ptatibus, quàm quum earumdem non omnino expers cum iisdem colluctatur. Id autem verendum Atheniensibus non fuit, qui molliùs vivebant, & delicatiùs; neque enim mutationem foris ti-
mebant, nec voluptates tanquam insolitas 7
reformidabant; quæ causa fuit, ut Atheniensium mores sæpissimè mutarentur, & leges, & Reipublicæ genus; Lacedæmonii quum haudquaquam cum exteris miscerentur, semper easdem leges, eosdemque mores per annos ferè quingentos retinuerunt. Qua quidem in re adeo religiosi fuerunt, ut [h] Terpandrum, quòd octavam in citharâ chordam invenisset, mulctaverint; & Timotheum [i] eximium cantorem unus ex Ephoris interrogarit, ex utrâ parte recideret septenis plures chordas; adeo verum existimarunt, quod Plato affirmavit, mutatâ musicâ mutationem morum in Republicâ fieri solere; sed Athenienses adeo in parvis mutationem morum non reformidarunt, ut in maximis etiam novitatē semper appeterent. Hinc crebræ Reipublicæ Atheniensis mutationes;
nam vetustissimis temporibus Atheniensis 8
Regum imperio regebantur, interfecto Codro [l], qui Regum postremus se se pro Patriæ salute devovit, perpetuis Archontibus primùm [m], deinde ad decennium creatis, ac mox annuis paruerunt; forma Reipublicæ maximè varia; nam & a Regibus ad populi regimen, a populi regimine ad Pisistratum, ejusque filios tyrannos, a tyrannis ad populum rursus Atheniensium res transivit. Nec defuerunt iterum tyranni, qui [n] fractis Atheniensium opibus a Lacedæmoniis triginta constituti sunt; nec paucorum dominatus, nec optimatum potentia, quam Atheniensibus beneficio Periclis [o] Plutarchus putat contigisse. Quæ tanta Reipublicæ varietas ex eo nata est, quòd legibus minimè paruerunt; nam Solon, qui leges condidit Atheniensibus, ipse vidit antiquatas, superstesque Reipublicæ, quam ipse constituerat, fuit; quum Lycurgi leges usque ad ætatem Lysandri inviolatæ permanserint, qui

---

[a] Plin. libr. 34. cap. 7. [b] Arist. in Poëtic. [c] Arist. ibid. & Plutarch. de gloriâ Atheniens. [d] V. Diogen. Laërt. in Vitis Philosoph. [e] Athen. libr. 6. cap. 15. [f] Cresicles in Chronicis apud Athen. libr. 6. cap. 20. & Ælian. Var. Histor. libr. 3. [g] Aristoph in Pace, & Scholiast. in eum locum. Suidas in V. Διειργυνόξενοι, & Plutarchus in Vitâ Agidis. [h] Plutarch. in Lacon. Institut. [i] Plutarch. ibid. [l] Val. Maxim. libr. 5 cap 6. [m] Plutarch. de Fortunâ Alexandri, & in Vitâ Solonis. [n] Cornel. Nepos in Vitâ Thrasyb. [o] Plutarch. in Vitâ Pericl.

qui primus [a] captis Athenis Lacedæmonem divitias intulit, quæ res mores civitatis pessumdedit. Sic ea civitas, quæ opi-
9 bus valida, & terrâ, marique potens non potuit Spartanorum instanimatam cupiditate vincendi ferociam contundere, capta cepit animos, & diruta virtutem labefactavit; nec tamen statim cessere divitiis mores, & vetus disciplina studio novarum cupiditatum; sed paulatim succubuit Spartana virtus, & instituta Majorum quum relinqueret, diutissimè tamen retinuit. Ingenium nimirum Laconum constans, rigidum, severum, minimeque rerum novarum studiosum; quapropter Spartanorum unius generis dicta, factaque memorantur, plena severitatis, plena prudentiæ, plena ferociæ, plena fortissimæ cujusdam contumaciæ. Atheniensium autem ingenium varium, multiplex, nec vitia tenaciter amplectens, nec virtutes constanter colens, magnam protulit utrorumque varietatem; neque enim ullius civitatis mores tam varii, tam diversi, inter seque contrarii fuisse dicuntur, quàm Atheniensium, neque in ullo populo tanta fuit virtutum, vitio-
10 rumque magnitudo. Quid enim mitius, clementius, humanius dici, aut excogitari potest eo facinore, quod Athenienses fecerunt, quum pro his, qui cæsi fuerant in bello Thebano, quos [b] Creon sepulturâ prohibebat, bellum Thebanis intulerunt, neque proprio sanguini pepercerunt, quo hominum communia jura tuerentur? aut quum filios Herculis Græciæ liberatoris in Patriam reduxerunt? Quid autem immanius audere potuerunt, quàm [c] quum Æginetis omnibus pollices absciderunt? quum Samios [d] bello captos notâ inusserunt in fronte, quæ noctuam Atheniensium insigne referebat; quum paucorum culpâ offensi omnem Mitylenæorum innoxiam multitudinem [e], pubemque totam interficere cogitarunt? Justitiæ verò plurima semper exempla ediderunt, unum tamen illud præ-
11 cipuum, atque præclarum, quod quum Themistocles [f] dixisset habere se consilium utilissimum quidem civitati, sed in vulgus haudquaquam efferendum; id autem erat incendendi navale, ubi subductæ Græcorum naves hibernabant; jusserunt id eum cum Aristide, qui unus omnium justissimus habebatur, communicare; quum autem Aristides pronunciasset consilio Themistoclis neque utilius ullum, neque injustius esse, populus universus mirifico consensu Themistoclem jussit quiescere, justitiamque præposuit utilitati. Sed idem populus quam injustè deinde sociis imperavit? quot viros optimè de Republicâ meritos vel exilio, vel morte mulctavit? Alcibiadem [g], quo uno duce salus civitatis continebatur, quum in eo nulla suspicio criminum, quibus accusabatur, hæreret, capitis condemnarunt: Socratem [h] innocentissimum omnium veneno sustulerunt: Phocionem [i], quem publico consensu bonum vocaverant, indictâ causâ interfecerunt. Licet eodem modo ire per cetera, & contraria vitia Athenien- 12
sium eorum virtutibus opponere; quæ enim Græciæ civitas magnanimitatis, fortitudinis dedit majora documenta? Non libet hoc loco memorare Atheniensium adversùs [l] Amazonas, & Scythas invadentes Atticam victorias; non cum Thracibus, & [m] Eumolpo duce conflictus; non quæcunque vetustis illis temporibus magno animo, fortique fecerunt; nonne [n] Marathon, & Salamis abundè virtutem ejus civitatis, & magnanimitatem celebrant? Quod enim facinus præclarius utraque victoriâ Sol vidit? Darius [o] potentissimus Asiæ Rex misso Dati duce cum quingentis millibus bellatorum Atheniensibus bellum intulit; qui neque potentiâ Regis illius territi, cujus imperium ab Oriente Indo flumine, ab Occidente mari interno, a Septentrione, & Austro regionibus terminabatur, quæ propter immodicum frigus, aut intolerabilem ardorem Cœli inhabitabiles putabantur; neque paucitate suorum, neque innumerabili multitudine hostium, neque rei novitate perculsi cum decem millibus armatorum immensis Persarum copiis occurrerunt, & acerrimè dimicantes hostem profligarunt. Quum verò [p] Xerxes ulturus Persarum interfectorum manes Asiam univer- 13
sam armasset, & in Græciam effudisset, tantaque belli mole conterriti omnes cederent, omnibusque potior cura salutis esset, quàm libertatis, principes Athenienses eam tempestatem excepere; & quum ad Græciam prodendam magnis pollicitationibus invitarentur, adire summum discrimen, & urbem relinquere maluerunt, quàm Persarum potentiæ, & promissis, & minis, & terrori succumbere. Itaque consilio Themistoclis navibus conscensis, tam acriter ad Artemisium, & [q] Salamina cum ingenti illâ hostium classe dimicarunt, ut nobilissimam victoriam, & omnibus litteris, omnibusque monumentis meritò decoratam fue-

rint

[a] Plutarch. in Vitâ Lysandri. [b] Pausan. in Attic. sive libr. 1. [c] Cæl. Rhod. libr. 15. cap. 27. [d] Cæl. Rhodigin. ibid. [e] Idem ibid. [f] Plutarch. in Vitâ Aristidis. [g] Idem in Vitâ Alcibiad. [h] Diogen. Laërt. libr. 2. in Vitâ Socrat. & Plato in Apolog. Socrat. [i] Plutarch. in Vitâ Phocionis. [l] Plutarch. in Vitâ Thesei. [m] Pausan. in Attic sive libr. 1. [n] Plutarch. de Glor. Atheniens. [o] Herodot. libr. 6. [p] Herodot. libr. 7. [q] Plutarch. in Vitâ Themistocl.

rint consequuti; quo facto nullum commemorare Græci magnificentius possunt.
14 Quid [a] quum Cimone duce accisis Persarum opibus fœdus cum Magno Rege fecerunt Græcis maximè gloriosum, quo Regi Persarum durissimas pacis conditiones imposuerunt; quis hanc urbem credidisset paulo post tam abjecto [b] animo futuram esse, ut Demetrii Regis Lamiam meretricem adoraret; ut Buricho, & Adimanto Demetrii adulatoribus templa constitueret; ipsum verò Demetrium non solùm Deum appellaret, sed & unum; ceteros autem aut non esse, aut humana minimè curare diceret; quæ eos, qui Persarum Regem adoraverant, interfecit? adeo subjecta Macedoni fuit, ut ipsum Demetrium, cui deferebantur illi honores, pœniteret tam abjectæ Atheniensium servitutis, diceretque neminem Athenis magno, & forti animo inveniri. Qua
15 de causâ non odio magis adductus, quàm veritate scripsit Theopompus urbem Atheniensium esse plenam Dionysiacis adulatoribus, vestium furibus, ac falsis testibus, ac nocturnis grassatoribus. Neque tamen licet Atheniensium res ingenti prostratæ ruinâ concidissent, licet animos cum fortunâ mutassent, fracti Macedonum armis penitus obliti sunt pristinæ virtutis Athenienses; sed quum Galli ab ultimis terrarum oris ingenti exercitu coacto Græciam invasissent, omnisque populos, quos adiverant, cecidissent, ipsis cum parvâ manu ad Thermopylas occurrerunt, & tam fortiter dimicarunt, ut eorum potissimùm beneficio Gallorum ingentes copiæ occidione delerentur, & Græcia a cladibus respiraret, & impendentibus ab immani illâ natione periculis liberaretur.

[a] Plutarch. in Vitâ Cimonis. [b] Idem in Vitâ Demetrii, & Ælian. Var. Histor.

DISSERTATIO XXVIII.

De quibusdam ritibus Nuptiarum.

Nuptiæ imaginem quandam belli præseferebant. Spartanorum imperatores, antequam prælium inirent, Musis sacrificabant. Reges quorundam nationum ex peculiaribus fluminibus duntaxat aquam bibebant; hinc etiam sacrificantes certis tantùm fontibus utebantur. Novæ Nuptæ, & sacrificaturi, ut puri essent, abluebantur; non eodem tamen modo quum superis, & quum infernis Diis rem divinam faciebant. Faces novæ Nuptæ præferebant pueri matrimi, patrimique a Græcis daduchi appellati, quos a Latinis lautos nominatos Muretus putat; his autem facibus extinctis ad struendum rogum uti, vel sub lecto eas condere ominosum ducebatur; porro eæ quinque erant, quòd is numerus ex primo pari, & primo impari, tanquam feminâ, & viro constet; vel quòd plures fetus procreari non possint, ut auctor est Aristoteles; quanquam Plinius septenos genitos prodiderit; & ex albâ spinâ conficiebantur; hinc rectè Parthenius in Catulli versu spineam *pro* pineam *reposuit. Aqua, & ignis in limine novæ Nuptæ apponebatur, quia his hominum vita continetur; vel quia alter formæ, altera materiæ speciem præseferat; & altera feminæ, alter mari similis videatur.*

THucydidis Auctoris florentissimi vestigiis insistentes bellum enarravimus, quod magno omnium pæne gentium motu gessit Græcia universa, quum adversus Athenienses haud obscurè Græcorum imperium affectantes Respublica Spartanorum, & tota Peloponesus insurrexit; nec initia, causasque belli, nec imperatorum consilia, nec urbium clararum origines, & leges, & instituta hactenus piguit explicare; & antiquitates Græciæ, resque militiæ, domique præclarè gestas, & magnorum virorum exitus memorabiles, eventusque varios bellorum, ubi se nobis obtulit occasio, recensuimus. Nunc libet hodierno die ad amœniora divertere, ac mollius, atque remissius argumentum quærere, ne, quod Achilli obiicit homericus Agamemnon, tan- 1
tummodo videar contentionibus, & pugnis, & prœliis delectari. Nam quum Thucydides in loco, quem explicamus, mentionem faciat nuptialis cujusdam ritus, nos etiam, quo ritu Nuptiæ antiquitus celebrarentur, exponemus. Nec verò inter historias bellorum nuptiarum fuerit intempestiva

stiva mentio, quum in antiquis nuptiis esset nonnulla imago, & simulacrum belli; nam [a] & novæ Nuptæ crines hastâ cælibari discriminabantur, & Nupta violenter a matris complexu rapiebatur; unde Catullus cecinit [b]

Quid rapis teneram ad virum
Virginem?......

& [c] alio in loco

Qui Natam possis complexu avellere matris,
Complexu matris retinentem avellere Natam,
Quid faciant hostes captâ crudelius urbe?

Spartanorum verò bella memorantem non
2 dedecebit placidioribus etiam uti sermonibus, quæ mitiùs gerebantur; neque enim in victos acerbiùs sæviebatur, quàm quantum satis esset ad victoriam obtinendam; & in his Imperatores antequam prælium [d] inirent, Musis sacrificabant; & quò milites animo sedatiore pugnam capesserent, non ad [e] tubæ, sed ad tibiæ sonum prœlia committebantur; quare ab illis nuptialis tibia non abhorrebat. Thucydides [f] igitur Athenis
3 tradit in arce fuisse fontem, qui Callirhoë quidem olim vocaretur, rerum verò potitis tyrannis Enneacrunos fuerit appellatus; ejus aquâ scribit Athenienses usos ad Nuptias, & ad sacrificia; ad quem locum illustrandum dicemus, & ad quam rem aquâ in Nuptiis, & in sacrificiis Veteres uterentur, & de nuptiarum ritibus addemus quædam, ut arbitror, non injucunda. Atque illud inprimis in Thucydidis verbis adnotandum, Veteres quosdam peculiares habuisse fontes, quorum aquam sacris adhiberent. Ita Romanos tradunt ex [g] Juturnæ fonte hausisse aquam, qua in sacrificiis uterentur; eundem usum apud [h] Græcos Eleutheri fontis aqua dicitur præstitisse; & Hippocrene [i] fons celeberrimus apud Trœzenos aquam præbuit sacrificantibus; Cybeles [l] verò Sacerdotes Alcmone fluvio Deæ simulacrum abluebant; unde illud [m] Lucani

Et lotam parvo revocant Alcmone Cybellen

Sed & Ægyptii non quamlibet aquam sacrificiis idoneam arbitrabantur, sed eam, ex qua Ibis avis bibisset; & Sacerdotes Jovis Hammonis utebantur ad sacra fonte, qui in arce regiâ manabat. Ex quibus con-
4 stat non esse mirum, neque novum, si Athenienses etiam Callirhoën fontem [n] duntaxat Nuptiis, ceterisque sacris aptum censebant; nam sicuti Reges quasdam aquas peculiares habuerunt; quarum potu delectarentur; & [o] Persarum quidem Reges ex Choaspe flumine, Arabes [p] ex Eulæo, Ægyptii [q] ex Nilo aquam sibi advehendam curarunt; ita & Dii quibusdam fontibus delectari putabantur. Illud sciendum, quis usus aquæ in Nuptiis esset, & sacrificiis; nec Veterum monumenta versanti diligenter difficile fuerit animadvertere, aquâ sese novas Nuptas abluisse; quocirca apud Julium Pollucem quæ mulier lavacra novæ Nuptæ ferebat, aquigerula appellatur. Hunc autem ritum Veteres usurpasse Festus affirmat, ut nova Nupta casta, atque pura ad maritum veniret; inesse quippe aquæ purgandi vim Antiqui arbitrabantur. Idcirco antequam sacrificarent, aquâ corpus diligenter perfundebant; quare [r] Tibullus ita sacrificaturos alloquitur:

Casta placent Superis; purâ cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam

Qua quidem in re Servius eleganter discrimen adnotat sacrorum, quæ superis, infer-
nisque Diis perficiebantur; quòd in illis 5
rem divinam facientes aquâ se abluerent, in his duntaxat aspergerent; cui sententiæ doctissimi Interpretis astipulatur Virgilius; nam quo in loco Dido Numinum inferorum pacem est exoratura, sorori sic [s] præcipit

Dic corpus properet fluviali spargere lymphâ

Nec alio modo luquitur, ubi Trojanos inducit Miseno parentantes, quo in [t] loco sic loquitur:

Idem ter socios purâ circumtulit undâ
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ

at verò quum Æneas attrectaturus est Superûm sacra, id se facturum [u] negat

...... donec se flumine vivo
Abluerit......

Quæ loca satis illustrant locum Thucydidis, & satis declarant, quis usus aquæ in sacrificiis esset, & in Nuptiis; quamquam in Nuptiis non solùm aquâ utebantur ad corpus expiandum, sed etiam vas aquâ plenum in limine collocabant; cujus moris commodiùs rationem reddemus, si ritum alium nuptialem adnotaverimus, qui est
hujusmodi. Pueri [x] matrimi, patrimique, 6
hoc est, quorum pater, & mater adhuc viverent, faces [y] novæ Nuptæ præferebant; hi Græcis [z] daduchi vocabantur; eosdem a La-

[a] Cæl. Rhod. libr. 21. c 6. Lect. Antiq. [b] Catull. in Nupr. Juliæ, & Manl. epigr. 62. [c] Idem in Carm. Nuptial. epigr. 63. [d] Plutarch. in Vitâ Lycurgi, & in Instit. Lac. [e] Aristot. in Probl. Plutarch. de cohibendâ irâ, & in Instit. Lacon. A. Gell. libr. 1. cap. 11. & Clem. Alexandr. Pædag. libr. 2. cap. 4. [f] Thucydid. libr. 1. [g] Servius in Virgil Æn. libr. 12 & Jo: Rosin. Antiq. Roman. libr. 2. cap. 13. [h] Pausan. libr. 2. & Cæl. Rhodigin. libr. 17. cap. 18. [i] Pausan. libr. 2. circa finem. [l] Ovid. Fast. libr. 4. [m] Lucan. libr. 1. [n] Thucydid. libr. 1. [o] Herodot. libr. 1. licet aliter tradat Plin. libr. 31. cap. 3. & libr. 6. cap. 27. [p] Solin. cap. 46. [q] Alexand. ab Alexandr. libr. 4 c. 17. [r] Tibull. libr. 2. Eleg. 1. [s] Virgil. Æneid libr. 4. [t] Virg. Æneid. libr. 6. [u] Idem libr. 2. [x] Fest. Pompejus libr. 14. & Plutarch. Probl 2. & Dionys. Halicarnass. libr. 2. [y] Cicer. pro Cluentio Virgil. Eclog. 8. Horat. libr. 3. Od. 11. Apul. libr. 10. Metam. [z] Plutarch. in Vitâ Aristid.

a Latinis lautos nominatos Muretus putat, motus illo Plauti versiculo, qui est in Curculione, ubi servus adolescenti eunti de nocte ad amicam, cereumque manu ferenti ita [a] dicit:

Tute tibi puer es lautus; luces cereum

Idem fuisse creditum suspicatur hos pueros, qui novæ Nuptæ facem luxissent, improbos, nulliusque pretii fore; idque confirmat his [b] Plauti versibus

Primum omnium huic lucebis novæ Nuptæ facem,

Post illa ut semper improbus, nihilque sis

Utcunque autem ea se res habet, hi pueri Nuptam ad thalamum deducebant; neque prius faces extinguebant, quàm pronuba unâ earum acceptâ lucernam conjugalem, pervigilem, pernoctemque futuram accendisset; eas [c] autem extinctas ad struendum rogum deferre, vel sub lecto condere omnibus habebatur. Quinque [d] verò numero nuptiales faces fuisse accepimus, quòd

7 is numerus ex primo pari, & primo impari, tanquam feminâ, & viro constet; vel quòd eo plures fetus procreari non possint, ut auctor est Aristoteles; quamquam non me fugit a Plinio [e] proditum septenos in Ægypto aliquando genitos; materia [f] verò nuptialium tædarum apud Romanos fuit ex albâ spinâ, apud alias verò gentes [g] è pinu, vel e piceâ. Quâ de causâ Græcis πευκαὶ nuncupantur, ut in his carminibus Meleagri [h]

Αὐτὰ δ' αὐταὶ καὶ φέγγος ἐδᾳδούχευν παρὰ παστῷ

Πεῦκαι, καὶ φθιμένᾳ νέρθεν ἔφαιναν ὁδόν

Ex quo Catulli [i] carmen eleganter Parthenius emendavit, quòd quum ita se se haberet

Pineam quate tædam

ipse spineam reposuit; siquidem constat spineis tædis [l] Romanos usos, quia in raptu Sabinarum has tædas, quum aliæ non suppeterent, primùm accenderunt. Sicut

8 autem hæ faces in thalamo novæ Nuptæ extinguebantur, sic in limine domus accendebantur [m] igne, qui cum aquâ ibi ponebatur, quos Virgo, Sponsusque communiter attingebant. Quibus expositis licet conjectare ideo [n] aquam, & ignem in Nuptiis adhibitos, quòd his duobus elementis vita contineri videatur. Declarant id leges [o] Veteres, quæ facinorosis hominibus, quos e civium cœtu, vitaque exterminatos volunt, aquâ, & igni interdicunt; quum autem Nuptiis constet totius vitæ viri societatem, meritò nubentes, quæ duo elementa vitam continent, communia habuerunt. Quod etiam apud alias gentes animadvertimus usurpatum, ut vir, & Sponsa res maximè vitæ utiles inter se communicarent; siquidem [p] Macedones panem in mensâ apponebant, quem gladio dissectum 9
nova Nupta, Sponsusque libarent. Apud Germanos [q] verò vir, & Sponsa boves, atque equum, atque arma sibi invicem mittebant; & apud [r] Segoregios cui virgo aquam dederat, eum sibi virum delegisse videbatur; utpote quem participem fecisset elementi, quod Pindarus [s] optimum jure dicit, & rerum omnium principium Thales Milesius [t] existimavit. Quare quamquam 10
hæc popularis, non absurda tamen ratio fuerit; sin autem doctiùs, & ad rerum naturam libeat accomodatiùs loqui, non dubitabimus affirmare, idcirco aquam, & ignem in Nuptiis adhibitos, quòd [u] alter formæ, altera materiæ, ex qua omnia constant, speciem præseferat; & altera quidem feminæ, alter mari similis esse videatur. Quid enim vis illa ignis efficax, quæ se se omnibus insinuat, ac per omnia penetrat, omniaque implet, agitat, movet, excitat, fecundat, informat, nisi virtus mascula, virtus animalis; virtus procreatrix? quid autem humor, nisi fecunda materia rerum gignendarum, quæ nisi calore foveretur perpetuo gelu adstricta torpesceret?



a Plaut. in Curculione Act. 1. Sc. 1. b Plaut. in Casin. Act. 1. vers. 30. c Sextus Festus Pompejus libr. 16. d Plutarch. Probl. 65. e Trogus apud Plin. libr. 7. cap. 3. f Plin. libr. 16. cap. 18. & Catull. in Epithalamio Juliæ, & Manl. & Ovid. libr. 6. Fast. g Virg. in Cyr. & 7. Æneid. h Antholog. libr. 3. εἰς γυναῖκας Epigr. 5. i Catull. in Epithalamio Juliæ, & Manl. l Massurius apud Plin. libr. 16. cap. 18. m Plutarch. in quæst. Roman. in princ. n Fest. Pomp. libr. 2. & Ovid. libr. 4. Fastor. o Fest. Pomp. ibid. Cornel. Tac. libr. 3. Annal. §. Minor Instit. tit. de Cap. Dim. p Q. Curt. libr. 8. q Cornel. Tac. de Morib. German. r Justin. libr. 43. s Pindar. Olymp. Od. 1. t Plutarch. de Placit. Philosoph. libr. 1. cap. 3. u Idem Plutarch. in quæst. Roman. in princ.

DISSERTATIO XXIX.

De Nuptiis.

Pronuba a Græcis promnestria dicitur. Quinque Dii in Nuptiis invocabantur; ideo etiam quinque faces adhiberi quidam autumant. Cujus filius fuerit Hymenæus, & quare in Nuptiis invocaretur, sicut etiam unde ita sit appellatus, alii aliter tradunt. Anatomici negant ullam esse membranam in naturâ muliebri, ex qua nomen accipere potuerit Hymenæus. Nec minùs controversum est, cur a Romanis Thalassius invocaretur, & unde hoc nomen originem duxerit. Obscena carmina, quæ in Nuptiis canebantur, Fescennina a Fescennio Campaniæ oppido dicebantur, non a fascino, ut quibusdam visum est. Nupta verba obscena dicuntur. Pertunda erat Dea, quæ maritis virginalem scrobem effodientibus præsto erat. Futinus, seu Mutunus Deus idem, ac Priapus. Ritus planè absurdi in contrahendis matrimoniis diversarum gentium.

QUum superiore, qui proximè revolutus est, anno [a] Thucydidem explicaremus, & ad eum locum devenissemus, ubi summus Auctor funus describit, quo Athenienses eorum corpora honorarunt, qui in bello omnium funestissimo universæ Græciæ fortiter dimicantes ceciderant, plurima diximus, quæ ad cognitionem antiquorum funerum pertinere videbantur. Nunc autem quum in eodem Auctore versemur explicando, & locus occurrerit, ubi Thucydides attingit nuptiales ritus, de Nuptiis etiam Antiquorum dicendum esse duxi, ne sepulcra thalamis, Libitinam Veneri, lætitiæ luctum, epithalamiis epicedia videar anteponere. Exhactenus quidem
1 verba fecimus de ritu, quo nubentes ignem, & aquam in limine positos attingere, facesque novæ Nuptæ præferri solebant, nec priùs extingui, quàm a pronubâ, quæ Græcis [b] promnestria dicebatur, lucerna conjugalis accenderetur; deinceps reliqua persequemur; & quoniam omnium rerum peculiares quosdam esse Deos Antiqui voluerunt; ante omnia de Diis verba faciemus, qui Nuptiis præesse putabantur. Quinque igitur Diis [c] rem nuptialem Veteres consecrarunt; qua [d] de causâ nonnulli quinque faces præferri novæ Nuptæ consuevisse
crediderunt. Nam & Junonem nubentes 2
adorabant, ideo Juno [e] *Ζυγία* hoc est *jugalis* vocabatur; quò respexit [f] Virgilius, ubi dixit

Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ

qua de causâ Junonem idem poeta pronubam appellavit [g] in eo versu

..... prima & tellus, & pronuba Juno
Dant signum, fulsere ignes, & conscius æther;

& [h] Dianam, quàm Solvizonam nuncupabant, quia viris aderat cingulum virginale solventibus; & [i] Jovem, quem *τέλειον* idest *perfectum* vocant; quòd viri, & feminæ, tum demum perfici videantur, quum conjugii fœdus inierunt; & Venerem, & Suadelam invocabant. Sed Julius Pollux etiam Parcas in Nuptiis placari solitas, iisque comæ primitias ferri testatur; ut minimè mirum sit in Nuptiis Thetidis, & Pelei apud Catullum Parcas non ultimas partes agere;
sed ante omnes, & præcipuè [l] Hymenæus 3
invocabatur. Is [m] habitus est præcipuus Nuptiarum Deus, quem [n] alii Veneris, & Liberi filium fuisse tradunt, alii Calliopes, & Apollinis, alii Uraniæ, alii [o] Clius. Appellari autem [p] Hymenæum aliqui putant vel ab Æolico verbo *ὑμεναίειν* quod *simul habitare* significat; vel *ἀπὸ τοῦ ὕμαι* præterito verbi *ὕδειν* quod est *canere* & *celebrare*; vel ab Hymene, quo nomine membranula illa dicitur in naturâ muliebri, quæ Virginibus in primo illo Veneris congressu rumpi solet; quamquam non me fugit a quibusdam rei anatomicæ peritis eam membranam nullam esse dici. Hic quacunque de causâ sic apellatus Deus, fuisse fertur mi-
ræ pulchritudinis adolescens, vultu adeo 4
molli, & delicato, ut puellæ venustissimæ speciem indiscretâ similitudine præseferret; Is puellam summo loco natam miserè deperibat, cujus Nuptias quum, utpote impar, consequi non posset, virginem sequebatur, ut quoniam eâ frui non liceret, frueretur aspectu, & extremâ lineâ, ut est in proverbio, amaret. Dum autem puer puellam sectatur, & Virgo cum æqualibus Cereris Eleusiniæ sacris operatur, ecce tibi piratarum globus excensione repente factâ invadit puellarum gregem, frustraque trepidantes, & Deorum, & parentum nomen invocantes rapit, imponitque piraticæ navi; sic accidit, ut dum puellæ in sacris Cereris fabulosos Proserpinæ raptus imitantur,

[a] Thucydid. libr. 3 [b] Cæl. Rhodig. libr. 28. cap. 24. [c] Plutarch. quæst. Rom. cap. 2. in fin. [d] Plutarch. ibid. [e] Servius ad libr. 4. Æneid. Virgil. Fest. Pomp. libr. 9. Apul. libr. 6. Metamorph. & Dionys. Halicarnass. Libello *Quomodo fiant epithalamia*. [f] Virgil. Æneid. 4. [g] Idem eodem libro. [h] Gregor. Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. XII. [i] Plutarch. quæst. Roman. cap. 2. in fin. [l] Catull. in Epithal. Jul. & Manl. [m] Serv. ad illud Æneid. libr. 1. *Pergama quum peteret, inconcessosq; Hymenæos*. [n] Cæl. Rhodig. libr. 28. cap. 24 [o] Joann. Grammat. apud Cæl. Rhodig. libr. 7. cap. 2. [p] Isidorus libr. 9. & Vossius in Etymolog.

tur, in veros ipsæ raptus inciderent. Raptus est autem unà cum puellis, & Hymenæus, qui saluti Virginibus fuit; nam quum piratæ in desertam regionem delati somno quàm altissimo premerentur; Hymenæus omnes piratas jacentes jugulavit, & relictis virginibus Athenas reversus est, & cum Atheniensibus egit, ut si puellas incolumes, inviolatasque reduxisset, ipse eam, quam diligebat, præmium periculi, & laboris acciperet; quo impetrato suis virgines restituit, & dilectam puellam duxit uxorem. Quod matrimonium quoniam felix, faustumque fuisset, deinde est institutum, ut
5 virginum liberatot Hymenæus invocaretur; quæ declarat ominis potius causà Hymenæi nomen in Nuptiis celebratum, quàm quòd is Nuptiarum Numen haberetur; Deosque præsides conjugiorum, nisi Parcas libeat accensere, ut paulo ant. diximus, fuisse tantùm quinque. Atque ii conjugales Dii appellantur, quos intelligit Seneca in Medeâ tragœdiâ, ubi sic ait:

Dii conjugales, tuque genialis
Thori, Lucina, custos . . . .

Nec desunt qui tradant Hymenæum fuisse
6 juvenem, qui dum proprias Nuptias celebrat, ruinâ oppressus miserandum in modum interiit, eum expiationis ergo a nubentibus nominari; ab aliis autem proditum Hymenæum fuisse puerum formâ liberali, quem Hesperus adamavit; is in Ariadnæ; & Liberi Patris nuptiis vocem dicitur cantando perdidisse; quorum si vera sententia est, non video, cur nuptiale carmen ejus nomine appelletur, qui Nuptias tam infeliciter celebravit. Propius vero est, quod præclarissimi Auctores affirmant, Hymenæum apud Græcos principem Venerem incertam rapientes ritu ferarum homines latis legibus coercuisse, certasque Nuptias instituisse; qua de causâ, tanquam ejus nomen pertineat ad Nuptias, cœperit invocari. Sed id apud Græcos obtinuit, a-
7 pud Latinos autem invocabatur Thalassio; cujus etiam ritus multæ peræquè causæ afferuntur. Nam [a] Livius insignis Auctor rerum Romanarum Thalassium fuisse tradit unum e primoribus Patrum; huic in raptu Sabinarum virgo rapiebatur excellenti formâ, quæ ne violaretur ab obviis, clientes, asseclæque Thalassii identidem Thalassio ferri clamitabant; inde factum, ut ea vox in Nuptiis usurparetur; cui Plutarchus quoque [b] assentitur, nisi quòd alias hujus vocis origines ponit. Nam Sextium Syllam Carthaginiensem ait affirmasse Thalassium fuisse tesseram, quam Romulus dederat Romulus ad Sabinas rapiendas discurrentibus; ideo mansisse morem, ut in Nuptiis Thalassio clamaretur, quòd in primis Romanorum Nuptiis ea vox omnium clamoribus fuerit celebrata; idem Thalassium [c] dicit significare *lanificium*, usurparique in Nuptiis eam vocem, ut puellæ admoneantur operis, quud ipsis exercendum sit. Certè constat Romanos non hac voce tantùm no- 8
vas Nuptas ad lanificium adhortatos; verùm [d] etiam ipsis pellem cum vellere substravisse, & eas obnupsisse [e] lanâ postes, & colum tulisse in pompâ nuptiali, ut virgines intelligerent ad lanificium potissimum incumbendum. Est enim [f] cautum vetusto fœdere, quod cum Sabinis fecerunt Romani, ne feminæ ad aliud opus, quàm lanificium compellerentur; Græcis autem aliud moris, qui cribrum in Nuptiis præferebant, & pistillum ante thalamum alligabant non improbabili sanè instituto, ut nova Nupta non modò voluptatem cogitaret; sed etiam animadverteret se laboris, operumque sociam venire, virumque non tam illecebris formæ, verborumque blanditiis, quàm sedulitate, & industriâ demerendum. Sed ut ad Thalassium revertamur, Scaliger [g] existimavit Thalassii vocabulum posse deduci a 9
vetustâ voce *tale*, qua futurus Nupta significabatur; quam originem sicuti non improbo, ita longiùs accersita mihi videtur illa, quam attulit Bechmanus in suis originibus, qui Thalassionem dictum putat ἀπὸ τῆς θαλάσσης, quo nomine Græcis dicitur mare, quòd salsedo venerem stimulet; quasi eâ voce sponsum ad nocturnam illam Veneris militiam fortiter obeundam adhortarentur. Non enim hac voce solùm, sed etiam cibis venerem irritantibus utebantur; quapropter [h] bulbos cum nucleis [i] pineis, & erucæ succo, & pipere in Nuptiis apponebant; quare Columella [l] cecinit

Excitet ut Veneri tardos eruca maritos

& [m] de bulbis

. . . . quique viros acuunt, armantque puellas,

Jam Megaris veniant genitalia semina bulbi

Nec aliud sibi fortasse volebant obscena carmina, quæ canebantur in Nuptiis, & Fe- 10
scennina [n] a Fescennio Campaniæ oppido vocabantur, non a fascino, sicut [o] quibusdam visum; nec aliò spectabant verba turpius-

[a] Tit. Liv lib. 1. & Plin. de Vit. illustrib. cap. 2. [b] Plutarch. in quæst. Roman. & in Vitâ Romuli. [c] Idem Plutarch. in Vitâ Romuli. [d] Plutarch. in quæst. Roman. cap. 30. & Festus Pomp. libr. 9. [e] Plutarch. ibid & Plin. libr. 29. cap. 2. & Virg. libr. 4 Æneid. *Velleribus niveis, &c.* & Servius in hunc loc. [f] Plutarch. in Vitâ Romuli. [g] Scaliger ad Fest. Pomp. [h] Martial. in Xen. 34. [i] Alexand. ab Alexandr. Gen. Dier. libr. 2. cap. 5. [l] Columell. libr. 10. de Cultu hortorum. [m] Columell ibid. [n] Tit. Liv. libr. 1. Decad. 7. Festus Pomp. libr. libr. 6. & Catull. in Epithalam. Juliæ, & Manlii. [o] Festus Pompejus ibid.

piuſcula; ex quo factum eſt, ut nupta verba dicerentur obſcena Plauto [a] teſte, qui dixit:

Virgo ſum, nondum didici nupta verba

Verumtamen quæcunque harum opinionum accedat ad veritatem, Thalaſſii nomen nihil ad Deurum, de quibus verba faciebamus, numen pertinet; illud pertinet, quod Unxiam Deam colebant, quod Sponſæ mariti [b] fores adipe ſuillo contingerent, cujus moris Arnobius teſtis, qui ſic ait: *unctionibus ſupereſt unxia, & cingulorum* [c] *cinxia replicationi*; & paulò poſt: *niſi poſtes virorum adipali unguine illinerentur a Sponſis, niſi virginalia vincula jam ferventes diſſolverent; atque imminentes mariti, Dii nomina non haberent*: colebant [d] etiam Pertundam, quæ, ut idem teſtatur, præſtò erat virginalem ſcrobem effodientibus maritis. Quin & [e] puellarum togulas ad fortunam virgi-
11 nalem deferebant; & porco rem [f] divinam Junoni, ceteriſque Diis conjugalibus faciebant; & virgines antequam viro traderentur, in Futini; vel [g] Mutuni Dei ſinu ſedere cogebantur, ut delibaſſe Deus virginitatem videretur; ut quemadmodum apud Andumacidas [h] nupturæ Regibus offerebantur, ut illis, quaſi terreſtribus Diis eæ voluptatis primitiæ dicarentur, ſic apud Romanos Deo voluptatis præſidi [nam iidem, ſi credimus [i] Auguſtino, Futinus Deus, ac Priapus] virgines traderentur; ſed cautiores planè Romani, qui Deo, quàm illi, qui homini virginum pudicitiam committebant. Omnium [l] autem ab-
12 ſurdiſſimè Armenii, qui novas Nuptas in templo Veneris Anetidis proſtituebant, & Angylæ, qui [m] deſponſas virgines, antequam viro traderent, omnium libidini patere cogebant, & matrimonia ab adulteriis auſpicabantur; nec verecundiùs [n] Cyprii, Pœnique [o], quorum mulieres corpore vulgato dotem quærebant; nam, ſi in ullâ aliâ re, in hac potiſſimum cum abſurdi, tum diverſi fuere gentium ritus. Apud [p] Indos, & [q] Scythas, qui pugnis, luctaque rivales viciſſet, Sponſam abducebat: apud Thraces [r] formoſæ a viris emebantur, deformes emebant viros: apud [f] Jaderies Africæ populos ſcommatis uxorem ſibi quærebant; nam cujus femina jocis, & fabellis in convivio arriſerat, is eligebatur Sponſus: Carthaginienſes [t] autem non priùs matrimonio jungebantur, quàm conciſa Thynni fruſta deguſtaſſent.

DISSERTATIO XXX.

In qua de iiſdem Nuptiis agitur.

Apud Babylonios, Aſſyrioſque ditiſſimi pulcherrimas ſibi uxores ingenti pretio coëmebant; hæc autem pecuniæ ſumma in deformium dotem redebat, quas inopes ducebant; apud alios alii etiam Nuptiarum ritus abſurdi habebantur. Contrahebatur matrimonium uſu, quod injuſtum appellatur, & inde uxor uſuaria dicitur; farre, & coëmptione, quod juſtum nominatur. Primus Nuptiarum dies Proaulia dicebatur; Apaulia ſecundus, tertius Epaulia, latinè Repotia. Funera nono die abſolvebant, tribus diebus Nuptias, quia breviorem luctu voluptatem eſſe oporteat. Riſus ante quadrageſimum diem infantibus non contingit; ſolus Zoroaſter natus eſt ridens. Caranus in filii Nuptiis viginti convivis adeo pretioſa munera dedit, ut ſinguli domos, & agros emerent. Scaliger exiſtimat virgines ſemper uti ſolitas cingulo; licet alii dubitent, an die Nuptiarum dumtaxat uterentur. Nuces ſpargebat Sponſus, ut oſtenderet ſe nugas reliquiſſe, quum nuces pro nugis accipiantur; quam cauſam affert Scaliger, ſed alias alii afferunt. Viri Genios, Junones autem ſibi mulieres adoptabant.

Nuptiarum ſolemnis, varioſque nubendi ritus conſcribere aggreſſum, Auditores, multitudo rerum, & anguſtiæ temporis deterruerunt, quominus omnium gentium cæremonias, quibus Nuptiæ celebrabantur, complecterer; ſed hodierno die prætermiſſa repetam, inſtitutumque ſermonem abſolvam quàm paucíſſimis. Nec verò conſilium mihi eſt omnia perſequi, & omnes enumerare diverſarum nationum ritus, ſed pauca quædam adhuc delibare, & ad propoſitam narrationem reverti, & explicare quemadmodum cœperamus, quomodo Romani, Græcique obirent Nuptiarum ſacra; nam reliquarum gentium quis in re nuptiali diverſitatem rituum, abſurditatemque dicendo conſequatur? Babylonii,

[a] Plaut. in Fragment. [b] Plin libr. 28. cap. 9. [c] Feſtus Pomp. libr. 3. & Greg. Gyrald. de Deis Gentium Syntagm. 3. pag 118. verſ. 42. [d] D. Aug. de Civitat. Dei libr 6 cap. 9. [e] Arnob. adverſus gentes libr. 2. [f] Varro de R Ruſt. cap 4 [g] Lactant. Firm de falsâ Rel. libr. 1. cap. 20. [h] Ælianus Var. Hiſtor. libr. 4. [i] Div. Auguſtin. libr. 4. cap. 11. [l] Strabo libr. 11. [m] Ludovic. Vives ad D. Auguſt. de Civit Dei libr. 4 cap. 10. [n] Juſtin. Hiſtor libr. 18. [o] Valer Maxim. libr. 2. cap. 1. [p] Strab. libr. 15 [q] Diod. Sicul. libr. 1. & Ælian. libr. 12. [r] Herod libr 5. cap. 6 & Pomp. Mela libr. 2. cap 2. & Solin cap. 15. [f] Stob. ſerm. 42. Ex Nicolao de Morib. Gent. [t] Alexand. ab Alexandr. libr. 2. cap. 5.

1 nii [a], Assyriique [b] virgines omnes viro maturas in forum quotannis congregabant; circumstabat juvenum, qui ducere vellent, corona, quorum ditissimi formosissimas ingenti pretio sibi coëmebant; ea summa pecuniæ, qua pulchræ virginea præstinabantur, in deformium, aut aliquâ corporis parte mancarum dotem cedebat, quas inopes dotatas ducebant uxores; ita dites conjugum pulchritudine pecuniæ jacturam, pauperes uxorum deformitatem lucri dulcedine compensabant. Taxilorum [c] puellæ, quibus angusta res domi, pectore, humerisque retectis in magnâ spectatorum coronâ viros inveniebant; contra verò [d] a Cattæorum virginibus viri eligebantur; sed cum iis, quos elegissent, inviolabili fœdere mori cogebantur; nec aliter apud [e] Siginnos Persicam gentem feminis virorum optio fuit lege concessa; non omnibus tamen, sed iis, quæ aurigandi arte viderentur excellere; durior [f] Jaxamatis, Sauromatisque [g] feminis conditio, quæ nubere
2 vetabantur, nisi hostem priùs occidissent, & matrimonia cædibus promerebant; quæ conditio erat etiam proposita [h] Carmanis viris, quibus leges uxorem ducere haudquaquam permittebant, nisi hostis caput ad Regem pertulissent; adeo ferocissimæ nationes non aliam Venerem [i] colebant, quàm armatam; vereque apud illas dici poterat id, quod est ab Antiquis creditum, Venerem non modò natalium, verùm etiam mortis esse præsidem. Sapientiùs [l] planè Sunitæ, qui quos optimos judicabant, iis, quam vellent, uxorem ducere permittebant; sic futuræ soboli prospiciebant, ut optimi ex optimis nascerentur. Sed quemadmodum hi sapientissimè, atque optimè, sic
3 magna barbariæ pars pessimè, atque absurdissimè, quæ nulla noverat matrimonia, nihil honoris tribuebat pudicitiæ, nullum frenum injecerat effrenatæ libidini, sed connubia promiscua permittebat; quo more usos animadvertimus plerosque [m] Æthiopum, Garamantas, Limirnyos [n], Mosynœcos [o]. Jam verò in obeundis illis Nuptiarum sacris, quàm multiplices, qusmque diversi gentium ritus memorantur? Indos [p] Philostratus memoriæ prodidit, antequam Nuptias celebrarent, unguento se perfundere consuevisse, quod ex Hypasidis fluvii distillabat arboribus; sine eo matrimonium ferè nullum, aut infelix, ingratas Veneri Nuptias esse censebant: Bœotii Sponsas [q] asparago coronabant, Chii Sponsum celebri Nuptiarum die muliebri veste; sicut Lacedæmonii [r] Sponsam virili veste induebant: in urbe verò Lepti [f] legimus fuisse morem, ut post Nuptias celebratas Sponsa ad matrem viri ollam petitum mitteret, quam illa se missuram negaret asperiùs, quo exemplo Nupta assuesceret asperitatem socrus ferre patienter: Persæ [t] antequam matrimonio jungerentur, mala gustabant cum medullâ camelinâ, Athenienses [u] Cydonium malum; Latini [x] verò jugum subibant, unde [y] Juno jugalis dicebatur; aliæ gentes aliis ritibus utebantur; quos recensere longum, & supervacaneum foret ad Græcorum, Romanorumque ritus festinantibus, de quibus deinceps disseremus. Atque illud inprimis adnotandum triplicem apud Romanos matrimonii con- 4
trahendi fuisse morem, usu, farre, & coemptione, quod testatur Boëthius in librum secundum topicorum; & usu quidem matrimonium contrahebatur, quum uno anno vir, & mulier simul habitassent. Atque ad id matrimonii genus fortasse Plautus respexit, quum Alcmenam Junonis pellicem uxorem appellat usurariam Jovis in [z] his versibus

Amphitruo subditititius eccum exit foras
Cum Alcumenâ uxore usurariâ

Atque hæ Nuptiæ, quæ usu contrahebantur, a Jurisconsultis injustæ appellantur; sicut Nuptiæ per coëmptionem justæ, ut notat Pancirolus. Farre verò Nuptiæ fiebant, quum per Pontificem maximum, 5
Flaminemque Dialem per fruges, & molam salsam vir, & uxor conjungebantur; quod genus [a] *confarreatio* dicebatur, habebaturque sanctissimum; ideo Flaminem legere non licebat, nisi eum, qui confarreatis parentibus esset procreatus, ut ex Cornelio Tacito [b] intelligi potest; qui etiam libro quarto ostendit confarreandi morem Tiberii tempore pæne desitum; quo qui essent copulati, non poterant separari. In eo autem Servius testatur, Flaminia quum in manum viri conveniret, poni follitas duas fellas jugatas ovis pelle superinjectâ, quæ hostia fuisset, ibi Flaminiam, Flaminemque velatis capitibus resedisse. Coëmptione [c] verò tertium matrimonii genus

[a] Herodot. libr. 1. [b] Strab. libr. 16. Ælian Var. Histor. libr. 4 cap. 1. & Stobæus serm. 42 ex Nicolai scriptis de Morib. Gentium. [c] Strab. libr. 15. [d] Strabo ib. [e] Idem Strab. libr. 11. [f] Pompon. Mela libr. 1. cap. 21. [g] Stob. serm. 42. ex ejusdem Nicolai scriptis de Morib. Genr. [h] Strabo libr. 15. [i] Cæl Rhodigin. libr. 18. cap. 12. [l] Stobæus serm. 42. [m] Plin. libr. 5. cap. 8. & Solin. c. 39. & Pompon. Mel. libr. 1. [n] Stob. serm. 42. ex eodem Nicolao. [o] Cæl. Rhodig. libr. 18. cap. 30. [p] Philostrat. in Vitâ Apollon libr. 3. [q] Plutarch. in Conjugal. præceptis. [r] Plutarch. in Vitâ Lycurg. [f] Plutarch. in precept. Coniug. [t] Strab. libr. 15. in fin. [u] Plutarch. in Vitâ Solon. in præcept. Conjugal. & in Probl. cap. 55. [x] Servius ad libr 4. Æn. Virg. *Ne cui me vinclo vellem sociare jugali.* [y] Serv. ibid. & Fest. Pomp. libr. 9. [z] Plaut. in Ampb. Act. 1. Sc. 2. [a] Boëthius ubi supra, & Dionys. Halicarn libr. 2. [b] Corn. Tac. libr. 4. Ann. [c] Alex. ab Alexandr. libr. 2. cap. 5.

nus contrahebatur, quo uxor viri mater-
familias efficiebatur; nam femina interro-
6 gabat virum, an sibi paterfamilias esse vellet,
& feminam vir, an sibi materfamilias; qui
quum velle respondissent, matrimonium
contrahi censebatur; quo Nupta viro filiæ
loco habebatur, dicebaturque in mariti ma-
num convenire, quòd in ejus manum, man-
cipiumque veniret, & deinde in ejus esset
potestate; quod genus respexit Apulejus,
ubi dixit: *ecce Psyche convenit in manum Cu-
pidinis*; & [a] Gellius libro decimo octavo,
ubi sic ait, *matronam dictam esse propriè,
quæ in matrimonium cum viro convenisset*; &
Arnobius libro secundo: *quum in matrimo-
nia convenitis, togâ sternitis lectulos, marito-
rum genios advocatis*. Hæ verò Nuptiæ per
coëmptionem fieri dicebantur, quòd Nu-
pta ad maritum tres [b] asses deferret, quo-
rum unum viro, quasi coëmendi causâ tra-
deret; alium, quem in pede haberet, in
foco larium poneret; tertium, quem in
marsupio, compito vicinali tribueret. Sed
7 hæc, quæ de tribus Nuptiarum generibus
diximus, propria singulorum generum; il-
la verò communia, quæ deinceps dicemus.
Tres dies Nuptiis celebrandis vetere in-
stituto dicabantur; primus [c] proaulia dice-
batur, quo virgo despondebatur; secundus
apaulia, quo Nuptiæ fiebant, Sponsusque in
soceri domum transibat; tertius autem e-
paulia, latinè repotia, quo Sponsi affines
convivium exhibebant; septimo verò die
convivia instaurabantur, ut Donatus in
Phormionem testatur, qui sic ait: *septimus
autem dies voti instaurationem habet, ut in fu-
nere nonus, quo parentalia concludebantur*;
tantò longius temporis intervallum Anti-
qui tribuebant mærori, quàm lætitiæ, ut
nono die funebrem cenam darent, celebri-
tatemque funeris absolverent, trium die-
rum spatio Nuptiarum gaudia terminarent;
quasi brevior esse voluptas, quàm dolor de-
beat, citiusque lætitiæ satietas, quàm luctus
capiat. Et sanè si vitam hominum contem-
8 plemur, plura tristia, quàm læta nobis re-
putantibus occurrent, naturalemque ho-
mini magis fletum esse, quàm risum appa-
rebit, quum simul ac nati sumus, vagitus
edamus, & ploratus; risus ille præcox, &
celerrimus ante quadragesimum diem non
contingat, miraculoque fuerit [d] Zoroaster,
qui vitam a risu est auspicatus; nec ullus
alius memoretur, qui natali die riserit; hac
de causâ Veteres brevem Nuptiarum læ-
titiam esse voluerunt. Accedebat eodem,
quod lætitia animum solvit, luctus con-
trahit; & voluptate diffluimus, tristitiâ ma-
gis in officio continemur; ideo sapienter
illi diutius exequiis, quàm Nuptiis vacave-
runt, ne labefactarentur animi voluptate
diuturnâ. Quin ipsi Nuptiarum hilaritati
imaginem quandam tristium immiscuerunt; 9
quid enim aliud fuit, quàm imitamentum
tristissimæ rapinæ vis illa, qua [e] nova Nu-
pta a complexu matris avellebatur, & quasi
invita non domo progrediebatur, sed vio-
lenter auferebatur, limenque contingere
vetabatur; quod licet nonnulli factum pu-
tent, ne Sponsa veneficiis sub limine do-
mus abditis læderetur; vero [f] tamen simi-
le existimaverim eum morem fluxisse a ra-
ptu Sabinarum. Ferebatur autem nova Nu-
pta a matronâ coronatâ [g] Lucano teste, qui
cecinit

Turritaque premens frontem matrona coronâ
Translatâ vetuit contingere limina plantâ

quibus in versibus adnotandum est coro-
nam fuisse turritam. Hæc autem quodam-
modo tristia, vel tristium imitamenta; illa
verò læta; coronati [h] lauro postes, victi-
mæ [i] cæsæ, effusi flores, celebrata [l] con-
vivia, risus, jocique, qui passim perstrepe-
bant, ardentes totâ domo faces, editi in-
terdum in Regum Nuptiis gymnici, musi-
cique ludi, quæ omnia fieri consuevisse in
Nuptiarum solemnibus veterum scripto-
rum declarat auctoritas. Nam [m] Apulejus
libro quarto sic Nuptiarum celebritatem 10
describit: *officio frequenti cognatorum, & af-
finium stipatus templis, & ædibus publicis vi-
ctimas immolabat, domus tota lauris obsita, tæ-
dis lucida, constrepebat Hymenæum*; & [n] Ju-
venalis de postibus coronatis ita loquitur

...... necte coronam
Postibus, & densos per limina tende corymbos

& [o] Lucanus

Festa coronato non pendent limine serta

Ovidius [p] etiam de lampadibus in episto-
lis ita ait:

Undique collucent præcinctæ lampades auro,
Dantur in invitos impia tura focos

de [q] jocis Lucanus:

Non soliti lusere sales; non more Sabino
Excepit tristis convicia festa maritus

de conviviis omnes passim; unum tamen
illud celeberrimum, quod [r] Athenæus tra-
dit Caranum Macedonem in filii Nuptiis 11
celebrasse, cui quum viginti convivæ essent
adhibiti, adeo pretiosa munera sunt singu-
lis

[a] A. Gell. libr. 18. cap. 6. [b] Alexand. ab Alexandr. libr. 2. cap. 5. [c] Cæl. Rhodigin. libr. 28. cap. 24. [d] Plin. libr. 7. cap. 16. [e] Plutarch Probl. c. 42. Servius ex Varrone in Eclog. 8. Virgil in eum locum. *Mopse novas incide faces*, &c. & in libr. 2 Æneid. in eum locum *Vestibulum ante ipsum*, &c. & Sext. Pomp. libr. 16. [f] Idem Sext. Pomp. l. 16.

[g] Lucan. libr. 6. [h] Apul. libr. 4 Metam. [i] Varr. libr. 2 de R Rust cap 4. [l] Alexand. ab Alexandr. libr. 2. cap. 5. [m] Apul. libr. 4. Metamorph. [n] Juvenal. Sat. 6. v. 52. [o] Lucan Pharsal. libr. 3. [p] Ovid. in Epist. 14 Hypermnestr. ad Linum. [q] Lucan. libr. 2. Pharsal. [r] Athen. l. 4. in princ.

lis distributa, ut omnes ex eorum pretio domos, agrosque coëmerint. Plutarchus etiam in problematis quærit causam, cur in Nuptiis longè plurimi convivæ vocari solerent; ideo Plato [a] ad circumcidendum luxum Nuptiarum in legibus plures decem convivio nuptiali vetat adhiberi. Musicos autem [b] ludos fecit Philippus Macedoniæ Rex, quuum filiam Cleopatram nuptum dedit Alexandro Epirotarum Regi. Sed hæc, quæ de lætitiâ nuptiali diximus, vulgata possunt videri; neque ita propria Antiquorum, ut non his etiam temporibus usurpentur; semper enim sacra illa Nuptiarum a lætitiâ sunt inchoata: semper lauta convivia cognatorum, amicorumque frequentiâ sunt celebrata: semper omni lusu, risu, jocis referta fuit Nuptiarum celebritas. Sed illi ritus Antiquorum proprii, quòd Cereris sacerdos viros, & uxores co-
12 pulabat, ut Plutarchus in præceptis connubialibus refert; & quòd illi, qui Junoni Nuptiali sacrificabant, cum victimâ fel consecrare non solebant, sed exemptum abiicere post aram consueverant; & quòd Nupta [c] cingulo vinciebatur, quod Herculaneo nodo astrictum Sponsus dissolvebat. An verò Nuptiarum dumtaxat die, an semper eo cingulo virgo cingeretur, video quosdam dubitasse; sed Scaliger existimavit semper virgines cingi consuevisse [d] motus illo Catulli carmine

Tam gratum mihi, quàm ferunt puellæ
Pernici aureolum fuisse malum,
Quod zonam solvit diu ligatam

Ad hunc autem ritum plurimi respexerunt; nam Catullus [e] ait:

Ne quærendum aliunde foret nervosius illud,
Quod posset zonam solvere virgineam

alludit & [f] Homerus his verbia

Λῦσε δὲ Παρθενίην ζώνην.....

alludit & [g] Varro apud Augustinum, qui sic ait: *& quum virgini uxori zona solvitur.* Hanc Hesiodus mitram, *δῆματα παρθενίης* hoc est *vincula virginitatis* appellavit [h] Meleager in Anthologiâ. Erat & alius ritus,
13 quo spargebantur nuces, hinc [i] Virgilius dixit:

Sparge marite nuces; tibi deserit Hesperus Oetam

& [l] Catullus

Concubine nuces da

Causæ hujus rei multæ afferuntur; illa, quam affert Scaliger, est non improbabilis, Sponsum sparsisse nuces, ut se ostenderet, nugas reliquisse; nam interdum nuces pro nugis accipiuntur; unde illud [m] Persii

..... nucibus facimus quæcunque relictis

Tumultuabantur & ante fores thalami mulierculæ; sed erant, qui ipsas limen irrumpere prohiberent, ne virgini vim patienti suppetias ferrent: jam torus altè extruebatur, ita ut ad ipsum gradibus ascenderetur Lucano [n] teste, qui sic ait:

...... gradibusque acclinis eburnis
Stat torus......

Is autem purpurâ sternebatur, vocabaturque lectus genialis, ut [o] Juvenalis ostendit his verbis

..... Tyriusque palam genialis in hortis
Sternitur.....

ex quo idem [p] Juvenalis cecinit:

Antiquum, & vetus est alienum Postume lectum
Concutere, & sacri genium contemnere fulcri

Sic autem appellabatur lectus conjugalis, quia in Nuptiis [q] præcipuè maritorum Genios adorabant, sicut conjugum Junones; nam viri Genios, mulieres autem sibi Junones, ut [r] Plinius loquitur, adoptabant.

[a] Plato Dial. 6. de Legibus. [b] Diodor. Sicul. Biblioth. libr. 16. [c] Pomp. Festus libr. 3. [d] Catullus epigr. 2. de passere Lesbiæ. [e] Catull. 58. ad Januam impudicæ. [f] Hom. Odyss. λ. v. 244. [g] D. Augustin. de Civitate Dei libr. 4. cap. 11. [h] Antholog. libr. 3. εἰς Γυναῖκας. [i] Virgil. Eclog. 8. & Servius ibid. [l] Catull. in Epithalam. Juliæ, & Manlii. [m] A. Persius Sat. 1. [n] Lucan. Pharsal. libr. 2. [o] Juvenal. Satyr. 10. v. 333. [p] Juvenal. Satyr 6. v. 21. [q] Arnob. adversus Gentes libr. 3. Angelus Politian. Miscell. cap. 89. [r] Plin. libr. 2. cap. 7.

DISSERTATIO XXXI.

De Nuptiis Antiquorum.

Cornices quum societatem coiverint, mirâ concordiâ vivunt, neque inter se temerè, licenterque miscentur, & alterâ extinctâ superstes vidua degit; ideo in Nuptiis optimum augurium habentur; hinc etiam Angelus Politianus locum Juvenalis de cornice intelligit, quem alii de ciconiâ accipiunt. Contra fulmen infaustum est augurium; quamobrem reprehendendus est Claudianus, qui in Nuptiis Plutonis, & Proserpinæ fulmen adhibet; nec rectè Virgilium imitatur. Quare sponsus Cajus, Caja sponsa diceretur. In coëmptionis contractu omnes feminæ Cajæ vocabantur. Controversum est utrum nova Nupta flammeo pudoris, an ominis ergo velaretur; ab eo Nuptiæ sunt appellatæ; nam verbum nubo *Antiquis* tegere *significabat; idcirco Neptunus a* nubendo *dictus; & meritò Cicero deridet eos, qui a* nando *deducunt; quare frustra Vossius censet in eo loco pro* nando *legendum esse* nubendo. *Stoicorum etymologiæ duriusculæ erant. Veneris, Mavortis, Minervæ, & Saturni, atque fidei nomen unde deducatur. Munera, quæ sponsæ dabantur, anacalypteria, & parapherna nuncupabantur; hinc Diodorus Siculus tradit Proserpinam pro anacalypteriis accepisse Siciliam. Pronubus vocabatur anulus ferreus sine gemmâ, quem accipiebat sponsa. Mundum muliebrem qui ferebat, Camillus appellabatur. Affinis, qui eodem curru cum sponso, & sponsâ vehebatur, parochus, seu paranymphus dicebatur. Axis currus, quo vecta erat uxor mariti domum, incendebatur, ut ea intelligeret, perpetuò ibi manendum.*

VEreor, Auditores, ne longiùs a proposito argumento videar evagari, dum cuncta colligo, quæ Veterum institutis in Nuptiis usurpari solebant. Sed res est adeo celebris, ejusque cognitio tantum lucis affert claris Auctoribus, tantam continet rerum varietatem, notitiamque vetustatis, ut operæ pretium facturi videremur, si, licet ad alia properantes, in hac re explicandâ diutiùs immoraremur. Quum enim Antiquis præcipua cura fuerit, ut subolescente quotidie novâ multitudine Respublica viris abundaret, quibus & bella gererent, & pacem administrarent, & hostibus terrori, & sociis præsidio esse possent, nihil etiam antiquius habuerunt, quàm cavere, ut Nuptiarum sacra quàm frequentissimè obirentur, & quàm sanctissimè possent, celebrarentur; quapropter multos ritus excogitarunt, quibus plena poëtarum carmina, plenæ ceterorum scriptorum paginæ. Quo fit, ut eorum scientia ad bonos Auctores intelligendos plurimum conferre videatur; quæ res nos movit, ut quum in Auctore nostro nuptialis cujusdam ritus mentio incidisset, de Nuptiarum cæremoniis fusè diceremus; quod & hactenus non semel fecimus, & hodierno die faciemus. Et ut hinc potissimum exordiamur; sicut in aliis universis, ita in Nuptiis diligentissimè curaverunt, ut quàm 1
optimis auspiciis uterentur. Itaque antequam Nuptias celebrarent, auspicia captabant; ideo auspices adhibuerunt, quorum meminit his verbis Cicero libro primo de divinatione: *quod etiamnum Nuptiarum auspices declarant, qui re omissâ nomen tantùm tenent.* Alludit & Virgilius, quum libro quarto sic ait:

Dîs equidem auspicibus reor, & Junone secundâ
Huc cursum Iliacas vento tenuisse carinas

Optima verò auguria a cornicibus petebantur, quæ [a] licet Plinio teste inauspicatæ aves haberentur, in [b] re nuptiali auspicatissimæ putabantur. Quocirca [c] Ælianus in animalium historiâ tradit Antiquos post Hymenæum cornicem solitos invocare; cujus moris ea causa est, quòd cornices, quum societatem coiverint, mirâ concordiâ vivunt, neque inter se temerè, licenterque miscentur; quin etiam proditum alterâ extinctâ oomparem viduam degere; quibus rationibus ductus Angelus Politianus concordiæ [d] symbolum cornicem esse dixit, eoque putavit pertinere [e] Juvenalis carmen

Quæque salutato crepitat Concordia nido;

quod alii [f] de ciconiâ acceperunt. Sicut autem in Nuptiis duas vidisse cornices faustissimum augurium credebatur, sic [g] unam aspexisse inauspicatum; quapropter Horus Apollo [h] memoriæ prodidit Antiquos in Nuptiis accinuisse *ἐκκόρει, κόρη, κορώνην* hoc est *expelle, puella, cornicem*. Sed & [i] accipitrem, quem circon vocaverunt, prosperrimi augurii censebant; contra verò fulmen infausti, si credimus [l] Servio, quamvis Claudianus [m] fulmen esse indicet auspicatum, ubi de Nuptiis Plutonis, & Proserpinæ ita canit: 2

Con-

[a] Plin. libr. 10. cap. 12. [b] Plutarch. in libr. Quod bruta Animalia ratione utantur. [c] Ælian. libr. 3. de Hist. Anim. c. 9. [d] Angel. Polit. Miscell. cap. 67. [e] Juven. Sat. 1. v. 115. [f] Angel. Polit. ibid. [g] Ælian. de Anim. libr. 3. c. 9. [h] Horus Apollo in Not. Hieroglyph. [i] Plin. libr. 10. c. 8. [l] Serv. in illud Virgil. libr. 4. Æneid. *Prima & Tellus, & pronuba Juno Dant signum &c.* [m] Claud. de Rapt. Proserp. libr. 1. v. 230.

Confessus generum nimbis Hymenæus biulcis
Intonat, & testes firmant connubia flammæ

Sed Claudianus hunc Virgilii locum perperam est [a] imitatus

..... fulsere ignes, & conscius Æther
Connubii, summoque ulularunt vertice Nymphæ

nam Virgilius, qui Didonis infelix, infaustumque connubium describebat, id initum malis auguriis debebat ostendere; Claudianus autem, qui Plutonis, & Proserpinæ Nuptias auctore Jove celebratas exequebatur, minùs convenienter fecit, quum augurium tam triste immissum ab ipso Jove, qui matrimonium illud ratum esse volebat, tradidit accidisse; illud etiam [b] imperitè dixit:

..... testes firmant connubia flammæ;

non enim fulmina matrimonium firmabant, sed dirimebant. Terræmotus [c] etiam in Nuptiis factus inter inauspicata ponebatur; nec verò solùm rerum auguria petebantur, sed etiam verborum omina captata accepimus. Siquidem Valerius Ma-

3 ximus [d] libro primo capite quinto ita loquitur: ***At Cæcilia Metelli, dum sororis filiæ adultæ ætatis Virginis more prisco, noctè concubiâ nuptialia petit, omen ipsa fecit; nam quum in sacello quodam ejus rei gratiâ aliquandiu persedisset, nec aliqua vox proposito congruens esset audita.*** In quibus verbis illud etiam adnotandum noctu Veteres omina, & auguria petisse Nuptiarum; quemadmodum etiam noctu [e] Nuptiæ celebrabantur. Ubi autem & aves addixissent, & nihil ominosi, nihil infausti accidisset, virgo despondebatur; qua in sponsione Sponsa [f] quidem Caja, Sponsus autem Cajus vocabatur; sive [g] quòd Cajæ matrimonium felix inprimis, & fortunatum fuisset, sive quòd femina in Nuptiis coëmptionem faceret, quo in contractu omnes feminæ Cajæ dicebantur Cicerone teste, qui in oratione pro Murænâ sic ait: *putarunt omnes mulieres, quæ coëmptionem facerent, Cajas vocari*. His autem ex more perfectis, nova Nupta [h] prætextam deponebat, & [i] togam

4 puram, & tunicam rectam induebat; coronam [l] autem ex verbenâ, floribusque a se lectis, & herbis sub amiculo deferebat; caput [m] autem eo velo contegebat, quod flammeum dicebatur; id lutei coloris fuisse tradit Plinius libro vigesimo primo capite octavo; alludit & Claudianus in Nuptiis [n] Honorii, & Mariæ, qui sic ait

Pars infecta croco velamina lutea serum
Pandite, Sidoniasque solo prosternite vestes

Fuit autem hic omnino color Nuptiis dicatus; ideo [o] Catullus Hymenæum sic alloquitur:

Huc veni niveo gerens
Luteum pede soccum

Duas autem causas afferunt, cur Nupta flammeo velaretur; nam [p] alii pudoris, alii ominis ergo novam Nuptam flammeo vultus obnupsisse censuerunt; priori Lucanus adstipulatur [q] his carminibus:

Non timidum Nuptæ leviter tectura pudorem
Lutea demissos velarunt flammea vultus

posteriori [r] Festus his verbis: *flammeo amicitur nubens boni ominis causâ, quòd assiduè eo utebatur Flaminica; idest Flaminis uxor, cui non licebat facere divortium*. Utcunque 5

ea se res habet, ab eo [f] flammeo Nuptias dictas animadvertimus; nam quòd puellæ nupturæ capite flammeo nuberentur, ideo Nupta, quæ in viri manum conveniret, & ab eâ Nuptiæ sunt appellatæ; nam verbum *nubo* Antiquis *tegere* significabat, ut intelligi potest ex verbis vetustæ legis, quam Cicero recitat: *si vincent, caput* [t] *obnubito, infeliei arbori reste suspendito*; hinc Neptunum a nubendo, eo quod terram operiat, dictum autumant eruditi. Quamobrem Vossius in Cicerone libro secundo de Naturâ Deorum, ubi Neptunum Balbus *a nando* tradit appellatum, subesse mendum suspicatur, & pro *nando nubendo* legendum esse censet, sed eruditissimum virum fugit ratio; ex eo quippe constat retinendam veterem lectionem; quòd in libro tertio, ubi Cotta deridet hanc etymologiam Stoicorum, leguntur hæc verba: *quamquam, quoniam Neptunum a nando appellatum putas, nullum erit nomen, quod non possis unâ litterâ explicare, unde ductum sit; in quo quidem tu magis natare mihi visus es, quàm ille ipse Neptunus*. Qui jocus minùs esset elegans, minusque celebratis Tullii salibus, atque urbanitati responderet, si Balbus dixisset, Neptunum *a nubendo* esse dictum. Nec video, 6

quid in hac etymologiâ tantopere Cotta irrideret, durioremque putaret, quàm illas, quas attulit Balbus; Venerem nimirum dici, quia veniat ad omnia; Mavortem; quia ma-

[a] Virg. Æneid. libr. 4. [b] Claudian. de Raptu Proserp. libr. 2. v. 230. [c] Servius in libr. 4 Æneid. ad illum versum: *Prima, & Tellus, &c. ut supra*. [d] Val. Maxim. libr. 1. cap. 5. de Cæciliâ Metelli. [e] Festus Pomp. libr. 14. & Plutarch. Probl. cap. 65. & Serv. ex Varrone ad Eclog. 8. Virgil. in illum vers. *Mopse novas incide faces &c.* [f] Plutarch. Problem. cap. 29. [g] Plutarch. ibid. [h] Propert. libr. 4. Eleg. ult. [i] Plin. libr. 8. cap. 48. [l] Festus Pomp. libr. 3. [m] Idem Festus libr. 6. & libr. 13. Catull. in Epithalam. Juliæ, & Manl. Lucan. libr. 2. & Cornel. Tacit. libr. 15. Annal. & Sueton. in Neron. cap. 28. [n] Claudian. carm. 10. v. 212. [o] Catull. in Epithalam. Juliæ, & Manlii. [p] Ambrosius in libro de Patriarch. apud Cælium Rhodigin libr. 28. cap. 15. [q] Lucan. libr. 8. Pharsal. [r] Festus Pomp. libr. 6. & Tertullian. de velandis Virginibus. [f] Idem Festus libr. 12. & Donat. in Hecyram Terentii. [t] Cicer. pro Rabirio.

magna vertat; Minervam, quia minetur, vel minuat; Saturnum, quia se saturet annis; nam a nuptu Neptunus non minùs bellè deduci potest, quàm a verto Vertunus, quod etymon est certissimum; nec in voce *Nuptu* Neptunus una littera tantùm, ut Cotta dicit, sed quatuor explicantur. Quod si cui durius videtur *a nando* nomen Neptuni derivari; is cogitet eo loco Ciceronem referre sententiam Stoicorum, qui duriusculas interdum afferre verborum notationes solebant. Quocirca Tullius libro primo de Officiis allaturus fidei etymon, quod durius videbatur, imitari se velle Stoicos dicit his verbis: *ex quo quamquam hoc videbitur fortasse cuipiam durius, tamen audeamus imitari Stoicos, qui studiosè exquirunt, unde verba sint ducta, credamusque, quia fiat, quod dictum est, appellatam fidem*; sed de nominum origine satis multa; jam ad in-
7 ceptum revertamur. Quum hoc flammeum Sponsa deponebat, & se viro ostendebat; ab eo, & cognatis, & ejus amicis munera accipiebat, quæ [a] ἀνακαλυπτήρια vocabantur; ex quo [b] Diodori Siculi locus explicatur, qui tradit Siciliam insulam ideo Proserpinæ dicatam esse, quòd eam pro anacalypteriis acceperit. Munera verò, quæ Nuptis dabantur, erant [c] spinteres, stalagmia, pectinea, pelves, speculum, sandalia, aurum, gemmæ, atque alabastri, aliaque id genus, quæ mundus muliebris appellantur; ia autem apud Romanos, & uxoris utensilia ferebantur [d] in vase ab eo, qui Camillus dicebatur; hæc verò munera a Jurisconsultis παράφερνα nuncupantur. Accipiebat & Sponsa [e] anulum ferreum sine gemmâ, qui pronubus vocabatur; quare quum in [f] Apologetico Tertullianus ait: *aurum de matronis nulla norat, præter unico digito, quod Sponsus oppignerasset pronubo anulo*, de temporibus loquitur, quibus vetustus mos exoleverat. Jam [g] curru Sponsam vehi so-
8 litam quis nescit cum Sponso, & affine? is affinis [h] Græcis πάροχος appellatur a verbo παροχῦμαι, vel [i] paranymphus ab eo, quod παρὰ τὴν νυμφὴν assideret; ea verò Sponsa, quæ pedibus mariti domum [l] petebat χαμαίπους dicebatur. Quum [m] autem ad viri domum Nupta pervenisset, axis currus incendebatur, ut ea disceret apud virum perpetuò manendum, neque sedes muliebri levitate mutandas; euntem [n] verò Nuptam tibicen præcedebat, qui concinebat Hymenæum; nam in Nuptiis tibiâ canebatur Ovidio teste, qui cecinit

Tibiaque effudit socialia carmina vobis,
At mihi funestâ flebiliora tubâ

Apud Græcos [o] etiam præcedebat puer, qui canistrum panibus onustum deferens identidem inclamabat

Ἔφυγον κακόν, εὗρον ἄμεινον.

DISSERTATIO XXXII.

De diverso more Persarum, & Thraciæ Regum in Muneribus.

Thracum Reges munera accipiebant; largiebantur autem Persarum Reges. Xenophon a Seuthe convivio exceptus, quum alii quique ingentia dona afferrent, sese, & milites suos Regi obtulit; sic Æschines Socrati se totum dedidit. Cyrus amicis pecuniâ se indigere scripsit; quum autem quisque ingentes opes pollicitus fuisset; hos esse suos thesauros Cræso dixit, quos fidelioribus commisseret custodibus, suis nempe amicis, quàm si in arce quantumvis munitâ conderet. Rex Artaxerxes Themistocli quinque urbes ad vinum, panem, opsonium, stragula, & vestes comparanda largitus est. Cyrus pariter Pytharcho septem donavit urbes. Rex Persarum cuidam rustico, qui pomum ingens ei donaverat, urbem dono dedit dicens eum posse urbem etiam ex parvâ magnam efficere. Qui bonum attulisset consilium, aureo quidem latere apud Persas donabatur; sed flagris cædebatur, si consilium contra sententiam Regis esset. Dionysius senior filium regno indignum censuit, quòd tantis opibus nullum sibi amicum parasset. Non qui multa possidet, sed qui paucis indiget dives est; quod exemplo confirmatur aliquorum, quibus, quum nihil ferè possiderent, nihil defuit; quum tamen multi Romani Imperatores in egestate summâ vixerint.

ISocrates eloquentiâ scriptor insignis, & in præceptis dandis prudentiâ singulari, in eâ oratione, quam scripsit ad Nicoclem Regem, etiam, atque etiam Reges monet, ut pluris faciant eos, qui ab ipsis petunt, quàm qui afferunt dona; regiam scilicet majestatem putavit non indigere muneribus, quæ ab exiguis privatorum opibus proficiscuntur; indigere verò con-

[a] Jul. Pollux Onomast. libr. 3. [b] Diodor. Sic. Biblioth. Histor. libr. 5. [c] Cæl. Rhodigin. libr. 28. cap. 18. [d] Sextus Festus Pomp. libr. 3. [e] Plin. libr. 33. cap. 1. [f] Tertullian. in Apologet. cap. 6. [g] Jul. Pollux Onomast. libr. 3. cap. 3. [h] Cæl. Rhodig. libr. 28. cap. 15. [i] Suid. in V. Πάροχοι, qui citat etiam Aristoph. in Avibus. [l] Cæl Rhodigin. libr. 28. cap. 24. & Alexand. ab Alexandr. libr. 2. cap. 5. Dier. Genial. [m] Alexand. ab Alexandr. ibid. [n] Plautus in Aululariâ Act. 3. sc. 6. [o] Erasm. Chil. 3. Cent. 1. cap. 2.

1 consilio, indigere bonis artibus, indigere virtutibus plurimorum; quæ qui tenent, & pollicentur, non ipsi dona dare, sed regiâ munificentiâ augeri desiderant. Jam verò altissimæ Regum fortunæ convenire id, quod magnificentissimum est; magnificentius autem esse largiri dona, quàm accipere; ideo Reges oportere magis liberalitate suâ, quàm aliorum muneribus delectari. Contra verò legimus [a] aliud institutum fuisse nonnullis gentibus, apud quas non Reges privatis, sed privati Regibus dona afferebant; splendidiusque, & magnificentius putabatur donis affici, quàm in alios esse liberalem; id autem moris idcirco crediderim usurpatum, quòd plerunque solent ii, quibus aliquâ re opus est, eam mercari donis; qui verò possunt magna tribuere, magnis muneribus conciliari; quum autem non indigere sit beatius, quàm indigere, ideo beatius esse censebant accipere, quàm dare; idque Regibus, quorum beatissima fortuna esse fertur, magis convenire. Horum autem omnino diverso-
2 rum, inter seque pugnantium institutorum duo proponit exempla noster [b] Auctor in duabus longè potentissimis nationibus, Persis nimirum, atque Thracibus. Nam Thracum Reges tantam vim munerum tradit collegisse, ut auri, argentique donati quadringenta talenta quotannis efficerentur; ut nihil interea dicam de veste pretiosâ, de gregibus equorum, pecorumque, aliisque donis, quæ Regibus quotidie donabantur. Addit etiam non solùm Reges, verùm etiam Regum familiares, & administros muneribus humiliorum solitos locupletari, nihilque quemquam consequi potuisse, nisi donis mercaretur; quem [c] morem contrarium moribus Persarum esse dicit; quod est alterum exemplum, quod noster auctor proponit, de quibus exemplis hodierno die disseremus. Verumtamen priùs ad Thucydidis locum illustrandum probabimus Thracum, atque Persarum Regibus in more positum fuisse, ut alteri dona acciperent, alteri libentiùs darent. Et Reges quidem Thraciæ eâ lege, qua Thucydides tradit usos, uti consuevisse,
3 testimonio est suavissimus ille Scriptorum Xenophon, qui libro septimo de Expeditione Cyri se a Seuthe Rege Thraciæ convivio exceptum cum Thracum primoribus memorat; in eo alium frenatum equum, alium puerum formâ liberali, alium vestes, alium argenteam phialam dono dedisse; se verò admonitum, ut Regem sine munere ne adiret, aut Regis epulis interesset. Quare quum haberet nihil, dixisse Regi: meipsum tibi dono, militesque, quos mecum habeo, his utaris, his hostem magnificè vincas, his amplam regionem, prædam opulentam, auri, argentique vim maximam, & divitias omnis generis consequaris. Dignum enimvero philosopho donum; quid enim Regi majus potuit dare, quàm animum parendi studiosum, quàm fortissimorum militum fidem; quibus omnino rebus magis, quàm excellentibus divitiis augentur, & conservantur imperia? Imitatus est homo sapiens [d] Æschinem condiscipulum 4
suum, qui, quum Socrati multi multa pro suis facultatibus offerrent, ipse pauper auditor, paupertatem, inquit, meam nunquam molestiùs tuli, quàm hoc tempore, quo multis, magnisque muneribus te afficere cupienti, omnem mihi fortuna subtraxit muneris tibi dandi facultatem, sed, quod potero, id tribuam; me ipsum videlicet, quem semper habebis tuum. His dictis adeo fertur Socrates delectatus, ut magis Æschinis animum, quàm aliorum splendida munera comprobarit, dixeritque: ego verò libenter accipio donum, & quantum potero contendam, ut pretiosius reddam, & tibi donanti, & mihi accipienti utilius, & fructuosius. Sed ut ad propositum 5
argumentum revertamur, idem longè gravissimus [e] Auctor Thracum moribus contrarium morem a Cyro constitutum docet, quem magis gavisum esse dicit muneribus dandis, quàm accipiendis; quem quum Crœsus admoneret, quòd omnia omnibus tribuens nihil sibi relinqueret, pollicitus esse fertur ostensurum thesauros suos; scripsit autem amicis epistolam, qua sibi opus esse pecuniâ confirmabat; quum autem amici ingentes opes pro se quisque pollicerentur, & alius alium magnitudine munerum superare contenderet: en, inquit, Crœse, thesauri mei, quos fidelioribus committo custodibus amicis meis, quàm si in arce quantumvis munitâ cumularem; tunc enim eos mercenariorum fidei crederem, qui tanquam rem alienam tuerentur; nunc amicis credo, qui tanquam suos fideliùs, custodiunt; nec invidia, & odium consequitur divitias congerentem, sed amor, atque admiratio. Et sanè fuit Rex ille celeberrimus cum aliis virtutibus, tum liberalitate maximè memorandus; neque solùm donorum magnitudine, sed etiam opportunitate laudatur. Itaque quum [f] animadverteret nihil magis homines conciliare ho- 6
minibus, quàm epularum communionem, constituit legem, qua modus præscribebatur futuris Regibus quotidiani convivii, quod tantâ rerum copiâ instruebatur, ut eo

[a] Thucydid. libr. 2. [b] Thucydid ibidem. [c] Idem ibid. [d] Seneca de Benefic. libr. 1. cap. 8. [e] Xenoph. de Institut. Cyri libr. 8. [f] Xenoph. ibid.

eo multa hominum millia alerentur. Refert Polyænus consumi solitos in convivio Regum Persarum centum boves, quadringentos arietes, trecentos agnos, quadringentos anseres saginatos, sexcentas aves omnis generis, triginta capreas, cetera ad eundem ferme modum; quam cenam quum Alexander in æreâ columnâ scriptam reperisset, everti columnam imperavit, quasi barbarici luxus monumentum. Id autem longè se aliter habebat; non enim ad luxum adeo sumptuosas cenas Cyrus invenerat, sed ut multis partes mittendo multorum animos etiam sibi devinciret; quam Cyri liberalitatem ceteri Persarum Reges imitati multis multa magnificè tribuerunt. Themistocli Rex ª Artaxerxes quinque urbes dedit; Lampsacum ad vinum, Magne-
7 siam ad panem, Myuntem ad opsonium, Percopen, & Palæscepsin ad stragula, & vestes comparanda. Fecerat idem magnus ille ᵇ Cyrus, qui Pytharcho Cizyceno septem urbes donaverat, Pedasum, Olympium, Caman Tium, Sceptra, Artypsum, Tortyram. Eadem liberalitate Rex ᶜ idem Artaxerxes Entimum Atheniensem est prosequutus; nam & argenteis pedibus lectum innitentem, & argenteam sellam, & aureas phialas, gemmatas, & argenteas centum magni ponderis, & crateras argenteos, & ancillas centum, totidemque pueros, & sex millis aureorum, qui Darici vocabantur, donavit præter ingentem pecuniam, quæ in ejus usus quotidie impendebatur. Jam verò legatis exterarum gentium, quàm ampla dona & quàm magnifica Persarum Reges mitterent, declaravit ᵈ Epicrates Atheniensis; qui dicere solebat, non Archontas novem, sed novem ad Persas legatos quotannis eligendos, ut omnes divites evaderent. Nec
8 verò exteris tantùm ea Regum liberalitas patuit, sed etiam Persis; rusticano homini, qui Regi pomum ingens donaverat, Rex urbem ᵉ dono dedit; quum diceret, posse urbem ex parvâ magnam efficere, qui fructus terræ præter naturam tam magnos suâ curâ reddidisset. Jam ᶠ verò omnibus, qui liberos tollerent a magno Rege præmia tribuebantur: jam qui consilium bonum attulisset, quamvis a Rege dissensisset, aureo latere donabatur; laudabiliter id sanè; illud autem contumeliosè, quod idem flagris cædebatur, quia contra sententiam Regis dixisset: jam inventoribus novarum voluptatum quis nescit a Persis præmia constituta? Nollem tantum honoris tributum voluptati; non enim præmiis voluptas invitanda, sed pœnis erat coërcenda; satis illa regnat, quamvis Regum indulgentiâ non foveatur, sed censorum severitate opprimatur. Quid autem opus est ingenia ad indagandas voluptates excitare, perinde quasi non in hoc nimis etiam solertes naturâ simus, & non satis regna pessumdet voluptas, quamvis præmiis non incitetur. Sed tamen vel ex hoc intelligi potest vera esse, quæ ᶠ noster Auctor de Regibus Persarum prodidit, auxisse largiter suos populares donis, neque ulli hominum generi occlusam fuisse regiam liberalitatem. Laudabile fanè institutum; quid enim magis 9
regium, quàm plurimos beneficio, & gratiâ devincire, & quum opibus ceteros præstes, præstare ceteros etiam benefaciendo?

Nam cujus aliquis, inquit Antiphanes, *per Deos causâ velit*
Prædives esse, & opibus affluere inclytis,
Quàm ferre possit obviam ut amicis opem,
Et seminare gratiæ fructum Deæ
Dulcissimæ? . . . . . .

Bene ᵍ Dionysius ille senior filium reprehendit, & indignum Regno putavit, quòd quum haberet ingentem auri cælati vim, neminem amicum sibi tantis divitiis reddidisset. Egregia, & digna tanti imperii magnitudine Persarum consuetudo; illa verò Thracum barbara, & sordida, venire passim honores, venire publica munera, venire potentiorum favorem, ipsum etiam Regem esse venalem. Sed tamen erat, quod illa natio sequeretur; Regibus putabat oportere privatos opes donare, quòd quum pluribus indigeant, Reges quodammodo 10
sint pauperiores privatis, ob eamque causam ab ipsis ditari debeant; non enim qui multa ʰ possidet, sed qui paucis indiget, dives. Nihil ⁱ deerat Socrati, quum ejus bona quingentis drachmis æstimarentur: nihil deerat ˡ Epicuro, quum exiguum dumtaxat hortum possideret; deerant omnia ᵐ Neroni, quum Orbis terrarum divitiis afflueret; quapropter accepimus propter inopiam ad rapinas, & sacrilegia conversum; nec ditior ⁿ fuit Caligula, quum illud vicies septies millies sestertiûm relictum a Tiberio effunderet; nec ᵒ Crassus, quum totum Parthorum aurum concupisceret. Quadringenties ᵖ millies sestertiûm, ut Rempublicam constitueret, tenacissimus Imperatorum Vespesianus desiderabat; quis hunc inopem neget fuisse, qui tam immani pecuniâ indigebat? Novies millies sester-

ª Athen. libr. 1. cap. 23. ᵇ Agathocles Babylonius apud Athen. ibid. ᶜ Athen. libr. 2. cap. 9. ᵈ Athen. libr. 6. cap. 13. ᵉ Herod libr. 1. cap. 136. & Strabo libr. 15. ᶠ Thucydid. libr. 2. ᵍ Cæl. Rhodig. libr. 22. cap. 17. ʰ Horat. libr. 4. Od. 9. ⁱ De Socr. paupertate Plutarch. de profect. Virt. sentien. & Ælian. l. 2. c. 43. Var. Hist. Apul. in Apolog. & Sen. Epist. 104. ˡ Strabo l. 14. de Samo, & Diog. Laërt. libr. 10. segm. 16. ᵐ Sueton. in Vitâ Neronis cap. 32. ⁿ Sueton. in Vitâ Caligul. cap. 36. ᵒ Plutarch. in Vitâ M. Crassi. ᵖ Sueton. in Vitâ Vespasian. c. 16.

stertiûm quum paucissimorum mensium intervallo Vitellius ad explendam libidinem effudisset, nullâ [a] aliâ re magis periit, quàm inopiâ pecuniæ; & hunc quis divitem arbitretur, cui, quod paucissimis accidit, ex his, qui in extremâ paupertate agunt, videmus accidisse, ut egestate funditùs interiret?

DISSERTATIO XXXIII.

In qua de Siciliæ descriptione Thucydideâ differitur.

Sicilia ingeniorum proventu, atque omnium rerum affluentiâ beatissima fuit; adeout cella penaria a Catone appelletur. Convenientiùs Cicero Siculos acutos dicit, quàm Plutarchus Timæum adipe Siculo conditum. Circa Ætnam canes propter odoris copiam ferarum vestigia non sentiunt. Siculæ mensæ celebratissimæ. Syracusæ vigintiduo millia passuum ambitu complectebantur, cui par hodie nulla est urbs in Europâ. Historici, qui sua scripta ad vulgi captum accommodant, ex ambitu regionum magnitudinem colligunt; sic Thucydides Thraciæ, & Siciliæ magnitudinem definit; ceterùm hæc ratio metiendi regiones maximè fallax, ut constat ex Pappo Alexandrino; hinc licet India multo major sit Arabiâ, Arabiæ maritima non esse minora Indicis tradit Arrianus, quem Interpres non bene vertit. Certior itaque ratio metiendi Siciliam, quum ejus forma triangula sit, fuerit, si statuatur longitudo cujusque lateris, nam tribus trianguli lateribus cognitis, & areæ magnitudo cognoscitur; sed horum longitudinem alii aliam tradunt. Thucydides, & Plinius dissentiunt in statuendâ Siciliæ ab Italiâ distantiâ. Tempestatis violentiâ Sicilia ab Italiâ divisa est; & hinc Rhegium fuit appellatum; idem & aliis insulis accidit; aliæ verò eadem violentiâ terris adhæserunt.

Antequam noster [b] Auctor scribere instituat bellum, quod contra Siculos temerè susceperunt Athenienses, improsperèque gesserunt, atque infeliciter; Siciliam, quæ theatrum fuit, & causa tanti belli, describit. Facit id summus Historicus
convenienter legibus historicorum, quibus
Cicero in oratore libro secundo regionum
descriptiones adhibendas esse censet; af-
fert omnino ea res memoriæ rerum gesta- 1
rum plurimum claritatis. Insulæ verò Si-
ciliæ tanta est clarirudo, tam ingentes opes,
tanta olim clarissimarum urbium frequentia,
& magnitudo, ut eam nosci non ad historiæ
tantùm lucem, sed ad legentium utilitatem,
voluptatemque pertineret. Est enim [c] Sici-
lia insularum celeberrima; nihil illius uber-
tate soli fructuosius, nihil ingeniis incolarum
solertius, nihil regionum amœnitate jucun-
dius, nihil urbium nobilitate celebratius,
nihil admirabilius antiquâ porentiâ. Hanc 2
non [d] sine causâ Cereri sacram poëtæ prodi-
derunt; quam cum [e] Vulcano ferunt de insu-
læ possessione disceptasse, & Ætnâ judice cau-
sam obtinuisse; ob eamque causam regionem
tantam trumenri copiam semper produxis-
se, ut non modò proprios populos aleret,
sed exteris etiam, & præcipuè populo Ro-
mano alimenta benignissimè ministraret;
ideo [f] Cato cellam penariam Reipublicæ,
nutricem plebis Romanæ Siciliam nomi-
navit. Nam præter frumenti copiam, qua
populus Romanus alebatur, omnia, quibus
homines utuntur, e Siciliâ advehebantur.
Hinc [g] Hyblæa mella a poëtis celebrata:
hinc mamertina vina, quæ teste [h] Strabo-
ne laudatissimis Iraliæ vinis comparaban-
tur: hinc [i] crocus, & mollissimæ vestes,
quas Philemon [l] laudat, & Siculas dicit ap-
pellatas: hinc denique alia bona, quæ co-
piosè ea regio producebat. Sed parum fue-
rat omnibus rebus abundare Siciliam, nisi 3
etiam ingeniorum feru censeretur; nunc
præcipua laus laudatissimæ provinciæ est,
quòd nulla non ejus pars excellentibus in-
geniis abundavit. Nam [m] Archimedem Sy-
racusæ, Empedoclem [n] Agrigentum, histo-
ricum [o] Timæum Taurominium, Phili-
stum [p] Syracusæ, Stesichorum [q] Himera,
Theognin [r] Megara, Leontini [s] Gorgiam
Rhetorem præstantissimum, Panormus An-
dream, qui citatur ab [t] Athenæo, Diodo-
rum [u] Agyrium, Nicetam [x] Syracusæ, Eu-
hemerum Messana, Theocritum [y], Epi-
charmum [z], ut nonnulli [a] volunt, inven-
torem comœdiæ eædem jactant Syracusæ.
Quid quòd Bucolici [b] carminis inventio-
nem sibi vindicant Siculi, & Siculi Corax,
atque

[a] Suet. in Vitâ Vitell. cap. 15. [b] Thucydid. libr. 6. in princ. [c] Hom. Odyss. ι. v. 109. & Strabo libr. 6. de Siciliâ. [d] Apollon Argon. libr. 4. & Cicer, in 6. Verrin. [e] Simonid. apud Cæl. Rhodig. libr. 26. cap 20. [f] Cic. in Verrem. [g] Plin. libr. 11. cap. 13. Virg. Ecl. 1. Claud. in Fescenn. carm. 14. & de Raptu Pros. libr. 2. v. 125. [h] Strabo libr. 6. de Siciliâ. [i] Strab. ibid. paulò inferiùs. [l] Philemon apud Athen. libr. 14. cap. 22. [m] Tit. Livius libr. 24. [n] Cic. de Amicitiâ, & Diog. Laërt. libr. 8. segm. 51. [o] Athen. libr. 2. cap. 2. [p] Suid. in V. Φίλιστος. [q] Ælian. Var. Histor. libr. 4. c. 26. [r] Suid. in V. Θέογνις. [s] Philostrat. in Gorgiâ Leontino, & Quintil. Inst. libr. 3. c. 1. [t] Athen. libr. 7. cap. 18. [u] Diod. Sic. Bibl. Histor. libr. 1. pag. 3. [x] Ælian. Var. Hist. libr. 2. c. 31. [y] Suid. in V. Θεόκριτος. [z] Suid. in Voce Ἐπίχαρμος, at Diog. Laërt. libr. 8. segm. 78. ipsum Coum fuisse tradit. [a] Suid. ib. [b] Jul. Cæs. Scal. Poët. l. 1. c. 4.

atque [a] Tisias præcepta dicendi principes tradiderunt; ut mirer [b] Plutarchum notare Timæum utpote *ὠνθυλευμένον στέατι σικελικῷ* hoc est *adipe Sicula conditum*; potiusque assentiar [c] Ciceroni, qui acutum esse tradit Siculorum genus. Nam præter eos, quos nominavi, Siculi Auctores celeber-
4 rimi [d] Orpheus poëta diversus ab Orpheo Thracio, & [e] Theodoridas, & [f] Nymphodorus, & [g] duo Heraclidæ Syracusani, & Calphurnius, & Julius [h] Firmicus extiterunt. Jam verò amœnitas insulæ tanta est, ut Siculus Diodorus [i] tradat circa Ætnam montem propter ingentem odoris copiam, qui ex amœnissimis floribus halat, minimè sentire canes ferarum vestigia; & [l] Athenæus prodat universam circa Panormum regionem hortum a Veteribus noncupatam. Quæ soli fertilitas, aëris temperies, amœnitas locorum nollem ingenia Siculorum ad luxum invitasset; certè [m] Siculæ mensæ, & Siculi coqui nimium ab Auctoribus celebrantur; sed ut ait [n] Lyricus poëta

...... nihil est ab omni
Parte beatum

Ceterùm non ita luxuriæ, Venerique Si-
5 culi dediti, ut non etiam Martis egregiè studia colerent; nec sine causâ Pindarus Pythiorum Ode secundâ vocat Syracusas

..... βαθυπολέμου
Τέμενος ἄρεος, ἀνδρῶν,
Ἵππων τε σιδαροχαρμᾶν
Δαιμονίας τροφοὺς

Nam siquis cogitet a Siciliæ tyrannis Imperii Romani æmulam sæpe victam Carthaginem, ornata Syracusarum delubra spoliis Barbarorum, refertam urbem trophæis, exuviisque bellorum; si quis reputet Dionysium [o] tyrannom Siciliæ trecentas triremes, centena millia armatorum, armorum ingentem vim, reliquique bellici apparatus haboisse; meritò Syracusas tanti regni caput, Martis templum, virorumque bellicosorum nutrices a Pindaro appellatas arbitrabitor. Hujus igitur florentissimæ urbis, ac florentissimæ provinciæ res gestas adversùs Athenienses Thucydides [p] narraturus meritò commovetur, remque altiùs exordirur; & insulæ magnitudinem, & qui homines ab initio eam tenuerint, & quoties incolas ea mutaverit, diligenter exequi-
6 tur; & miratur audaciam Atheniensium, qui quum bello adversùs Peloponesi populos, & Corinthios atque Thebanos distinerentur, aliud priori par bellum susceperint. Sanè nulla in Græciâ universâ urbs eo tempore cum Syracusis poterat magnitudine comparari, quæ [q] viginti duo millia passuum ambitu complectebantur, qua magnitudine nulla ferè urbs Europæ censetur hodie. Erant præterea in Siciliâ aliæ urbes sicut impares Syracusis, ita magnæ, atque præclaræ; quare non mirum si Thucydides id bellum extollit, atque magni facit. Sed ut ad verba Thucydidis accedamus, quibus describit Siciliam; tradit [r] summus Auctor Siciliam tantæ esse magnitudinis, ut ab onerariâ nave octo dierum cursu vix circumnavigetur; utitur autem & aliis in locis Thucydides hac ratione metiendi regiones; sic in libro secundo Thraciam maritimam, quæ subjecta erat Sitalcis imperio, navis, quæ secundo vento feratur, quatuor dierum cursu, mediterraneam tredecim dierum itinere metitor. Atque id omnino genus rerum conditoribus frequens, quo regionum magnitudinem ex ambito colligant; sed reprehendit id [f] Quintilianus; neque enim ex circuitu intelligi potest areæ magnitudo; quum, ut [t] Pappus Alexandrinus ostendit, spatium possit esse, quod ambitu infinitis partibus majore comprehendatur, quàm aliud, & tamen infinitis pæne partibus ab ipsius magnitudine superetur. Atque hoc in genere eleganter Ar-
rianus [u] notat Arabiæ litora non minora es- 7
se, quàm Indiæ; nam licet haud dubiè India longè major Arabiâ; tamen quia Arabia oblongior, & a tribus partibus alluitur mari, ideo extremitas illa litoralis Arabiæ Indiæ litorum longitudini non cedit; quæ neque tam oblonga est, & ab unâ tantùm parte maris æstu perfunditur. Nam licet India in vastæ magnitudinis peninsulas procurrat, & ideo Indiæ litora longiùs excurrant, quàm putavit Arrianus, non satis excursus ille peninsularum notus Veteribus fuit, ut ex Ptolemæi tabulis apparet. Quapropter nimis ambiguè hunc Arriani locum vertit Interpres, quum ait: *Arabiam maritimam Indiâ minorem non esse acceperat*; videtur quippe dicere Arabiam, quæ mari perfunditur, toti Indiæ parem esse, quod est longè falsissimum, & Arriani menti contrarium, qui sic ait. *ὅτι οὐκ ἐλάττων ἡ παράλιος τῆς Ἀραβίας, ἤπερ ἡ τῆς Ἰνδικῆς* hoc est *Arabiæ maritima non esse minora Indicis*. Sed ut ad pro-

[a] Cæl. Rhodig. libr. 7. cap. 10. [b] Plutarch. in Vitâ Niciæ in Init. [c] Cicer. in pr. Verrin. [d] Suid. in V. Ὀρφεὺς Καμαριναῖος. [e] Athen. libr. 15. cap. 17. [f] Idem libr. 8. in princip. [g] Athen. libr. 2. cap. 16. in fin. & libr. 14. cap. 14. V. Diog. Laërt. libr. 5. in fine Vitæ Heraclidis. [h] Jul. Firmicus in Præfat. Matheseos ad Mavortium Lollianum [i] Diodor. Sicul. Biblioth. Hist. libr. 5. pag. 199. [l] Athen. libr. 12. cap. 11. [m] Plat. libr. 3. de Republ. Cicer Tusc. quæst. libr. 5. Athen. libr. 12. cap. 10. & Macrob. libr. 7. Saturn. cap. 5. [n] Horat. libr. 2. Od. 16. [o] Diodor. Sic. Biblioth. Historic. libr. 14. pag. 419. [p] Thucydid. libr. 6. [q] Strabo libr. 6. de Siciliâ. [r] Thucydid. libr. 6. in princip. [f] Quintil. Inst. Orat. libr. 1. cap. 17. [t] Pappus Alex. Mathem. Coll. [u] Arrian. de Expedit. Alexandr. libr. 7.

8 propositum argumentum revertamur; historici sunt excusandi, qui sua scripta ad vulgi captum coguntur accommodare; neque possunt regiones exactâ Geometrarum ratione metiri, sed id pinguiore quodammodo Minervâ faciunt; quàm consuetudinem Thucydides imitatus Siciliæ magnitudinem, sicuti diximus expoluit; a quo dissentit Ephorus, qui tradit Siciliam quinque dierum spatio circumnavigari. Ceterum si quis certiorem Siciliæ mensuram desideret, sciendum est ejus insulæ formam esse triangulam; cujus unum latus a Peloro ad Lilybæum Strabone [a] teste ducentis sexaginta millibus passuum patet; aliud a Lilybæo ad Pachynum centum sexaginta quinque; tertium a Pachyno ad Pelorum centum quinquaginta octo, ut insulæ totius ambitus quingenta octoginta tria millia passuum colligat. Nec desunt, qui Siciliam ampliorem esse tradant; nam a Peloro ad Lilybæum intervallum esse ducentotum octoginta millium; a Lilybæo ad Pachynum ducentorum viginti quinque; a Pachyno rursus ad Pelorum ducentorum; qua ratione ambitus Insulæ septingenta quinque millia passuum comprehendit; quo metiendi modo totius Insulæ capacitas, & amplitudo prorsus deprehenditur; nam tribus triangoli lateribus cognitis & trianguli ipsius areæ magnitudo cognoscitur. Atque hanc insulam [b] Thucydides tradit vi-
9 ginti stadiorum spatio ab Italiæ litoribus esse divisam; sic enim ait: *κ̀ τοσαύτη οὖσα ἐν εἴκοσι σταδίοις μάλιστα μέτρῳ τῆς θαλάσσης διείργεται*, *& quum tanta sit, viginti stadiorum freto separatur*. Plinius [c] autem id intervallum angustius facit, qui docet mille quingentorum passuum freto ab Italiâ dirimi; creditum autem est ab eâ parte quondam [d] Italiæ Siciliam adhæsisse, sed vi tempestatis, & fluctu superfundente se terris a Continente abruptam; quod Claudianus eleganter expressit his [e] verbis

..... Trinacria quondam
Italiæ pars una fuit, sed pontus, & æstus
Mutavere situm, rupit confinia Nereus
Victor, & abscissos interluit æquore montes

sed longè melius tantæ rei concepit imaginem [f] Virgilius, quum dixit:

Hæc loca vi quondam, & vastâ convulsa ruinâ,
(Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas)
Dissiluisse ferunt; quum protinus utraque tellus
Una foret, venit medio vi pontus, & undis
Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque, & urbes
Litore diductas angusto interluit æstu

Atque ideo [g] volunt Rhegium appellatum; 10
nam *ῥηγνύειν* græcè dicitur *rumpere*. Nec id Siciliæ tantùm accidit, sed aliis etiam insulis compluribus; siquidem Cyprum [h] Syriæ, Euboeam [i] Bœotiæ, Atalanten [l], & Macrin Euboeæ, Besbycum Bithyniæ, Leucosiam Sirenum promontorio idem maris æstus dicitur abstulisse; ne maria quererentur, quasdam insulas terris adhæsisse, ut [m] Zephyrium Halicarnasso, Æthulam Mindo, Dromiscum, & Pernam Mileto, Narthecusam Parthenio promontorio, Hybandam Joniæ, Sireten Epheso, Derasidas Magnesiæ, & Sophoniam; adeo natura mutationibus gaudet, nihilque firmum sperari potest in rebus humanis, quum terra ipsa, quæ firmitatis est principium, atque elementum, adeo sæpe, vehementerque mutetur.

DISSERTATIO XXXIV.

In Thucydidis locum, ubi Siciliam describit.

Quamplures insulæ repente e Mari emerserunt; contra aliæ fluctuum violentiâ absorptæ sunt. Mediterraneum ipsum Pelagus Oceano irrumpente olim exstitisse Plato prodidit. Deucalionem, & Pyrrham genus humanum reparasse in Ætnâ, tradit Hyginus, alii in Acdo Phrygiæ Petrâ, alii in Parnasso. Ex eo, quòd poëtæ animi vitia ad corpus transferant, Cyclopes unum tantùm oculum habere fingebantur, quia nullas leges noverant; ceterùm ærariam invenerunt, & turres primi construxerunt; hinc artificiosa ædificia dicuntur opera Cyclopum, quod multis Auctoribus lumen adhibere possit. Nulli alii Cyclopes, quàm Siculi extiterunt; quidquid aliqui Cyclopum genera distinguant. Læstrygones etiam immanes populi fuerunt, & Leontinos esse Strabo tradit; nonnulli tamen habitasse Formiis putant.

HEsterno die, Juvenes ornatissimi, quum ad eum Thucydidis locum venissem, ubi Siciliam describit, insulam quondam viris, opibusque, ac libertate præstantem, de ejus ab Italiæ terrâ avulsione, & violentâ pelagi irruptione dicentem, multasque alias insulas, quæ sunt idem passæ, memorantem subiit cogitatio nihil esse firmum in rebus humanis; quum terra, quæ nobis a Deo tanquam sedes, & stabilimentum est attributa, tantas interdum susci-

 piat

[a] Strabo libr. 6. de Siciliâ. [b] Thucydid. libr. 6. [c] Plin libr. 3. cap. 8. [d] Plin. ibid. [e] Claud. de Rapt. Proserp. libr. 1. v. 140. [f] Virgil. Æn. libr. 3. [g] Plin. libr. 3. cap. 8. [h] Plin. libr. 2 cap. 88. [i] Idem Plin. ibid. [l] Idem ibid. [m] Idem libr. 2. cap. 89.

piat mutationes. Emersisse legimus e pro-
1 fundo, & florentissimarum urbium sedes
fuisse [a] Delum, & Rhodum, Anaphen, &
Nean insulam, quæ inter Lemnum, &
Hellespontum jacet; antiquitus nullam
fuisse [b] Hieram, Theram, & Terasiam
Olympiade centesima trigesima quinctâ es-
se natas. Contra violentiâ fluctuum ab-
sorptas [c] Helicen, & Buram, Pyrrham, &
Antissam; altissimos [d] montes terræ hiatu
haustos, exaruisse flumina, fluxisse novos
amnes quum audiamus, & opera naturæ
deficiant, & oriantur; nostra opera im-
mortalia futura confidimus? Quid autem
parva persequor? hoc ingens pelagus,
quod Europam, Libyamque dispescit, quod
2 Asiæ immensum affunditur, tot, ac tantæ
magnitudinis insulas circumfluit, per in-
numerabiles sinus terris infunditur, tot in
locis Continentem irrumpit, & lacerat,
tam ingens patet, tam horribile sævit, tan-
tis fluctibus consurgit, nullum fuisse me-
moriæ prodidit præcipuus auctor [e] sapien-
tiæ Plato; sed ingenti diluvio, ac tempe-
state sevissimâ tumefactum Oceanum terras
irrupisse, superfudisse montibus fluctus, &
ab Orbe nostro Atlanticas insulas, ab A-
fricâ Europam, ab Europâ Asiam abscidis-
se, & regna innumera, immensosque terra-
rum tractus uno impetu obruisse. Quid er-
go tanquam mansura imperia cogitamus?
quid constituimus regnis terminos, si non
manent illi, quos natura posuisse videba-
tur? Africam ab Asiâ Arabicum mare, Eu-
ropam Tanais, & Euxinus Pontus, ean-
dem ab Africâ internum mare disterminat;
quis autem scit, an hi termini futuri sacri
sint, nunquamque revellendi; an verò ven-
turum sit aliquando tempus, quo fluctus oc-
cupent omnia, ubi rot regna conspicimus,
tantam Regum potentiam admiramur; &
aliæ terræ existant, alia regna oriantur, a-
lia sedes futura sit humanæ superbiæ? Sed
minùs id esset deplorandum naturæ viri-
bus, ac strage terrarum regna mutari; ne-
que enim id accideret nisi intervallo anno-
rum pæne innumerabilium; illæ frequen-
tiores mutationes, eversionesque regnorum
magis arguunt instabilitatem rerum huma-
narum, quas ipsi homines invehunt, quum
non insuetis tempestatibus maris, sed quo-
dam quasi diluvio gentium externarum re-
gna pessumdantur. Atque hæc exempla ni-
mium frequenter prisca vidit ætas, & Ita-
lia passa est, cujus pars non contemnenda
Sicilia eodem fato defuncta est; quot enim
florentissimam insulam, & quàm diversi po-
puli occuparunt, quos in hac Siciliæ des-
criptione, quam præ manibus habemus,
Thucydides recenset? ex quorum multi- 3
tudine, & varietate intelligi potest verissi-
mum esse id, quod idem Auctor affirmavit,
quum in primo libro dixit *μάλιστα δὲ τῆς γῆς
ἡ ἀρίστη ἀεὶ τὰς μεταβολὰς τῶν οἰκητόρων εἶχεν*; *ter-
rarum verò optima, & præstantissima mutatio-
nibus incolarum maximè fuit obnoxia*. Nam
ab initio tradit Insulæ partem Cyclopes,
& Læstrygones tenuisse; negat autem se sci-
re, unde Cyclopum genus originem duxe-
rit, & quinam fuerint Cyclopes. Et sanè
nihil de eâ re certi afferre possumus; quan-
tum autem conjecturâ licet suspicari, Cy-
clopes fuisse crediderim hominum genus
agreste, ac ferum, quod Siciliam recente
memoriâ Diluvii illius, quo terrarum Or-
bis obrutus est, tenuerit. Certè [f] Plato in
legibus, ubi docet antiquissimos homines
in montibus diluvii metu habitasse, hujus
generis Cyclopes exemplum esse tradit; de
quibus [g] Homerus cecinerit:

Α'λλ' ἄγ' ὑψηλῶν ὀρέων ναίουσι κάρηνα

hoc est

Montium in excelso posuere cacumine sedes

Potuit autem Ætna mons, quem Cyclopes
incolebant, ab inundationum metu satis
præstare tutos, quum [h] Hyginus tradat Æt- 4
nam Deucalioneo diluvio non esse demer-
sam, in eaque Deucalionem, Pyrrhamque
genus humanum reparasse; licet alii Acdo
insuetæ vastitatis in Phrygiâ petræ, alii
Parnasso monti Phocidis eam gloriam tri-
buant [i] Ovidio teste, qui dixit:

Mons ibi verticibus petit arduus astra duobus
Nomine Parnassus, superatque cacumine nu-
bes;
Hîc ubi Deucalion [*nam cetera texerat æ-*
quor]
Cum consorte tori parvâ rate vectus adhæsit.

Quòd autem Cyclopes essent antiquissimi,
& eorum origo nesciretur, ideo traditum 5
e Cælo, terraque [l] procreatos, quod in Bi-
bliothecâ scriptum reliquit [m] Apollodorus;
nam solebant Veteres eos, quorum pa-
rentes ignorarentur, e terrâ, Cæloque na-
tos ementiri. Neque tamen desunt Aucto-
res, qui dixerunt Cyclopes ex Therâ pro-
fectos in Siciliâ sedes posuisse; barbaros
certè, & immanes fuisse constat, qui Pli-
nio [n] teste humanis carnibus vescerentur;
quæ crudelitas est indicium summæ vetu-
statis; nam vetustissimis temporibus pleræ-
que gentes inconditis moribus fuerunt, &
efferatis, quum leges nondum essent con-
stitutæ, injectus Mortalibus divini Numi-
nis metus. Itaque tradit [o] Homerus Cy-
clopes nullam habuisse Rempublicam; sed
unum-

a Plin. libr. 2. cap. 87. *b* Plin. ibid. *c* Plin. libr. 2. cap. 92. *d* Plin. libr. 2. cap. 88. & c. 91. *e* Plato in Timæo, & apud Plin. libr. 6. cap. 90. *f* Plato de Legibus Dial. 3. sub init. *g* Hom. Odyss. ι. v. 113. *h* Hygin. fabul. 153. de Deucal. & Pyrrhâ. *i* Ovid. Metam. libr. 1. fab. 7. v. 316. *l* Hesiod. in Teogon. *m* Apollod. Biblioth. libr. 1. *n* Plin. libr. 7. cap. 2. *o* Hom. Odyss. ι. v. 112.

unumquemque jus dixisse familiæ suæ; Deos autem neque curavisse, neque omnino novisse. Ea immanitas augebatur eo, quod insulam colerent; quum enim propter imperitiam rei nauticæ nondum mare satis tutò navigaretur, insularum incolæ ab hominum commercio separati humanitatem penitus exuebant; præcipuè verò in hospites sæviebant; quod vitium ab Antiquis
6 Britannis tribuitur, quos hospitibus feros Horatius [a] vocat; quia quum Oceanus rarò navigaretur, non tam [b] a toto Orbe penitus divisi Britanni, quàm a moribus nostris, atque humanitate. Nec aliam caussam fuisse arbitrer, cur unum tantummodo oculum habere [c] fingerentur Cyclopes; neque enim poëtis, aut scriptoribus crediderim, aut [d] Arimaspis, aut Cyclopibus unum dumtaxat oculum a naturâ datum; sed quod ignari legum humanarum, ignari divini juris, ignari bonarum artium, ideo altero lumine carere poëtæ prodiderunt. Ea quippe est summa, ac deplorabilis mentis cæcitas nescire artes laudabiles, non videre esse aliquod divinum Numen, quod omnia administret; non videre quid humanitati sit tribuendum; quid Respublica, quid natura postulet, ignorare; sed poetæ suo more animi vitia ad corpus transferentes altero lumine caruisse Cyclopes fabulati sunt; at-
7 que inde origo nominis; nam quod unum oculum rotundum [e] haberent

, Argolici clypei, aut Phoebææ lampadis instar

Ἀπὸ τῆς ὄψεως, καὶ κύκλου Cyclopas nuncuparunt, qua de caussâ Parmenides Lunam Cyclopem vocat. Sed tamen haud ita rudes fuisse perhibentur, ut non aliquid invenerint humanis usibus necessarium; nam & [f] Ærariam invenisse, & primi turres [g] construxisse dicuntur; hinc factum, ut opera Cyclopum dicerentur, siqua ædificia, aut opera, aut urbes constructæ viderentur artificiosiùs; hinc [h] Statius de equo Domitiani dixit:

...... Cælone peractum
Fluxit opus, Siculis an conformata caminis
Effigies lassum Steropem, Brontemque reliquit?

& [i] Strabo Tyrinthem a Cyclopibus ædificatam scribit; cujus auctoritate Statii ver-
8 sus illustrantur, qui de eâ urbe sic [l] loquitur

.... suus excit in arma
Antiquam Tyrintha Deus; non fortibus illa
Infecunda viris, famaque immanis alumni
Degenerat, sed lapsa situ fortuna, neque addunt
Robur opes, rarus vacuis habitator in arvis
Monstrat Cyclopum ductas sudoribus arces

& [m] Mycenas Euripides κυκλωπίας appellat; & Antipater [n] Thessalus eandem urbem κυκλώπων πόλιν; & [o] Claudianus magnificas ædes laudans dixit

...... quæ tecta nitebant
Cyclopum firmata manu......

Quare [p] frustra Eustathius, & Strabo, & Tzetzes Cyclopum genera conantur distin- 9
guere; & Tzetzes quidem tria numerat; Siculos, Mycenarum ædificatores, & ipsos Deos. Nam [q] quum aliquod opus esse Cyclopum dicitur, non Cyclopes indicantur auctores, sed laudatur ipsius operis firmitas, & pulchritudo; non enim alii Cyclopes, quàm Siculi; qui populi non artifices fuerunt, ut [r] Plinio placet, & [f] Thucydidi. Neque illi audiendi, qui tres numerant, qui a Virgilio nominantur in hoc [s] versu

Brontesque Steropesque, & nudus membra Pyracmon

Neque [t] Strabo, qui septem, quos γαστρόχειρας dicit appellatos, quòd manu victum sibi quærerent. Fuerunt & alii populi Siciliæ, quorum originem [u] Thucydides ignorare se dicit, appellatique sunt Læstrygones, & ipsi [x] immanitate detestabili, qui advenas occiderent, & ipsorum corporibus vescerentur; hos [y] Leontinos fuisse docet Strabo, alii [z] tradunt habitasse Formiis. Præterea Siciliam Sicanos tenuisse testatur ex Hispaniâ pulsos, a quibus deinde Sicania fuerit appellata; eandem Elymos tenuisse populos Trojanos; eandem Siculos ab Opicis ejectos Italiâ, & Phœnices, & Euboicos, & Rhodios, & Samios, & Jones; de quibus omnibus alio die differemus.

[a] Horat. libr 3. Od. 4. [b] Idem libr. 1. Od. 35. & Virgil. Eclog. 1. [c] Euripid. in Cyclop. & Virgil. Æneid. libr. 3. [d] Strab. libr. 1. [e] Virgil Æneid. libr. 3. [f] Plin. libr 7. cap. 56. [g] Aristotel apud Plin. ibid. [h] Stat. Sylvar. libr. 1. De Equo Max. Domitiani in init. [i] Strabo libr. 8. de Argivis. [l] Statius libr. 4. Thebaid. [m] Euripid. in Iphigen. Aulidense. [n] Antipater Thessal. Antholog. libr. 1. epigr. 11. εἰς Πόλεις. [o] Claud. libr. 1. de Rapt. Pros. v. 235. [p] Casaub. in Strab. libr. 8. Brod. in Anth. libr. 1. epigr. 11 εἰς Πόλεις. [q] Jo: Brod. in Antholog. libr. 1. epigr. 11 εἰς Πόλεις. [r] Plin. l. 10. cap. 2. [f] Thucydid. libr. 6. in init. [s] Virgil. libr. 8. Æn. [t] Strabo libr. 8. de Argiv. [x] Thucyd. libr. 6 ibid. [y] Plin. libr. 7. cap. 2. [z] Strab. libr. 1. [a] Plin. libr. 3. cap. 5.

DISSERTATIO XXXV.

In eundem Thucydidis locum, ubi de Siciliæ incolis agitur.

Homerus quum finxit Jovem duo habere dolia, ex altero quorum bona, ex altero mala proficiscantur, nihil aliud significare voluit, quàm Deum nullum sincerum bonum tribuere Mortalibus, sed omnia malis permisceri; quod evenit, quia quæ bona, aut mala judicantur, non sint hujusmodi; Deus enim juxta Platonem nullius auctor mali est. Provinciæ quo magis copiis affluunt, eo frequentioribus cladibus conflictantur, ut Italiæ, & Siciliæ accidit; ideo Tacitus Germaniam semper ab iisdem habitatam censet. Sicani se ex eadem terrâ editos, quam habitarent, prædicabant; constat tamen ex Hispaniâ advenisse; & appellatos a flumine Thucydides putat; Martianus autem Capella ab eorum Rege. Siciliam a tribus promontoriis Trinacriam appellant Græci, Latini autem Triquetram. Post excidium Trojæ plurimæ urbes conditæ sunt; Deus enim hominum consilia in melius convertit. Siculos in Italiam venisse trecentis annis ante conditas Syracusas, quæ Romuli ætate ædificatæ sunt, refert Thucydides; Dionysius autem Halicarnassæus tribus ætatibus, hoc est centum ferè annis ante excidium Trojæ, quod quadringentis triginta duobus annis ante conditam Romam accidit; ducentorum itaque annorum extat inter eos discrimen.

Est a principe [a] Græcorum poëtarum non ineleganter proditum, duo sub Jovis pedibus jacere dolia, ex altero quorum bona, ex altero mala proficiscantur. Hoc ille commento voluit significare nullum a
1 Diis immortalibus tribui sincerum bonum, sed omnia passim malis permisceri. Licet autem certum sit id, quod [b] Plato affirmavit, Deum nullius auctorem mali habendum esse; nescio tamen quo Mortalium fato, vel qua pravitate naturæ bona semper malis adhærescunt, neque se ab illis divelli unquam patiuntur; credo ego, quòd quæ bona ab hominibus judicantur, non sunt verè bona, nec verè mala, quæ videntur. Neque enim aliter diffidentium naturarum esset tanta conjunctio; atque id in omnibus cerni potest; quod enim gaudium non luctu, quæ voluptas dolore, quæ spes metu non miscetur? Sed in provinciis maximè, quæ quo magis copiis affluunt, divitiis abundant, amœnitate soli, aëris temperie, pulchritudine urbium, ac nitore laudantur, eo frequentiùs incolarum mutationes, bella, clades, eversiones regnorum, vastitatemque senserunt. Docet id libro primo noster Auctor exemplo multarum Græciæ regionum, quæ propter soli bonitatem incolas frequentissimè mutaverunt; ideo Tacitus Germaniam putat [c] ab iisdem semper populis habitatam, 2
quòd regio aspera Cælo, informis terris, tristis aspectu, cultuque nullas exteras gentes invitasse videatur. Quid autem exempla longè petamus? cui terrarum benigniùs indulsit natura, quàm Italiæ? quæ regio in terris pulchrior, quæ secundior, quæ bonis omnibus affluentior? non libet credere sensibus nostris, non testimoniis Italorum; nos amor patrii soli, & blanda sui conciliatrix natura fortasse decipiat; Græcis credamus Auctoribus, quorum genus in suas laudes effusissimum semper aliena contempsit. Hi vi veritatis coacti Italiæ dotes in Cælum extulerunt; maximè verò Polybius, & [d] Dionysius Halicarnasseus, quorum alter mirificas, ac pæne divinas Italiæ laudes tribuit; alter eandem omnibus provinciis, sive ubertatem soli, sive incolarum ingenia spectes, sive fructuum varietatem, sive Cæli temperiem, sive montium utilitates, sive pascuorum copiam, sive litorum appulsus, & maris opportunitatem, longè putat anteponendam. Sed quàm sævâ mercede tantam nobis bonorum copiam natura largita est? quàm enim barbaram gentem non excivit a sedibus suis Italiæ felicitas, & pulchritudo? quis non sanguinem haustum ivit principis terrarum nationis? cui non præda fuimus? quis non jugum, quod a suis cervicibus rejecerat, nobis imponere concupivit? Nostris cladibus incognitæ priùs gentes innotuerunt; in nostrum exitium & Oriens, & Occidens, & Septemtrio, & Meridies effudit ferocissimas gentes; neque, ut a multis traditum, ullam aliam regionem plures, ac tam barbaræ nationes invaserunt, quàm Italiam; cujus contagione Sicilia, & præstantiâ soli obnoxia fuit Græcorum, & Barbarorum incursionibus; nec quamvis truci mari, & Charybdi, Scyllaque defendi potuit; has incolarum mutationes, quas antiquitus passa est Sicilia, noster [e] Auctor numerat, de quibus hodie disseremus. Post Læstrygones,
& Cyclopes poëtarum carminibus nobiles 3
tradit Siciliam Sicanos incoluisse; voluisse autem videri ex eadem se terrâ editos, quàm habitarent; sed falsò eam generis antiquitatem sibi vindicasse; satis quippe constare existimat Sicanos Hispaniæ fuisse gentem a Sicano Hispaniæ fluvio sic appellatam; quis autem in Hispaniâ fluvius dictus fuerit Sicanus,

[a] Homer. Iliad. ω. v. 525. vide etiam Pindar. Pyth. Od. 3. v. 145. [b] Plato de Rep. Dial. 2. [c] Corn. Tacit. de Morib. German. in princip. [d] Dionys. Halicarn. Antiq. Rom. libr. 1. [e] Thucyd. libr. 6.

canus, nisi fortè Sicoris is est habendus, nòndum reperi. Sicanos autem fuisse Hispaniæ gentem memoriæ prodit etiam Dionysius [a] Halicarnasseus; nec a Thucydide Martianus Capella dissentit, nisi quod Sicanos non a flumine, sed a Rege Sicano dictos arbitratur. Isidorus autem Italum, Sabinum, Sicanum tres fuisse fratres asseverat, quorum unusquisque nomen genti dederit. Utcunque tamen ea se res habet, Sicanos oportet etiam in Italiam trajecisse, quum Plinius referat Sicanos fuisse Latii populos, qui in Albano monte carnem acciperent; de quibus fortasse loquutus [b] est Virgilius, quum dixit

Est antiquus ager Tusco mihi proximus amni
Longus in occasum fines super usque Sicanos

Hos tradit nomē indidisse provinciæ, quum antea Trinacria vocaretur; quod nomen poëtarum scriptis est celebratum; sic Ætna dicitur a Catullo [c] Trinacria rupes

Quum tantum arderem, quantum Trinacria rupes

Sic Ætna a Virgilio [d] Trinacria appellatur in hoc versu

At procul e fluctu Trinacria cernitur Ætna

& Pachynus Trinacrius [e] dicitur

Præstat Trinacrii metas lustrare Pachyni

4 Id autem nomen Siciliæ tria promontoria fecerunt, quibus insula terminatur, quòd promontoria a Græcis ἄκραι nuncupentur. Nam [f] Siciliæ forma triangula tribus promontoriis clauditur; qua spectat Italiam, Peloro; ubi inter duas terras angustissimum fretum intercedit; ideo [g] Virgilium Pelorum angustum vocat in hoc versu

Ventus, & angusti rarescent claustra Pelori

Qua Græciam spectat, Pachyno; quà verò Africam Lilybæo; quæ [h] Claudianus his carminibus elegantissimè comprehendit

..... caput inde Pachyni
Despicis Jonias protentis rupibus iras;
Hinc latrat Gætula Thetis, Lilybæaque pulsat
Brachia consurgens, hinc dedignata teneri
Concutit objectum rabies Tyrrhena Pelorum

Hinc [i] & a Latinis Triquetra est appellata, sicut Lucretius [l] testatur in hoc versu

Insula, quem Triquetris terrarum gessit in oris

5 Ilio verò capto Trojanos quosdam in Siciliam venisse, & Sicanis finitima tenuisse loca, & Elymos appellatos ab eorum duce Elymo Anchisæ notho filio. Eorum urbes Thucydides [m] fuisse tradit Erycem, & Egestam, quam Virgilius Acestam dictam fuisse voluit ab Aceste ejus urbis conditore; qui tamen, ne debitâ gloriâ Elymum defraudaret, omnino comitem Acestæ Elymum facit, ubi [n] sic ait

Tum duo Trinacrii juvenes Elymus, Panopesque
Assueti silvis comites senioris Acestæ

Videtur autem divinâ providentiâ factum, ut illa tempestas belli Trojani, quæ populum unum extinxit, urbemque delevit, populos toto Orbe terrarum disseminaret, & plurimas urbes nobilissimas a fundamentis excitaret. Nam ut conditas a Trojanis in Siciliâ prætermittam, Trojâ captâ profectus cum multitudine Henetûm Antenor urbem præclarissimam [o] Patavium condidit; Euganeisque pulsis Venetis populis originem, sedemque dedit. Eadem tempestate pulsus Æneas Patriâ Oenum in Thraciâ constituit, in Italiâ [p] Misenum, in Latio Lavinium, unde origo maximæ, & potentissimæ in terris urbis. Sed & Teucer [q] in Cypro Salamina, & Amphilochus [r] Argos, quod Amphilochicum [f] postea est nominatum, ut [s] a Peloponesio distingueretur; & a [u] Pelasgico, quo nomine appellabatur Thessalia, & Ulysses [x] Ulysipponem in Lusitaniâ, & Diomedes Arpos, & [y] Petiliam Philoctetes, de qua Virgilius [z] dixit 6

Parva Philoctetæ subnixa Petilia muro

& Menelaus Canopum, seu Canobum condidit in Ægypto, & a nomine Canobi gubernatoris vocavit, quem ibi sepeliverat; quò Statius respexit, quo in loco [a] cecinit:

Curvæ Therapnæi lasciviat ora Canobi

Therapnæum Canobum appellat a Menelao Spartano; Therapnæ [b] quippe oppidum Laconicæ. Jam verò Ajacis Oilei comites Epizephyrii, & Ozolæ Locri Brutios tenuerunt, & Pentapolim, & Ozolin urbes condiderunt, & alii alias regiones occuparunt. Atque hoc est, quod Thucydides libro primo scribit bellum, quod adversùs Trojanos Græci susceperunt, & excisâ Trojâ magnâ cum felicitate confecere, multa 7
multis in locis innovasse; sic Deus hominum consilia in meliùs convertit, & unius urbis ruina multas erexit. Est is omnino mos divinæ bonitatis hominum consultis optimè uti; & Universi bono partium damna compensare; ideo stultissimè facimus, quum providentiam accusamus ob incom-

mo-

[a] Dionys Halicarnass. libr. 1. cap. 2. Antiq. Rom. [b] Virgil. libr. 11. Æneid. [c] Catull. Epigr. 69. ad Mallium. [d] Virgil. Æneid. libr. 3. [e] Idem ibid. [f] Strabo libr. 6. de Siciliâ. [g] Virg. Æneid. libr. 3. [h] Claudian. de Rapt. Proserp. libr 1 v 146. [i] Plin. libr. 3. cap 8. [l] Lucr. libr. 1. [m] Thucyd. libr. 6. [n] Virgil. libr. 5. Æneid. [o] Idem Virgil. libr. 1. Æneid. & Servius in eum locum, & Plin. libr. 3. cap. 19. & Strabo libr. 3. [p] Virgil. libr. 6. Æneid. [q] Strabo libr 14. de Cypro. Isocr. in Evagor. [r] Thucydid. libr 2. & Strabo libr. 7. de Epiro. [f] Plin. libr. 4. cap. 1. [s] Strabo libr. 8. [u] Plin. libr. 4. cap. 7. [x] V. Strab. libr. 3. de Hispaniâ, & Casaub. in eum locum. [y] Strab. libr. 6. de Italiâ. [z] Virg. Æneid. libr. 3. [a] Stat. libr. 3. Silvar. in Propempt. Metii Celeris. [b] Pausan. in Laconic. sive libr. 3.

moda, quæ nobis accidunt; ea quippe nostrâ culpâ contrahimus; Deus autem ad nostram, vel aliorum salutem consilia nostra dirigit, & eventa rerum transfert; &, si non aliud, id certè boni consequitur: mutationibus exercet Orbem terrarum

Nec torpere gravi patitur sua regna veterno ut sapienter [a] Virgilius affirmavit, & rerum ordinem varietate distinguit. Sed ut
8 ad Auctorem nostrum revertamur; Siculos ab Opicis Italiâ pulsos [b] refert ingenti exercitu Siciliam invasisse, & Sicanos bello victos ad austrinas, & occidentales Insulæ partes compulisse, & nomen dedisse Siciliæ universæ; id autem accidisse trecentis annis, antequam Sicilia Græcorum coloniis frequentaretur. Nec a Thucydide valde [c] discrepat Dionysius Halicarnasseus, qui priùs in Siciliam Siculos, quàm Elymos venisse tradit, nisi quod id ante bellum Trojanum tribus ætatibus gestum putat, quod a Thucydidis opinione longè remotum est. Nam Thucydides [d] refert Siculos in Italiam trajecisse trecentis annis ante conditas Syracusas, Syracusæ autem ætate Romuli sunt ædificatæ, sicut Cassiodorus in Chronico testatur; cui Clemens [e] Alexandrinus etiam astipulatur, qui Archiam Syracusarum conditorem æqualem facit Eumeli poëtæ; qui Eumelus fuit poeta cyclicus, & Bugoniam scripsit, & Europam, floruitque circa Olympiadem nonam non multis annis post conditam a Romulo Romam; quorum si vera sententia est, Siculi ducentis annis seriùs, quàm est a Dionysio proditum, Siciliam occuparunt. Nam excidium Trojanum ante Romam conditam quadringentis triginta duobus annis dicitur accidisse, quibus si tres addantur ætates, hoc est anni ferè centum, quibus ante Bellum Trojanum Dionysius vult in Siciliam Siculos trajecisse, efficiuntur anni quingenti triginta duo, a quibus detractis annis trecentis, quos Thucydides inter Siculorum adventum, in Siciliam, & Græcorum in eandem expeditionem vult intercessisse, anni ducenti trigintaduo relinquuntur, quo spatio temporis est recentior expeditio Siculorum secundùm Thucydidem, quàm secundùm Hellanicum, quod discrimen etiam [f] Dionysius adnotavit.

DISSERTATIO XXXVI.

In eundem Thucydidis locum de Siciliæ, Italiæque incolis.

Siculi fuerunt Ligures, & ab Opicis Italiâ pulsi Siciliæ, quam occuparunt, nomen dederunt. Opicos a serpentibus appellatos Stephanus putat; quamquam Vossius reprehendit illum, necnon & Servium, qui dixit Campanos Opicos, vel Oscos a serpentium copiâ nuncupari; Scaliger autem Opicos ab Ope nominatos censet. Opicus *apud Latinos idem sonat, quod apud Græcos* barbarus. *Osci in Campaniâ habitabant, & ab his* obsceni *nomen Festus derivat; veriùs tamen fortasse Varro a scenâ deducit. Plurimi Reges regionibus nomen indiderunt; sic Italiæ Italus; alii tamen, quòd eximiæ magnitudinis boves gignat, ita dictam putant; quum taurum* italum *Tyrrheni vocarent. Oenotriæ verò nomen Italiæ inditum ab Oenotro Dionysius Halicarnasseus tradit; Servius autem ab excellentis copiâ vini; qui pariter Hesperiam ab Hespero Atlantis fratre nuncupatam arbitratur; verisimiliùs tamen Macrobius Græcos hujus nominis auctores facit; quòd Italia, si e Græcia spectetur, ad Occidentem pertinere videatur. Archilochus, qui junior est Eumelo poëtâ, floruit Olympiade vigesimâ, hoc est post conditam Urbem annis ferè sexaginta. Archias Syracusas condens petiit divitias; sanitatem verò Miscellus Crotonis conditor; quæ uterque suæ civitati obtinuit. Leontinorum urbs quinque annis post Syracusas condita est.*

CLarissimarum gentium facta mentio, Juvenes ornatissimi, impulit animum ad earum origines cum Thucydide [g] indagandas. Diligenter exponit summus Auctor, qui populi Siciliam tenuerint, & qui quamque Siciliæ urbem condiderint, unde profecti fuerint, quos sedibus suis ejecerint; de Italiæ etiam nomine, ejusque cultoribus priscis, hoc est de Majoribus nostris nonnulla dicit. Quis autem non cupiat scire, quibus originem debeat, unde nomen terræ, quæ nos genuit, quæ nobis alimenta benignè ministrat, quam amare debemus non solùm tanquam Patriam, sed etiam tanquam pulcherrimam, & clarissimam Patriam. Siciliæ verò, quæ Italiæ pæne conjuncta est, quis non vel claritate, vel propinquitate moveatur? Libet igitur hodierno die in eo loco Thucydidis explicando perseve-

[a] Virgil. libr. 1. Georg. [b] Thucyd. libr. 6. [c] Dionys. libr. 1. Antiq. Rom. cap. 2. in fine. [d] Thucydid. libr. 6. [e] Clem. Alexandrin. in Stromat. libr. 1. [f] Dionys. Halicarnass. libr. 1. Antiq. Roman. [g] Thucydid. libr. 6.

severare, ubi de Siciliæ incolis agit, & Italiæ nomine. Et ut ab eo exordiamur, in quo dicendi finem hesterno die fecimus,
1 Siculos nomen Siciliæ dedisse Thucydides autumat; hos [a] quidam Ligures fuisse tradiderunt, qui ab eorum duce Siculo Siculi dicerentur; Ligures autem facilè de patrio solo demigrabant, & alienas regiones bello petebant; quocirca multas Italiæ partes, & Galliæ nonnullas tenuerunt, & in Hispaniâ sedes etiam collocarunt. Id fortassè [b] faciliùs accidebat, quòd regionem asperam, & montanam, nec uberem solo, nec gregibus opportunam, nec arboribus lætam, nec ullis bonis affluentem Ligures incolentes, libentissimè patrium solum relinquebant, & alienas terras occupabant; nec illis deerat fortitudo; quum enim sterilem regionem haberent, & quæ victum vix, ac parcè suppeditaret, paupertate magistrâ didicerant inediam, laboresque ferre; nec deliciis fregerant vires, nec vitæ blandimentis molliti pericula detrectabant; ideo Ligurum fortitudinem Virgilius laudat, quòd malo Ligures assuevissent; sic enim [c] loquitur:

Assuetumque malo Ligurem, Volscosque verutos

Præterea quum homines ferè similes nascantur locis, in quibus degunt, & amœni soli regiones molliora ingenia gignant incolarum, contra verò asperior natura locorum ferociora; Ligures asperrimis montibus innutriti, ferocissimi evadebant, ob eamque causam alias gentes facilè superabant, sedibusque pellebant; sed & ipsi interdum pellebantur. Nam tradit noster Au-
2 ctor in Siciliam venisse ab Opicis ejectos Italiâ, qui populi, si credimus [d] Aristoteli, Tyrrhenum mare accolebant. Horum nomen a serpentibus, qui ὄφεις Græcâ linguâ vocantur, Stephanus [e] deductum putat; appellarique Opicos quasi ὀφικὸς, quem Vossius [f] in etymologiis reprehendit, quòd Psyllos magis, aut Marsos hoc nomine nuncupari conveniret, quum hi populi serpentium morsibus medeantur; quo in loco etiam Servium notat, quia Campanos dixit Opicos, vel Oscos nuncupari, quòd in illis locis maxima extiterit serpentium multitudo; quod etymon nondum adducor, ut reprehendam, si verè Servius prodit Campaniam terram magnam vim serpentium genuisse. Julius Scaliger autem putat ab Ope Opicos nominatos, quasi e terrâ genitos; nam Opem eandem, ac terram esse Veteres [g] crediderunt; dictos igitur scribit Opicos tanquam e terrâ editos, quòd antiquissimi fuerint, nullique se originem debere, præterquam terræ, gloriarentur. Cer-
tè hanc gentis antiquitatem declarabat i- 3
psius rudis, & impolita barbaries; ex quo factum est, ut opicus apud Latinos idem sonet, atque apud Græcos barbarus; hoc sensu dixit [h] Juvenalis

..... *opicæ castigat amicæ*
Verba; solœcismum liceat fecisse marito

& Sidonius Apollinaris: *quam dum parere festino, celeriter egit in tumultuarium exemplar turbida, & præceps, & opica translatio;* & [i] Ausonius in professoribus *opicum* accepit pro *antiquo*, & *exoleto*, ubi dixit

Exesas tineis, opicasque evolvere chartas

& [l] Juvenalis de muribus, qui Codri poëmata arrodebant jocosè dixit

Et divina opici rodebant carmina mures

barbaros mures vocat, qui tam doctis carminibus injuriam facerent. Nec alii fue-
runt Opici, quam populi, quos Oscos ap- 4
pellarunt, ut ex citato loco Servii, & ex Festo Pompejo potest intelligi, qui sic ait: *& in omnibus antiquis commentariis Opicum pro Osco legitur, ut in Titinii fabulâ*

Qui oscè, & volscè fabulantur, nam latinè nesciunt

Osci [m] autem in Campaniâ habitabant, & quia terra deliciis affluens ad voluptatem proclives, & ad libidinem incolas efficiebat; ideo Osci stupris infames, & libidinibus; unde obsceni nomen Festus Pompejus putat derivatum; quamquam Varro id a scenâ veriùs fortasse deducat. Atque hæc de Opicis dicta fuerint ad illustrandum Thucydidis locum, ubi pulsos Italiâ Siculos ab Opicis narrat. Sequitur locus, ubi
Italiam ab Italo Rege tradit appellatam; cui 5
Virgilius [n] his carminibus concinit:

Oenotrii coluere viri; nunc fama minores
Italiam dixisse Ducis de nomine Gentem

Certè Antiquis frequens regiones a Regibus appellare; sic [o] Tyrrhenus Athys filius nomen Tyrrhenis dedit; sic [p] Græciæ Hellen Deucalionis, sic [q] Dardaniæ Dardanus Jovis, Bithyniæ Bithynus Rex, Persiæ [r] Perseus, Ægypto Ægyptus Danai frater, aliis compluribus regionibus nomen sui Reges indiderunt, ut non mirum sit etiam Italiæ indidisse. Negant tamen nonnulli ab Italo Rege Italiam dictam; nam, quoniam eximiæ magnitudinis gignit boves, Italiam putant nuncupari; Apollodorus autem in Bibliothecâ Herculem tradit,

quum

[a] Dionys. Halicarnass. libr. 1. Antiq Rom. cap. 2. [b] Strabo libr. 4. de Alpibus. [c] Virgil. Georg. libr. 2. [d] Arist. libr. 7. de Republ. cap. 10. [e] Stephan. de Urbibus. [f] Vossius in Etymol. [g] Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 10. [h] Juvenal. Satyr. 6. v. 456. [i] Auson. in professor. epigr. 22. Victorino Subdoctori. [l] Juvenal. Satyr. 3. v. 207. [m] Plin. libr. 3. cap. 5. [n] Virgil. Æneid. libr. 1. [o] Strabo libr. 5. de Italiâ. [p] Thucydid. libr. 1. [q] Hygin. fab. 275. [r] Hygin. ibid.

quum Geryonis ageret armentum, amisisse
præstanti formâ taurum, qui quum Rhe-
gium pervenisset, in Siciliam transfretarit;
ab eo autem casu regionem ab Hercule Ita-
liam appellatam, quòd taurum itαlum Tyr-
rheni vocarent; eodem modo super aliis I-
taliæ nominibus dubitatur. Nam [a] Diony-
6 sius Halicarnasseus refert Lycaonem Arca-
diæ Regem, quum viginti duos haberet fi-
lios, in totidem partes Arcadiam divisisse,
singulasque singulis reliquisse; Oenotrum
verò non contentum portione paterni Re-
gni, quum Jonium trajecisset, comite Peu-
cetio fratre Italiam occupasse, & eorum al-
terum nomen dedisse Peucetiis Italiæ po-
pulis, alterum Italiæ, quæ vergit ad Occi-
dentem. Contra verò [b] Servius Oenotriam
existimat accepisse nomen ab excellentis.
copiâ vini, quod in Italiâ gignitur. Idem
Servius [c] Hesperiam dici censet ab Hespe-
ro Atlantis fratre, qui pulsus a germano I-
taliâ potitus est; Macrobius [d] autem id no-
men a Græcis inditum Italiæ putat, quòd
Italia si spectetur e Græciâ, ad Occiden-
tem pertinere videatur, quod est longè ve-
risimilius. Nam eadem ratione Hispaniam
Hesperiam nos apppellamus, quo nomine
ab Horatio Hispania in hoc versu nuncu-
patur [e]

[e] *Qui nunc Hesperiâ sospes ab ultimâ*

Reliqua autem Italiæ nomina minùs ha-
7 bent dubitationis; quis enim nescit Auso-
niam [f] ab Ausonibus ejus incolis, Came-
senam a Camese, qui cum Jano regnavit,
Saturniam [g] a Saturno appellatam; quæ tan-
ta nominum multitudo ex multis Italiæ do-
tibus, variisque casibus, & populorum mul-
titudine, qui Italiam tenuerunt, potissimùm
nata est; siquidem nunquam cessavit gen-
tium externarum cupiditas invadere, ac si-
bi vindicare pulcherrimam, fortunatissi-
mamque Orbis terrarum regionem. Nam
præter hos populos, quos fuisse jam dixi-
mus Italiæ incolas, Pelasgi [h] partem, quam
Tyrrheni coluerunt, obtinuisse dicuntur;
hinc a Sophocle Tyrrheni appellantur Pe-
lasgi; & Heneti [i] Euganeam regionem, &
Trojani [l] Latium, & [m] Græci pleraque I-
taliæ loca, & præcipuè partem, quæ Magna
Græcis nominatur, tenuerunt; nec fuit ul-
la Græciæ gens, quæ non in Italiâ monu-
8 mentum sui reliquerit. Quid autem dicam
de Barbaris? Tyrii Nolam condiderunt,
Lycii Salentinos, Lydi, quum domi fame
premerentur, Etruriam occuparunt, quò
respicit [n] Horatius, ubi sic ait

Non quia, Mæcenas, Lydorum quidquid E-
truscos
Incoluit fines, nemo generosior est te

Ut interea prætermittam [o] Aborigines, Au-
runcos [p], Rutulosque [q], qui vetustissimi I-
taliæ habitatores fuisse dicuntur; sed po-
terant hi ferri, non ita magnas clades no-
bis intulerunt; contra verò Italiam nobi-
lissimis coloniis refersêrunt. Quid Gallo-
rum immanissimam, efferatissimamque na-
tionem quantâ cum clade pertulimus, quæ
tantum hausit Italici sanguinis, tantumque
ipsa profudit? quid Carthaginienses, non-
ne quum [r] Trebiam, Thrasymenum, Can-
nas audimus, exhorrescimus? quid Cim-
bros, & Teutonas tam efferatos populos
tantis agminibus irruentes? & loquor de
triumphis, & gloriâ Italorum. Quid si com-
memoremus Gothos, Ostrogothos, Hunnos, 9
Gepidas, Vandalos, Herulos, Germanos,
Saracenos, Longobardos, quorum nomina,
nedum feritatem, Latina reformidat oratio.
Quid si præsentem servitutem referamus,
quam magnæ Italiæ parti sæculis proximè
elapsis exteræ gentes attulerunt, nonne fa-
tebimur miseram fuisse Italiam, quia ni-
miùm felix alienigenis visa est? Sed ut ad
Thucydidem revertamur, a quo non om-
nino discessimus; fuit enim de Italiæ no-
minibus, atque cultoribus disserendum, de
quibus noster Auctor mentionem aliquam
facit, licet unum Italiæ nomen, unumque
Regem contentus nominare. Sequitur lo- 10
cus, ubi de coloniis agit Græcorum in Si-
ciliam deductis, ad quem illustrandum di-
cendum nobis, quo tempore Græci Syra-
cusas, Leontinosque condiderint. Nam eæ
primæ urbes in Siciliâ a Græcis conditæ
sunt; id autem Cassiodorus docet, qui in
chronico tradit ætate Romuli constitutas a
Græcis Syracusas; conditor [s] Archias fuit;
ideo Clemens [t] Alexandrinus Archiam æ-
qualem Eumeli poëtæ fuisse prodit, Eume-
lum verò Archilocho vetustiorem; siqui-
dem Archilochus Olympiade vigesimâ flo-
ruit, hoc est post conditam Urbem annis
ferè sexaginta; eodem autem tempore, quo
Syracusas Archias condidit, Miscellus in
Italiâ Crotonem constituit, ut Solinus est
auctor. De duobus his urbium conditori-
bus [u] Strabo, & Suidas [x] non injucundam
narrant historiam; Archiam, & Miscellum
venisse

[a] Dionys. Halicarnass. libr. 1. cap. 1. [b] Servius in libr. 1. Æneid Virgil. ad illud *Oenotrii coluere viri &c.* [c] Idem Serv. in libr. 1. Æneid. Virg. ad illud *Est locus Hesperiam Graii &c.* [d] Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 3. [e] Horat. libr 1. Od. 36. [f] Plin. libr. 3. cap. 5. & 10. [g] Plin. libr. 3. c. 5. [h] Plin. ibid. & Strab. libr. 5. de Italiâ. [i] Strabo libr. 12. de Ponto. [l] T. Liv. libr. 1. [m] Plin. libr. 3. cap. 5. [n] Horat. libr. 1. Sat. 6. in princip. [o] Dionys. Halicarnass. Antiq. Roman. libr. 1. [p] Idem Dionys. Halicarnass libr. 6. Antiq. Roman. [q] Virg. libr. 7. Æneid. [r] Plin. de Vir. Illustrib. cap. 42. [s] Strabo libr. 6. de Siciliâ. [t] Clem Alexandrin. Strom. libr. 1. [u] Strab. libr. 3. de Sicil. [x] Suidas in V. Ἀρχίας.

venisse Delphos omen accepturos urbium condendarum; Pythiam autem utrunque interrogasse utrum sanitatem mallet, an divitias; Archiam utpote avarum, animique sordidi, respondisse se malle divitias, Miscellum sanitatem; utrumque autem consequutum esse, quod cupiebat; nam Crotonis cives optimâ valetudine semper usos, Syracusanos divitiis abundasse. Ex his autem, quæ diximus, illustrari potest locus Thucydidis libro tertio, ubi sic ait: *Ætnam ter exundasse, ex quo Græci habitare Siciliam ceperunt*. Nam apparet id accidisse spatio annorum circiter trecentorum, quum olympiade octogesima septimâ bellum Peloponesiacum exarserit; Leontinorum autem urbem quinque annis conditam post Syracusas [a] Thucydides locupletissimus testis affirmat.

DISSERTATIO XXXVII.

De duorum Ducum Atheniensium Niciæ, & Alcibiadis ingeniis diversis; & de Hippotrophiâ.

In ducibus multæ, ac diversæ virtutes requiruntur; ideo optimum est consilium conjungere imperatores diversorum morum; quod perpetuò observarunt Romani; & si quando secus censuerunt, ipsis malè cessit. Liberis civitatibus nihil magis suspectum, quàm fastus, quem non in civibus tantùm, sed in externis etiam Regibus oderunt. Alcibiades quum peregrinaretur, quatuor urbibus tanquam famulis, abutebatur. Thucydides, & Plutarchus tradunt Alcibiadem in ludis olympicis primam, secundam, & quartam palmam reportasse; quapropter Casaubonus putat Euripidem tertiam loco quartæ posuisse; sed fallitur fortasse, quia Isocrates etiam tertiam recenset.

Etsi bellum Siculum Athenienses temerè susceperunt; illud tamen prudentissimè, rectissimeque fecerunt, quòd [b] Alcibiadem, & Niciam non solùm præstantissimos ejus ætatis duces, verùm etiam tam diversis ingeniis præditos elegerunt; ut si quid alteruter vel tarditate, vel temeritate
1 peccasset, alterius contrariis virtutibus posset emendari. Fuit id consilium a prudentissimis populis frequenter usurpatum inter se jungere diversas virtutes imperatorum, & salubri Reipublicæ temperamento audacibus cauta consilia, strenuitatem calliditate, cunctationem celeritate miscere. Hujus consilii nunquam pænituit prudentissimam Romanorum civitatem, quum eo frequentissimè uteretur; sic [c] Marcellum cum Fabio libentissimè conjungebat, quòd alter manu strenuus, ingenio fervido, bellator acerrimus; alter callidus, cautus, cunctator haberetur. Claudium [d] verò Neronem promptiorem, acrioremque rata, quàm tempora belli postularent, aut Hannibal hostis, ei collegam adjunxit Livium Salinatorem hominem adversis exercitum, & haudquaquam temerè fortunæ blandienti crediturum. Eodem consilio Paulum [e] Æmylium cum Varrone temerario duce, prudentissimum imperatorem Consulem creaverat; sed plus Reipublicæ fatum, quàm humana consilia, plus temeritas Romanæ plebis, quàm Senatus prudentia, plus Varronis vitia, quàm Æmylii virtutes potuerunt. Quum autem in Hispaniâ bellum atrox exarsisset, 2
quod Sertorius exul ciebat, Metelli [f] senilem consilii maturitatem adolescentiâ Pompeii temperandam Populus Romanus judicavit; quorum conjunctionem quum iniquo animo videret [g] Sertorius, alterum puerum, alterum anum jocans appellabat. Rectè autem, quum in imperatore acre ingenium, & providum, callidum, & generosum; quum matura cunctatio in consultando, ignea celeritas in agendo requirantur; eæque virtutes in unum, eundemque hominem raro cadant, in duobus easdem Romani quæsiverunt. Quamobrem non sine causâ Romanus populus querebatur, quòd Consules essent creati simul [h] Lævinus, & Marcellus acerrimi bellatores; quæ Romanorum querela fuit omen futuræ calamitatis; nam duobus post annis Consules facti [i] Marcellus, & Crispinus dum fortiùs, quàm cautiùs bellum gerunt, ab Hannibale circumventi pœnas dederunt suæ temeritatis. Sic fortuna populi Romani utroque Consule amisso in summum discrimen adducta est; quæ ingenia mitiora miscendo fortioribus, atrocem illam belli Punici tempestatem invicta pertulerat. Hoc autem consilium, quod Romani sequuti sunt, 3
multo ante Athenienses usurpaverant in Alcibiade, & Nicia ducibus eligendis. Atque utinam bene consulta insitâ Græcorum ingeniis levitate non corrupissent; neque [l] Alcibiadem in exilium ejecissent, & vel Niciæ [m] consilio bellum non suscepis-

[a] Thucydid. libr. 6. [b] Thucyd. libr. 6. & Plutarch. in Vitâ Alcibiadis, & in Vitâ Niciæ. [c] Idem Plutarch. in Vitâ Fabii Maximi. [d] Tit. Liv. libr. 39. & Plin. de Viris Illustrib. cap. 5. [e] Plutarch. in Vitâ Fabii Max. & Hannibalis, & T. Liv. libr. 22. [f] Plutarch. in Vitâ Pompeii. [g] Idem in Q. Sert. Vitâ. [h] T. Liv. l. 26. [i] Idem Liv. l. 27. [l] Plutarch. in Alcib. Vitâ. [m] Idem in Vitâ Niciæ.

pissent, vel susceptum Alcibiadis ductu gessissent, & alterius ducis prudentiâ, alterius
vi uti voluissent! Certè egregiè poterant
duo contraria ingenia temperari; Nicias
quippe fortunæ levitatem metuendo, prosperisque minùs credendo se diu servavit
invictum; Alcibiades omnia experiendo,
pandendoque vela blandienti fortunæ, ut
offendit aliquando, sic sæpiùs vincendo se
se formidabilem hostibus, admirabilem suis
reddidit: & ille quidem pacis, hic autem
belli studiosus fuit: & ille quidem cunctando, hic autem celeriter agendo rem
collapsam restituit. Alterius timiditatem accusares, alterius audaciam; siquidem [a] &
Nicias, quum adversùs Lacedæmonios, qui
in Sphacteriâ insulâ obsidebantur, expeditionem suscipere detrectavit, Cleonique
pernicioso civi concessit; & quum e Siciliâ profecturus defectum Lunæ pertimuit timiditate; & Alcibiades, quum Atheniensi
populo auctor fuit Siculi belli, audaciâ plurimum Reipublicæ nocuit. Nec verò in
reliquâ vitâ minor morum, institutorum,
virtutum, vitiorumque diversitas; domi abditus Nicias gravitate vitæ, & austeritate
morum se populo commendabat; Alcibiades [b] quotidie in concionem prodeundo
procacitate quadam, & blandâ conciliatriculâ formâ sibi populum devinciebat: ille
Deorum [c] Numen etiam, ubi non oportebat, reformidabat; hic, in Siciliam trajecturo quum oracula canerentur plena terroris, & minarum, ubi decebat maximè,
non exhorruit: illius tristitiam culpasses,
hujus effusam, & gestientem libidinem:
illius nimiam verecundiam, populique reverentiam, hujus contemptum reprehendisses. Hos duos imperatores quum popu-
4 lus Atheniensis creasset, Nicias licet summo [d] honore augeretur, populum a bello
deterrebat; Alcibiades ad idem bellum omni studio, atque omni arte impellebat: Alcibiadi juvenes, Niciæ seniores favebant.
Atque hoc est, quod in oratione, quam a
Nicia apud populum habitam [e] Thucydides ponit; Nicias exhortatur senes, ut Alcibiadi resistant; neque timeant, ne, si bellum dissuadeant, timidiores videantur. Horum duas conciones contraria suadentes
Thucydides [f] refert; sed de Niciæ vitâ,
moribusque nihil admodum loquitur; Alcibiadem autem dicit suspectum fuisse populo crimine affectatæ tyrannidis; utitur
autem his [g] verbis: *φοβηθέντες γὰρ αὐτοῦ οἱ πολλοὶ τὸ μέγεθος τῆς τε κατὰ τὸ ἑαυτοῦ σῶμα παρανομίας ἐς τὴν δίαιταν*, &c. hoc est: *terrebatur multitudo ipsius magnitudine tum eorum,*
quæ in iis, quæ circa suum corpus ad rationem vivendi pertinebant, adversùs leges fecerat &c. Meminit etiam impensarum, quas alendis equis magnificè, splendideque faciebat, quas *ἱπποτροφίας* Græci vocant; quare
consentaneum nobis exponere, cur cupidus regnandi Alcibiades videretur; tum de
studio equos nutriendi nonnulla dicere.
Sciendum est igitur nihil in liberâ civitate
magis periculosum esse, magisque suspicio- 5
nibus obnoxium, quàm luxu, sumptibusque privati modum excedere; neque enim
in civibus tantùm suis, verùm etiam externis Regibus superbiam, & fastum homines
liberi, & quidquid excellit, oderunt. Ideo
auctore Themistocle [h] Græci in olympicis
ludis tentorium Regis Hieronis regiâ magnificentiâ exornatum pæne dejecerunt.
Alcibiades autem neque in luxu, neque in
sumptibus modum tenuit; nam quum Olympiæ [i] curru vicisset, omnes Græcos, qui
ludis interfuerant, excepit convivio; quum
autem ad exteras gentes proficisceretur,
quatuor urbibus tanquam famulis abutebatur; Ephesii [l] quippe ipsi Persicum tentorium erigebant, Chii præbebant equis alimenta, victimas autem in sacrificia, & viscerationes dabant Cyziceni, Lesbii verò
vinum, sumptumque in reliquum victum
suppeditabant. Ipse verò, quum populo da-
bat munus, purpurâ indutus incedebat, & 6
cum eximiâ pulchritudine, tum corporis
cultu omnium spectatorum in se oculos
convertebat; jam [m] comam præter ætatem
nutriebat, calceis utebatur ab aliis omnino
diversis, qui [n] ab eo Alcibiadei vocabantur; clypeum gerebat ex auro, & ebore factum, in eoque Cupidinem fulminantem.
Quum autem [o] ex olympicâ celebritate reverteretur, Aglaophontis picturas dicavit,
in quibus Olympias, & Pythias Alcibiadem
coronantes visebantur, ipse autem in Nemeæ gremio feminarum vultibus pulchrior
spectabatur. Qui luxus, & insolentia ejus
injustis factis intolerabilior evadebat; quàm 7
enim iniquo animo credimus tulisse liberam civitatem ejus intolerandam audaciam,
quum Hipponicum [p] virum gloriâ, & nobilitate præstantem pugno percussit non lacessitus injuriâ, sed risum æqualium captans, quibus id se facturum promiserat?
quid quum aureis vasis publicis, & argenteis tanquam propriis abutebatur, & privatam domum publicâ supellectile instruebat?
quid [q] quum Agatarchum pictorem violenter inclusit, nec ante dimisit, quàm domum suam pinxisset; aut quum [r] Tauream in munere publico æmulum colapho
ceci-

[a] Plutarch. in Vitâ Niciæ. [b] Idem Plutarch. in Vitâ Alcibiad. [c] Thucydid. libr. 7. [d] Idem libr. 6. [e] Idem libr. eod. [f] Thucyd. ibid. [g] Idem ibid. [h] Plutarch. in Vitâ Themistocl. [i] Athen. libr. 1. in princ. [l] Plutarch. in Vitâ Alcibiad. [m] Athen. libr. 12. cap. 9. [n] Athen. ibid. [o] Idem eodem. [p] Ælian. Var. Hist. libr. 14. cap. 16. Plutarch. in Vitâ Alcibiad. [q] Plutarch. ibid. [r] Idem ibid.

cecidit? Hæc non ejus videbantur, qui sciret æqualitatem servare, cujus tantopere diligens custos erat Atheniensium civitas, ut [a] omnes, qui vel bonis artibus inter ceteros eminerent, in exilium pelleret; sed ejus, qui regnum cogitaret. Et sanè [b] Re-
8 gum magnificentiam in Olympieis ludis superavit Alcibiades; nam septem currus immisit, quot [c] Isocrate auctore neque maximæ urbes immittebant, & [d] Plutarcho teste nullus Rex, aut privatus immiserat; his autem primam, secundam, & tertiam palmam reportavit, ut Euripides in Epinicio testatur his versibus

Σὲ δ' ἀείσομαι, ὦ Κλεινίε παῖ,
Καλὸν ἀνίκα κάλλιςον,
Α῞ μηδεὶς ἄλλος Ε῾λλάνων
Α῞ρματι πρῶτα δραμεῖν,
Καὶ δεύτερα, κ̀ τρίτα

Quamquam [e] Plutarchus Thucydidis auctoritatem sequutus primam, secundam, quartam palmam Alcibiadem tradit assequutum; sed [f] Isocrates, qui pro Alcibiade filio scripsit orationem, quem verisimile est ex ipso audire potuisse, Euripidi favet, qui sic ait *Ζεύγη γὰρ καθῆκα τοσαῦτα μὲν τὸν ἀριθμὸν, ὅσοις οὐδ' αἱ μέγισται τῶν ἄλλων πόλεων ἠγωνίσαντο, τοιαῦτα δὲ τὴν ἀρετὴν, ὥςε κ̀ πρῶτος, κ̀ δεύτερος, κ̀ τρίτος γένεσθαι*; quod ideo adnotavi, quia Casaubonus libro tertio animadversionum in Athenæum Euripidem tertiam loco quartæ posuisse existimat. Atque hæc est illa nobilis Hippotrophia Alcibiadis, qua [g] Alcibia-
9 des in hoc Thucydidis loco se Patriam honestasse gloriatur; nam eo modo se ipsius potentiam jactat ostendisse; erat enim maximè divitum, & potentum equos alere sacrorum certaminum causâ, sicut Isocrates in Oratione de Bigis tradit his verbis: *ἱπποτροφεῖν δὲ ἐπιχειρήσας, ὃ τῶν εὐδαιμονεςάτων ἔργον ἐςὶ, φαῦλος δ' οὐδεὶς ἂν ποιήσειεν* hoc est: *equos pascere aggressus, quod ditissimorum est munus; nemo autem ex abjectis id fecerit*. Quapropter Aristoteles omnes Alcmæonidas equos aluisse tanquam maximum divitiarum argumentum testatur; quod etiam facit [h] Isocrates, ubi sic ait: *οἳ τοῦ μὲν πλούτου σημεῖον μέγιςον κατέλιπον, ἵππων γὰρ ζεύγει πρῶτος Α'λκμαίων τῶν πολιτῶν ὀλυμπίασιν ἐνίκησε* hoc est: *qui divitiarum quidem maximum argumentum reliquerunt; nam civium primus Alcmæon Olympia equestribus bigis vicit*. Dicebatur autem Hippotrophia studium equorum alendorum causâ sacrorum certaminum, & *ἱπποτροφεῖν alere equos*, quod [i] Virgilius pluribus verbis expressit, quum dixit

Seu quis olympiacæ miratus præmia palmæ
Pascit equos......

DISSERTATIO XXXVIII.

De oraculi responso, quo Lacedæmoniis Apollo promisit se ipsis affuturum, & cur ad pestem id pertinere homines ejus ætatis censuerint.

Athenienses Æginetis omnibus pollices abscīderunt, ut remos ferre possent, non possent hastam. Hippocratem nonnulli ferunt artem medicam compilasse ex tabellis, in quibus ægroti, qui in templis somnia captabant, perscripserant, quod medicamentum cuique morbo esset adhibendum. Quid quisque Æsculapius in medicinâ repererit. Hyginus refert Æsculapium clinicen excogitasse; Hippocratem Plinius. Apollinem Veteres dextrâ Gratias gerentem; sagittas lævâ fingebant, ut significarent eum & sanitatis, & morborum auctorem. Apollinis nomen alii a perdendo, alii ab abigendo morbos deducunt. Ægyptii Solem accipitris formâ exprimebant. Lucis, & sagittarum maxima similitudo. Quare animantes priùs pestem sentiant.

Quæ duæ res urbes, & regna maximè vastant, maximisque cladibus afficiunt, pestis, & bellum, eæ ambæ Atheniensium urbem eodem tempore invaserunt; vix enim bellum multo funestissimum Græciæ exarserat, quum [l] pestis ex Æthiopiâ orta depopulata magnam terrarum partem, plerisque Mortalium teterrimo morbo absumptis, quum hostibus pepercisset, in ipsos repente incubuit Athenienses. Quod ego non sine divini Numinis nutu arbitror accidisse, quod Atheniensibus irascebatur, 1
propterea quia Græcorum imperio potiti avarè, ac crudeliter imperarant. Nam ut spoliatas suis ornamentis urbes, exacta a sociis acerbè tributa prætermittam, omnemque pubem urbibus captis interfectam; Æginetis [m] omnibus pollices abscīderunt, ut remos agitare possent, hastam ferre non possent; quæ Atheniensium peccata Deus insectatus invictum bello gentem pestilentiâ afflixit, & profligavit. Hoc autem malum fusiùs describere nobis consilium non est; non dicam exhaustam mortibus urbem incolis frequentissimam; non cadavera passim cumulata, infleta, insepulta; non vivos mortuis invidentes, non ægrorum multitu-

a Ælian. Var. Histor. libr. 13. cap. 24. & Aristot. libr. 3. Polit. cap. 13. *b* Plutarch. in Vitâ Alcib. *c* Isocr. in Oratione de Bigis. *d* Plutarch. in Alcibiadis Vitâ. *e* Plutarch. ibid. *f* Isocrat. in Oratione de Bigis. *g* Thucydid. libr. 6. *h* Isocrat. in Oratione de Bigis. *i* Virgil. Georgic. libr. 3. *l* Thucydid. libr. 2. *m* Ælian. Var. Hist. libr. 2, cap. 9.

titudinem, ac miserandam speciem passim
jacentium, & indigentiâ humanæ opis mo-
rientium; non innumeras mali species, non
terrorem trepidæ urbis, non mæstitiam, non
luctum, non scelera; neglecta Deorum tem-
pla, contemptas leges, omnia humana, ac
divina jura violata, permissam sceleri licen-
tiam. Hæc, inquam, non attingam; quis
enim post [a] Thucydidem, & duos elo-
quentissimos poëtas, qui Thucydidem sunt
imitati, Lucretium [b], & [c] Virgilium, in
hac re ingenii vires experiri audeat, aut
tantorum Scriptorum artificium, & elo-
quentiam assequi, non dico imitando, sed
intelligendo possit? Sed quod est mei mu-
2 neris magis proprium, id exequar hodier-
no die, ac [d] Thucydidis locum explicabo,
quo tradit homines ejus ævi eâ pestilentiâ
admonitos oraculum interpretatos, quo A-
pollo jubebat Lacedæmonios inferre bel-
lum Atheniensibus; se ipsum quippe bel-
lantibus in tempore affuturum; quo res-
ponso Apollinem significasse censebant se
pestem Atheniensibus immissurum; ad quem
locum Thucydidis illustrandum breviter ex-
ponam, cur ea pestilentia ad Apollinis nu-
men pertinere putaretur. Neque abhorret
ab hoc loco id, quod Cornelius Celsus libro
primo capite primo memoriæ prodidit; an-
tiquitus morbos ad iram Deorum immor-
talium relatos esse; itaque ab illis eo tem-
pore medicina petebatur, quos putabant
auctores esse morborum, quem morem diu
placuisse pervulgatum est; siquidem ferunt
3 in Æsculapii templo ægros captare somnia
consuevisse; quibus admonebantur, qua ra-
tione morbis mederentur. Tangit hunc in
Curculione [e] Plautus, qui Cappadocem le-
nonem lienosum inducit ex Æsculapii tem-
plo prodeuntem; & somnium, quod vide-
rat, ad conjectores referentem. Tradit e-
tiam [f] Strabo Æsculapii templum fuisse E-
pidauri refertum semper ægrotorum multi-
tudine, & tabellis, in quibus eorum no-
mina erant inscripta, qui convaluissent.
Quin & Hippocratem [g] dicunt nonnulli ex
his artem medicam compilasse; ostendebat
videlicet in somnis Deus, quod medica-
mentum cuique morborum generi esset a-
dhibendum; id autem in tabellis perscri-
bebatur; quod [h] Alexandro Magno tradunt
accidisse, qui, quum in Indiâ venenato te-
lo Ptolemæus esset vulneratus, visus est in
somnis videre draconem herbam quandam
sibi ostendentem, quam experrectus quum
jussisset legi, non solùm Ptolemæum sana-
vit, sed etiam magnam exercitus partem,
quæ venenatis Indorum sagittis miserrimè
interibat. Mansit autem, quamdiu mansit
Veterum superstitio, mos de medicinâ mor-
borum Deos consulendi, & iisdem sanita- 4
tem acceptam referendi. Hinc Vitruvius
Æsculapio, & Saluti, cæterisque Numini-
bus, quorum ægri ope sanari videbantur,
in saluberrimis locis [i] templa esse consti-
tuenda præcipit; ut qui ad eas quærendæ
medicinæ, salutisque causâ veniebant, Cœ-
li, & aquarum salubritate celeriùs conva-
lescentes Deorum numine morbo liberari
crederentur: hinc inscriptiones leguntur
inventæ in insulâ Tiberinâ, ubi templum
Æsculapii fuit, quæ testantur oraculum mon-
strasse ægris, quo medicamenti genere uten-
tes morbo levarentur; & in Luciani Pseu-
domante legimus ad oraculum præstigiatoris
Alexandri confluxisse quamplurimos, qui
variis morborum generibus conflictaren-
tur, vel misisse, qui oraculum de ratione
medendi sciscitarentur. Sed præcipuè duo-
rum oracula Deorum consulebant, Apol-
linis, & Æsculapii; hinc fabulæ ferunt in-
ter [l] Apollinem, & Herculem certamen or-
tum, quum Hercules morbo premeretur,
& oraculum consuluisset, nullumque res-
ponsum accepisset; ideo iratus Hercules
tripodem sibi vindicavit, cœpitque respon-
sa reddere, ob eamque causam cœperunt
digladiari Hercules, & Apollo, quod cer-
tamen Jovis fulmine diremptum est. Nec
sine causâ Apollinem, & Æsculapium po- 5
tissimùm consulebant; nam [m] & Apollo o-
culariæ medicinæ repertor fuisse perhibe-
tur, &, quum [n] Æsculapii multi fuerint,
antiquissimus eorum [o] specillum dicitur in-
venisse; primusque vulnus obligavisse; a-
lium autem Æsculapium ferunt alvi pur-
gationem, dentisque evulsionem reperisse.
Hyginus autem [p] refert Æsculapium clini-
cen excogitasse; quamvis [q] Plinius ejus me-
dicinæ partis auctorem faciat Hippocratem;
constetque Trojanis temporibus Æsculapii
filios vulnerum remediis dumtaxat incla-
ruisse. Sed quoniam, ut a Platone verissi-
mè dictum est, ejusdem est & rem optimè 6
emendare, & pessimè depravare; idcirco
Apollo, qui sanitatem propitius impertiri,
morbos iratus immittere putabatur. Qua-
propter Veteres morbis affectos ἀπολλωνο-
βλήτους idest *ob Apolline percussos* appellabant;
& ut geminam Dei vim significarent, dex-
trâ [r] gerentem Gratias, lævâ sagittas finge-
bant. Quin [s] & ipsum nomen Apollinis
alii ἀπὸ τοῦ ἀπολλύειν hoc est *a perdendo* alii ἀ-
πὸ τοῦ ἀπελαύνειν τὰς νόσους hoc est *ab abigendo*
mor-

[a] Thucydid. libr. 2. [b] Lucret. libr. 6. [c] Virg. Georgic. libr. 3. [d] Thucydid. libr. 2. [e] Plaut. Curcul. Act. 2. Scen. 2. [f] Strabo libr. 8. de Argivis. [g] Plin. libr. 29. cap. 1. [h] Q. Curtius libr. 9. n. 8. [i] Plutarch. Probl. cap. 94. [l] Pausan. in Phocic. —

—srvel. 10. & Plutarch. de ει, apud Delph. [m] Hygin. fab. 274. [n] Cicer. libr. 3. de Nat. Deorum. [o] Cic. ibid. [p] Hygin. fab. 274. [q] Plin. libr. 29. cap. 1. [r] Macrob. Saturn. libr. 1. cap. 17. [s] Plato in Cratylo, & Macrob. ibid.

morbos deduxerunt, sed cum alios morbos, tum præcipuè pestem Apollinis irâ evenire arbitrabantur; hinc fabulæ ferunt Apollinem, quum irasceretur [a] Laomedonti ob negatam mercedem, pestem immisisse Trojanis. Sed & ab historicis proditum non aliam ob causam apud Pachynum Siciliæ promontorium coli Apollinem cognomento Libystinum, quàm quòd quum Libyæ populi Siciliam invasissent, precibus incolarum Apollo invocatus credatur hostes pestilentiâ perdidisse; & Clemens [b] Alexandrinus tradit Branchum, quum fame Milesii laborarent, jussisse populum canere quædam carmina, quæ in Apollinis laudem composuerat, ut idem scilicet, qui miserat, famem averteret. Sed & Athenienses, quum hac peste, cujus hîc meminit Thucydides, conflictarentur, non aliud, quàm Apollinis Numen invocarunt; eâque depulsâ Apollini Alexicaco, ut est [c] auctor Pausanias, statuam constituerunt, quam Ca-
7 lamis egregio artificio elaboravit. Hujus rei naturalem rationem referunt, Apollinem a Veteribus eundem Soli habitum; id a Macrobio [d] libro primo probatum non opus est pluribus argumentis confirmare; quum autem Solis calor temperatus aëris præstet salubritatem; contra verò immodicus æstus intolerabiles afferat, halitusque pestiferos attrahat; Apollinem & medicinæ parentem, & auctorem pestilentium morborum esse voluerunt; cujus alteram sententiæ [e] partem Phœnices, Pausania teste, probaverunt; qui idcirco Apollinem Æsculapii patrem appellarunt, quia Apollo Sol habeatur, Æsculapius aër; & Sol causa sit aëri salubritatis; ideo Æsculapium Græci unà cum Hygiâ, quæ est Dea sanitatis, consecrarunt. Quam opinionem [f] Ægyptii sequuti pestilentes affectiones Soli tribuerunt; quapropter Solem accipitris formâ exprimebant, quòd quemadmodum avis illa interitum affert avibus, ita Sol interimendi habet facultatem. Horum autem, ut ex multis intelli-
8 gi potest, doctrinâ eruditus Homerus [g] in primo libro Apollinem inducit sagittis Græcos vulnerantem, quarum ictus pestilentia sit atrocissima consequuta; sagittas quippe nihil aliud esse ferunt, quàm Solis ardentissimos radios, a quibus pestis producitur. Et sanè nulla similitudo melius, quàm sagittæ naturam lucis expresserit; nam & acutam esse, ut sagittarum, figuram ignis, atque adeo lucis Plato [h] docet; &, ut sagittæ, radii feriunt corpora; & quemadmodum sagittarum obliqui incidentes ictus sunt minus penetrabiles, ita Solis radii, quum obliquè feruntur, sunt imbecilliores; sanèque lucem jaci, & esse quoddam missile certissimis argumentis declaratur; nam & rectâ lineâ fertur, & paribus angulis incidit, ac reflectitur; & quum in aliquod corpus incurrit, vis ejus, & impetus debilitatur; ut nihil aliud esse lux videatur, nisi tenuissimorum, & innumerabilium telorum multitudo; nihil aliud Sol, nisi lucis sagittarius quidam sempiternus; ideo Lucretius elegantissimus auctor sapientiæ dixit [i].

Non radii Solis, neque lucida tela diei

& Homerus Apollinem ἀργυρότοξον hoc est *argenteo arcu præditum* multis in locis appellavit, ut in [l] hoc versu

Κλῦθί μευ, Ἀργυρότοξ' ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας

& [m] Dianam sagittis gaudentem ἰοχέαιραν, quæ est Mundi alterum lumen; aptissimè igitur Solis radios idem sagittis comparavit, ex earumque sagittarum ictu pestem tradidit extitisse. Illud etiam maximè propriè dictum ab
Homero [n] notant eruditi, inter signa futuræ pestis recenseri aërem caliginosum, So- 9
lemque subobscurum, & qualem post [o] Cæsaris mortem toto anno memorant extitisse; quam quum describeret Poëta [p] dixit

Quum caput obscurâ nitidum ferrugine texit

Hoc autem ut Poëta maximus significaret, dixit Solem, quum Græcis pestem esset immissurus, nocti similem [q] fuisse

...... ὁ δ' ἤιε νυκτὶ ἐοικώς

hoc est

Hic autem obscurus, noctique simillimus ibat.

Nec [r] minus eruditè fecit Apollinem priùs mulos, & canes, quàm homines vulnerantem; nam in hujusmodi aëris corrupti vitio priùs pecudes ajunt, quàm homines laborare; quia quum mutæ animantes pronæ super terram gradiantur, faciliùs hauriunt, & largiùs, quàm homines, quorum status est erectus, & celsus, halitus pestilentes, qui e terrâ exhalantur. Sed ut ad Thucydidem revertamur; quum Apollo auctor pestilentiæ putaretur, meritò ipsam Atheniensibus immisisse censuerunt, quum pollicitus esset auxilium se esse laturum Lacedæmoniis; neque enim ullâ re magis Lacedæmoniis poterat opitulari, quàm peste, quæ Athenienses afflixit, Lacedæmoniis pepercit.

DIS-

[a] Quod Laomedon mercedem solvere noluerit, tradunt Horat. libr. 3. Ode 3. Ovid. Metamorph. libr. 11. fab. 6. Hygin. fab. 89. [b] Clem. Alexandrin. libr. 5. Stromat. [c] Pausan. in Attic. sive libr. 1. [d] Macrob. libr. 1. cap. 17. Saturn. [e] Pausan. in Achaicis sive libr. 7. [f] Clem. Alexandrin. Stromat. libr. 5. [g] Hom. Iliad. α. [h] Plato in Timæo. [i] Lucret. libr. 2. [l] Homer. Iliad. α. v. 37. [m] Hom. Iliad. ε. v. 53. [n] Hom. Iliad. α. [o] Plin. libr. 2. cap. 30. Plutarch. in Vitâ Cæsar. in fine. [p] Virgil. Georgic. libr. 1. [q] Hom. Iliad. libr. 1. [r] Homer. ibid.

DISSERTATIO XXXIX.

Qua de insulâ Delo, quam Thucydides ab Atheniensibus purgatam esse memorat, multa differuntur.

Qui natus est, aliquando non fuit, qui verò aliquando non fuit, potest etiam aliquando non esse, & proinde mortalis est; quamobrem si Deus fuisset natus, ut opinabantur Veteres; mori potuisset; immerito tamen Vellejus apud Ciceronem Platonem reprehendit, quòd quum Mundum genitum esse confirmarit, futurum dixerit sempiternum; nec enim est absurdum, quòd Deus, qui Mundum condidit, illum etiam conservet. Lege sancitum fuit, ne quis in insulâ Delo aut nasceretur, aut moreretur. Historicis licet ad historiam illustrandam fabulis abuti. Delus quasi manifesta *dicta est; multis autem aliis nominibus appellata fuit. Apollinem Delium nuncupatum a Delo quidam putant; Ponticus autem Heraclides a claritate. Poëtæ tradunt Latonam peperisse innixam palmæ, alii olivæ, alii utrique; sed Plutarchus refert prope duos fontes, quorum alter Palma, alter Olea vocaretur, Latonam edidisse Apollinem, & Dianam; Ephesii etiam illos apud se natos gloriabantur. Apollines quatuor fuerunt . . . .*

NEscio quid in mentem venerit Antiquis, aut qua ratione fuerint adducti, ut [a] Evhemerum, qui Jovem defunctum, & in Cretâ sepultum esse memoriæ prodidisset, impium appellarent, & magnopere execrarentur; iidem verò, qui sepulturas Deorum memorari nollent, eorumdem natales celebrari, & Patrias ostendi paterentur; perinde ac si minùs certum argumen-
1 tum sit mortalitatis natalis, quàm sepultura; & non constet eum, qui sit natus, aliquando non fuisse, qui verò quandoque non fuerit, posse aliquando non esse, ac proinde esse mortalem. Platonem Vellejus apud Tullium in libro primo de Naturâ Deorum valde reprehendit, quòd quum genitum esse Mundum confirmarit, futurum esse dixerit sempiternum; sed Plato sententiam suam commodissimè defendit; nam & genitum putavit esse Mundum, & per se, nutuque suæ naturæ interiturum, sed præpotentis [b] Dei voluntate ab interitu vindicari; nec verò absurdum est ab eo, qui condidit, Mundum conservari, & quum æternus ille sit, qui conservat, sempiternum eum esse, qui conservatur; sed si divina naturæ ortus, & interitus non expers esse censeatur, a quo poterit illa conservari? Et tamen accepimus non solùm eorum, quos propter excellentem virtutem, quum antea mortales essent, in numerum Deorum relatos esse censebant, sed etiam eorum, qui quasi majorum gentium Dii habebantur, Patriam, & genus, & natales Veteres prodidisse. Hujus autem rei ne longè petamus exempla, suppeditat nobis exemplum maximè memorandum noster Auctor, qui in- 2
sulam Delum propter eximiam religionem loci purgatam [c] esse tradit, omniaque inde avecta cadavera, & lege cautum, ne quis inposterum in eâ moreretur, aut nasceretur; sed ægri, & parituræ in Rheneam insulam asportarentur; quæ, ut auctor est libro decimo Strabo, quatuor stadiis distat a Delo; quam Thucydides [d] tradit a Polycrate Sami tyranno ferreâ catenâ cum Delo conjunctam, & Apollini Delio consecratam. Postquam autem Athenienses Delum purgaverint, narrat idem [e] Thucydides gymnicos, & musicos ludos celebrasse, quam celebritatem Delia vocaverunt; tantum autem honoris insulæ Delo est attributum, quòd in eâ Apollo natus diceretur; quam fabulam Thucydides prætermittit; scit enim falsam esse; & Milesio [f] Thaleti assentitur, qui illud ajebat esse divinum, quod neque finem haberet, neque principium. Quare intelligit Apollinem, siquidem Deus erat, non potuisse ab aliquo temporis principio nasci, ob eamque causam, quum de religione insulæ Deli loqueretur, de Apollinis ortu non fecit mentionem. Qua quidem in re mirari subit Auctoris nostri gravita-
tem, qui etiam, ubi locus exigit, a fabulis 3
abstinet, quamvis historicis non omnino sit interdictum fabulosis narrationibus; nam licet aliquando ad historiam illustrandam abuti fabulis. Fecerunt id magni nominis Auctores; ut nihil de Herodoto dicam, cujus nonnulli fidem suspectam habent; Livius [g] veritatis, & fidei præcipuus, ut Taciti [h] verbis utar, ad explicandam aræ maximæ, & Herculis religionem, nonne abutitur fabulâ, quæ de Caci furto, & Hercule Gerionis boves usque ab Erythea insula in Italiam abigente narratur? quod etiam [i] Dionysius Halicarnasseus facit, quem Henricus Glareanus tanquam graviorem Livio suspicit; quid Cornelius Tacitus, nonne Annalium libro tertio mentionem facit

Apol-

[a] Cicer. de Nat. Deor. libr. 1. [b] Plato in Timæo. [c] Thucydid. libr. 3. [d] Thucydid. ibid. [e] Idem eodem. [f] Plutarch. in convivio. [g] Tit. Livius libr. 1. [h] Corn. Tac. libr. 4. Annal. n. 34. [i] Dionys. Halicarnass. libr. 1. n. 5. Antiq. Rom.

Apollinis ab Jove pulsi ob interfectos Cyclopes? Poterat ergo & Thucydides, quum purgatam ab Atheniensibus Delum, insignemque insulæ religionem memoraret, dicare tantum honorem loco habitum, propterea quod Apollinis natale solum extitisset; sed alia mens Auctori gravissimo; noluit integerrimam historiam ne levi quidem fabulæ mentione contaminare; nobis autem, qui historicâ fide verba non obligamus, ad Thucydidis locum illustrandum licebit, quæ de insulâ Delo fabulis traduntur, enarrare; deinde verò de hoc Thucydidis loco, quæ videbuntur opportuna afferemus. Insulam Delum pluribus nominibus appellatam antiquitus ferunt; nam
4 & [a] Cynthiam, & [b] Ortygiam a multitudine coturnicum, quæ Græcis ortyges vocantur, & [c] Asteriam, & Chlamydiam, & Lagiam, & Cynethon, & Pyrpilen igne ibi primùm invento [d] Plinius nominatam refert. Deli verò nomen accepit, quòd, ut Aristotelea [e] memoriæ prodidit, quum antea non appareret; sed fluctibus operiretur, vel terræmotu, vel alio quopiam casu repente enata emersit ex undis, ex quo Delos est nuncupata, quasi *manifesta*, nam δῆλος Græcis dicitur *manifestus*. Sed verita-
5 tem poëtæ suo more fabulis occultarunt; nam Junonem [f] ferunt Latonæ pellici succensentem inviolabili sanxisse decreto, ne Latona parere in eo loco, quem Sol aspiceret, posset. Quum autem Python serpens ille poëtarum carminibus nobilis, qui eo tempore Delphis oraculum obtinebat, fatum esse sciret, uti is, quem Latona peperisset, exitium sibi afferret, Deam terrâ, marique insequi cepit, quam Neptunus miseratus insulam Delum mari occultavit, & Latonam recepit; elusitque Pythonem infestantem; Latona vero partu levata implevit fatum, quo erat constitutum, ne in eâ terrâ pareret, quæ a Sole aspiceretur, quoniam in Delo peperit, quæ a Neptuno fluctibus operiebatur. Deinde ubi & Python discessit, & Latona enixa est, Neptunus insulam detexit, quæ ab apparendo iterum, Delos est appellata; ab eâ Apollinem Delium [g] quidem nominatum putant; Ponticus Heraclides negat, qui dictum a claritate luminis arbitratur. Non solùm au-
6 tem Delos ab Apollinis ortu nomen traxisse dicitur; sed multò majus beneficium accepisse; nam quum antea immota non esset, sed fluctibus agitaretur, Apollo immobilem fecit, & constabilivit; quam fabulam [h] Virgilius in his versibus tangit

Quam pius Arcitenens oras, & litora circum
Errantem Mycone celsâ, Gyaroque revinxit,
Immotamque coli dedit, & contemnere ventos

Pindarus autem scribit quatuor columnas ingentes e fundo maris extitisse, quibus insula illa niteretur, neque ullâ vi concuti posset; quo commento insignem stabilitatem Deli poëta perleganter expressit; siquidem [i] Varro memoriæ prodidit insulam Delum nunquam post hominum memoriam terræmotu esse concussam; quò [l] Macrobius autumat Virgilium respexisse, quum dixit [m]

Templa Dei saxo venerabar structa vetusto

Nam Epaphum citat, qui tradit multas circa Corinthum urbes, insulasque terræmotu esse haustas, Delum neque antea, neque postea hoc incommodo vexatam, sed eodem semper manere saxo. Ut autem ad A-
pollinis ortum revertamur, illud est fabulis 7
celebratum, Latonam, quum partu geminorum Numinum levaretur, innixam fuisse palmæ; testatur id Theognis [n] hoc disticho

Φοῖβε ἄναξ, ὅτε μέν σε θεὰ τέκε πότνια Λητώ
Φοίνικος ῥαδινῆς χερσὶν ἐφαψαμένη

quod ita vertitur

Quum, Rex Phœbe, quidem Latona puerpera palmæ
Nixa manu molli te veneranda tulit

Alii verò tradunt olivæ sese Latonam applicuisse, in quibus est [o] Catullus; sic enim loquitur:

Quam mater prope Deliam
Deposivit olivam.

Ovidius [p] autem utranque arborem Deam refert apprehendisse, cujus illi versus leguntur in sexto libro Metamorphoseon

Illic innitens cum Palladis arbore palmæ
Edidit invitâ geminos Latona novercâ

Sed Plutarchus in libro de oraculorum de-
fectu scribit in Delo juxta Apollinis tem- 8
plum duos fuisse incredibili suavitate fontes, quorum alter Olea, alter Palma vocaretur; prope hos Apollinem, & Dianam Latonæ editos partu. Quare, frustra Delii palmam ostendebant, quam putabant Apollinis ortu consecratam; frustra etiam Ephesii, ut auctor est libro tertio [q] Cornelius Tacitus, oleam ostendebant, quam Latona complexa [r] pepererit; nam, ut hoc obiter etiam notem, & ipsi Apollinem, & Dianam apud se natos contendebant. Apud se quippe esse jactabant Cenchrium amnem, & Ortygiam lucum insignia numinum ortu lo-

[a] Plin. libr. 4. cap. 12. [b] Athen. libr. 9. c. 11. Plin. ibid. & Strabo libr. 10. & Solin. cap. 17. & 18. & Hygin. fab. 53. [c] Plin. eod. loco. [d] Plin. ibid. [e] Aristotel. apud Plin. ibid. [f] Hygin. fabul. 53. [g] Ælian. Var. Histor. libr. 4. cap. 28. [h] Virgil. Æneid. libr. 3. [i] Varro apud Plin. libr. 4. c. 12. [l] Macrob. libr. 3. cap. 6. [m] Virgil. Æn. libr. 3. [n] Theogn. in Sent. v. 5. [o] Catull. in Carm. Secul. ep. 35. [p] Ovid. l. 6. Met. v. 335. fab. 5. [q] Corn. Tac. Annal. libr. 3. n. 61. [r] Corn. Tac. ibid.

tu loca; atque ob hanc causam Jones puto
ludos celebrasse, qui Ephesia dicebantur,
quorum in hoc loco noster [a] Auctor men-
tionem facit. Et sanè non absurdè duo po-
puli Apollinis ortum sibi vindicabant; nam
9 Apollines fuisse plures memoriæ proditum;
siquidem quatuor numerat in libro tertio
Cicero de Naturâ Deorum; primum ex
Vulcano procreatum, Athenarum custo-
dem; alium Corybantis filium in Cretâ na-
tum; tertium Jovis, quem ex Hyperbo-
reis Delphos memorant advenisse; quar-
tum in Arcadiâ ortum, quem Arcades No-
mionem vocabant; adeo multi populi suum
popularem esse gloriabantur, sed tamen
præcipuo jure Delii censebantur. Qua-
propter [b] usque ab Hyperboreis Apollini
Delio primitiæ frugum mitti solitæ dice-
bantur, quæ a virginibus quidem antiqui-
tus ferebantur, sed quum [c] eæ violatæ fu-
issent, cœperunt Hyperborei deferre mu-
nera ad vicinos populos, qui ad alios trans-
mittebant ea, donec ad Apollinis Delii tem-
plum pervenirent.

DISSERTATIO XL.

De religione insulæ Deli.

Nihil superbius est homine. In insulâ Delo erat ara ex sinistris cervorum cornibus compacta; quò pertinere Martialis carmen putat Angelus Politianus; licet perperam alii de Jovis Hammonis arâ intelligant. Vocabantur Theori, qui ad rem divinam Apollini faciendam mittebantur; hinc explicatur Plutarchi locus. Faba ad mortuos pertinere putabatur. Si fortè Vestalis incidisset in eum, qui ad mortem duceretur, ille statim liberabatur. Vitam hominum esse mortem censuit Thales; & Pythagorei existimarunt animal quidem mori, quum animus a corpore separatur; animam autem, quum in lucem edimur. Veteres quum quid alicui Numini dicare volebant, id ejus templo alligabant; idcirco Pindarus Ephesum Dianæ Ephesinæ templo reste conjunxit, & ab obsidione Crœsi urbem liberavit.

SEmper ego, Auditores, existimavi,
dignissimam oraculo esse illam Pli-
nii [d] vocem, qua nihil homine su-
perbius esse in rerum naturâ con-
firmavit. Hujus autem rei cum mul-
ta alia documenta reperiebam, tum illud
præcipuum, quod quum homines animad-
verterent, ex quàm humili origine, & quàm 1
pudendis initiis essent geniti, & e terrâ se
natos, & in eâ tanquam in angustissimo gur-
gustio in infimam Mundi regionem proje-
ctos, atque a naturâ abdicatos versari; ne a-
deo abjecti, atque contemnendi viderentur,
e terrâ, & in terrâ natos esse Deos impuden-
tissimo mendacio affirmarunt, ut ipsi etiam
quandoque possent immortalitatem sibi vin-
dicare. Nec illos subiit cogitatio, si divina
illa natura nasci potuisset, non in terrâ,
sed in Cœlo orituram fuisse; immensa illa
nimirum Cœli spatia, ille splendor astro-
rum admirabilis, illa præstans, immortali-
sque natura ætheris, illa vastitas, illa alti-
tudo ad divinos, immortalesque fetus pro-
creandos, & excipiendos fuissent aptiora;
in terris verò quid est præclarum, quid
magnificum, quid ortu Deorum immorta-
lium consecrandum? & tamen ea fuit ho-
minum amentia, ut prodere auderent eos,
quos maximos Deorum arbitrabantur, non
in aliquâ nobili Continente, sed in insu-
lis desertissimis in lucem prodiisse; ut jam
tolerabilis videatur Damoxenus poëta no- 2
bilis, qui Coon insulam, eo quod Hippo-
cratem, & Demetrium Phalereum genue-
rit, ferre Deos dixerit. Nam insulam De-
lum, de qua hesterno die verba faciebamus,
non viros propter eximiam, excellentem-
que virtutem Deorum similes, sed nobilis-
simos Deos, Apollinem, & Dianam genuis-
se crediderunt, ut duo splendidissima Cœ-
li lumina in obscurissimo omnium elemen-
to edita viderentur; quam opinionem respi-
ciens Ammianus Marcellinus Delum splen-
didissimam Deorum Patriam nuncupavit;
de cujus religione, & expiatione, quum
in Auctore nostro mentio incidisset, dice-
bamus hesterno die, & hodierno cum ma-
ximè dicemus. Nec illud omittendum A-
pollinis [e] genitoris aram in eâ fuisse, quæ 3
nullius victimæ cæde cruentaretur, quam
Pythagoras tanquam puram, inviolatamque,
fertur adorasse, ideo Virgilius tradit Æ-
neam, quum in insulam Delum venisset,
nullam victimam immolasse, & ut ad Apol-
linis genitoris cognomen alluderet, Apol-
linem patrem, dixit [f] his verbis

Da, Pater, augurium, atque animis illa-
bere nostris.

Ante hanc, ut Diogeni [g] Laertio placet, 4
fuit illa ara nobilis, quam ex cervorum si-
nistris cornibus miro artificio compactam
inter Orbis terrarum miracula numerarunt;
de hac in epistolâ Acontii loquitur Ovi-
dius in his versibus

Miror

[a] Thucydid. libr. 3. [b] Herodot. libr. 4. cap. 33. Callimach. in hymn. in Delum v. 283. & Pauf. in Attic. [c] Plin. libr. 4. cap. 12. in fine. [d] Plin. libr. 2. cap. 7. [e] Macrob. libr. 3. Saturnal. cap. 6.

[f] Virg. Æneid. libr. 3. [g] Diogen. Laërt. libr. 8. segm. 13. in Vitâ Pythagoræ, & Plutarch. de Solertiâ Animal.

Miror & innumeris structam de cornibus aram,

Et de qua pariens arbore nixa Dea est.

Nec aliò pertinere putat [a] Angelus Politianus Martialis [b] carmen, quod ita se habet

Dissimuletque Deum cornibus ara frequens quod alii de Jovis Hammonis arâ perperam
1 intellexerunt; nam in eo loco Martialis enumerat ea, quæ propter artificium, vel operis magnificentiam præclarissima habebantur; in Jovis Hammonis autem templo nihil magnificum, nihil præclarum fuisse traditur; immo Lucanus [c] affirmat Hammonis templum opulentum non fuisse, qui sic ait

Ventum erat ad templum, Lybicis quod gentibus unum
Inculti Garamantes habent; stat corniger illic
Juppiter, ut perhibent, sed non aut fulmina vibrans,
Aut similis nostro, sed tortis cornibus Hammon.
Non illic Libycæ posuerunt ditia gentes
Templa, nec eois splendent donaria gemmis,
Quamvis Æthiopum populis, Arabumque beatis
Gentibus, atque Indis unus sit Juppiter Hammon.
Pauper adhuc Deus est; nullis violata per ævum
Divitiis delubra tenens, morumque priorum
Numen Romano templum defendit ab auro

Quare nihil in Jovis Hammonis templo, quod inter Orbis miracula posset recense-
5 ri, fuit; sed ara illa mirâ arte constructa dicitur, itaque inter Orbis miranda monimenta reponi potuit. Addidit etiam Callimachus [d] ab auctore miraculum rei; nam ab Apolline ædificatam, perfectamque esse tradidit, qui quum annum ætatis ageret quartum, aram fabricarit ex cornibus cervorum a Dianâ cæsorum; adeo certa monumenta divinorum operum, & natalium inesse Insulæ crediderunt, tamque præsens Apollinis numen in illis locis esse versatum. Quâ opinione moti Athenienses mit-
6 tebant [e] in insulam Delum navem coronatam, quæ ubi esset profecta, neminem capitali supplicio affici licebat, urbemque eo tempore puram, & expertem piaculi esse oportebat; quod a Theseo [f] ferunt institutum, qua tempestate occidit Minotaurum, septemque juvenes crudelissimæ morti devotos conservavit. Hanc [g] paralon nonnulli dictam arbitrantur, quam etiam sacram triremem a Demosthene [h] credibile est appellatam; qui verò mittebantur ad rem divinam Apollini faciendam, Theori vocabantur. Quo cognito, Plutarchi locus explicatur in Demetrio, qui tradit illos, qui ad Antigonum, vel Demetrium publicè mittebantur, non legatos, verùm Theoros ab Atheniensibus dictos; voluit nimirum ingeniosa adulatio populi Atheniensis ostendere Antigonum, & Demetrium Deos esse; quoniam Theori illi vocabantur, qui ad Deorum festa, & sacra certamina publicè mitterentur. Sed hæc possunt videri longius accersita; propiùs ergo ad Auctorem 7
nostrum accedamus; & singula, quæ proposuimus, loca perpendamus. Tradit Thucydides [i] ab Atheniensibus lege vetitum, ne quis in insulâ Delo moreretur, aut nasceretur; fanè, cur prohiberent alicujus morte funestari insulam illam, quæ Patria fuit eorum Numinum, quibus omnes vitam se debere arbitrabantur, liquet; nam feralium contactu pollui sacra, & funeribus cæremonias Deorum contaminari pervulgatum est. Ideo post Cannensem cladem accepimus [l] Romanos, quum domus nulla esset expers funerum, & publici luctus, sacra Cereris omisisse, quòd ea a lugentibus celebrari nefas haberetur: ideo [m] Flaminibus Dialibus non licebat fabam attingere, neque nominare, quòd ea ad mortuos pertinere putabatur. Nec aliâ de causâ a Romanis crediderim constitutum, ut si virgo Vestalis [n] in eum fortè incidisset, qui ad mortem duceretur, statim damnatus capitali supplicio liberaretur; non convenire videlicet arbitrabantur sanctissimas Vestæ Sacerdotes morituri conspectu quodammodo inquinari. Quare non mirum, si terram Apollini sacram contactu mortuorum 8
fœdari putabant non oportere; sed hominem nasci vetitum in eâ insulâ, in qua Dea partuum præses nata diceretur, mirum fortasse videatur. Sed non ita se res habet; non enim id nullâ ratione a Veteribus constitutum est veram esse illam sententiam putantibus, nihil a morte differre vitam, quam Thales [o] Milesius usurpabat; quoniam vetustissimis cæremoniis proditum est hanc, quam vivimus, vitam quandam esse mortem; quam sententiam in somnio Scipionis Cicero posuit, qui sic ait: *vestra verò, quæ dicitur vita, mors est*. Quin & Pythagoreos [p] ferunt duas esse dixisse mortes, alteram animæ, alteram animantis; animam mori, quum edimur in hanc lucem, vel certè quum animus cœlestis, & immortalis in hunc cæcum, tenebrosumque carcerem

Tt com-

[a] Angel. Politian. Miscellan. cap. 52. [b] Martial. Spectacul. epigr. 1. [c] Lucan. libr. 9. [d] Callimach. in hymno Apollinis. [e] Ælian. Var. Histor. libr. 1. cap. 16. [f] Suid. in V. Θεωρὶς ναῦς. [g] Suid. in V. Πάραλος, & Plutarch. in Lysandr. [h] Demosthen. Philipp. 4. [i] Thucyd. libr. 3. [l] Tit. Livius libr. 22. [m] A. Gell. libr. 10. c. 15. [n] Plutarch. in Vitâ Numæ. [o] Diog. Laërt. libr. 1. segm. 35. in Vitâ Thalet. [p] Macrob. in somn. Scipion. libr. 1. cap. 11.

compellitur; animal autem extingui, quum animus a corpore separatur; sed harum mortium illa acerbior, illa deplorabilior, qua morimur tunc, quum vitam videmur adipisci. Non libet hoc in loco enumerare vitæ incommoda, non ærumnas, non luctum, non acerbitatem; quæ qui persequuti sunt eloquentiùs, effecerunt aliquando, ut vita morte miserior, natalis acerbior funeribus videretur; quæ ne cuiquam
9 vestrûm ingrata accidat oratio, ad Auctorem nostrum revertemur. Tradit in hoc loco, quem suscepimus illustrandum, Thucydides [a] Polycratem Sami tyrannum, ut insulam Rheneam Apollini consecraret, eam ferreâ catenâ cum Delo conjunxisse; in quo mos Veterum adnotandus, quo quum alicui Numini dicare quippiam vellent, id ejus Numinis templo alligabant. Usus est eo [b] Pindarus Ephesiorum tyrannus, qui quum Ephesus a Crœso obsideretur, urbem cum Ephesinæ Dianæ templo reste conjunxit, ut Ephesus universa Dianæ sacra videretur; quamobrem religione motus Crœsus Ephesios obsidione liberavit: usi sunt & Cylonis asseclæ, qui quum ad causam dicendam vocarentur, filum tenuerunt, quod templo, in quod confugerant, alligarunt.

DISSERTATIO XLI.

Qua ostenditur ea, quæ cupiunt homines, solere sperare.

Spes in adversis quidem solatio est, sed in prosperis nimis nobis blanditur, & adulatur, ut anceps admodum sit, boni plus, an mali pariat. A spe oritur cupiditas, & vicissim spem cupiditas gignit. Multi Reges, & etiam privati se Deos credi voluerunt; quinimmo se esse aliqui opinati sunt. Alexander venereâ voluptate, & somno se admoneri suæ mortalitatis ajebat. Justinianus se se in Cœlum viventem translatum iri persuaserat. Adulatoribus quàm stultè multi crediderint, & speraverint divitias. Cæsellius Bassus somnio delusus credidit se in agro suo habere Didonis thesauros, idque Neroni persuasit; his autem non repertis sibi mortem conscivit. Auri conficiendi libido quàm sit inanis.

Spes hominibus a Deo attributa est, quasi quoddam malorum dulce remedium, & dolorum, quibus angimur, & conflictamur, delinimentum; neque enim in tristibus, & acerbis casibus animum non despondere, & adversa moderatè ferre possemus, nisi Spe sustentaremur secundorum; sed eadem Spes, quæ solatio est in adversis, nobis adeo blanditur, & adulatur in prosperis, ut nescias utrum plus consolando boni, an blandiendo mali pariat; hinc enim animus effertur insolentiùs, & altiora, quàm consequi possit, concupiscit; neque est ulla fere cupiditas, quæ non a Spe nascatur potiundæ 1
rei expetendæ. Qua quidem in re illud mirificum accidit, quod & a Spe oritur cupiditas, & vicissim Spem cupiditas gignit; nam ea plerunque sperant homines, quæ cupiunt; contra verò, quæ aversantur, ea respuunt animo, ac repudiant, & nunquam eventura sibi arbitrantur. Id expressum a Thucydide sententiâ perelegant latius hodierno die persequi in animo est, Auditores; sed ante sententiam [c] Thucydidis gravissimam ponam, quæ his verbis exponitur Εἰωθότες ἄνθρωποι, οὗ μὲν ἐπιθυμοῦσιν, ἐλπίδι ἀπερισκέπτῳ διδόναι, ὃ δὲ μὴ προσίενται, λογισμῷ αὐτοκράτορι διωθεῖσθαι.

Et Græcorum quidem elegantia verborum vix Latinis verbis exprimi potest; quare satis fuerit hujus loci sensum utcunque indicare; affirmat noster Auctor homines quæcunque cupiunt, ea plerunque inconsideratè solere sperare; quæ autem repudiant, eorum expectationem libero quodam mentis imperio repellere. Quæ sententia utinam minùs esset consentanea veritati! minùs forent improbæ Spes Mortalium, minùs inanes cogitationes, & deridenda vota, inconsultique conatus! nunc autem, quum infinita sit hominum cupidi- 2
tas, &, ut præclarè docet Aristoteles, etiam ea, quæ fieri non possunt, concupiscantur, necesse est, ut latissimè pateant Spes hominum, & in immensum porrigantur; quia ferè semper sequuntur cupiditates, quarum infinita natura est. An verò tanta Mortalium esset dementia, ut tam absurda sperarent, nisi judicio nostro officeret animus potiendi cupidus? Minùs verè Venusinus poëta [d] *Nil*, inquit, *Mortalibus arduum est*; nihil enim non arduum humanæ imbecillitati; illud verius nihil esse Mortalibus insperatum. Licet evolvere Veterum monumenta; nullam rem esse reperiemus, quam non & Spe præceperit, & conando non affectaverit humana temeritas. Quid enim tam inane, tam stultum, tam insanum, quàm hominem natum tot morbis obnoxium, tot casibus objectum; fragile, caducum, causarium corpus circumferentem, velle videri Deum, & quum quotidie moriaris, famam quærere immortalitatis? & tamen innumeri fuerunt illi, qui non contenti humanis honoribus, quantumlibet

[a] Thucyd. in lib. 3. [b] Ælian. Var. Histor. lib. 3. c. 26. [c] Thucyd. lib. 4. [d] Hor. lib. 1. Od. 3.

bus amplissimis, ausi sunt sperare divinos.
Non hic [a] ego commemorabo Antigonum,
qui se Deum voluit appellari; Alexandrum,
3 qui [b] Jovis Hammonis filium dici; Mithri-
datem [c], atque [d] Antonium, qui Bacchum;
Commodum [e], qui Herculem; illos cir-
cumfusa potentia, magnifica facta, excel-
lentes opes, imperii magnitudo in spes im-
probas erexerint, & suæ fortunæ splendor
obcæcaverit. Habet Regum majestas quid-
dam augustum, præclarum, excelsum, ve-
nerandum, quod imperitis divinitati pro-
ximum, & simillimum videatur; & sicut al-
tissimi montes, quia nihil altiùs in terris
videmus, Cœlum videntur attingere; sic
quia inter homines nihil sublimius regio
fastigio intuemur, divinitatem Reges quo-
dammodo videntur attingere, & ad divinum
Numen proximè accedere. Mirabilius est
4 in privatâ fortunâ fuisse homines, qui vo-
luerint Deorum honoribus consecrari; nec
libet hoc loco referre [f] Empedoclem in
Ætnæ crateres se se conjecisse, ut post mor-
tem ad Deos translatus esse videretur; nec
Pythagoram Deum voluisse credi, & [g] A-
pollinem Hyperboreum; haudquaquam ve-
ro simile est sapientes viros in tantam in-
saniam esse delapsos, præsertim Pythago-
ram, qui propter singularem modestiam sa-
pientis [h] nomen, quod ipsi omnium judi-
cio deferebatur, & quod ab omnibus, qui
antea aliquâ sapientiæ laude floruerant, fue-
rat usurpatum, constantissimè repudiavit;
& tamen Pythagoras cum ceteris compara-
tus, qui divinitatis famam appetiverunt,
Deus quodammodo est [i] habendus

Nam si, ut ipsa petit majestas cognita rerum,
Dicendum est, Deus ille fuit, Deus ....

Quid [l] Psaphon ille, qui dociles humani
5 sermonis aviculas passim dimittebat, quum
prius ea verba iterare docuisset: *Magnus
Deus est Psaphon?* quid [m] Menecrates medi-
cus, qui eos, quos morbis liberarat, Deo-
rum habitu indutos sequi se se jubebat; i-
pse verò Menecrates Jupiter volebat ap-
pellari? quid [n] Maricius ille, cujus memi-
nit Cornelius Tacitus, qui infimâ plebe
concitatâ Galliarum Deus haberi concupi-
vit? Quàm insanè homines nullius pretii
sperarunt se divinitatis famam assequuturos!
sed illi tamen insaniores, qui non solùm
divinos, & immortales credi se voluerunt,
sed etiam se Deos, & immortales fore cre-
diderunt. Alexander quidem duabus dum-
taxat rebus, venereâ voluptate, & somno se
admoneri suæ mortalitatis ajebat; sed non
eæ condocefacere potuerunt Constantium 6
Imperatorem, nec ad saniora consilia con-
vertere; quum de medio sublatis Vetra-
nione, & Magnentio, & Gallo Cæsare oc-
ciso, æternum se esse prædicaret, & quasi
nunquam interiturus, à virtute descisceret,
& nullo non se scelere obstringeret; quo
in errore versatum esse nonnulli ferunt Ju-
stinianum Principem, qui se se in Cœlum
viventem translatum iri sibi dicitur persua-
sisse. Quæ Spes nunquam homines non
omnino fatuos tantopere fefellisset, ut se,
quod erant, homines esse non sentirent,
nisi animos vehemens cupiditas obcæcas-
set; quæ quantò immortalitas, & divinitas
bonorum sunt præstantissima, tanto acrior
in animis vastis excitabatur. Est id pro-
prium cupiditatis blandiri sibi, & ea esse
fingere, quæ esse maximè vellet; ideo a-
mantes facilè decipiuntur, & quod de se
Propertius [o] dixit, omnibus accidit

Ut quod non esses, esse putaret amor,
Et color est totus roseo collatus eoo,
Quum tibi quæsitus candor in ore foret.

Qus quidem in re eò stultitiæ nonnulli pro- 7
cesserunt, ut nihil non crederent adulato-
ribus. Berenice [p] Regina capillitio fuit ra-
ro, & deformi, & tamen poëtis præbebat
aurem ejus comam laudantibus, & Apolli-
nis comæ comparantibus: Nero [q] quum
non satis commodè cantaret, theatro plau-
denti credebat, & cœlestem vocem expos-
centi: Dionysius [r] autem quum scriberet
malos versus, plausibus eorum mirificè læ-
tabatur, qui ejus carmina divinis laudibus
efferebant; Dionysius junior parasitis assen-
tiebatur jurantibus melle esse dulciora, lon-
geque suavissima, quæ ipse vomuisset. Mul-
ta sciens in hoc genere prætereo; quippe
latissimè patet, quum ab assentantium vo-
cibus omnia ferè potentiorum nascatur de-
mentia, & plerunque plurimum fit his fi-
dei, qui minimum [s] merentur, quia

...... *nigrum in candida vertunt*,

& animos blandiendo fallunt, laudare pa-
rati [t]

Sermonem indocti, faciem deformis amici.

Sed si adulatoribus credimus, quemadmo-
Tt 2 dum

[a] Plin. libr. 16. c. 4. & Herodian. libr. 1. post princ. [b] Plutarch. in Vitâ Alexandr. & Arrian. de Expedit. Alexandr. libr. 4. [c] Plutarch. in Conviv. libr. 1. quæst. 6. [d] Patercul. libr. 2. Senec. Suasoriar. libr. 1. Dio libr. 48. & Athen. libr. 4. c. 12. [e] Ælius Lamprid. in Vitâ Commodi. [f] Horat. in Arte Poëticâ, & Diogen. Laërt. in Vitâ Emped. libr. 8. segm. 69. [g] Diogen. Laërt. libr. 8. segm. 11. Ælian. Var. Histor. libr. 2. cap. 26. Porphyr. in Vitâ Pythagoræ, & Jamblicus in Vitâ ejusdem cap. 28. [h] Diog. Laërt. in proœmio. Cic. Tusc. libr. 5. Quintilian. libr. 12. cap. 1. Institut. Orat. Clemens Alexandrin. Stromat. libr. 1. [i] Lucret. libr. 5. v. 7. [l] Maxim. Tyrius serm. 19. quæ omnia Ælian. Var. Histor. libr. 14. cap. 30. Annoni Carthaginiensi tribuit. [m] Idem Ælian. Var. Hist. libr. 12. cap. 51. & Athen. libr. 7. c. 10. [n] Cornel. Tacit. Histor. libr. 2. [o] Propert. libr. 3. El. 24. [p] Callimach. & Catull. de comâ Berenicis. [q] Sueton. in Vitâ Neronis cap. 20. [r] Diodor. Sicul. libr. 14. & 15. Bibliothec. Historic. [s] Juvenal. Satyr. 3. v. 30. [t] Idem Sat. 5. v. 87.

dum exemplis docuimus, his nos bonis abundare, a quibus longissimè absumus, non aliâ de causâ, nisi quia cupimus; quantò magis cupiditati credemus habituros ea, quibus omnino carebimus? &, si fallimur in præsentibus, quæ in clarissimâ veritatis, & fidei luce versantur, multò magis decipiemur in futuris; quorum exitum, ut ille [a] ait

Caliginosâ nocte premit Deus;

præsertim quum adulator nobis nunquam desit; neque enim est, cur principibus tantùm viris assentatores esse quamplurimos judicemus, omnibus innumeræ cupiditates adulantur; eæ faciunt, ut futura credamus, quæ maximè concupiscimus. Licet id ex eo cernere, quod quæ præclarissima existimantur, ea stultissimas hominum Spes excitarunt. Divitiæ inter bona nonnullo-
8 rum judicio primas tenent; quàm autem stultè divitiæ sperari soleant, exemplum Drusi Libonis declarat, qui tantopere in hoc genere insanivit, ut consultaverit, an tantas opes esset habiturus, ut his Appiam viam Brundusium usque auro consterneret: declarat Cæsellii Bassi calamitas, qui nocturnæ quietis imaginem ad Spem haud dubiam retraxit, credititque in agro suo, quem in Africâ habebat, ingentem se thesaurum invenisse, quem in specu quodam immensæ altitudinis Dido abdidisset; & quum id Neroni aperuisset, & tyrannus cupiens vera esse, quæ dicebantur, fidem homini habuisset, misit ingentem vim fossorum, qui thesaurum scrutarentur. Atque hic intelligi potuit, quàm facilè homines credant, sperentque, quæ vehementer desiderant; nam promissa turbidi hominis, & vecordis adeo Imperatoris animum commoverunt, ut vero verius esse existimaret, quod nullis argumentis, nullis testibus affirmabatur; itaque Cæsar imperii opes profundebat, quasi compertum haberet, nunquam sibi divitias inventis Didunis thesauris defuturas. Alebatur Spes inanissima rhetorum dictis, poëtarumque carminibus, qui felicitatem sæculi mirabantur; neque enim solùm humum solitas fruges ferre, sed jam aurum, & gemmas, & metalla divinæ Providentiæ beneficio tot ætatibus tanto Principi reservata, quasi suâ sponte offerre prædicabant. Eaque fama tamdiu Romæ pervagata est, dum Cæsellius Bassus nullis in Africâ repertis opibus animadverteret se somniasse; qui, ne sui somnii vigilans pœnas daret, sibi mortem conscivit; Nero propter speratas opes absumptis præsentibus ad rapinas, & sacrilegia egestate compulsus est. Nec unus Nero Spe in-
9 gentium divitiarum redactus est ad inopiam; præclarè cum hominibus ageretur, si unus, aut alter in hoc genere insaniret; omnes illi, qui auri conficiendi studio tenentur, dilapidant amplissima patrimonia, & dum sperant, quod non habent, nec habere possunt, perdunt, quod habent; & dum immensas divitias somniant; ad summas rei familiaris angustias delabuntur, & veræ paupertatis mala sentiunt. Quorum dementia quanta sit, verbis explicari non potest; quod natura potest, homunciones ex humo concreti se posse confidunt, nonne hoc est Gigantum more pugnare cum Diis, & velle æquari Deo; immo se potentiores esse, quàm naturam arbitrantur; nam nos ignoramus, quot sæculis in terræ visceribus aurum natura fabricetur; quod illi brevi spatio temporis se effecturos esse confidunt. In quo sunt Nerone longè stultiores; ille civi Romano credidit rem non incredibilem; multi quippe thesauros sub terrâ condiderunt; & Didonem fama est ingentes [b] e Phœniciâ opes, quum fratrem fugeret, avexisse; credidit, inquam, civi Romano, qui non audisse, sed vidisse; nec vidisse tantùm, sed manu attrectasse gemmas, & aurum persanctè jurabat; hi credunt ærusçatoribus, credunt mendicis, credunt nebulonibus; qui si eam artem tenerent, quam tenere se profitentur, nunquam per Orbem terrarum omnium egeni vagarentur; nec divites quærerent, quos arroderent; & credunt rem, quæ nullis certis exemplis affirmatur, nullis rerum monumentis. Qui si cogitarent posse arte imitari, non posse assequi naturam; neque enim aut flosculum, aut herbam quisquam fecisse memoratur, quæ minore molimine natura gignit, & procreat, quàm aurum, ab incepto adeo furioso desisterent. Sed eos cupiditas obcæcat, & sperare cogit, quæ nunquam speraret nisi furiosus; & ostendunt exemp o suo non solùm cæcas esse divitias, ut poëtæ tradiderunt, sed cæcos efficere suos amatores.

DIS-

[a] Horat. lib. 3. Od. 29. [b] Virgil. Æn. lib. 1.

DISSERTATIO XLII.

Super eodem argumento.

Nihil molestiùs ferunt homines, quàm servitutem; quare nihil etiam magis concupiscunt, quàm Regnum, quod Livius esse rem inter Deos, hominesque pulcherrimam dixit. Servus Othone, & Vitellio de Imperio certantibus in spem Regni erectus est, quia quandam Neronis præseferret similitudinem; Augusto etiam Telephus Servus imperium eripere tentavit. Quot virorum insidiis Augustus petitus fuerit. Plurima divinandi genera excogitarunt homines. Spes esse vigilantium somnia, dixerunt Plato, & Aristoteles. Odatis Zariadren, & Zariadres Odatin in somnis visam adamavit.

EGregiam Auctoris nostri sententiam illustrabamus hesterno die, qua confirmat homines plerunque solere Spem inconsideratè concipere rerum difficillimarum; ubi cupiditas animo blanditur, & optata spondet feliciter eventura; contra verò, quæ animus aspernatur, molestaque, & gravia sunt, nunquam futura sibi proponere; in eoque tantum valere voluntatis imperium liberum, nullique obnoxium, ut quæ ratio videt, ea non videre cogat, & mentem in clarissimâ luce positam cæcutire. Id omnium pæne malorum, quibus Mortales mi-
1 ferè conflictantur, esse fontem, & originem statuendum est; quum enim, quemadmodum Sapientibus placet, duo sint affectus, quibus omnis animi tranquillitas perturbatur, Spes nimirum, & metus; ex eo certè, quod quæ cupiuntur, sperantur, augentur immodicæ Spes, quæ sunt seges, ac materia nostrarum calamitatum. In quo illud est molestum, quòd in altissimis animis, excellentissimisque ingeniis maximarum rerum cupiditates innascuntur, ac proinde præstantissimus quisque altissima sperat, & majora viribus conatur. Ea res egregios viros pessumdedit, semperque pessumdabit; sic ille [a] Cyrus est in præceps
2 datus, dum immodicam Spem fovet, & Scythas, quos nemo unquam subegerat, subacturum se esse confidit: sic ejus filius Cambyses [b] exercitum perdidit, dum inaccessas Æthiopum solitudines bello aggreditur: sic [c] Darius, dum Scythas ante invictos lacessit, exercitu omni pæne deleto, in summum discrimen venit: sic [d] Themistocles, dum arma Persarum adversùs ingratam Græciam ciet, & gentibus, quas servitio liberarat, servitutem molitur, ad extremum animadversô non posse præstare, quæ Magno Regi promiserat, veneno hausto interiit. Id perniciosum fuisse Romanis Imperatoribus Polybius docet, dum cupiditati vincendi nullum modum statuunt, &, quod cupiunt, sperant, nihil non cessurum Romanæ virtuti. Quare utilissimum fuerit minimè credere Spei blandienti, ubi nos cupiditate accensos videmus; & quemadmodum judicem cupidum repudiamus, ita repudiare judicium animi potiri voto nimiùm concupiscentis; nec adeo nobis assentari, ut non asperrimis rerum obnoxios esse nos intelligamus; ita cautiores erimus, & impendentium malorum vim faciliùs declinabimus. Id autem fieri non potest, nisi exploratum habeamus cupiendo Spes improbas excitari; quocirca non inutilis fuerit contemplatio, cogitare quàm consentanea sit veritati Auctoris nostri sententia; quod & hactenus fecimus, & hodierno die faciemus, Auditores. Quàm autem inaniter sperare soleamus ea, quorum cupiditate incendimur, 3
testimonio sunt illa, quæ prima Mortales putant, quæ quo magis expetuntur, eo ineptiùs commovent Spem plurimorum. Præclarè Xenophon in [e] Cyro docet nihil molestiùs homines ferre, quàm servitutem; ex quo efficitur nihil hominibus esse gratius, quàm ceteris imperare, & inter expetenda principem locum tenere Principatum; ideo non absurdè videtur dixisse Livius [f] Regnum esse rem inter Deos, hominesque pulcherrimam. Sed quia imperii cupiditas est acerrima, in affectando Regno maximè deluduntur Spes Mortalium; hinc plena tragœdiis vita, plena sollicitudinum, & metus principibus viris est regnandi ratio, dum quisque dominandi Spes improbas concipit, & Regnum per cædes, ferrumque molitur. Esset hic locus, Auditores, exemplis ostendendi, quàm levibus momentis homines in Spem imperii erigantur; & quàm humili loco nati, & in quàm obscurâ fortunâ constituti, & quàm futilibus causis adducti, altissimum rerum humanarum, & splendidissimum affectent Principatum; sed nolo exemplis afferendis longiùs evagari; & tamen pauca quædam non prætermittam. Dum inter Othonem,
Vitelliumque nobilissimos viros de imperio certabatur, servus imperii Spem concipere non servili animo ausus, quia quandam Neronis præseferret similitudinem, Romana arma provocavit; quasi verò, quemadmodum Comici fingunt, similitudo ulla tanta esse possit, ut discerni nequeat; aut si oris species planè similis reperia- 4

[a] Justin. libr. 1. [b] Herodot. libr. 3. [c] Justin. libr. 2. [d] Plutarch. in Vitâ Themistoclis. [e] Xenoph. in Instit. Cyri libr. 1. [f] Tit. Livius libr. 1.

periatur, non diversitas morum, non educationis ratio, non dissimilitudo fortunæ aliquam dissimilitudinam sit effectura. Sed hic incerto Principe fluctuantem, & civili bello nutantem Rempublicam est aggressus; quid [a] Telephus ille servorum audacissimus, qui Augusti prudentiâ, & auctoritate subnixam Rempublicam invadere, & imperium tanquam fato debitum sibi deposcere non dubitavit; neque horruit Principem longâ potentiâ validum, Orbis terrarum imperio præpotentem; cujus metu [b] Scytharum antea incognitæ gentes, & Reges Indorum inauditi pacem, amicitiamque a Romanis petiverant. Piget jam commemorare [c] Varrones, Egnatios, Paulos, Cæpiones, Lepidos, Plautos, Andasios, quorum insidiis ille Principum maximus est appetitus, quorum quàm audax inceptum, tam infelix exitus fuit. Nam illi, etsi Inanem Spem fovebant imperii occupandi, tamen avitis imaginibus clari, rebus gestis illustres, bonis artibus instructi, quamvis Augusto nullo modo pares, non omnino dedecere Principatum videbantur; servus autem qua fiduciâ bacchabatur, qua Spe Romanis illudebat? An erat tam invisa Numinibus Romana Respublica, ut quum Princeps rerum potiretur, invictus bello, pace venerandus, semper felix, semper triumphator, semper [d] augustus, . :

Sidus, & occulti miranda potentia fati
Servis regna darent?......

quid aliud hominem nisi nimia cupido regni redegit ad insaniam voti? Venio nunc ad alia, quæ expetuntur inprimis; ac divi-
5 tias quidem, & immortalitatem, & quandam opinionem divinitatis interdum stultissimè sperari solere, quia flagrantissimè cupiuntur, jam diximus; proxima, & cognata maximè divinitati est divinatio, quæ quoniam præclarissima videbatur, dici vix potest, quàm multis, & quàm variis modis futura cerni Mortales posse crediderint, & in quàm ineptas inciderint opiniones; siquidem Tagen Etruscorum litteræ prodiderunt sulco editum haruspicinam ostendisse, de quo [e] Lucanus cecinit

Et fibris sit nulla fides, sed conditor artis
Finxerit ista Tages......

Phryges [f] avium volatus observasse dicuntur; Isauros auguria invenisse, Telmissenses primos insomnia esse interpretatos ferunt; quibus auctoribus harum artium disciplinas complexæ sunt omnes ferè nationes; & Græci, qui se doctissimos ferebant, extis victimarum, somniorum visis, avium volatibus futura posse cognosci Barbaris indoctis crediderunt; latiusque se fudit hujusmodi superstitio, & mentes hominum mirificè ludificata est; nam & ominibus
verborum, & sortibus, quas casus regebat, 6
movebantur; quasi casus, qui rationis est expers, ea docere nos possit, quæ nullâ prorsus ratione cognoscuntur. Quin [g] & minima dictu sternutamenta non negligebant, & offensiones pedum pertimescebant; cujus rei testis est elegiacus [h] Poëta, qui sic ait

O quoties ingressus iter mihi tristia dixi,
Offensum in portâ signa dedisse pedem.

Nec minora dictu contemnebant; siquidem Augustus [i] lævum sibi calceum præposterè inductum prodidit, quo die seditione militari conflictatus est; & quum idem Princeps virilem togam sumeret, quòd tunica lati clavi resuta ad pedes decidisset, portendi Orbis terrarum imperium existimarunt; & quia, quod erat insigne Senatorum, ad ejus pedes defluxerat, adolescenti subjectum iri eum ordinem prædixerunt, cujus
auctoritate Respublica regebatur; sed etiam 7
magis ridicula vaticinandi genera comprobarunt. Jamblichus enim non contemnendus auctor sapientiæ per gallinas, & grana tritici divinandi genus excogitavit; nam quum scire cuperet nomen ejus, qui Imperium esset adepturus, descripsit in pavimento litteras omnes, quibus utimur, in iisque grana tritici collocavit; admovit deinde gallinam, & ex quibus litteris gallina granum sumpserat, eo, quo sumpserat, ordine nomen composuit, quod esse nomen vaticinatus est futuri Imperatoris; sed vanus fuit vates; nam alius imperio potitus est, quàm quem hoc augurio futurum prædixerat. Scribit [l] Clemens Alexandrinus quosdam fuisse, qui aleuromantes vocarentur, quosdam, qui erithomantes; quorum alteri, ut nomen indicat per farinam, alteri per hordeum vaticinia peragerent, Theocritus autem coscinomantis meminit, ejus videlicet, qui cribro vaticinaretur; nec defuerunt, qui in speculo sese posse crederent futura pervidere, quorum mentionem facit in Didio Juliano Spartianus; nec qui fumo divinarent, quos capnomantes vocant, ad quos [m] Papinius respexit hoc versu

Turea nec supra volitante altaria fumo

Nec qui ventre eventura loqui putarentur, quos ἐγγαστριμύθους Clemens [n] Alexandrinus appellat; nec qui temerè ductis sortibus, de quibus [o] Tibullus cecinit

Illa

[a] Suetonius in Vitâ Augusti cap. 19. [b] Idem ibid. cap. 21. [c] Idem Sueton. in Vitâ Augusti cap. 19. [d] Juvenal. Sat. 7. [e] Lucan. libr. 1. Pharf. [f] Cic. libr. 1. de Divinat. & Juven. Satyr. 6. [g] Homer. libr. 17. Odyss. & Plin. libr. 2. cap. 7. & libr. 28. cap. 2. [h] Tibull. libr. 1. Eleg. 3. [i] Suet. in Vitâ Augusti cap. 94. [l] Clem. Alexandr. in Protrept. [m] Stat. libr. 4. Thebaid. [n] Clem. Alex. in Protr. [o] Tibull. libr. 1. Eleg. 3. ad Messalam.

Illa sacras pueri sortes ter sustulit, illi
Rettulit e triviis omina certa puer.

Neque ullam ferè naturæ rerum esse partem
8 voluerunt, unde vaticinia non peterentur, ut quod nusquam reperiebatur, ubique esse mentirentur; nam & pyrimantes, qui igne, & hydromantes, qui aquâ ad vaticinandum abuterentur, dictos accepimus; & geomantes, qui terrâ futura [a] prædicerent

Quin etiam manes; hæc intentata manebat
Sors rerum......

elicere tentaverunt; unde νεκυομαντία extitit, quam refert Cicero Appium factitasse. Superat Cœlum; id autem, tanquam gigantes, aggressi astrologi, inspectis astris, fatorum seriem aperire Mortalibus contenderunt, & vanitatem suam aliâ vanitate velarunt. Nam & [b] Chaldæi ejus artis inventores sese quadringentorum [c] millium annorum cœlestem historiam in litteras retulisse; & Ægyptii quadragies octies mille annos res cœlestes observasse gloriabantur; quibus tam frivolis, tam ineptis artibus homines nunquam credidissent, nisi eorum Spei cupiditas esset lenocinata; ejus vis est maxima ad conciliandam absurdis fidem. Quare præclare [d] Plato Spes esse dixit vigilantium somnia; quod etiam Aristoteles com-
9 probavit, cui Diogenes [e] Laërtius eandem tribuit sententiam. Nam quemadmodum sunt levia, absurda, fallacia, quæ nocturnis imaginibus mentem deludunt; ita sunt leves, inanes, absurdæ, fallacesque Spes Mortalium; & sicuti decipiuntur somniis animi dormientium; ita Spe falluntur mentes vigilantium; incenduntur Spe hominum cupiditates, incenduntur interdum somniis eædem cupiditates. Quapropter memoriæ proditum est quosdam amore captos eorum, quos in somnis [f] viderant; id Zariadræ, & Odatidi dicitur accidisse; nam & Odatis Zariadren, & Zariadres Odatin in somnis visam adamavit. Si ergo Spes insomnia sunt vigilantium, necesse est, ut quæ cupiuntur, ea sperentur; nam & ea cernimus in somnis, quæ concupiscimus, unde [g] Claudianus cecinit:

Omnia, quæ sensu volvuntur vota diurno,
Pectore sopito reddit amica quies.

DISSERTATIO XLIII.

Qua Thucydidis illustratur sententia affirmantis eas Civitates esse mutationibus obnoxias, ubi fame laboratur.

Infimæ plebis homines nihil, præter alimenta, desiderant; hæc autem assequuti optant opes, tum honores, inde etiam principatum; quibus potiti divinitatem quandam affectant; hinc superbissima illa nomina Deorum propria ab hominibus usurpata, quæ tamen Tiberius contempsit. Alexander moribundus in Euphratem præcipitare se voluit, ut in Cœlum translatus videretur.

Plautinus ille servus non imperitè homines non tam vinculis, & catenis, quàm escâ, & potione coërceri [h] arbitratur

Quem tu asservare rectè, ne aufugiat, voles,
Escâ, atque potione vinciri decet.

Id & ab humili personâ dictum, & levibus verbis, & sententia latè patet, & gravissimum continet documentum. Magnam siquidem annonæ vim esse ad animos in of- 1
ficio continendos, & in quamlibet partem flectendos præclarè docet; nulla enim alia res magis plebem capit, & imperiis reddit obnoxiam, quàm rerum copia ad victum necessariarum, nullâ re magis exasperatur, quàm inopiâ; ea quemlibet populum rebus innovandis facit opportunum. Quapropter summus auctor prudentiæ civilis [i] Cornelius Tacitus populum annonâ pelliciendum esse præcepit; ex quo efficitur illam civitatem mutationibus, & civilibus discordiis esse inprimis obnoxiam, ubi fame laboratur. Eapropter noster Auctor Peloponesios tradit, quum ingenti fame Corcyræi premerentur, in spem adductos urbis occupandæ; verba clarissimi Scriptoris ad hunc modum sese habent καὶ Πελοποννησίων αὐτόσε νῆες ἑξήκοντα παρεπεπλεύκεσαν τοῖς ἐν τῷ ὄρει τιμωροὶ, καὶ λιμοῦ ὄντος μεγάλου ἐν τῇ πόλει νομίζοντες ῥαδίως καταχήσειν τὰ πράγματα: quæ verba sic latinè vertuntur. *Et Peloponesiorum sexaginta naves illuc fuerant præservectæ, auxilio futuræ iis, qui in monte exules agebant; quum enim urbem fames ingens urgeret, putabant se facilè rerum potituros:* Sperabant illi videlicet non temerè, neque

a impru-

---

a Virgil. Æneid. libr. 10. b Clem. Alexandr. libr. 1. Stromat. & Plin. libr. 7. cap. 56. c Cic. de Divination. libr. 1. & Lactant. de Divino præmio libr. 7. cap. 14. d Plato apud Ælian. Var. Histor. libr. 13. cap. 29. e Diogen. Laërt. libr. 5. segm. 18. in Vitâ Aristotel. f Athen. libr. 13. cap. 5. g Claudian. in præfat. Sexti Consolat. Honorii. h Plautus in Menæch. Act. 1. Sc. 1. i Corn. Tac. Annal. libr. 1.

imprudenter populum, quamvis & rebus Atheniensium studeret, & in ejus esset manu Respublica; tamen quum penuriâ annonæ premeretur, copiam libertati, victum honestati, privatam rem publicæ antelaturum; non enim populus gloriam, non excellentes honores, non potentiam, sed frugum ubertatem, sed annonæ vilitatem desiderat; neque tam speciosis gaudet, quàm capitur necessariis. Est enim ita natu-
2 râ comparatum, ut quo quisque maximè indiget, id maximè concupiscat; tenues autem homines, & obscuri, ex quibus magna pars populi constat, maximè indigent alimentis; quare neque gloriæ, utpote alienæ, neque honoris, neque dignitatis, ut extra fortunam suam positæ, dulcedinem sentiunt, sed alimentis capiuntur, atque commoventur; itaque humiliorum illa sunt [a] vota

Puræ rivus aquæ, silvaque jugerum
Paucorum, & segetis certa fides meæ

nec aliud optat inops, quàm id

Quo frigus, duramque famem depellere possit.

putatque cum Epicuro, si polenta detur, cum Jove de felicitate se certaturum; ubi verò illa fuerit [b] consequutus

Queis humana sibi doleat natura negatis,

tum illud faturi, & jam ampliorem fortunam cogitantis [c] est votum

...... ob si
Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro
Hercule ....

Divitiæ videlicet optantur exutâ inopiâ; divitiis autem partis, honores, magistratus, fasces, imperia cogitantur, & ad bonorum datorem Deum conversi homines opulenti ita [d] comprecantur

Da nunc & volucrem, sceptro quæ surgit eburno.

Nec deinde fatiatur animus honoribus;
3 majora concupiscit, altissimumque, & præclarissimum rerum humanarum affectat principatum; quo potitus, quum altius attolli non possit, altiora tamen desiderat; & illud a Tacito [e] prudentissimè dictum autumat, *cetera principibus statim adesse, unum insatiabiliter parandum prosperam sui memoriam.* Ideo Tiberium [f] nonnulli reprehendebant; quòd templum, & cœlestes religiones decerni sibi vetuisset; alii videlicet Principes eadem flagrantissimè concupiverant. Hinc illa superbissima nomina defluxerunt [g] Ceraunorum, quo nomine appellatus est Ptolemæus, Augustorum, quod proprium Romanorum Principum, tanquam supra homines elatorum; Deorum, quo [h] nomine voluit appellari Domitianus; æternorum, quo cognomento se primus appellavit Constantius Imperator; sacrorum, quod licet aspernatus fuerit validus contemnendis honoribus [i] Tiberius; qui quum quidam ejus occupationes dixisset sacras, pro sacris laboriosas reponi jussit; ceteri principes assumpserunt. Nec externi Reges modestio-
res; Antigonus [l] vocari se Deum voluit; 4
Sapor [m] Persarum Rex principem siderum, Solisque fratrem se nuncupavit. Atque utinam Deorum nominibus tantùm contenti fuissent, non etiam post mortem divinitatis famam affectassent. Alexandrum nonnulli ferunt jam pæne moribundum in Euphratem præcipitare se voluisse, quò non apparente cadavere ad Deos translatus videretur; adeo, quum superest nihil, quod expetatur, ea, quæ fieri non possunt, expetuntur. Quo fit, ut viri principes exce-
dant humanorum votorum modum, infimæ plebis homines ea desiderent, quæ mu- 5
tæ animantes naturâ magistrâ concupiscunt. Quocirca quemadmodum belluæ, Aristotele teste, alimenti dumtaxat gratiâ, vel inter se conciliantur, vel inimicitias exercent; sic annona populum vel ad benevolentiam, vel odium compellit; idcirco qui populi benevolentiâ ad Regnum niti voluerunt, frumento largiendo plebem deliniendam putarunt. Nam & Cassius quum Romæ [n] Regnum moliretur, eo pacto benevolentiam plebis aucupari conatus est; nec aliâ viâ ad Regnum sibi [o] grassandum Spurius Melius duxit; Populusque Romanus, qui Tarquinium Superbum Regem non tulerat, tulisset tyrannum Melium, nisi prudentiâ Senatus obviam itum esset tanto flagitio. Ea dulcedo fuit diurni alimenti, quod Melius largiebatur, ut ferocissimum populum, bellique studio asperrimum cicurem redderet, & quasi manu tractabilem. Quod cogitantes nonnulli Patrum, quum fame civitas laboraret, venisse tempus ajebant premendi Romanam plebem, & extorquendi honores, quos ipsis invitis, & reluctantibus Patribus fuerat consequuta; nec defuerunt unquam, qui pari arte plebem vel urgerent, vel demererentur. Cleander, imperante Commodo, quum in-
gentem frumenti vim in privatis horreis 6
conclusisset, imperium affectavit; qui, si minùs id, quod voluit, est assequutus, id eo factum est, quod fraudem occultare non potuit, aut nescivit; apparuitque ipsum penuriæ causam esse, non levamentum, dum omne frumentum undique comparat; quod si te-

[a] Horat. libr. 3. Od. 16. [b] Horat. Satyr. 1. libr. 1. [c] Persius Satyr. 2. [d] Juvenal. Satyr. 10. v. 43. [e] Cornel. Tacit. Annal. libr. 4. n. 38. [f] Sueton. in Vitâ Tiberii cap. 26. [g] Pausan. in Phocic. sive libr. 10. & Cæl. Rhodig. libr. 24. cap. 6. [h] Suet. in Domitian. cap. 13. [i] Sueton. in Vitâ Tiberii cap. 27. [l] Plin. libr. 16. cap. 4. & Herodian. libr. 1. post princ. [m] Ammian. Marcellin. libr. 17. [n] Tit. Liv. libr. 2. [o] T. Liv. libr. 4.

si tegere potuisset, certè validissimum populo frenum injecisset. Nam quum, ut ait Homerus, miserandum maximè sit [a] fame interire:

Λιμῷ δ' οἴκτιστον θανέειν, καὶ πότμον ἐπισπεῖν
Est cruciante fame miserandum ad prima perire

Qui annonæ dominus est, habet in suos cives vitæ, necisque crudelissimæ, maximèque miserandæ potestatem. Quod animadvertentes Romani Imperatores, Ægyptum claustra annonæ, non sicut alias provincias [b] Senatorii ordinis hominibus committebant; immo [c] non licebat Senatoribus Romanis injussu Principis in Ægyptum peregrinari; ne Ægyptus, ex qua ducenties centena millia frumenti Romam quotannis advehebantur, in ejus esset manu, qui quoquo modo dignus imperio videretur. Ideo [d] Tiberius Germanicum in Ægyptum profectum in Senatu vehementissimè accusavit; & [e] Vespasianus simul atque nutans; & inter plures dominos fluctuans imperium suscipere decrevit, Ægyptum occupavit.

DISSERTATIO XLIV.

De Atheniensium temeritate, qua Peloponesiaco bello impediti bellum Siculum susceperunt.

Carthaginienses longè potentiores erant qualibet Græcâ Republicâ. Italia quingentos annos Romanis restitit. Respublicæ, quum a populo reguntur, inconsultè multa decernunt. Romani, Philippus, & Alexander caverunt maximè, ne cum pluribus hostibus pugnare cogerentur; secus Athenienses, ideoque reprehendendi. Ineptè Fabius Maximus Scipionem dissuadebat a transferendo in Africam bello; Cyri etiam clades ipsius incuriâ contigit, non quòd in alienâ regione decertaverit.

INitio libri sexti, quem præ manibus habemus, noster Auctor proponit insigne temeritatis exemplum; Egestanorum precibus motum populum Atheniensem refert Syracusanis bellum indixisse; verbo quidem, ut suppetias ferret sociis laborantibus, re autem verâ, ut insulam opulentissimam imperio adjungeret. Sed quum oporteat eos, qui suscepturi sunt bella prudenter, nihil magis nosse, 1
quàm hostium vires, & suas; in tantâ rerum inscitiâ versabantur Athenienses, ut quanta esset Sicilia, quam bello petebant, & quot, quantisque populis habitaretur, nescirent. Quum autem, ut præclarè disputat in Alcibiade primo divinus Plato, nihil minùs expediat ante bellum, quàm hostem superatu facilem cogitare, ipsi adeo præ se Mortales ceteros contemnebant, ut non modò Siciliæ imperium spe præciperent, sed jam Carthaginem, jam Libyam, & Italiam somniarent; perinde ac si occupare Siciliam, debellare Carthaginem, imponere Italiæ jugum parva esset accessio Laconici belli; quod tamen ita gerebant, ut adversa multa prosperis miscerentur; quum & Carthaginiensium potentia longè major esset, quàm ullius Græcæ Reipublicæ; & Italiæ vires invictæ, quæ victores omnium gentium futuros Romanos quingentorum annorum spatio fatigarunt. Hanc Atheniensium temeritatem occultè Thucydides [f] reprehendit, quum ait: *Ἐβούλοντο Σικελίαν καταστρέψασθαι, ἄπειροι οἱ πολλοὶ ὄντες τοῦ μεγέθους τῆς νήσου, καὶ τῶν ἐνοικούντων τοῦ πλήθους*, hoc est: *In animo habuerunt domare Siciliam, plerique nescientes quanta esset insulæ magnitudo, & quanta incolarum multitudo;* & meritò reprehendit. Quid enim stultius, quid magis temerarium, quàm ignotum hostem lacessere, remque aggredi, cujus magnitudinem prorsus ignores? sed fuit id 2
vitium semper frequens Rerumpublicarum, quæ populi regimine administrantur, ut inconsultè multa decernant, multa temerè aggrediantur. Nam quum penes populum sit potestas omnium rerum, populus autem in magnâ rerum ignoratione versetur, necesse est, ut stultè pleraque decernantur; & quemadmodum in animo nostro solet evenire, ubi non ratio, sed cupiditates, quæ cæcæ sunt, animum agunt potiùs, quàm regunt, ut nihil prudenter, nihil consideratè geratur; sic in Republicâ, ubi populari libidini res committitur, nihil agitur ex præscripto prudentiæ, a qua non solùm abhorret multitudo, sed ipsius etiam rectores. Nam, ut ait Cornelius [g] Tacitus, plebi non judicium, non veritas; quod multo ante Cicero dixerat in oratione pro Planco: *Non est judicium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia.* Quocirca Plato in Alcibiade testatur paucissimos eorum, qui ad Rempublicam accessissent, fuisse non imperitos; i- 3
deo illis tantum stultitiæ superfuit, ut quum Thebanos, & Corinthios, & Lacedæmonios haberent hostes haudquaquam con-

a Homer. Odyss. μ. v. 342. b Dio libr. 51. c Dio ibid. & Cornel. Tac. libr. 2. Annal. d Corn. Tac. ibid. n. 59. e Sueton. in Vitâ Vespasiani cap. 7.

f Thucydid. libr. 6. g Cornel. Tac. Histor. libr. 1. num. 32.

temnendos, aliud par bellum priori excitarent, Siciliamque universam, quum Peloponeso vix resisterent, putarent sibi lacessendam; quod secundum Atheniensium peccatum noster Auctor [a] his verbis notat: καὶ ὅτι ἐν πολλῷ τῷ ὑπολειπομένῳ πόλεμον ἀνῃροῦντο τοῦ πρὸς Πελοποννησίους, & in [b] oratione Niciæ fusiùs reprehendit; neque enim, nisi necessitas cogat, committendum est, ut pluribus bellis uno, eodemque tempore implicemur. Qua quidem in re; sicut in ceteris, divina prudentia fuit Romanorum; nunquam illi novis hostibus bellum inferebant, quin priùs veteres devicissent; ex quo factum est, ut cum uno tantùm hoste ferè semper contenderent, neque simul multis bellis premerentur, sed aliud alii bellum succederet. Nam, ut omittamus illa tempora, quibus Italiam subegerunt; pulso [c] Italiâ Pyrrho adversùs [d] Carthaginienses bellum Romani susceperunt; ad Ægates Insulam Pœnis classe devictis, & diuturno prœlio confecto Illyrios domuerunt; Illyriis [e] in potestatem redactis [f] irruptionem Gallorum, cæsis eorum innumerabilibus copiis, represserunt; mox Istri subacti; deinde rursus exarsit [g] Punicum bellum, quod cum Hannibale magnis populi Romani, Pœnorumque cladibus gestum est: quo in bello dici vix potest,
quantâ prudentiâ caverint, ne simul pu-
4 gnare cum duobus hostibus cogerentur.
Moliebatur arma [h] Philippus Macedoniæ Rex, fœdusque cum Pœnis fecerat, ut in Italiam trajiceret, & Hannibalem adjuvaret; id Romani quum resoivissent, quinquaginta longas naves decernunt, indicunt impigrè bellum Regi: Apolloniam [i], unde in Italiam transitus, obsidentem noctu adorti fugant, societatem cum Ætolis jungunt, strenuè rem gerunt. Philippus, qui tribus magnis cladibus profligatos nunquam sibi restituros Romanos putavisset, ubi aliter rem evenire multò intelligit, Romanorum virtute territus inclinat animum ad pacem, quam Romani libenter cum Rege fecerunt, quum Punico bello urgerentur; sic necessitatem vitarunt simul cum Macedonibus, & Pœnis belligerandi, & non timendo, ut ne esset timendum, sunt consequuti. Sed ubi pulsus est Hannibal,
5 devicta Carthago, non ampliùs Philippi i-
njurias dissimularunt; sed alteri Consuli Macedoniâ decretâ provinciâ bellum Macedonibus indixerunt. Quum autem Antiochus [l] ille Magnus armaret Asiam, & jam Romanis minaretur, id bellum tamdiu distulerunt, donec Philippus vinceretur; nec Nabidis [m] tyranni, quem mox aggressuri erant, amicitiam repudiarunt, ne cum Rege Macedoniæ jungeretur; quo superato & Nabidem afflixerunt, & Antiochum bello victum intra montem Taurum compulerunt; quo tempore Macedonum arma quieverunt, quæ postea magno Macedoniæ malo a Perseo [n] Rege excitata nobilissimum Regnum funditus everterunt.
Longum fuerit percensere quantâ arte Ro-
mani vitaverint, ne cum duobus hostibus 6
congredi simul cogerentur. Sed mitto Romanos; quid [o] Philippus ille Magni Alexandri pater, quo consilio, quum regnum accepisset trium morte Regum fluctuans, & hostium multitudine oppressum, se se a tantis impendentibus periculis expedivit? Quum hinc Illyrii ingentes exercitus cogerent; hinc Pannonii Macedoniam popularentur; hinc Athenienses Argæum cum exercitu in Regnum reducerent, inde Thraces Pausaniam; Athenienses quidem redditâ Amphipoli sibi conciliavit, Pannonios principes donis corrupit, deinde Argæum præsidio nudatum Atheniensium aggressus prœlio superavit; hinc Pannonios morte Regis turbatos, magnâ pugnâ victos perdomuit; mox Illyrios fudit, & ceteros hostes profligavit, a quibus ipse fuisset oppressus, si adversùs universos bellum simul gessisset.
Ejus exemplum sequutus filius Alexander 7
non [p] priùs in Asiam trajecit exercitum, quàm Thebas excidit, Græciamque pacavit, & Thracas res novas molientes compressit, & Illyrios, Triballosque rebellantes perdomuit; ut ita compositis in Europâ rebus in unum Darium hostem Regni vires cieret universas. Atque hoc nomine Isocrates in oratione ad Philippum Agesilaum reprehendit, quòd antequam res Græciæ composuisset, bellum Persis intulisset; sed ille etsi Græcos non omnino pacatos, nullum tamen in Græciâ manifestum bellum relinquebat; Athenienses imprudentiores, qui, quum non modò non quietam, penitusque tranquillam, sed ardentem bello Græciam viderent, longinquum, & novum bellum susceperunt. His de causis arbitror consilium Atheniensium repre-
hendendum; non, ut Fabius Maximus a- 8
pud Livium censet, quòd in alienâ terrâ, quàm in suâ bellum gerere maluerint. Is enim libro vigesimo octavo Romanæ historiæ Scipionem deterret a consilio in Africam exercitum trajiciendi, & bellum in Libyam transferendi, cum aliis rationibus, tum hoc infelici exemplo Atheniensium. Sed non vidit vir alioquin prudentissimus

aliam

[a] Thucydid. libr. 6. [b] Thucydid. ibid. [c] L. Flor. libr. 2. cap. 18. [d] Idem libr. 2. cap. 2. [e] Idem libr. 2. cap. 5. [f] Idem libr. 2. cap. 4. [g] Idem libr. 2. cap. 6. [h] Idem libr. 2. cap. 7. [i] Tit. Liv. libr. 24. [l] Luc. Flor. libr. 2. cap. 8. [m] T. Livius libr. 35. [n] Idem libr. 42. [o] Diodor. Sicul. Biblioth. Histor. libr. 16. [p] Plutarch. in Vitâ Alexandri, & Arrian. de ejusdem expedit.

aliam fuisse causam Scipionis, & Romanorum, aliam Alcibiadis, & Atheniensium. Quum enim Scipio Africam bello perebat, non quærebat sibi novum hostem, aut nova bella suscitabat, sed Hannibalem Italiæ visceribus inhærentem ex Italiâ detrahebat, sed belli terrorem, & tempestatem ex Italiâ in Africam avertebat; quod erat cum Italiæ utile, quæ intestino bello liberabatur, tum Romæ salutare, quæ non ampliùs sedentem ad Urbis portas Hannibalem esset conspectura. Contra vero Alcibiades non detrahebat ex Atticâ Lacedæmonios, sed Siculos quietos in Athenienses incitabat; & quum diuturno bello fessa, & exhausta pestilentiâ civitas vix pristinis hostibus posset resistere, novos lacessebat, & quidem potentissimos; quod est diligenter adnotandum, ne quis putet, ideo consilium Atheniensium a Thucydide [a] improbari, quòd bellum e suâ in alienam regionem transferre voluerint, quod omnibus ferè expedire pluribus exemplis ostenditur. Nam licet id consilium Cyro improspe-
9 rè cesserit, apud quem primum animadvertimus esse disceptatum, utrum hostes intra sui Regni fines recipere, an in eorum regione bellum gerere magis conduceret; quum [b] Tomyris Massagetarum Regina ipsi optionem proposuisset, utrum vellet Araxem trajicere, & in Massagetarum terrâ, an in suo Regno bello decernere; & Cyrus Crœso suadente, dissentientibus Persis, Araxem transduxisset exercitum; tamen ea clades Cyro, & ejus copiis magis accidit incuriâ, negligentiaque Cyri, quàm ejus consilii pravitate; ceteris pæne universis magis profuit inferre bellum, quàm illatum repellere. Quis
10 enim nescit [c] Agathoclem Syracusarum tyrannum, quum in Siciliâ magnâ pugnâ victus esset, ac prope jam de suis rebus desperasset, in Africam trajecisse, & quum victores Carthaginienses esset aggressus, adeo belli fortunam esse mutatam, ut qui perditas in Siciliâ, atque obsessas pæne Syracusas reliquisset, cæsis in Africâ Pœnorum copiis, multas urbes expugnarit, & Carthaginiensium libertatem tremefecerit? quis [d] autem ignorat Scipionem, quum gravis Italiæ hostis Hannibal Romanorum cladibus aleretur, & jam annum decimumquartum Italiæ visceribus insideret, bellum in Africam transtulisse; quo facto deletis Punicis exercitibus, sociisque Regibus victis, Hannibalem ex Italiâ decedere coëgisse constat, invictumque Ducem vicisse, & Carthaginem in Africâ, cui par in Italiâ Roma non erat, domuisse?

DISSERTATIO XLV.

Qua ostenditur bellum in hostilem regionem inferre, quàm illatum repellere magis expedire.

Hannibali capiendæ Romæ magis defuit voluntas, quàm facultas. Amilcar Hannibali comparandus erat. Illyriorum Regem Gentium Octavius intra quindecim dies Regno deturbavit. Qui in externâ regione bellum gerunt, alunt exercitum sumptibus hostium. Alexander, quum trajecit Hellespontum Persarum imperium eversurus, septuaginta duntaxat talenta habebat. Alexandri exercitus e senatoribus, non e militibus constare videbatur. Scauri autem exercitus, quum arborem pomiferam castris esset complexus, discedens intactam reliquit. Philippus plures urbes sociorum excidit, quàm hostium Romani.

Quum Thucydidis [e] locum præ manibus haberemus, ubi Nicias, & Alcibiades Atheniensium longè principes inter se magnopere dissentiunt, quum alter in Siciliam cum exercitu navigandum neget, alter affirmet; visa est ea contentio similis illi, quæ inter [f] Scipionem, & Fabium Maximum fuit, quum bello Punico secundo alter in Africam primo quoque tempore trajiciendum censeret; alter in Italiâ bellum adversùs Hannibalem graviter 1
gerendum. Nam Alcibiadi Scipio simillimus; etenim, sicut Alcibiades, egregius formâ Scipio ætate florebat, & rerum gestarum gloriâ, & populi benevolentiâ, & quadam arte animos sibi conciliandi; Niciæ verò Fabium Maximum jure compararis; nam uterque prudentiâ singulari, uterque cunctator, uterque ad eam diem invictus fuerat, & nullius auctor cladis Reipublicæ, sed multorum bonorum. Jam inter ipsas res erat quædam similitudo; nam sicut in Atheniensium concione disceptabatur, utrum bellum Siciliæ esset inferendum; sic & in Senatu Romano disputabatur, an esset in Africam trajiciendum. Eapropter in superiore Dissertatione, quum locum 2
Thucydidis illustraremus, Livii [g] locum attigimus, ubi Fabii Maximi, & Scipionis orationes refert; sed quia consilium Scipionis laudatur, Alcibiadis reprehenditur, ejus differentiæ causam esse diximus, quòd Alcibiades, quum bellum Siculum decer-

 nebat,

[a] Thucydid. lib. 6. [b] Justinus lib. 1. [c] Diodorus Sicul. lib. 20. Bibliothec Histor. [d] Tit. Livius lib. 29. [e] Thucydid. lib. 6. [f] Tit. Livius lib. 28. [g] Tit. Livius ibid.

nebat, non bellum e suâ in hostilem regionem transferebat, sed novos hostes lacessebat; contra verò Scipio, quum suadebat Africam invadendam, quid aliud, quàm bellum in hostium terrâ, quàm in suâ gerere malebat? & Italiam a cladibus respirare, vexari Africam, & eadem, quæ Roma timuerat, Carthaginem timere? Id autem ferè semper expedire, & hesterno die breviter diximus, & hodierno latiùs ostendemus; quæ dissertatio non abhorrebit a Thucydidis loco, in quo Alcibiades conatur ostendere se se bellum Atticæ imminens in Siciliam avertere; sic [a] etenim loquitur: Οὐ γὰρ ἵνα δεῦρο ἀντιβοηθῶσι, προσεθέμεθα αὐτοὺς, ἀλλ᾽ ἵνα τοῖς ἐκεῖ ἐχθροῖς ἡμῶν λυπηροὶ ὄντες δεῦρο κωλύωσιν αὐτοὺς ἐπιέναι.

Age verò quum exemplis præcipuè doceamur, quid utile, aut damnosum sit in rebus humanis, quot exempla declarant bellum in hostili terrâ, quam in suâ gerere magis expedire? Vix agnoscimus Romanæ potentiæ magnitudinem, quum legimus bella, quæ in Italiâ Romani gesserunt; Pyrrhus [b] Epirotarum Rex gentis haud-
3 quaquam opulentæ, quia in Italiâ rem gessit, dici vix potest, quantum Romanis terrorem attulerit, quantis prœliis Romanos exercitus fuderit, quàm ancipiti fortunâ dimicarit. Hannibali [c] Romæ capiendæ magis voluntatem defuisse tradunt, quàm facultatem. Horret animus reputando, quantis cladibus gestum sit sociale bellum, quot, & quàm clari imperatores ceciderint, quot exercitus deleti fuerint, quantum in discrimen adducta Respublica; non aliâ de causâ, quàm quòd in Italiâ cum Italicis populis dimicatum est. At idem populus quàm nullo negotio externa bella confecit! Hannibalem, quem per sexdecim annos omnia cædibus, & vastitate, & terrore complentem, quasi fatalem Italia extimuerat, in Africam [d] retractum Scipio paucis diebus fudit, & exuit castris. Neque alia causa pos-
4 sit afferri, cur bellum Punicum secundum tanto fuerit periculosius, quàm primum, nisi quòd primum Italiam nunquam attigit; secundum in Italiæ visceribus semper hæsit. Nam utrumque iidem Carthaginienses intulerunt; in utroque ejusdem indolis milites militarunt, duces tantùm mutati; sed Amilcar, quem Marti æquabant Carthaginienses, non ineptè possit cum Hannibale comparari. Haud [e] equidem abnuerim egregium ducem fuisse Pyrrhum; sed quum gentem cum gente confero, quum Macedonum claritatem cum Epirotarum obscuritate, opes cum inopiâ, potentiam cum imbecillitate, miror inter Italiæ clades numerari Pyrrhum; tam facilem fuisse de [f] Philippo, & Perseo Macedoniæ Regibus victoriam, ut nusquam ambiguo marte pugnaretur; & alter intra quadriennium, ad petendas pacis conditiones compelleretur, alter penitus Regno exueretur; nec aliam causam reperire possum tanti discriminis, nisi quòd cum Epirotis in Italiâ; cum Macedonibus extra Italiam bellatum est. Quid autem dicam de Illyriorum Rege [g] Gentio, quem intra quindecim dies
Octavius Regno deturbavit? quid de [h] An- 5
tiocho Magno Rege, quem totius Asiæ opibus, & partis Europæ viribus subnixum triennio devicerunt? quid [i] de Syphace, quem toties victum, totiesque bellum instaurantem intra annum Scipio cepit? Nec ille [l] terribilis Jugurtha, militaris rei peritissimus imperator, nisi duces Romanos pecuniâ corrupisset, & solertiâ diutiùs elusisset, tantopere celebraretur; neque enim ullâ clade Romanâ memorabili est insignitus. Adeo quod Sulpicius [m] Consul in oratione, quam habuit ad populum Romanum, quum suaderet Macedonicum bellum, dixisse traditur; verum est Populo Romano foris, quàm domi feliciora, potentioraque arma fuisse. Quod Hannibal confirmabat, qui quotidie Antiocho dictitabat: si [n] nihil in Italiâ moveretur, liceretque Romanis extra Italiam bellum gerere, neque Regem Antiochum, neque gentem ullam parem Romanis esse. Nec id Roma- 6
nis peculiare, sed commune omnibus gentibus fuit, feliciores foris esse, quàm domi; ideo [o] Timoleon, quum Carthaginienses magno navium apparatu, & sexaginta millibus armatorum in Siciliam appulissent, quamvis longè viribus impar, in eorum provinciâ eos aggredi festinavit; & Lacedæmonii adeo semper inferre bellum, quàm illatum repellere maluerunt; ut per annos ferè sexcentos, auctore [p] Plutarcho, nullum unquam hostilem exercitum intra flumen Eurotam viderent. Apparuit autem divino veterum Laconum consilio cautum, ne fines Laconicæ ingrederentur hostes; nam qui primus exercitus [q] Epaminonda Duce trajecit Eurotam, pæne Lacedæmonem expugnavit. Mitto alia exempla, quæ sunt in-
numerabilia; res est enim tam manifesta, ut 7
non exemplis affirmanda, sed potiùs quærenda ratio videatur, cur ita ut plurimum accidat; quam mihi diligenter investiganti hæ potissimùm causæ occurrêre. Omnium malo-

[a] Thucyd. libr. 6. in Oratione Alcibiadis. [b] Luc. Flor. libr. 1. cap. 18. [c] Tit. Liv. libr. 26. [d] Tit. Livius libr. 28. [e] L. Flor. libr. 1. cap. 18. [f] T. Liv. libr. 40 41. & 45. [g] Idem libr. 44. [h] Idem libr. 37. [i] Idem libr. 30. [l] Salustius in Bello Jugurthino, & Luc. Flor. libr. 3. cap. 1. [m] T. Liv. libr. 31. [n] Idem libr. 34. [o] Plutarch. in Vitâ Timoleontis. [p] Idem in Vitâ Agesilai. [q] Idem eodem loco.

malorum, quæ vel ira Dei, vel hominum furor invehit, gravissimum est bellum; ubi arma [b] increpuere

.... *non ullus aratro*
Dignus honos; squallent abductis arva colonis.

Diripiuntur urbes, vastantur agri, incenduntur villæ, vectigalia, publicique reditus non modò adventu belli, sed etiam metu minuuntur. Hæc autem damna non ille sentit, qui in alienam regionem induxit exercitum; sed ille, in cujus fines hostiles legiones impetum fecerunt; tantum enim abest interdum, ut qui extra fines imperii sui bellum gerit, ullo damno afficiatur, ut sæpe sine suo sumptu bellum faciat, & summis etiam opibus augeatur. Notum est Cyrum [c] Superiorem inopem domo profe-
8 ctum Asiam totam subegisse, nec unquam, quum tantum exercitum aleret, inopiâ laborasse: Alexandrum [c] verò constat, quum trajecit Hellespontum eversurus imperium Persarum, septuaginta talenta dumtaxat habuisse; ceteros sumptus, quos ille fecit ingentes, hostilis terra suppeditavit: Hannibalis [d] exercitum nisi Italia aluisset, frustra pecuniam, & commeatum ab Africâ expectasset. Quapropter idem Hannibal apud Livium [e] suadet Antiocho, ut utatur Italiæ viribus adversùs Italiam, quod nihil aliud erat, quàm exercitum in Italiam mittere. Quò fit, ut illa terra, quam hostium copiæ invaserunt, duobus exercitibus amico, & hostili commeatum suppeditare cogatur. Accedunt eodem militum injuriæ,
9 qui nisi etiam eos, quos tueri debent, pessimè haberent, non tantopere Alexandri imperatoris exercitus laudaretur, qui quum in terrâ sociorum stativa haberet, e fenestoribus, non e militibus constare videbatur; nec ille Scauri, qui pomiferam arborem, quam in pede castrorum complexa metatio fuerat, postero die, quum discederet, intactam reliquit; ceteri milites injusti, violenti, sæpenumero sociis magis graves, quàm hostibus sunt. Atque utinam nullus exercitus Vitellii milites imitaretur, de quibus [f] Cornelius Tacitus ait: non Italia adiri, nec loca, sedesque patriæ videbantur, tanquam externa litora, & urbes hostium urere, vastare, rapere. Neque id solùm militum libidine accidit, sed ducum prudentiâ, qui res amicorum sæpe corrumpunt venturas in hostium potestatem; cujus exemplum rei ab Antiquis memoratur Philippus [g] Macedoniæ Rex, qui bellum cum Romanis gessit, quem plures urbes sociorum constat excidisse, quàm hostium

Romanos. Accedit eodem, quod ubi intra fines res geritur, siquid offensum est, sta- 10
tim fides labat sociorum, deficiunt urbes, omnia hostium fiunt; a quo periculo abest ille, qui in hostium fines induxit exercitum; nam quamvis animi sociorum minùs fideles fuerint, ubi nullus est hostis, ad quem deficiscant, in fide maneant, necesse est. Nolo multis exemplis affirmare, quod paucissimis ostendi potest; quum Xerxis exercitus ad [h] Salamina, & ad Plateas ingentes clades accepisset, nulla civitas in Asiâ defecit a Rege Persarum; sed ubi Pausanias, & Græcorum copiæ in Asiam trajecerunt, omnes Græcæ urbes rebellarunt. Nullam victoriam, quæ cum Themistoclis, Pausaniæque victoriis comparari posset, consequutus fuerat [i] Agesilaus; & tamen, quia ejus copiæ in Asiâ versabantur, omnes ad eum certatim Barbari desciscebant: idem contigit Alexandro, ubi Persas [l] ad Granicum amnem equestri prœlio superavit. Sed fortasse Barbarum oderant Asiæ nationes; quid [m] Macedones? nonne proditum memoriæ est mirificè suos Reges dilexisse? nihilo tamen secius post Pauli Æmylii victoriam universa Macedonia in ditionem Romanorum sponte concessit.

DIS-

[a] Virgil. Georgic. libr. 1. in fine. [b] Xenophon. de Expedition. Cyri. [c] Plutarch. in Vitâ Alexandr. [d] T. Liv libr. 25. & 26. [e] Idem libr. 34. [f] Cornel. Tacit. Histor. libr. 2. n. 56. [g] Tit. Liv. libr. 31. & 32. [h] Plutarch. in Vitâ Themist. [i] Idem in Vitâ Agesilai. [l] Plutarch. in Vitâ Alexandri. [m] Tit. Liv. libr. 45. in princip.

DISSERTATIO XLVI.

De Hermis, quibus caput amputasse Alcibiades accusatus in exilium abivit.

Parmeniscus quum in antrum Trophonii descendisset, tantâ tristitiâ affectus est, ut ampliùs ridere non posset; verùm quum in Delo informe lignum pro Latonæ simulacro conspexisset, effusus in risum, & ægritudine liberatus est. Cybele a cubo dicta est. Mercurius cubi formâ fingebatur, quia nihil aliud sit, quàm sermo, & ratio; non verò quia quatuor artes invenerit, sicut Homeri Interpres censet. Varia est quadratæ statuæ significatio; præcipuè verò dicitur, quæ manibus, & pedibus caret; quam significationem Petavius in interpretatione Themistii non intellexit. Hermam Sidonius Apollinaris pro stolido accipit. Mercurius lucro præest; ideo Antiqui illum cum crumenâ finxerunt; quemadmodum Phœnices ceteros etiam Deos conformarunt; quia omnia nobis a Deo tribuantur.

SI quis est, qui nesciat, quàm improbè fortuna ludat in rebus humanis, & ex quàm parvis initiis magnarum momenta rerum pendere soleant; id eum docere potest noster Auctor exemplo [a] maximè insigni, & memorando. Apparabat summâ ope bellum civitas, quo vindicare sibi imperium Siciliæ cogitabat; & quamvis eam expeditionem non satis prudenti consilio suscepisset, illud tamen prudentissimè fecerat, quod Alcibiadem ejus belli ducem elegerat; qui vir tantâ vi corporis, animique fuit, ut si cepta persequi, & bellum ductu, auspiciisque suis gerere potuisset, nunquam illud inceptum adeo tristes exitus habuisset; sed malignitas fortunæ bene consulta pervertit, & Alcibiadis crescentem gloriam non illa quidem potuit extinguere, sed non mediocriter obscuravit. In Atheniensium urbe pul-
1 cherrimâ frequentes cum in privatis ædiũ vestibulis, tum in publicis templis Mercurii statuæ visebantur, quas Hermas vocant; his omnibus unâ nocte caput amputatum est, nec unquam quæstionibus habitis ejus facinoris auctor potuit inveniri; sed quoniam vulgo mos est quantumlibet obscuris, & falsis reum subdere, nonnulla suspicio in Alcibiadem conferebatur. Id arripuerunt ejus inimici, quibus Alcibiade florente nulla spes administrandæ Reipublicæ; & virum quidem populari gratiâ, & eloquentiâ subnixum in judicium vocare præsentem, quamvis Alcibiade postulante, recusarunt; ubi verò profectus est ad bellum, hominem accusarunt, & e medio cursu rerum maximarum ad causam dicendam retraxerunt; quum autem ille fugâ sibi consuluisset, absentem Athenienses capitis condemnarunt. Ea omnium malorum causa Atheniensibus fuit; amisso quippe tanto duce res in Siciliâ perditæ; ejus viri consilio adjuti hostes ingentibus Atheniensium Rempublicam cladibus afflixerunt. Ita res parva dictu ingentes in Republicâ tempestates excitavit; & civitas Græciæ princeps, dum sui civis dominatum nimiùm pertimescit, in exterorum incidit servitutem; adeo perniciosa res est in civitatibus liberis calumnia, & adversùs magnos viros nimiùm sibi indulgens libertas. Sed non mihi hodierno die consilium est dicta, sententiasque proferre, & in præceptis prudentiæ dandis immorari, sed [b] Thucydidis locum explicare, qui in hujus historiæ narratione sic ait: Ἐν δὲ τούτῳ ὅσοι Ἑρμαῖ ἦσαν λίθινοι ἐν τῇ πόλει τῇ Ἀθηναίων [εἰσὶ δὲ κατὰ τὸ ἐπιχώριον, ὧν τετράγωνος ἡ ἐργασία, πολλοὶ καὶ ἐν ἰδίοις προθύροις, καὶ ἐν ἱεροῖς] μιᾷ νυκτὶ οἱ πλεῖστοι περιεκόπησαν τὰ πρόσωπα quæ sic latinè convertuntur: *Inter hæc quicunque Hermæ lapidei in urbe erant Atheniensium [sunt autem patrio instituto multi, & in privatis ædium vestibulis, & in delubris quadratâ specie] unâ nocte horum plerisque caput amputatum est.* In his
verbis cur quadratam esse dicat Herma- 2
rum speciem, explicandum est. Ac sciendum Veteres quasdam peculiares figuras Diis dedicasse; sic Nemesi, Fortunæque globum sacraverunt, & rotam; testatur id de Fortunâ Cebes Thebanus in tabulâ, & Galenus in exhortatione ad artes; de Nemesi Nonnus in Dionysiacis, ubi sic ait

Καὶ τροχὸς αὐτοκύλιστος ἔην παρὰ ποσσὶν ἀνάσσης

sic [c] Veneris Paphiæ simulacrum non humanâ specie visebatur; sed orbis erat latiore initio in ambitum metæ modo exurgens, ut libro secundo Historiarum Cornelius Tacitus memoriæ prodidit; Pausanias [d] autem scribit quadrangulâ figurâ collocatam. Informe lignum pro Latonæ
simulacro in Delo cultum libro decimo- 3
quarto [e] refert Athenæus, de quo illud narratur memorabile; Parmeniscum, in antrum Trophonii quum descendisset, tantâ tristitiâ affectum, ut ampliùs ridere non posset; ideo oraculum Apollinis consuluisse, & responsum accepisse matrem ipsi risum daturam; quum autem domum venisset Parmeniscus, matremque esset alloquutus,

[a] Thucydid. libr. 6. [b] Thucydid. ibid. [c] Cornel. Tacit. libr. 2. Histor. n 3. [d] Pausan. in Attic. sive libr. 1. [e] Athen. libr. 14. cap. 1.

quætus, neque ægritudine levaretur, se
deceptum oraculo arbitrabatur. Fortè for-
tunâ accidit, ut in Delum proficisceretur,
& quum in insulâ quæcunque visenda e-
rant, esset contemplatus, ingressus est La-
tonæ templum, ratus aliquod simulacrum
Deæ pulcherrimum spectaturum; ubi, quum
simulacrum quidem nullum, sed informe
lignum reperisset, repente effusus in ri-
sum, & ægritudine liberatus est. Sed &
in Icaro informe lignum Dianæ conse-
4 cratum est, & Thespiis signum Junonis
truncus excisus fuit, & Sami tabula pro
Junone colebatur. Sed præcipuè cubi fi-
gura Diis dicabatur, nam [a] & Cybelem a
cubo dictam, quo exprimebatur, Martia-
nus Capella testatur; & [b] Mercurius au-
ctore Galeno cubi formâ fingebatur. Ra-
tio ejus rei affertur ab Homeri Interpre-
te, quòd quatuor artes [c] Mercurius inve-
nerit; musicam, palæstram, litteras, geo-
metriam; sed quum tesseræ forma sex qua-
dris comprehendatur, non quatuor, non
video, cur ea quatuor artes a Mercurio
inventas referat. Illud verius, quod a non-
nullis [d] affirmatur, Mercurio tesseram de-
dicatam, quòd Mercurius nihil aliud esse
censeatur, quàm sermo, & ratio. Que-
madmodum autem sermones veritatis ex-
5 pertes [e] Plato Dædali statuis comparavit,
quæ sponte movebantur, atque circum-
euntes in eodem loco nunquam consiste-
bant; ita verus ille sermo, illa veritati
consona ratio stabilissimum quiddam est,
& stabilissimæ figuræ comparatur. Siqui-
dem nihil veritate firmius, aut immutabi-
lius; quæ non in rebus mutationi obno-
xiis, sed in illâ mente sedem habet, & re-
gnum, ubi nullo unquam tempore pote-
rit labefactari; nullum enim tempus aut
erit, aut unquam fuit, quo illæ rerum spe-
cies, illa exemplaria in mente divinâ su-
scipiant, aut susceperint ullam mutatio-
nem; quæ initia sunt, causæque, & quasi
perpetui fontes veritatis; ideo veritas &
lucet in tenebris, & in tempestate sævâ
quieta, & depressa non opprimitur, & a-
gitata non commovetur. Ideo Antiqui ve-
ritatem, sermonemque verum quadrangu-
læ figuræ contulerunt, quæ quantumvis
moveatur, nunquam sibi dissimilis est, &
semper stat; & Deum [f] præsidem, aucto-
remque [g] sermonis eadem formâ expresse-
runt. Sed quum jam mos increbuisset, ut
omnes Dii humanâ formâ fingerentur, Mer-
curium quoque placuit humanâ effigie re-
præsentari; ut tamen vetus Mercurii figu-
ra servaretur, oris humani speciem quadra-
tæ quoquo versùs lapidi adjunxerunt; vel
certè statuas Mercurii finxerunt sine pe-
dibus, atque manibus, ut aliquo modo cu-
bi formam referrent; ideo Juvenalis [h] de
Mercurio dixit

Nil nisi Cecropides, truncoque simillimus Her-
mæ;

Eæ verò statuæ Græcis τετράγωνοι, ideſt qua-
6 dratæ dicebantur; quamquam non me fu-
git, statuas quadratas etiam appellari, quæ
sunt breviores, quàm symmetriæ ratio pa-
tiatur. Siquidem placuit excellentissimis,
clarissimisque sculptoribus, & statuariis pro-
ceriora signa, quàm homines naturâ sint,
conformare. Id Lysippus instituit; qui an-
te floruerant, dicti sunt statuas quadratas
facere; idcirco Polycleti signa Varro qua-
drata esse dicit, & [i] Pausanias Venerem ce-
leberrimam Alcamenis, quæ Venus ἐν κήποις
in hortis vocabatur. Eadem ratione, qua
Cornelius [l] Celsus quadratam statuam ap-
pellat eam, quæ non est gracilis, sed cras-
situdine magis, quàm proceritate censetur;
& [m] Columella quadratos boves. Veruntа-
men non ita Mercurii statuæ quadratæ di-
cebantur, sed quia pedibus carerent, atque
manibus; atque hoc genere statuarum Ar-
cadiæ [n] populos Pausanias gavisos esse as-
severat, & hac formâ fuisse Deos, qui ἐρ-
γάται dicebantur. Atque id sibi voluit no- 7
ster Auctor, quum affirmavit τετράγωνον fuis-
se, τὴν τῶν Ἑρμῶν ἐργασίαν; & Themistius,
qui sic ait in orationibus: πρὸ μὲν Δαιδάλου
τετράγωνος ἦν οὐ μόνον ἡ τῶν Ἑρμῶν ἐργασία, ἀλ-
λὰ καὶ τῶν λοιπῶν ἀνδριάντων: Δαίδαλος δ' ἐπειδὴ
πρῶτος διήγαγε τὼ πόδε, καὶ τὼ χεῖρε διῆγε, ἔμπνοα
δημιουργεῖν ἐνομίσθη. quæ verba ad hunc mo-
dum converuntur: *ante Dædalum non Her-*
mæ solùm quadratâ specie fingebantur, sed &
aliæ statuæ; postquam verò Dædalus manus,
& pedes diduxit, animum quoque visus est ad-
dere simulacris. Quæ verba non intelle-
xit Petavius interpres Themistii; nam ubi
Themistius habet τετράγωνος ἦν ἡ ἐργασία i-
pse vertit *rudi, informique mole*, quodsi τε-
τράγωνος non *quadratum* significet, sed *rude*,
& *impolitum*, quo pacto probare poterit
Hermas informes, & nullo artificio fieri
consuevisse? quum ex Cicerone tot locis
constet fuisse Hermas præcipua ornamenta
villarum, Xystique, & gymnasiorum; tan-
tumque absuerit, ut artifices informes, &
sine curâ Hermas effecerint, ut contra quàm
pulcherrimâ specie facere conarentur;
itaque proditum est [o] ejus ævi sculptores
Alcibiadis omnium pulcherrimi formam,
quum

[a] V. Rosinum Antiq. Roman. libr. 2. cap. 4. [b] Galenus in hortatione ad artes. [c] Diodor. Sicul. libr. 1. Bibliothec. Historic. [d] Thucyd. Interpres ad libr. 6. locum allatum. [e] Plato in Menone, sive de Virtute. [f] Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 19. [g] Diodor. Sicul. Bibliothec. Histor. libr. 1. [h] Juven. Satyr. 8. v. 53. [i] Pausan. in Attic. sive libr. 1. [l] Cornel. Celsus libr. 2. de Medic. [m] Columella libr. 6. cap. 1. de Re Rusticâ. [n] Pausan. libr. 8. in Arcadic. [o] Clem. Alex. in Protrept.

quum Hermas facerent, expressisse. Non igitur Mercurii statuæ rudi, informique mole fiebant, ut Petavius videtur indicare, sed manibus, pedibusque carentes, & ideo quadratæ vocabantur. Hujus rei testis est Macrobius libro primo Saturnalium capite decimo nono, qui sic ait: *pleraque simulacra Mercurii quadrato statu figurantur solo capite insignita, & virilibus erectis*; & Plutarchus, cujus illa verba leguntur in præceptis politicis: τῶν Ἑρμῶν τοὺς πρεσβυτέρους ἀχείρους, καὶ ἄποδας ἐντεταμένους μορίοις ἐποίουν; & Demetrii Phalerei jocus, qui quum juvenem vidisset asotum, *en*, inquit, *Herma quadratus habet pudendum, ventrem, barbam, syrma*. Quod autem manibus, pedibusque
8 carerent Hermæ, Hermam Sidonius Apollinaris pro homine stolido, ac nihili accepit libro quarto epistolâ duodecimâ, ubi sic ait: *Per plurimos dies illum ipsum Hermam stolidissimum venire ante oculos meos inexoratus arcuerim*. Conjungebantur autem & simulacra Mercurii cum Minervæ simulacris, vel Minervæ signa, sicut Mercurii, sine manibus, pedibusque formabantur; ea Hermathenas Cicero ad Atticum libro primo epistolâ quartâ vocat; Tauriscus autem eodem modo amorem fecit, & Herme-
9 rota nuncupavit. Collocabantur [a] autem Mercurii simulacra in vestibulis ædium, sicut indicat in loco citato noster Auctor, & Suidas affirmat in voce Hermes; unde Aristophanes in Pluto

Πρὸς τὴν θύραν στροφαῖον ἱδρύσασθέ με.

Id eo consilio faciebant vel, ut averteret fures; idcirco στροφαῖον appellabant, ut [b] adnotat Interpres Aristophanis; vel, ut lucrum in ædes inveheret; nam Mercurium lucro præfuisse cum [c] alii, tum Plautus testatur [d] his verbis in Amphitruone

Nam vos quidem id jam scitis concessum, & datum
Mihi esse a Diis aliis, nunciis præsim, & lucro

Eâ de causâ inopinatum lucrum Ἕρμαιον vocant, & apud Platonem Ἕρμαιον ἡγησάμην *apponerem lucro* significat; nec alio Antiqui [e] respexere, quum Mercurium cum crumenâ finxerunt; quo habitu etiam ceteros Deos Phœnices conformarunt, & sapientissimè quidem; quando nobis omnia a Deo tribuuntur, nihilque consequimur, quod acceptum Deo referre non debeamus. Ea fuit causa, cur Athenienses vehementer commoverentur, eo quod Hermæ fracti essent, & comminuti; ominosum enim videbatur initio tantæ rei suscipiendæ simulacra Dei, qui lucri omnis auctor habebatur, dejecta esse, & amputata; ac propterea gravius irascebantur auctoribus. Sed immerito eam culpam in Alcibiadem conferebant; siquidem [f] Corinthii ejus facinoris auctores fuerunt, ut Athenienses eo casu tanquam augurio infelici, atque inauspicato ab invadendæ Siciliæ consilio deterrerentur, qui, ut Athenienses ab incepto desisterent, non sunt assequuti; sed ut pulso Alcibiade malè rem gererent, sunt assequuti.

DISSERTATIO XLVII.

Qua exponitur, quo pacto Solon Atheniensium civitatem diviserit

Servius Rex primus Romæ nummos cudit; in Græciâ Æginetæ; in Italiâ Janus; unde in aliquibus numismatis Jani bifrontis effigies cernitur. Aristophanis Interpres, & eum sequutus Cælius Rhodiginus errat, quum tradis populum Atheniensem in tres classes fuisse distributum; nam Solon eum distinxit in pentacosiomedimnos, equites, zeugitas, ac thetas, qui respondent proletariis Romanorum; errat etiam, quum medimnum esse terræ mensuram censet. Quot libras continerent, medimnus, modius, amphora, choenix, & sextarius. Unde medimnus appellatus sit. Georgius Agricola arbitratur medimnum sex modios continere, unum sextarium, & quatuor uncias; Pancirolus autem sex dumtaxat modiorum fuisse capacem. Isocrates quum magnas opes cumulasset, coactus est triremem suo sumptu conducere, quum bis id munus recusasset. Socrates hominis opulenti sortem tanquam pauperis miserabatur.

Quum vetustis temporibus, nondum commerciis inter homines probè constitutis, exigua admodum esset auri, pretiosorumque metallorum copia, rarus etiam usus pecuniæ fuit; siquidem Romæ [g] Servius Rex primus æs signavit, & nummos cudit, & in Italiâ Janus; unde in quibusdam Italiæ, Siciliæque urbibus in numismatis [h] effigiem Jani bifrontem excudebant,

[a] Ælian. Var. Histor. libr. 2. cap. 41. [b] Aristoph. Scholiast. ad eum locum, & Suid. in V. στροφαῖος. [c] Fest. Pomp. libr. 1. Isid. libr. 8. Etymologiarum cap. ult. Fulgent. libr. 1. Mytholog. [d] Plaut. in Amphitruonis Prologo. [e] Cæl. Rhodig. libr. 16. cap. 19. [f] Plutarch. in Vitâ Alcibiad. [g] Plin. libr. 33. cap. 3. [h] Plin. ibid.

bant, sicut in Græciâ [a] Æginetæ dicuntur
usum pecuniæ principes ostendisse. Ante
1 ea vel ære [b] gravi utebantur, vel rebus in-
ter se permutandis necessaria usui compa-
rabant; & quia nullas alias opes ferè no-
verant, nisi quas agricolarum industrius la-
bor, & terræ benignitas producit, & nu-
trit, pecorum, & frugum copiâ divitiss me-
tiebantur. Hinc & mulcta [c] veterum legum
pecore dicitur constitisse, & [d] Homerus
arma Glauci æstimat centum bobus, Dio-
medis novem; & divites appellat πολύαρνας
hoc est *multis agnis abundantes*; sic [e] enim
loquitur:

Ἀτρεὺς δὲ θνήσκων ἔλιπε πολύαρνι Θυέστῃ

Eodem modo Solon [f] Athenis maximas di-
vitias frugum copiâ definivit, & ditissimos
esse voluit eos, quos πεντακοσιομεδίμνους appel-
lavit, qui quingentas frugum, olei, vini-
que mensuras quotannis colligerent. Ho-
rum mentionem facit [g] noster Auctor his
verbis ἐπλήρωσαν ναῦς ἕκατον ἐσβάντες αὐτοί τε
πλὴν ἱππέων, καὶ πεντακοσιομεδίμνων, καὶ οἱ μέ-
τοικοι: quæ verba sic latinè convertuntur
*Centum naves impleverunt, quum & ipsi as-
cendissent, & inquilini præter equites, & il-
los, qui pentacosiomedimni vocabantur.* Ad
quem locum Thucydidis illustrandum bre-
viter enarrabo, & quo pacto, & quo con-
silio Solon Atheniensem populum divise-
rit; & de mensuræ modo, quæ Græcis me-
dimnus appellatur, pauca dicam. Scien-
2 dum [h] est igitur Solonem, quum leges con-
deret Atheniensibus, omnem populum in
quatuor classes distribuisse; in pentacosio-
medimnos, equites, & zeugitas, & thetas.
Primi ditissimi censebantur, & quingentos
aridorum, liquidorumque medimnos an-
nuo reditu colligebant, secundi trecentos,
tertii ducentos; & illi quidem ἱππεῖς, & eo-
rum ordo ἱππὰς dicebatur; unde & pom-
pæ, quæ ab ipsis Hippas dicebatur, indi-
tum nomen; hi verò zeugitæ, & hic erat
infimus census. Nam, qui thetes vocaban-
tur, his respondebant, qui [i] apud Roma-
nos capite censi sunt appellati, quòd cen-
sum nullum haberent, quos etiam alio no-
mine proletarios a prole dictos accepimus;
propterea quod omnium publicorum mu-
nerum expertes prolis dumtaxat augendæ
gratiâ in Republicâ versarentur, neque un-
quam, nisi deploratis Reipublicæ tempori-
bus, militiæ nomina darent. Eodem mo-
do thetes, quo nomine mercenarii signifi-
cabantur, soluti publicis muneribus, eo
solùm nomine Reipublicæ participes erant,
quòd in concionem convenirent, & in ju-
diciis suffragium ferrent. Quod initio qui-
dem ut exiguum contemnebatur; sed ap- 3
paruit postea populum Reipublicæ domi-
num constitutum, & infimæ plebi summam
esse traditam potestatem; ideo nobiles ho-
mines, & divites adulari populo cogeban-
tur; & qui plurimum posse, & se quàm
splendidissimos esse volebant, tenuissimam
plebem, & obscurissimam, tanquam domi-
nam, venerabantur; ea quippe & judicia
regebat, & vitæ, necisque singulorum ha-
bebat potestatem. Quocirca Diogenes ar-
gutè, quum in cauponâ vesceretur, De-
mosthenem invitavit; quum [k] autem De-
mosthenes recusaret, & erubesceret in cau-
ponam venire, *atqui*, inquit, *tuus dominus
in cauponam venire, & habitare non erubescit;*
significabat nimirum Diogenes dominum
Demosthenis, utpote oratoris, & Rempu-
blicam administrantis esse populum, vel po-
tius infimam plebem. Re enim verâ sor-
didissimus populus Athenis dominabatur; 4
huic tanquam tyranno publica pecunia in
concionibus pendebatur; siquid enim re-
liquum erat e publicis reditibus, id omne
viritim populo distribuebatur. Eum autem
morem sustulit [m] Themistocles imminente
Persico bello, qui persuasit Atheniensibus,
ut eam pecuniam ad parandam, adornan-
damque classem converterent. Nec sine
prudentiâ singulari Legumlator Athenien-
sis tantam tribuit infimæ plebi potentiam;
nam quum, antequam Solon leges conde-
ret, civitas esset ægra, & [n] obnoxia divi-
tum, & potentium libidini, hominesque
tenues opulentorum tristi dominatione pre-
merentur, ob eamque causam ingens aliqua
calamitas Reipublicæ impenderet; quum
pars maxima civitatis inopiæ quadam tabe
consumpta miserrimè interiret, & ad ni-
hilum, exilio, carcere, servitute redigere-
tur; huic malo contraria medicina fuit oc-
currendum, id frenum injiciendum inso-
lentiæ, & libidini locupletum, ut assuesce-
rent divites, & clari pauperes, & obscuros
pro civibus, non pro servis habere. Que- 5
madmodum autem, qui thetes Athenis vo-
cabantur, his comparari possunt, qui Ro-
mæ proletarii sunt appellati; ita senatori-
bus respondebant illi, qui πεντακοσιομέδιμνοι
Athenis dicebantur; quod nomen intelli-
gi neutiquam potest, nisi quæ mensura me-
dimnus fuerit explicemus; quod eo liben-
tiùs faciemus, quod in eo turpiter errat In-
terpres Aristophanis, qui medimnum ter-

[a] Ælian. Var. Histor. libr. 12. cap. 10. [b] Tit. Liv. libr. 4. & A. Gell. libr. 10. cap. 6. & Plin. libr. 9. cap. 3. [c] Dionys. Halicarnass. libr. 10. Antiquit. Roman. & Fest. Pomp. libr. 11. & Cornel. Tacit. de Morib. Germanor. & A. Gell. libr. 11. cap. 1. [d] Hom. Iliad. ζ. v. 236. [e] Idem Iliad. β. v. 106.

[f] Plutarch. in Vitâ Solonis. [g] Thucydid. libr. 3. [h] Plutarch. in Solonis Vitâ, & Cæl. Rhodig. libr. 25. cap. 18. [i] A. Gell. libr. 16. cap. 10. [k] Ælianus Var. Histor. libr. 9. cap. 19. [m] Plutarch. in Vitâ Themistoclis. [n] Idem in Vitâ Solonis.

ræ mensuram esse censet, ubi etiam perperam tradit Populum Atheniensem in tres esse classes distributum; cujus auctoritate deceptus est Cælius Rhodiginus, qui libro duodecimo capite primo in totidem partes Atheniensium populum divisum esse tradit. Medimnum Vossius ab Hebraicâ voce *mid-*
6 *dah*, quæ significat *modum*, & *amanah*, quæ *numerum*, quasi numerosam mensuram dictum putat; continere verò arbitratur Georgius [a] Agricola sex modios, unum sextarium, quatuor uncias; Pancirolus [b] autem sex dumtaxat modiorum fuisse capacem, duarum verò amphorarum, quadragintaocto chœnicum, sextariorum duorum, & septuaginta. Siquidem medimnus centum viginti libras capiebat; modius autem viginti, amphora sexaginta, sextarius uncias viginti, chœnix triginta; & erat mensura diurni cibi, unde [c] Pythagoras præcepit chœnici non insidendum, quæ servis laborantibus dari solebat, & demensum vocabatur, unde Symmachus dixit: *Parentibus, neque ad lancem, neque ad demensum verba tribuenda sunt:* id Seneca diurnum vocat epistolâ octogesima primâ. Ex his autem intelligi potest quantus fuerit maximus Athe-
7 niensium census; superest, ut explicemus, quo consilio fuerit a Solone discrimen ordinum conditum, & census institutus; id autem commodissimè nobis Livius explicabit, qui libro primo de Servio Rege, a quo primo Romanorum in classes est facta descriptio, ita loquitur: *Censum instituit rem saluberrimam tanto futuro imperio, ex quo pacis, belliquè munia non viritim, ut ante, sed pro habitu pecuniarum fierent.* Eodem modo Solon Athenis divites ab inopibus separavit, ut in divites, & opulentos Reipublicæ onera inclinaret; nam quibus erant amplissimæ facultates, ii, quum Reipublicæ tempora postularent, triremem ædificare, instruere armamentis, militibus implere cogebantur. Quapropter [d] Isocrates, quum præceptis eloquentiæ tradendis magnas opes cumulasset, ad extremum jussus est triremem suo sumptu conducere, quum bis
8 idem munus recusasset. Ideo Socrates in Xenophontis Oeconomico hominis opulenti sortem tanquam pauperis miseratur, quod haberet necesse & in pace obire publica munera, & ingruente bello sumptus magnos Reipublicæ causâ facere, ob eamque causam pluribus indigere. Sicut autem onera divitibus imponebantur, sic iisdem honores, magistratusque mandabantur; quum lex esset [e] Solonis, qua cavebatur, ut soli hi, quibus erat census, honores, & magistratus adipiscerentur: τοὺς εὐπόρους ἄρχειν· τὰς ἀρχὰς ἁπάσας; & alia, quæ patere vetabat ad dignitates viam iis, quorum res erat angustior, quam zeugitarum census; ita divites, & opulenti impensas, quas pro Republicâ faciebant, honorum amplitudine compensabant; neque tamen insolescebant, quum ad altissimos dignitatum gradus tollerentur.

DIS-

[a] Georg. Agricol. de Mensuris, & ponder Rom. & Græcor. libr. 2. prope finem. Edit. Basileæ Anni 1550. pag. 66. [b] Pancirol. Var. Lect. libr. 1. cap. 64. [c] Diogen. Laërt. libr. 8. segm. 17. in Vitâ Pythagor. & Budæus de Asse libr. 5. [d] Plutarch. in Vitâ Isocratis. [e] Idem Plutarch. in Vitâ Solonis.

DISSERTATIO XLVIII.

De Terræmotibus.

Terræmotus initio rerum agendarum contingens rem susceptam dirimebat. Thales existimavit terram tanquam navigium Oceano vehi, eo autem fluctuante Terræmotum existere; alii terram esse animal sunt opinati, & Terræmotum esse horrorem, qui animantibus in febribus contingere solet. Anaxagoram credidisse causam Terræmotus esse ætherem, qui incurrat in terræ partem nostris vestigiis oppositam, & impetu feratur usque ad terræ, quam incolimus, superficiem tradit Aristoteles; qui absurdas philosophis tribuere solet sententias, ut quum facilè eas convellerit, victor omnium videatur; alii alias causas Terræmotus finxerunt. Fundamenta Neptuno consecrata erant. Sub terrâ esse ingentes fluvios, & lacus poëtæ prodiderunt. Seneca negat ullum motum ultra ducenta millia passuum pertingere. Terræmotus totum Orbem concussit, navigia supra muros urbis, atque alius supra montes stadia centum distantes sustulit. In Asiâ unâ nocte duodecim urbes, totidemque in Campaniâ Terræmotu concidisse; & montes duos inter se concurrisse ferunt. Urbes cum mœnibus intactas e montibus in plana deduxit Terræ motus; & Ossam ab Olympo, Abylam a Calpe, Siciliam ab Italiâ diremit. Eustathius tria genera Terræmotuum recenset; & ideo Neptuno tridentem vult attributum; alii verò plura enumerant; & suo unumquodque nomine appellant. Pherecydes Pythagoræ doctor haustâ e puteo aquâ Terræ motum prædixit. Plurima signa futuri Terræ motus. Sub terrâ sunt pestilentes spiritus, qui erumpunt in Terræ motibus; ideoque interdū greges ovium exanimati sunt; aliquando etiam angina, aliquando pestis miserandam hominum stragem edidit. Pausanias tradit in Terræmotibus columnas, & parietes ad solum præcipites ferri, ac deinde in pristinum restitui locum; Seneca pariter diduci parietum angulos, iterumque conjungi, trabiumque capita a parietibus recedere, & sinè ruinâ, in locum suum referri. Omnia loca, regionesque Terræ motibus obnoxiæ sunt; licet de aliquibus id quidam negent. Romani, Pœnique quum inter se dimicarent, non senserе Terræmotum, qui urbes evertit. Nequaquam verum videtur, quod Seneca tradit, primos Terræmotuum impetus esse violentissimos; posteriores verò infirmiores. Ædificiorum fornices, & parietum anguli tutissimi sunt in Terræmotibus; lateritii quoque parietes tutiores sunt, quàm cæmentitii, aut quadrato lapide constructi. Ctesiphon architectus Ephesinæ Dianæ templum ne Terræmotibus everteretur, in palustri loco condidit, ac ne laberet, calcatos substravit carbones velleribus lanæ superinjectis.

Quod Thucydides [a] in procœmio confirmavit, quum Peloponesiacum bellum gereretur, frequentiores Terræmotus, quàm alio tempore extitisse, id historiâ procedente declarat. Nam & [b] quum
pestis Athenis tertium jam annum grassaretur, frequentissimè terram movisse me- 1
moriæ prodidit; & Eubœam insulam, & Bœotiam, & Athenas ipsas fuisse concussas; & [c] anno, qui pestilentiam est proximè consequutus, tradidit Agidem Spartanorum, sociorumque ducem, quum in Atticam esset inducturus exercitum, multis motibus Terræ deterritum ab incepto abstitisse; quo tempore narrat Orobias Eubœæ urbem desidente terrâ, & superfundente se fluctu obrutam; plerosque, qui ad altiora loca confugere nequiverant, demersos interiisse; & Atalantam insulam, tumente vi Terræmotus mari fluctus obruisse; & circa Peparethum similem fuisse maris elationem, non tamen insulam inundasse; muros tamen urbis concussos aliquâ ex parte concidisse; & Prytaneum, & nonnullas domos eversas esse. Et Lacedæmonios, quum essent [d] Chiis Melancridam ducem cum decem navibus missuri, Terræmotu impeditos, non Melancridam, nec decem naves, sed Chalcidium, & quinque naves misisse; insuper [e] insulam Delum, quod antea nunquam accidisse dicebatur, insolitis motibus tremuisse. Quibus in locis, quoniam summus Auctor & nonnulla commemoravit, quæ solent ex ejusmodi motibus evenire; & initio [f] rerum agendarum, Terræ motu rem susceptam dirimi indicavit, & de hujusmodi religione, & de motibus Terræ, Auditores, hodierno die, & consequentibus nonnulla dicemus. Religionem fuisse
Græcis incepta exequi, quæ Terræmotus 2
interpellasset, vel illud argumento est, quod libro quarto historiarum Xenophon narrat; quum Agesipolis Argivorum terram ferro, ignique popularetur, & Terræmotus ingens extitisset, milites ex hostili terrâ abscedendum censuisse, ne Deo prohibente quidquam rerum gererent; sed ducem militum religionem elusisse, quum diceret, Deum, si impedire voluisset inceptum, antequam in hostium agrum impetum fecissent, terram fuisse moturum; quum autem moverit re susceptâ, & aliquâ ex parte pro-

[a] Thucydid. libr. 1. [b] Idem libr. 3. [c] Idem eod. loco. [d] Idem Thucydid. libr. 8. [e] Idem libr. 2.

[f] Idem Thucydid. libr. 5.

te profligatâ, expeditionem non impedire,
sed imperare; & tamen hic tam vallidus religionis interpres, quum exercitum Aegis admovisset, motusque Terræ magis, ac magis invalesceret, & quidam ex militibus fulmine icti occidissent, quidam tonitruum fragore perterriti attonitis similes vagarentur, coactus est copias abducere. Nec minus id intelligi potest ex eo, quod libro quinto Thucydides affirmat; quum Athenas venissent Argivorum legati, & Eleorum, & Mantinensium de fœdere faciendo cum Atheniensibus astuci, & esset jam con-
1 cio congregata, Terræmotum concionis diem diffidisse. Intelligi etiam potest ex eo, quod eodem libro narrat idem Thucydides, quum Argivorum legati, sociorumque Corinthum convenissent, & concilium de magnis Græciæ rebus haberetur, Terræmotu concilium esse dissolutum, & legatos, eò, unde profecti fuerant, revertisse. Sed [a] & Romani, quum terra con-
3 cussa fuisset, ab omnibus negotiis abstinebant; siquidem [b] auctore Gellio statim ferias indicabant; sed Dei nomen tacebatur, cui feriæ indicerentur; nam ignotum esse arbitrabantur, quis Deorum pæne convulsam e sedibus suis terram dimoveret; Græci [c] verò Neptunum esse putabant in causâ. Idcirco Xenophon libro quarto refert, quum terra tremuisset, Spartanos, qui jam populari cœperant Argivorum regionem, Neptuno Pæanem cecinisse; & Proclus testatur, quotiescunque terra movisset, in Græciâ supplicationes habitas esse Neptuno, ut scilicet, qui id invexerat, malum sedaret; irâ quippe Neptuni Terræmotus existere Græci arbitrabantur. Quâ de causâ Pausanias in Achaicis Helicen, & Buram duas Achajæ urbes Terræmotu funditus eversas existimat irascente Neptuno, quòd Achæi supplices Heliconii Neptuni ab ejus templo violenter abstraxerant; & ipsam Spartam [d] ingenti Terræmotu prostratam concidisse, quòd eodem modo Spartani templum Neptuni, quod erat in Tænaro, violarant; & [e] Strabo tradit Apameæ in urbe Asiæ nobili ideo Neptunum eximiè coli, quamvis ea sit in mediterraneâ regione sita, quia motibus Terræ Apamea frequenter laboravit, & non semel eversa corruit; Apameenses nimirum, quum crederent urbem suam toties Neptuni irâ vexatam, prostratamque, Neptuni Numen sibi placandum inprimis esse censuerunt. Vi-
4 dentur autem Græci a Thalete Milesio docti, qui princeps apud eos de rebus physicis disputavit, Neptunum [f] Terræ motus causam esse arbitrati. Is quippe [g] terram immenso, & interminato mari vehi credidit tanquam navigium; & quemadmodum navigium commotâ aquâ, qua fertur, commovetur, & inclinatur in latus (ita agitari terram, quotiescunque illud infinitum pelagus agitatur, & fluctuat, & abire in latus; ideo in motibus terræ novos plerunque fontes erumpere, nova nasci flumina. Qui profectò non animadvertit, in ejusmodi motibus terram non totam concuti, siquidem concuteretur, si fluctuatione Maris illius immensi, quo portari dicitur, cieretur; nec quantam aquarum molem superfundi terræ esset necesse, si a vasto, & nullis terminis circumscripto elemento, quum tam vasta agitatione nutaret, inundaretur. Enimvero si Thaletis Milesii a veritate sententia non abhorreret, non exigui fontes e terrâ, nec modicorum fluminum vis existeret, sed tota a lateribus terra inundaretur, urbesque totæ, immensique terrarum tractus Oceano superfundente fluctus, obruerentur, majoresque strages ederet, ac magis esset aquarum impetus, quàm motus Terræ pertimescendus. Quid quod compertum est non esse immensum mare, quum totus circum Oceanus felici nautarum audaciâ navigetur; nec tam terram comprehendere, quàm ab eâ comprehendi? Quamquam hæc sententia videtur vetustior Tha- 5
lete Milesio, & ab Ægyptiorum doctrinâ profluxisse; qui aquam omnium rerum principium esse voluerunt. Certè Homerus, qui multa ab Ægyptiis dicitur accepisse, Neptunum ἐννοσίγαιον appellavit libro octavo Iliados, ubi sic ait

Ὢ πόποι, ἐννοσίγαι' εὐρυσθενές, οὐδέ νυ σοί περ
Ὀλλυμένων Δαναῶν ὀλοφύρεται ἐν φρεσὶ θυμός;

hoc est:

Ennosigæe potens latè, an non te dolor angit,
Quum videas Danaos miserandâ morte perire?

Quo nomine potestate, & numine Neptuni terram moveri declaravit; ἐνόθω enim est *moveo*, sicut [h] Eustathius docet, & ἔνοσις *concussus*, & *motus* γαῖα dicitur *terra*; eadem ratione & ἐνοσίχθων Neptunus ab Homero [i] nominatur his verbis:

Τὴν δὲ μέγ' ὀχθήσας προσέφη κρείων ἐνοσίχθων

hoc est:

Hanc autem gemitus imo de pectore ducens
Affatur terræ motor Rex æquoris alti

appellatur [l] & σεισίχθων. Ammianus Marcellinus libro decimo septimo: *Ideoque Neptunum humentis substantiæ potestatem ἐννοσίγαιον, & σεισίχθονα poëtæ veteres, & theologi nuncupaverunt*. Possumus etiam γαιήοχον Neptu-

[a] Tit. Liv. libr. 4. Decad. 4. [b] A. Gell. libr. 2. cap. 28. & Suetonius in Vitâ Claudii cap. 22. [c] Idem ibid. [d] Pauf. in Messenicis, sive libr. 4. [e] Strabo libr. 12. de Phrygiâ. [f] Plutarch. de Placitis Philosophor. libr. 3. cap. 15. [g] Senec. Natural. Quæst. libr. 3. cap. 13. & libr. 6. cap. 6. [h] Eustath. in hunc Homeri locum. [i] Hom. Iliad. Θ. v. 208. [l] A. Gell. libr. 2. cap. 28.

ptunum appellare, quia id nomen Eustathio teste idem significat, quod Ennosigæus, Enosichthon, Sischthon; nec aliâ de causâ Sophocles Trachiniis τινάκτορα γαίας Neptunum nominavit. Sed maximè ostendit Homerus opinionem se Ægyptiorum sequi, quum γαιήοχον Neptunum vocat his verbis [a]

Ἀγγελίην τινά τοι, γαιήοχε κυανοχαῖτα,
Ἦλθον δεῦρο φέρουσα παραὶ Διὸς αἰγιόχοιο

hoc est:

Qui terram vehis, undisoni Rex magne profundi,
A Jove missa fero celeres mandata per auras

Nam γαιήοχος, ut Etymologicum magnum interpretatur, est, qui continet, vehitque terram, quam interpretationem Hesychius probat, qui eo vocabulo significari putat eum, qui continet, & amplectitur terram; Sed & Aristophanes nebulis Terræmotum Neptuno tribui debere confirmat; ubi Neptunum γῆς τε, καὶ θαλάττης ἀγρίου μοχλευτήν, hoc est *terræ, & maris molitorem sævum, motoremque, & machinatorem* appellat; & Nonnus libro trigesimo vim tribuit eidem terram a fundamentis quatientem; omninoque poetæ Neptunum magnâ potestate præditum volunt terram commovendi; Ovidius libro primo Metamorphoseon inducit Neptunum terram tridentis ictu tremefacientem:

Ipse tridente suo terram concussit, at illa
Intremuit, motuque viam patefecit aquarum

& [b] Virgilius eundem tridente trojanum
6 urbem funditus evertentem:

Neptunus muros, magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit, totamque a sedibus urbem
Eruit . . . .

ad quem locum Servius notat Neptuno esse fundamenta consecrata; quod eo consilio ab Antiquis arbitror factum, ut Neptunus rei parceret sibi dedicatæ; vel quia convenire Neptuno putabant tutelam fundamentorum, in quo Orbis terrarum universus consisteret. His auctoribus in Græciâ inhæsit in animis hominum opinio, penes Neptunum causam esse Terræmotus; quod ut crederent, non solùm Thaletis Milesii ratione commovebantur, quam communis philosophorum consensus explosit; sed etiam quod mare impedimento esse putabant, quo minus illi spiritus erumperent; qui in terræ visceribus concepti, & in terræ cavernis diu volutati iter, quod non patet, obstantibus aquis, ruinâ sibi moliuntur. Idcirco mari adjacentes regiones
7 maximè hac clade vexari, quod [c] Helice, & [d] Bura Terræmotu prostratæ, & Cyzicus eversa, & Smyrna, & Cyme dirutæ, & totus ille [e] Campaniæ tractus quàm omnium rerum ubertate celeberrimus, tam frequentibus motibus Terræ infamis, & Chius huic obnoxia malo, & Hellespontus declarant. Nec inficias ire possumus quin Græci, quum Terræmotus ad Neptuni numen pertinere putaverunt, non contemnendos hujus opinionis auctores, & ra- 1
tiones sequuti fuerint. Nam præterquam quod hæc opinio & Milesii Thaletis auctoritate nititur, & physicis rationibus, & rerum experimentis affirmatur, non defuerunt non sordidi auctores naturæ, verique, qui in aquâ causam esse Terræmotus tradiderunt; sed aliâ ratione, quàm ea, quâ terram concuti Thales Milesius existimavit, qui ut hujus tam violenti motus causas exponerent, non indignam majestate Mundi, & rerum naturæ magnitudine imaginem conceperunt. Imaginati [f] sunt ni- 8
mirum sub terrâ esse ingentes amnes, ingentes lacus; nec sine causâ [g] maximum Latinorum poëtarum dixisse:

Jamque domum mirans genitricis, & humida regna,
Speluncisque lacus clausos, lucosque sonantes,
Omnia sub magnâ labentia flumina terrâ
Spectabat diversa locis, Phasimque, Lycumque,
Et caput, unde altus primùm se erumpit Enipeus,
Unde pater Tiberinus, & unde Aniena fluenta.

Esse præterea maris ingentes sinus; esse igitur consentaneum subterraneos amnes, & lacus repentinis auctos incrementis violenter incurrere in obstantia, & superjectam terræ molem propellere, vel exesas longo intervallo rupes in præceps dare; ex quarum casu, quæ contingit in ejusmodi motibus, ruinâ, & fragor ingens consequatur; vel commoto sævâ tempestate mari, quod in occulto latet, terram commoveri, nutare, tremere, ingentes voragines a- 1
perire, quibus urbes totæ, & populi hauriuntur. Sed tamen sapientiùs crediderim
Romanos fecisse, quàm Græcos, qui de re 9
tantâ nihil certi statuere voluerunt; & aliquod quidem Numen esse placandum, quum terra tremeret, intellexerunt; sed nomen Dei, cui sacra fierent, incertum reliquerunt, ne falsâ religione populum alligarent. Quid enim potiùs Neptunum colerent, quàm Jovem, aut Vestam, aut Æolum, aut Vulcanum, aut Junonem, quum

apud

[a] Homer. Iliad. ο v. 174. [b] Virgil. Æneid. libr. 2. [c] Pausan. in Achaic. sive libr. 7. & Ammian. Marcellinus libr. 17. & Senec. Natur. Quæst. libr. 6. cap. 25. [d] Strabo libr. 1. & Plin. libr. 2. cap. 92.

[e] Senec. Natural. quæst. libr. 6. cap. 1. [f] Idem libr. 6. cap. 7. Natural. Quæst. [g] Virg. Georgic. libr. 4.

apud doctissimos viros de causis Terræ motus fuerit tanta dissensio? Nam præter eos, qui vel immensum mare, quo instar navigii vehatur Orbis terrarum; vel aquarum vim ingentem sub terrâ latentium, tantos ciere motus crediderunt; quàm multi philosophi nobiles exstiterunt, qui in multas, inter seque pugnantes abiere sententias?
10 Alii quippe, in quibus est Anaximenes, terram ipsam sibi moliri ruinam, labemque dixerunt; esse enim sub terrâ specus vastissimos, esse moles ingentes pendentium saxorum, esse quædam quasi promontoria abrupta, quæ aut vetustate collabantur, aut ab aquis exedantur, aut spiritus vi, aut ignis a cetero corpore avellantur, & avulsa cum ingenti impetu ruant; ea concutere circumjecta, terramque tremefactam commovere; quam sententiam Anaximenis; quemadmodum exposuimus; exponit [a] Seneca libro sexto Naturalium Quæstionum. Sed Aristoteles libro secundo [b] Meteorologicorum paulo aliter refert; nam vult Anaximenem putasse terram; vel immodicâ siccitate arefactam, rimasque ducentem, vel assiduis imbribus madefactam, & humore solutam ruere; & ideo objicit Anaximeni sæpenumero terram concuti, nec tamen desidere; itemque debuisse Terræ motus in dies fieri rariores, & aliquando desinere, quia quod semper constipatur, necesse est, ut aliquando nihil habeat inanitatis; item multa loca tremere, quæ neque siccitate, neque humore iis, quæ non concutiuntur, antecellant. Quæ rationes Aristotelis labefactant Anaximenis opinionem, si ea, quemadmodum Aristoteles, non quemadmodum Seneca explicat, explicetur. Ammianus [c] autem Marcellinus, quam sententiam Aristoteles tribuit Anaximeni, vult esse Anaximandri, nisi quod non ruinâ terræ partium fieri Terræmotum existimat; sed aere, qui terræ rimas penetravit, & exitu deinde clauso colluctatur, & furit, & concutit, & perrumpit obstantia. Sed, ut ad causas Terræ motus re-
11 vertamur; alii, qui [d] animal esse terram putaverunt, eodem modo interdum affici, quo animantes in morbis afficiuntur; nec aliud esse Terræ motum in terrâ, quàm in animantibus horrorem, qui contingit in febribus, crediderunt. Quorum non prorsus absurda sententia videretur, si tota simul terra quateretur; quemdmodum in febribus totæ horrore quatiuntur animantes; etsi terra animal mortale, & morbis obnoxium deberet judicari. Alii spiritum per [e] venas terræ permeantem, quum aliquid turbatum est, desævire, & eas ciere strages, quas in Terræ motibus animadvertimus, putaverunt. Alii [f] spiritum per occulta terræ foramina, per occulta spiramenta pervadentem, ubi incurrit in mare, resilire, & quum retro redire non possit, spiritu, qui sequitur, prohibente, in sublime niti, & quatere terræ molem superjectam. Demo- 12
critus autem, si credimus [g] Aristoteli, & Plutarcho [h] de placitis philosophorum, terræ concava esse aquarum plena arbitratur; ubi verò ingentes imbres accesserint, & in easdem speluncas confluxerint, nec angustiæ capiant tantam molem, necessario diduci terræ conceptabula, quod sine motu terræ non potest evenire. Sin autem credimus [i] Senecæ, & hanc Democritus putavit esse causam Terræ motus, & spiritum, qui quum ab aquis longè gravioribus expressus est, in sublime tendit impetu magno, & superiores terræ partes diverberat, & concutit. Epicurus [l] omnes, quæ a philosophis afferuntur, Terræ motus causas probabiles existimat, atque etiam alias ipse comminiscitur. Stoici [m] Terræmotum putant existere, quum humor, qui sub terrâ continetur, in aërem convertitur, & rarefactus angustias, quibus antea includebatur, convellit, & quassat, donec sibi viam, qua excidat, reperiat. Aristoteles [n] evaporationem terræ, quum intro fluit, gignere Terræmotum arbitratur; & ideo quum imminet Terræ motus, plerumque maris tranquillitatem præcedere, & ventos penitus consopiri credidit; omni scilicet spiritu in terræ interiora converso, & confluente. Straton, qui [o] physicus est appellatus, pu- 13
gnâ frigoris, & caloris judicat hanc tantam terrarum labem provenire; quum enim frigus in interna concessit, extrudi calorem existimat, qui violenter impactus in terram, eam vehementissimo impetu vibret, & labefactet. Metrodorus, quum [p] in speluncas immensas, quæ in operto terræ delitescunt, supernus aër infertur, expelli putat aërem, qui continetur, expulsumque violenter in terram incurrere, & tremefactam conquassare, & convellere, eâ ratione, qua vox cantantis totum dolium non sine quodam tumultu, concussuque peragrat, & permeat. Seneca [q] terram spiritus esse plenissimam docet, non ergo mi-

rum

a Senec. Quæst. Natur. libr. 6. cap. 10. b Aristot. Meteor. libr. 2. cap 7. c Ammian. Marcellinus libr. 17. d Senec. Quæst. Natural. libr. 6. c. 14. e Idem Senec. ibid. cap. 17. f Idem eodem libro cap. 15. g Aristot. Meteor. libr. 2. c. 7. h Plutarch. de Placit. Philosoph. libr. 3. cap. 15. i Senec. Quæst. Natural. libr. 6. cap. 20. l Idem Seneca ibid. m Plutarch. de Placitis Philosophor. libr. 3. cap. 15. n Aristotel. sive Auctor libr. de Mundo cap. 4. & Meteorologic. libr. 2. cap. 8. o Straton apud Senecam libr. 6. Natural. Quæst. cap. 13. p Metrodorus apud eundem eodem loco cap. 19. q Senec. ibid. cap. 21.

rum esse si moveatur; quum re mobilissi-
mâ plena sit; moveri autem, quotiescun-
que spiritus non invenit viam, qua fera-
tur, nisi vi, & injuriâ sibi faciat. Anaxa-
14 goras, [a] auctore Senecâ, ignem excitare pu-
tat Terræ motum, dum aërem crassum in
Terræ latebris consistentem, & in nubes
coactum rumpit; & ex hoc collisu nubium
ignis emicuit, qui moræ impatiens omnia
obstacula concutit, convellit, & labefactat;
nec sævire priùs, & furere desinit, quàm
viam, qua se erumpat, inveniat, aut ingen-
ti strage moliatur. Sed apud [b] Aristotelem
probabilem minùs Terræ motus causam A-
naxagoras affert; nam æthera putat sursum
ferri natum incurrere in terræ partem op-
positam nostris vestigiis, & excipi inanita-
tibus terræ; terram quippe non esse com-
pactam, & densam, sed fungosam, & in-
star spongiæ raram; ferri autem per ejus-
modi vias, & spiramenta, usque ad terræ,
quam incolimus, superficiem, quam quum
imbrium copiâ obstructam, & constipatam
offenderit, intercluso exitu pellit, & im-
pellendo tremefacit. Quæ sententia ex eo
maximè confutatur, quòd statuit ætherem
in alterâ Mundi parte nobis occultâ hu-
millimum locum obtinere, ideoque in ter-
ram suopte nutu, suapte naturâ ferri; quum
quidquid a medio remotissimum est, altis-
simam constet Mundi regionem occupare;
nec illud credibile est, quantumlibet rara
fingatur terra, ætherem totam ejus pro-
funditatem tanto impetu pervadere, ut ob-
structis diluvio viis, quibus erumpat, tan-
tas edat strages, tantam cieat molem. Quod
si non absurdum putetur, tamen illud e-
rit consentaneum post ingentes dumtaxat
imbres existere Terræ motum, quum etiam
aëris nimiam siccitatem motum Terræ ex-
citare videamus. Sed Aristoteles, pace di-
xerim tanti viri, interdum sibi fingit mon-
15 stra, quæ superet, easque tribuit præclaris-
simis philosophorum sententias, quas illi,
si reviviscant, nunquam agnoscant, nec
suas esse fateantur; ut quum eas propter
absurditatem facilè convellerit, & labefa-
ctarit, victor omnium philosophorum, &
principum princeps esse videatur. Sic ille
Parmenidem accepit sapientissimum virum,
sic Platonem philosophorum Deum, sic
plerosque alios, quorum mentionem face-
re supersedeo; sic etiam acceptum ab eo
Anaxagoram credo; nec mihi persuadeo
doctissimum virum, quem propter excel-
lentem [c] sapientiam mentem Veteres appel-
larunt, in tanto esse errore versatum. Ve-
rumtamen, quæ fuerit Anaxagoræ de Ter-
ræ motibus opinio, inter Auctores non satis
constat, quum [d] Plutarchus libro de Placi-
tis Philosophorum sit auctor, Anaxagoram
putasse non ætherem, ut tradit Aristoteles,
esse causam Terræ motus; sed aërem, nec
aërem antichthona, sed quemcunque con-
tentum in terræ visceribus, qui quum ad
superiora pervenerit, nec perrumpere ter-
ræ superficiem possit, excitet tremorem.
Illud [e] constat fuisse complures, qui ignis 16
potentiâ tantos in terrâ tumultus fieri,
sed non eodem modo crederent; quibus-
dam affirmantibus incendia ardere in ter-
râ sempiterna, & absumere, & exedere,
quibus, veluti fuleris subductis, quæ in-
nitebantur, corruant, aut nutent, neces-
se est; quibusdam verò credentibus vi oc-
cultorum ignium magnum vaporem exci-
tari, qui quum sine exitu volvatur, impel-
lat, & perrumpat obstantia. Et [f] sanè cui
rei tantos motus, quibus firmissima om-
nium Mortalium sedes labat, maria attol-
luntur, enascuntur insulæ, hauriuntur ur-
bes, montes desidunt, ingentes hiatus a-
periuntur, montes inter se colliduntur,
plana terrarum in immensam altitudinem
surgunt, eodem tempore, eodemque im-
petu vastissima terrarum spatia quatiuntur,
nisi mobilissimæ, nisi violentissimæ omnium,
cujusmodi est ignis, possumus assignare? I-
gnis est profectò, ignis, qui tanta molitur,
qui licet non semper ubi terra movit, se
se prodat; persæpe tamen in maximis mo-
tibus Terræ ingens apparuit, seseque cau-
sam fuisse ostendit illarum immanium rui-
narum; quod intelligent quicunque rerum
gestarum monumenta diligenter evolvent.
In eo Terræ motu, qui duodecim Asiæ no-
biles urbes unâ nocte prostravit, quem Pli- 17
nius [g] affirmat post homines natos omnium
maximum extitisse, Cornelius [h] Tacitus
effulsisse inter ruinas ignes memoriæ pro-
didit; & apud Strabonem Timæus libro
quincto scribit, paulò ante suam ætatem in
Pithecusis montem Epomeum Terræ mo-
tu concussum magnam vim flammarum e-
ructasse. Et [i] Plutarchus tradit, quum ad
sociale bellum Syllæ proficisceretur, ingen-
tem hiatum terræ extitisse, ex eoque i-
gnem erupisse, qui usque in Cœlum ferri
videretur; quod non aliâ de causâ, quàm
motu Terræ arbitror accidisse. Et Plinius
libro secundo capite octogesimotertio re-
fert Lucio Marcio, Sexto Julio Consuli-
bus in agro Mutinensi tam vehementi mo-
tu concussam esse terram, ut duo mon-
tes inter se concurrerent, & se invicem a-
rietarent, in eoque inter eos ingentem
vim flammarum erupisse; & Ammianus
Marcellinus libro decimoseptimo post hor-
ren-

[a] Anaxag. apud Sen. Nat. Quæst. libr. 6. c. 9. [b] Aristot. Meteor. libr. 2. cap. 7. [c] Plutarch. in Vitâ Pericl. [d] Idem de Plac. Phil. libr. 3. c. 15. [e] Sen. Nat. Quæst. libr. 6. cap. 9. [f] V. Plin. libr. 2. cap. 79. & seq. [g] Plin. libr. 2. cap. 84. [h] Corn. Tac. Ann. libr. 2. n. 47. [i] Plutarch. in Vitâ Syllæ.

rendum illum Terræ motum, qui Macedoniam, Asiam, Pontumque ruinis implevit, passim editos humo ignes emicuisse, & multa, quibus motus Terræ pepercerat, absumpsisse memoriæ prodidit; & [a] Cedrenus narrat imperante Justino & Constantinopoli, & Antiochiæ horribili motu terram tremuisse, & Alexandriæ tantum e terrâ ignem extitisse, ut innumerabilem hominum turbam incendium absumpserit, & non minores clades ignis intulerit, quàm Terræ motus. Sed ut, quum terra concussa est, frequenter e terrâ ignem se se extulisse historiâ teste cognoscimus; ita vicissim ardentes terrarum tractus, montesque flagrantes excitare motus Terræ comperimus, ut dubium esse non possit, quin

18 potentiâ ignis terra moveatur. Plinius junior epistolâ decimasextâ libri sexti ad Cornelium Tacitum, ubi mortem describit avunculi sui, qui ardente Vesuvio monte, caligine, & crassiore spiritu suffocatus interiit, testatur ingentibus nutasse tremoribus terram; sic enim loquitur: *Nam crebris, vastisque tremoribus tecta nutabant, & quasi emota e sedibus suis nunc huc, nunc illuc abire, ac referri videbantur;* & in epistolâ vigesimâ ejusdem libri sexti illud incendium Vesuvii montis conjunctum cum crebris, vastisque Terræ motibus, qui etiam eo compresso diu, multumque Campaniam vexarunt, testis oculatus affirmat; & Strabo libro duodecimo docet omnem circa Mæandrum regionem ignium sub terrâ ardentium copiâ redundare; quàm verò omnis circa Mæandrum regio hoc malo soleat laborare, testia [b] Antiochia toties eversa, testia [c] Laodicea toties hac peste vexata, testis Ephesus, & [d] Sardes, & [e] Smyrna, quæ non longè distant a Mæandro, & motibus Terræ funditus cociderunt. Quid Catane in Siciliâ? nonne, quia subjecta est Ætnæ monti semper ardenti, frequentissimè conflictata est, hodieque Terræ motibus conflictatur, & sæpenumero eversa corruit? Qoid Sicilia universa? nonne, quamvis non tota Ætnæi montis incendio terreatur, sæpe tamen terretur motibus, qui illis ignibus excitantur? quid totus ille celeberrimus [f] Campaniæ tractus Cereris, & Liberi certamen, nonne Vesuvii montis vicinitate ejusmodi clades frequentissimè pertulit; & suas urbes terrâ haustas, aut mari obrutas, aut eversas deploravit?

19 Ideo [g] Typhonem multi poëtæ sepultum sub insulâ Siciliâ, & flammas eructantem ferunt, quotiescunque se se commovet, Siciliam, & insulas adjacentes [h] commovere:

Et fessum quoties motat latus, intremere omnem

Murmure Trinacriam, & Cœlum subtexere fumo

ut ostendant ardore motum Terræ suscitari; Typhon quippe significat ardorem. Et sanè quid possit ignis inclusus, & exitum quærens, declarat bellicus pulvis, qui in cuniculis conditus, ubi admoto igne repente est inflammatus, immanes subruit moles, ac latè stragem ciet, terramque circa ingenti tremore conquassat; non hujus impetum impositæ rupes, non humus in montis altitudinem exaggerata, non murorum insanæ substructiones, non immanium saxorum durities, & pondera possunt retardare; omnia eluctatur vis illa accensi pulveris, omnia perfringit, omnia dividit, dissipat, convellit, labefactat. Quid causamur aërem, quid exesas rupes, quid aquas sub terrâ ruentes, quid ventos terræ visceribus inclusos, quum tam expressam imaginem Terræ motus, quam hominum manus effecerunt, liceat intueri? nam sicut ad fulminis vires nihil propiùs accedit, quàm ea, quæ bellici pulveris flamma jaculatur; ita similitudinem Terræ motus nulla res magis exprimit, quàm hi cuniculi, qui succenso pulvere dirumpuntur; nec hic concussus ab illo discrepat, nisi quòd spatium tanto majus quatit Terræ motus, quanto sunt opera naturæ potentiora, quàm artis. Nam, ut ad alteram partem hujus dissertationis accedamus, & pleraque eorum, quæ contingere solent in Terræ motibus, exequamur; mirum est tam vasta Terrarum spatia uno motu posse conquassari; ac tantum licere naturæ. Seneca [i] negat ullum motum ultra ducenta 20
millia passuum pertingere; sed quis hanc legem præscripsit naturæ sævienti, & immensis viribus præditæ? certè constat majus aliquantò terrarum spatium ejusmodi motus concussisse. Nam [l] Cedrenus tradit annum tertium Valentiniano imperante Terræ motum per totum terrarum Orbem extitisse; qui & in Alexandriæ portu mare ad tantam altitudinem extulit, ut navigia, quæ stabant in anchoris, super muros urbis attollerentur; & in Adriatico mari naves modò destituerentur in sicco undâ recedente, modò rursus allabente innatarent; & [m] Justiniani anno decimosextò idem testatur Terram universam, ingenti motu laborasse; & anno [n] vigesimosepti-

mo

[a] Cedren. in Comp. Histor. Edit. Basileæ pag. 300. [b] Strabo in fine libri 13. & Cedren. Comp. Hist. Edit. Basil. pag. 285. 300. & 318. [c] Cornel. Tacit. libr. 14. Annal. n. 27. [d] Strabo in fine libri 12. [e] Cedren. Compend. Histor. Edit. Basil. pag. 613. [f] Senec. Quæst. Natural. libr. 6. in princip.

[g] Hygin. fab. 152. [h] Virgil. libr. 3. Æneidos. [i] Senec. libr. 6 cap. 25. Natur. Quæst. [l] Cedrenus Comp. Histor. Edit. Basil. pag. 255. [m] Idem ejusdem Edit. pag. 307. [n] Idem ibid. pag. 316.

mo nullam Orbis partem immunem fuisse Terræ motus; qui & Constantinopoli multas ædes, & templa prostravit, & muros urbis, qui ad auream portam pertinebant; & in Arabiâ, Palæstinâ, Mesopotamiâ, & Antiochiæ multos vicos æquavit solo, & Nicomediæ magnam partem diruit. Quod
21 si cui Cedreni auctoritas levis videatur, is profectò credet Ammiano Marcellino; qui si tantopere excelleret eloquentiâ, & nitore latini sermonis, & historiæ cothurno, quantopere præstat fide, & veritate, cum summis historicis compararetur; qui libro decimoseptimo memoriæ prodidit horrendum Terræ motum extitisse, qui Macedoniam, Pontumque, Asiamque vexavit, concussit urbes, & montes, & Nicomediam principem Bithyniæ urbem ingenti strage vastavit; qui profectò sæviit latiùs, quàm Seneca [a] putat sævire posse Terræ motum; siquidem tam remotas, & interjecto mari disjunctas, latasque regiones afflixit. Quid ille [b], qui Tiberio imperante duodecim Asiæ nobiles urbes unâ nocte, unoque impetu pæne delevit? nonne majus, quàm ducentorum millium spatium occupavit? siquidem & in [c] Phrygiâ minore Apolloniam juxta Rhyndacum, & in Æolide Myrinam, & Cymen, & in Doride Mostenos, & Hieroesaream, & Magnesiam ad Sipylum, & Philadelphiam, & in Lydiâ Sardianos, in quos asperrimam sævisse luem [d] Cornelius Tacitus affirmat, ingenti clade vexavit; quas urbes si tam remotas pæne æquavit solo, quanto plures putamus, & quanto remotiores vel terruisse vehementer, vel leviter concussisse? Et quoniam hujus Terræmotus fecimus mentionem non abs re
22 fuerit referre Taciti [e] verba, quibus hunc describit, quæ multa continent, quæ in ejusmodi clade terrarum solent evenire; sic igitur Auctor clarissimus loquitur; *eodem anno duodecim celebres Asiæ urbes collapsæ nocturno motu terræ, quo improvisior, graviorque pestis fuit; neque solitum in tali casu effugium subveniebat in aperta prorumpendi; quia diductis terris hauriebantur; sedisse immensos montes, visa in arduo, quæ plana fuerint, effulsisse inter ruinas ignes memorant*; ex quibus Taciti verbis intelligi potest hunc, qui describitur, non simplicem fuisse motum. Nam montes desederunt, & plana, quæ fuerant, in altitudinem sunt elata; quod genus vocat Succussionem [f] Seneca, & diductis terris vasti hiatus patuerunt; quod genus [g] Chasmatias appellant. Superioris generis fuit ille, qui [h] Theram, & Therasiam, & Hieram, & Anaphen, & Rhodum emisit e fundo maris; & Delum, quum antea non appareret, extare fecit; alterius generis [i] fuit ille, qui Ossam ab Olympo monte dicitur separasse; quo casu Peneus, qui ante stagnabat, effluxit; & qui [l] Abylam e Calpe fertur diremisse; quo Oceanus in terras irrupit, & mediterraneum infudit mare; aut ille, qui ab Italiâ Siciliam diduxit; &, ut ad notiora veniamus, ille, quem [m] Cedrenus narrat ingentem in Mesopotamiâ hiatum terræ duorum millium intervallo aperuisse. Neque enim u-
23 num genus Terræ motus; tria numerat Seneca, quum Posidonius duo dumtaxat recenseat; unum, quum attollitur, & deprimitur terra, aliud, quum in latera inclinatur; quod genus Inclinationem vocat; tertium quum tremit, quod genus Tremorem nuncupat. Ammianus [n] Marcellinus recenset quatuor; & illos quidem Terræmotus, qui terram sursum tollunt, Brasmatias; qui verò in latus quatiunt, Climatias; qui diducunt, & urbes totas devorant, Chasmatias; qui autem cum horribili mugitu movent, Mycematias nominat. Eustathius autem tria genera numerat, & ideo Neptuno tridentem vult attributum. Sed omnium accuratissimè genera Terræ motuum distinguit scriptor libelli de Mundo, qui Aristotelis nomine circumfertur, quem vir eruditus [o] inprimis Interpres Diogenis Laërtii, Posidonium celeberrimum auctorem sapientiæ esse arbitratur. Nam [p] præter ea genera motuum, quæ nominavimus, alios appellatos esse dicit Epiclintas, qui quatiunt in obliquum ad angulos acutos; alios Brastas, qui sursum jaciunt ad angulos rectos; alios Chasmatias, qui labem soli relinquunt in cava desidentis; alios Rhectas, qui voragines, & hiatus aperiunt, rumpuntque terram; alios Ostas, qui eamdem versùs partem trudunt ea, quæ impulerunt; alios Palmatias, qui quæ aliquò inclinarunt, rursus contrario motu restituunt, quibus terra palpitare videatur; alios Mycematias, quando terra cum fremitu, ac mugitu tremit. Ex his,
qui tremore quodam ædificia vibrant, [q] Plinius, & [r] Seneca minimè omnium putat 24
periculosos; quia quidquid inclinarunt, & loco dimoverunt, in eundem contrario motu sine ruinâ plerunque restituunt; nec il-

[a] Senec. libr 6. cap. 25. Natur. Quæst. [b] Plin. libr. 2. cap. 84. & Corn. Tac. libr. 2. n. 47. Ann. & Senec. Nat. Quæst. libr. 6 c. 1. [c] Corn. Tac. Annal. l. 2. n. 47. [d] Corn. Tac. ibid. [e] Idem ibid. [f] Sen. Nat. Quæst. l. 6. [g] Auctor libr. de Mundo cap. 4. [h] Plin. libr. 2. cap 87. [i] Senec. Natural. Quæst. libr. 6. cap. 25. [l] Idem eod. libro cap. 29. [m] Cedrenus Compend. Histor. Edit. Basileæ pag. 308. [n] Ammian. Marcell. l. 17. [o] Thom. Aldobrand. in Diogen. Laërt. [p] Aristot. sive Auctor libri de Mundo cap. 4. & Ammian. Marcellinus libr. 17. [q] Plin. libr. 2. cap. 82. [r] Senec. Natural. Quæst. libr. 6. cap. 21.

si quidem maximè pertimescendi, qui quasi subsultant, & sursum ad pares angulos impositas moles impellunt; pessimi verò, qui in unam dumtaxat partem ædificia propellunt, quos ruina consequatur necesse est; & qui voragines, hiatusque pandunt, qui solitum eripiunt in aperta evadendi subsidium; quod adversùs hanc pestem unicum remedium invenitur. Quamquam nec id semper prodest; nam in magnis motibus & qui sub dio degunt tantâ violentiâ solo affliguntur; ut quos ruina tectorum non oppressit, nutantis terræ instabilitas trucidet, vel miserandum in modum aliquâ corporis parte mutilet. Auctor est Dio Cassius illo memorando motu, quo Antiochia, quum ibi Trajanus Imperator degeret, laboravit, & pæne deleta est, multos Mortales, qui hac ratione saluti consuluerant, quum violentiâ motus inenarrabili illiderentur solo, vel intumescente terrâ in altum elati, & deinde eâ subsidente, velut ex prærupto loco darentur in præceps, extinctos, vel malè mulctatos fuisse; sed de viribus tremendis hujus mali multa possent exempla proferri. Memoriæ proditum est
25 Constantino [a] Copronymo imperante duos montes, qui magno distabant intervallo inter se coivisse; & Justiniano rerum potiente montem, qui maris fluctu alluebatur, avulsum a Continente in aquam descendisse, & capacissimi portus [b] locum reliquisse; & in Thraciâ intumuisse mare, & quatuor millium spatio terram operuisse; & Gratiano Valentiniani [c] filio imperium adepto ad ingens intervallum mare recessisse juxta Alexandriam, & rursus refluens repentino quinquaginta hominum millia, qui ad ejusmodi spectaculum concurrerant, obruisse; & Cretæ, & Achajæ, & Bœotiæ, & Epiri, & Siciliæ multas regiones pelago superveniente demersas, tantaque vi mare terras inundasse, ut navigia in montes usque ad stadia centum compellerentur; & Constante [d] Imperatore duodecim Campaniæ urbes uno motu Terræ funditus concidisse. Narrat etiam [e] Cedrenus quodam ingenti motu concussâ terrâ multas urbes eversas, quasdam etiam e montibus unà cum mœnibus, & ædificiis intactas in plana deductas. Et Posidonius affirmat Rhagas in Mediâ locum nuncupatum; quòd ibi ingenti motu abrupta desederit terra, urbesque complures, & duo millia pagorum subverterit. Quæ declarant satis nul-
26 lam vim posse cum hujus pestis viribus comparari; nam quis turbo, qui typhones, qui presteres, quæ maris tempestas, aut fulminis impetus, aut ventorum vis potuit tanta moliri? Turbines, & typhones radicitus evertunt robustissimas quercus, antemnas, & navigia contorta frangunt; presteres amburunt contacta pariter, & proterunt; maris tempestates ingentes classes miserabili naufragio obruerunt, & mari vicina loca magnâ oppressa clade vastarunt; venti aliquot ædificia everterunt, & in silvis vastam arborum stragem ediderunt; straverunt turres fulmina, sed non urbes totas funditus everterunt, non immensa terrarum spatia ruinis, & stragibus complent. In Orbe novo tam immanes ventorum turbines sæviunt, ut ædificia cuncta prosternant, arbores convellant, regiones totas populentur; quos incolæ, quum præviderint, nam facilè possunt prævideri, in speluncas, atque antra confugiunt, effugiuntque, & eludunt eâ ratione immanem impetum venti sævientis; sed illa via non montes ipsos æquat solo, non urbes evertit, non elatum in immensam altitudinem mare terris immittit, non insulas absorbet, non emittit e profundo, non devorat terras, non horrendis voraginibus aperit, & pæne Inferorum sedes recludit, & patefacit; quæ omnia efficit Terræ motus. Sicut autem natura, vel ira Numinis in hac re videtur, 27
quid possit, experiri; ita & tantam rem multò ante moliri, & futuri motus multa signa præmittere; nam aquæ e puteis turbidæ hauriuntur; quocirca [f] Pherecydes Syrius Pythagoræ doctor haustâ e puteo aquâ Terræ motum dicitur prædixisse; & aves non impavidæ sedent, sed huc illuc similes furentibus feruntur: præcedit aëria mira [g] plerunque tranquillitas, quasi natura omnem eò impetum convertente, unde motus est erupturus: præcedit interdum & ante matutinos [h] motus terræ frigus acre, & Sol nullâ nube Cœlum obsidente caliginosus, & subobscurus, vel etiam rubro colore inficitur, & quasi cruentus apparet; & occidente Sole [i] quædam nubecula lineæ modo in longum porrecta, & nullo spirante vento, vel imminente fluctus maris intumescentes. Pausanias [l] etiam tradit ante motus terræ stellarum formas incognitas esse visas, & faces cum ingenti flammâ Cœlo discurrisse, & aquarum perennium fontes defecisse. Præcedunt & violenti ventorum turbines, & horribiles tempestates, ut accidisse narratur [m] Nicephori Imperatoris tempore; quo antequam Paphlagonia ingenti motu quateretur, tam immanes ven-

ti,

[a] Cedrenus Comp. Histor. Edit. Basileæ pag. 378. [b] Idem pag. 308. [c] Idem pag. 258. [d] Idem Cedrenus Comp. Hist. pag. 234. [e] Idem pag. 380. [f] Plin. libr. 2. cap. 79. [g] Pausan. in Achaicis, sive libr. 7. & Plinius libr. 2. cap. 79. & 81. [h] Aristotel. Meteorolog. libr. 2. cap. 8. [i] Aristotel. ibid. & Plin. libr. eodem cap. 81. [l] Pausan. in Achaicis, sive libr. 7. [m] Cedrenus Comp. Histor. Edit. Basileæ pag. 343.

ti, ac tam acres sævisse memorantur, ut arborum alias everterint, aliarum fructus omnino corruperint, atque perdiderint; & Ammianus [a] Marcellinus narrat imminente Terræ motu ingentem vim erupisse immanium procellarum: præcedunt & ignes e terrâ se se efferentes, quemadmodum præcesserunt Trajani temporibus illum motum terræ, qui Antiochiam magnâ strage concussit; & eum, qui [b] Justini anno ultimo eandem urbem prorsus delevit: præcedit & mugitus ingens, & terræ fremitus horrendus, qui non futurum, sed jam imminens malum denunciat. Pleraque autem

28 eorum, quæ antecedunt, Terræ motum comitantur, vel subsequuntur; nam ignes e terrâ eructantur. Quapropter, quum Helicen, & Buram Terræ motus hausit, & Delos agitata est, columna ignis immensi, teste [c] Senecâ, e terrâ dicitur extitisse; & Aristoteles tradit circa Heracleam Ponti urbem, & in insulâ sacrâ, quæ est una ex iis, quæ dicuntur Æoli, cessante motu humum in speciem collis intumuisse cum magno sonitu, quo ad extremum aperto magnam vim spiritus, & scintillas cum cinere se foras ejecisse, qui universam Liparensium civitatem operuit. Immanes quoque venti, & insanæ procellæ, subsequuntur; subsequuntur & pestilentes morbi, quia sub terrâ mortiferi spiritus latent, quos inera aër, & nunquam ventis perflatus, aut Solis radiis tenuatus, & noctis æternæ torpor gignit, & nutrit; qui commotâ vehementius terrâ foras erumpunt. Esse verò sub terrâ spiritus pestilentes [d] declarant tot loca, unde animantibus mortiferi spiritus exhalantur, quæ [e] Charonea Veteres appellarunt. Quid si credamus nobilissimis philosophis esse sub terrâ lacus, esse vastas paludes? quam opinionem Lucretius [f] tangit his versibus

..... inprimis terram fac, ut esse rearis
Subter item, ut supra' st, ventis, atque undique plenam
Speluncis, multosque lacus, multasque lacunas
In gremio gerere, & rupes, deruptaque saxa,
Multaque sub tergo terrai flumina tecta
Volvere vi fluctus, submersaque saxa putandum' st

quantam vim pestilentia aëris contineri sub terrâ fatendum est, quem crassæ paludes, & pigræ exhalant, quæ nunquam ventis agitantur, nunquam Solis radiis incalescunt! is, ubi vehementi aliquo motu terra concussa est, vel ruptis voraginibus, vel per cæcas vias se foras ejicit, & aërem purum, quo vescuntur homines, & mutæ animantes, inficit, atque corrumpit. In Terræ- 29
motu, qui ætate Senecæ [g] amœnissimam, uberrimamque Campaniæ regionem vexavit, greges ovium exanimatos ferunt. Quum autem terra movisset, Michaele [h] imperante, memoriæ proditum est, adeo frequentem, adeoque mortiferum fuisse morbum anginæ, ut vivi satis non essent ad mortuos terræ mandandos, & multa cadavera sine honore funeris insleta jacerent, & insepulta; & anno trigesimo quarto Justiniani motus [i] ingens terræ, & pestilentia ingens coorta Ciliciam, & magnam Antiochiam populata est. Paulus Jovius quoque narrat Bajazete Rege Turcarum imperante Constantinopolim vehementissimo Terræ motu laborasse, quem pestis atrocissima fuerit consequuta. Ipse verò Terræ motus dum terram quatit, quàm multa edit miracula! aperit interdum aquarum calentium venas; calentes, quæ manabant e terrâ, refrigerat, emittit repente novos amnes; ita [l] Ladon in Arcadiâ natus esse fertur ex Terræ motu; veteres absorbet; ita Melanem fluvium apud Orchomenum immani motu diductâ terrâ in se recepit, & abolevit: effundit ingentes lacus, quemadmodum accidit, quum motus terræ Idæam urbem ad Sipylum [m] subvertit, immo devoravit; quo tempore diducto solo, hiatuque vasto patefacto palus extitit, quæ Saloë est appellata: transfert [n] in aliam sedem terras, quemadmodum anno supremo Neronis fertur transtulisse, quum in agro Marrucino oleæ, & prata intercedente viâ publicâ in alteram partem transierunt: absorbet altissimos montes, ut absorbuit [o] Cibotum, quem cum oppido Curite devoravit, & Sipylum in Magnesiâ, & Phegium Æthiopiæ jugum excelsissimum: emittit e fundo maris novas insulas, qua [p] ratione Rhodos enata perhibetur, & Anaphe, & inter Lemnum, 30
& Hellespontum Nea, inter Teon, & Lebedum Alone, inter Cycladas [q] Thera, & Therasia, & inter easdem Hiera, & quæ inter Æolias insulas recensetur, & quæ juxta Cretam, & in sinu Thusco emersit e mari: avellit a Continente, & mari donat ingentia terrarum spatia; nam, ut [r] de Siciliâ, de cujus ab Italiâ avulsione mentionem feci, nihil dicam, a Miseno abstulit Prochytam, & Pithecusas, & insulas fecit: abstulit, ut quidam sunt auctores, ab Idâ Lesbum insulam haudquaquam exiguam,

[a] Ammianus Marcellin. libr. 17. [b] Cedren. Compend. Histor. Edit. Basileæ pag. 300. [c] Seneca Natural. Quæst. libr. 6. cap. 26. [d] Idem Sen. libr. 6. cap. 27. & Lucret. libr. 6. [e] Strab. libr. 14. & Plin. libr. 2. cap. 93. [f] Lucret. libr. 6. [g] Seneca Natural. Quæst. libr. 6. cap. 27. [h] Cedren. Compeud. Hist. Edit. Basileæ pag. 613. [i] Idem Cedrenus pag. 318. [l] Senec. Natur. Quæst. libr. 6. cap. 25. [m] Plin. libr. 5 cap. 29. [n] Idem Plinius libr. 2. cap. 83. [o] Idem cap. 91. [p] Idem c. 87. [q] Plin. libr. 2. cap. 87. & Seneca Natural. Quæst. libr. 6. cap. 21. [r] Idem Plin. libr. 2. cap. 88.

& ab Æneo Capreas, Eubœam a Bœotiâ, quæ tanta est, ut inter interni maris insulas quarto loco censeatur, ab Eubœâ Macrin, & Atalanten, a Bithyniâ Besbicum, a Sirenum promontorio Leucosiam. Contra [a] Antissam Lesbo donavit, Zephyrium Halicarnasso, Æthusam Myndo, Dromiscon, & Pernen Mileto, Narthecusam Par-
31 thenio promontorio. Quid autem dicam maria a suis litoribus recessisse, aut ad ingens intervallum infusa terris, valles in montes assurrexisse, montesque subsidenre solo esse depressos? Illud etiam mirabile, quod Pausanias [b] refert, inclinari columnas, & parietes; ita ut ad solum præcipites ferri videantur, ac deinde contrario motu erigi rursus, restituique in pristinum locum, nec labis ejus relinqui vestigium, qua de re [c] Lucretius dixit:

Nunc quia respirant alternis, inque gravescunt,
Et quasi collecti redeunt, ceduntque repulsi,
Sæpius hanc ob rem minitatur terra ruinas,
Quam facit; inclinatur enim, retroque recellit,
Et recipit prolapsa suas se in pondere sedes.

Nec minus mirum est, quod Seneca [d] tradit, in quibusdam Terræ motibus observatum diduci parietum angulos, iterumque conjungi, trabiumque capita a parietibus, quibus inserta fuerant, recedere, & sine ruinâ tabulati mirâ celeritate referri in locum, quem vacuum reliquerant. Ejusdem generis est illud, quod a doctissimo viro Seneca [e] tradit animadversum; qui quum lavaretur, & terra moveret, tessellas pavimenti a se invicem separari, iterumque committi, & aquam modò in commissuras recipi, modò exprimi vidit. Jam firmiter comparta disjici, malè coagmentata componi, & artificum negligentiam, vel inscitiam emendari pervulgatum est. Illud etiam admiratione dignum, quod in Antonino Pio tradit Xiphilinus; quum in Bithyniâ, & circa Hellespontum Terræ motus ingens extitisset, qui multas urbes vexavit, multas evertit, in primisque [f] Cyzicum, & in eâ celeberrimum templum, & magnificentissimum omnium, quæ in Orbe terrarum memorantur, monte rupto, apertoque vertice immanem vim aquæ marinæ in altum ejecisse, cujus aspergo ad ingens intervallum perveniret. Sed quis omnia persequi possit, quæ mira eduntur opera ab hac labe terrarum? quorum ubique locorum diligenter contemplantibus cernuntur vestigia; vix enim ullum in toto Orbe locum possis invenire, qui non aliquando hac peste laborarit. Insulas Aristoteles, quæ adjacent Continenti, hoc esse infestas malo ar- 32
bitratur; quæ verò cinguntur alto, esse tutiores; sed tamen & has ipsas concuti declarat [g] Cyprus, quæ satis magno intervallo distat a Continente, & sæpe tremefacta est: declarat Creta, quæ medio circumfusa pelago ejusmodi motibus non caruit: declarat Melite, quæ magno spatio maris ab Africâ, Siciliaque separatur, & tamen commovetur. Ægyptum alij [h] nunquam movisse tradiderunt, vel propter ardorem [i] Cæli, vel quia constat ex limo, quem Nilus invexit, ideoque caret inanitatibus, quibus spiritus concipiuntur, qui commovent terram; nihilo tamen secius Ægyptum concuti [l] & Alexandriæ clades demonstrarunt, & Senecæ [m] testimonio confirmatur. Hiberniam alii nunquam laborasse voluerunt; sed quum in mediâ ferè Hiberniâ cernatur Ellius lacus vastæ magnitudinis, & in eo urbis vestigia ad ingentem altitudinem depressa, turresque, & domus; non facilè mihi persuadeo, id sine magno motu terræ accidisse. Galliam [n] alii hujus expertem mali esse crediderunt; sed id esse falsum lapidei campi sunt testes, qui innumerabilium lapidum multitudine scatebant, quos Aristoteles tradit ejectos e terrâ Terræ motu, & in locum concavum congregatos; poëtæ autem e Cœlo pluisse mentiuntur. Nam Herculem ferunt cum Albione, & Bargione gigantibus Neptuni Liberis prœliantem, quum tela non suppeterent, a Jove imbrem lapideum impetrasse, quo tota regio constrata lapidibus fuerit. Videntur e-
tiam nonnulli affirmasse montes nunquam 33
concuti; neque enim [o] Plinius Alpes tremuisse tanquam animadversione dignum adnotasset, quum dixit: *Nec montosa soli mala carent; exploratum est mihi Alpes, Apenninumque sæpius tremuisse;* nisi aliqui pernegassent. Virgilius [p] quoque insolitos esse Alpium motus indicavit his verbis:

Armorum sonitum toto Germania Cœlo
Audiit, insolitis tremuerunt motibus Alpes

& Lucanus, qui sic ait libro primo:

... tum cardine tellus
Subsedit, veteremque jugis nutantibus Alpes
Discussere nivem ....

ubi Poëta non terram movisse, sed Alpes, horribile portentum putat, quod insolitum, & rarum videretur; sed & montes non modò moveri, sed etiam æquari solo, sed etiam subsidere jam ostendimus; & historicus Dio demonstrat, qui in Campaniæ motu

---

[a] Plin. libr. 2. cap. 89. [b] Pausan. in Achaicis, sive libr. 7. [c] Lucret. libr. 6. [d] Senec. Natur. Quæst. libr. 6. cap. 30. [e] Senec. ibid. cap. 31. [f] Cedrenus in Compend. Histor. Edit. Basileæ pag. 307. [g] Senec. Natural. Quæst. libr. 6. cap. 26. [h] Plin. libr. 2. cap 80. [i] Senec. Natural Quæst. libr. 6. cap. 26. [l] Cedrenus Compend. Histor. Edit. Basileæ pag. 258. [m] Seneca Natural. Quæst. libr. 6. cap. 26. [n] Plin. libr. 2. cap. 80. [o] Plin. ibidem. [p] Virgil. Georgic. libr. 1.

tu subsultasse montes, & vel considere, vel inter se collidi visos asseverat. Nullus igitur locus hac peste vacat, licet alii magis, alii minus vexentur; & quædam urbes funditus eversæ sæpe conciderint; quædam magnis affectæ cladibus fuerint; quædam excepto metu, qui semper hujusmodi motus comitatur, nihil incommodi unquam acceperint. Sed maritima maximè quatiuntur; quapropter eorum irridenda sententia est, qui apud Senecam [a] confirmant, in- 34 sulas abesse longiùs a periculo Terræmotus, urbesque eo esse tutiores, quo sunt propiores mari; qui meritò & a Senecâ, & ab experientiâ, quæ contrariam sententiam veram esse vincit, confutantur; quum nullas urbes magis hac peste laborasse compertum sit, quàm quæ mari alluuntur. Sicut autem omnis locus, ita omne tempus non est hujus expers incommodi; sed ver, & [b] autumnus maximè infestantur, noctuque, & circa meridiem auctore [c] Aristotele maximi existunt, & frequentissimi Terræmotus. Idem [d] Auctor, & ante Lunæ defectus moveri solere terram arbitratur, & post immodicos imbres, aut diuturnas aëris siccitates; eapropter, quum imperante Tito Vespasiano terra movit in Campaniâ, Xiphilinus ex Dione narrat immodicos æstus, & siccitates inusitatas præcessisse. Quædam ætates magis huic obnoxiæ malo fuerunt, quàm aliæ; bello Punico secun- 35 do [e] intra eundem annum septies, atque quinquagies Terræmotus nunciatus est; qua tempestate Romani, Pœnique, quum ad Trasimenum lacum signis collatis dimicarent, non sensere motum terræ, qui urbes evertit, egit retro fluminum cursus, Italiamque universam terroribus, ruinisque complevit; adeo majore curâ occupatus animus a sensu rerum quantumvis terribilium alienatur. Atque is annus fidem facit [f] Plinii dicto, qui Terræmotum Romæ semper fuisse prænuncium magnarum calamitatum asseverat; nam tot illi Terræmotus & infelicem ad Trasimenum lacum pugnam Romanorum, & infelicissimam Cannensem cladem, qua pæne Respublica convulsa corruit, portenderunt; ideo Cicero libro primo de Divinatione sic ait: *Quum terræ sæpe fremitus, sæpe mugitus, sæpe motus multa nostræ Reipublicæ, multa ceteris civitatibus gravia, & vera prædixerint.* Is etiam annus videtur ostendisse, quanta possit esse maxima Terræmotuum frequentia; nunquam enim aliàs crebriores extitisse memorantur. Diuturnitas autem longissimi Terræmotus [g], Aristotele teste, duorum 36 annorum spatio definitur, cujus opinioni subscribit Plinius libro secundo capite octogesimosecundo; ex quo intelligi potest quanta, & quam sit contumax vis illa, quæ movet, quæ tamdiu movere perseveret. Quare vix adducor, ut credam, quod [h] Senecæ tradit, primos impetus semper esse violentissimos, quia statim erumpat spiritus, qui concutit terram, aperiatque viam luctantibus ventis, qui minus ob eam causam deinde sæviant; quum videam, quidquid est illud, quod terram quatit, tantas habere vires, ut eæ vix biennii spatio consumantur. Nam si vis statim, qua evadat, aperitur, cur deinde tamdiu luctatur? cur convellit claustra terrarum? Antiochiam [i] ultimo anno Justini Terræmotus ingenti strage prostravit; Justinus Augustus casum maximæ civitatis miseratus effusâ magnâ pecuniæ vi pulcherrimam urbem [l] instauravit; nondum elapso biennio motus alius immanis terram tremefecit, & quidquid intactum reliquerat antecedens ruina, & quidquid Cæsaris munificentiâ, & industriâ, & impensis civium fuerat restitutum, subvertit; ex quo perspici potuit priorem motum non fuisse impedimento, quominus posterior majori mole desæviret. Sunt igitur propemodum immensæ vires hujus mali; nec ad- 37 versùs id ullum satis validum remedium invenitur. Plinius [m] tamen putat ædificiorum fornices, & parietum angulos esse tutissimos; lateritios etiam parietes esse tutiores, quàm cæmentitios, aut quadrato lapide constructos; prodesse etiam crebris cuniculis cavatum solum. Quapropter Neapoli in urbe Campaniæ clarissimâ, tradit [n] partem solidam magis laborare, quàm eam, quæ subter est perforata cuniculis. Ctesiphon architectus quum templum Ephesinæ Dianæ conderet, ne Terræmotibus, quibus Ephesus inprimis obnoxia est, everteretur, aut hiatu terræ pessundaretur, in palustri loco fundamenta collocavit; quæ ne in lubrico, atque instabili solo posita labarent, calcatis ea substravit carbonibus, velleribus lanæ superinjectis, sed hominis ingenium vix arbitror posse naturam vincere, quæ tantâ mole sævit, ut Lucretius arbitretur Terræmotum nobis documento esse posse, omnia in antiquum chaos reditura; sic enim [o] loquitur:

Et metuunt magni naturam credere Mundi
Exitiale aliquod tempus, cladenque manere,
Quum videant tantam terrarum incumbere
molem.

D I S-

[a] Senec. libr. 6. Natural. Quæst. cap. 26. [b] Plinius libr. 2. cap. 80. & Aristot. Meteor. libr. 2. cap. 8. [c] Aristot. libr. 2. Meteorol. cap. 8. [d] Idem Aristot. ibid. [e] Plin. libr. 2. cap. 84. [f] Idem Plinius ibid. [g] Aristot. Meteorol. libr. 2. cap. 8. [h] Senec. libr. 6. Natural. Quæst. cap. 31. [i] Cedrenus Compend. Histor. Edit. Basileæ pag. 300. [l] Idem eodem loco pag. 303. [m] Plinius libr. 2. cap. 82. [n] Plin. ibid. [o] Lucret. libr. 6.

DISSERTATIO IL.

Ign:m attritu arborum interdum accendi.

Phoroneum primum ignem elicuisse quidam tradunt; plerique verò Prometheum; sed Homerus ignis inventorem Mercurium facit. Ignem e silice excussit Pyrodes; nam priùs (licet Plinius aliter sentiat) e lignis attritis ignem exterebant; ad id autem aptissimas esse laurum, & atbragenen Theophrastus tradit; at Plinius, & Seneca pro atbragene hederam laudant. Chalybem Chalybes, aut Idæi Dactili, aut Cyclopes invenerunt. Seneca, & Stoici nubium attritu fulmina gigni censent.

EST animadversione dignum, quod Thucydides libro secundo affirmat interdum in silvis ramos arborum, truncosque sævientibus ventis inter se tantâ vi atteri, ut ingens incendium excitetur, quo silvæ totæ comburantur. Describit eo loco summus Auctor ignem, quem Lacedæmonii, sociique, quum Plateas oppugnarent, ut Plateenses ad deditionem compellerent, accenderunt. Id autem eâ ratione gestum;
1 ingentem e silvâ materiam convexerunt, & inter murorum ruinas, quos machinis Lacedæmonii, sociique diruerant, & aggerem, quem Plateenses, ne hostes in urbem per ruinas irrumperent, excitarant, admixtâ pice, & sulphure, & magnâ vi sarmentorum congesserunt; deinde ignem materiæ subjecerunt, quo tanta flammarum vis excitata est, ut parum abfuerit, quin tota urbs, quæ sanè quàm parva erat, conflagraret; quæ profectò conflagrasset, si ventorum impetus accessisset. Id incendium fuisse noster Auctor maximum asseverat eorum, quæ hominum operâ extitisse memorantur; solere quippe attritu inter se arborum silvas incendi igne fortuito, majoremque flammam emittere; verba clarissimi Scriptoris hæc sunt: ϗ ἐγένετο φλὸξ τοσαύτη, ὅσην οὐδείς πω ἔς ἐκεῖνον τὸν χρόνον χειροποίητον εἶδεν, ἤδη γὰρ ἐν ὄρεσιν ὕλη τριφθεῖσα ὑπ' ἀνέμων πρὸς αὐτὴν ἀπὸ ταυτομάτου πῦρ, ϗ φλόγα ἀνῆκεν, quæ verba sic vertimus: *& tanta extitit flamma, quantam nemo unquam usque ad illud tempus manufactam viderat; jam enim in montibus in se attrita silva ventorum vi sponte ignem, ex eoque flammam emisit.* Ad quem locum, ne cui incredibile videatur, Auditores, ita ventis agitari silvas, ita ramos arborum inter se collidi, ut eo attritu ignis excitetur, quo tota ingenti incendio silva hauriatur; id fieri solere interdum & aliorum auctoritate scriptorum, & argumentis ostendam. Vitruvius igitur libro secundo capite primo vetustissimos illos homines non aliâ ratione ignem tradit invenisse; quippe ait: *quum in silvas crebris arboribus densas vehementissimus ventus incidisset, & ingenti impetu ramos inter se tereret, eo attritu flammam repente emicuisse, hominesque principio deterritos fugæ sese mandasse; deinde quum paulatim posito metu, quem insolitæ rei repentinus aspectus incusserat, propiùs accessissent, & quantum jucunditatis moderatus ignis tepor pareret, experiundo cognovissent, aggestis lignis, quibus ali videbant, ignem aluisse; quò quum plures & spectaculo rei, & flammæ calore delectati convenissent, cœpisse nutu, & vocibus inter se animi sensa declarare; & ita commercia inter homines instituta.* Quam ignis reperiendi rationem, & humanæ societatis originem Lucretius libro quincto de rerum naturâ probat, qui sic loquitur:

Et ramosa tamen quum ventis pulsa vacillans
Æstuat in ramos incumbens arboris arbor,
Exprimitur validis extritus viribus ignis,
Et micat interdum flammai fervidus ardor,
Mutua dum inter se rami, stirpesque teruntur,
Quorum utrumque dedisse potest Mortalibus ignem.

& Manilius libro primo:

Ac silice in durâ, viridique in cortice sedem
Inveniunt, dum silva sibi collisa crematur.

quibus ex locis constat non solùm id initio factum, sed etiam nunc fieri solere. 2
Et [a] sanè sive Prometheus, ut plerique tradiderunt, sive [b] Phoroneus, ut apud Pausaniam quidam asseverant, ignis eliciendi rationem primus excogitavit; ex lignis attritis vetustissimi homines ignem exterebant, imitati videlicet casum, qui ignem e ramis arborum agitatis vehementi frictione excusserat. Nam [c] licet Plinius id genus igniarii, ut ejus vocabulo utar, exploratorum usum in castris, pastorumque reperisse existimet, quoniam non semper silicis copia suppetat; ac proinde priùs ignem e silice excusum, quàm e lignis, indicare videatur; tamen, quum chalybis ictu scintillæ extundantur, verisimile arbitror priùs homines eliciendi ignis rationem invenisse, quàm chalybem Chalybes, aut [d] Idæi Dactyli, aut Cyclopes invenerint, & [e] quàm Pyrodes Cilix e silice ignem excusserit.

Ute-

[a] Hesiod. Opera, & dies, & Horat. libr. 2. Od. 3. [b] Pausanias in Corinthiacis, sive libr. 2. [c] Plin. libr. 16. cap. 40. [d] Strabo libr. 10. & Clem. Alexandrin. Stromat libr. 1. & Diod. Sicul. Biblioth. libr. 5. [e] Plin. libr. 7. cap. 56.

Utebantur igitur Veteres attritu lignorum
3 ad ignem excitandum; quæ ratio diu fuit in uſu etiam poſteaquam e ſilice flammæ ſemina eliceere inventum eſt. Quæ ligna πυρεῖα Græcis dicebantur, igniaria [a] Plinius, ignitabula Solinus appellat, quæ ad hunc ferme modum conſtruebantur; tabellam perforabant; in foramen lignum rotundum immittebant terebræ modo, quod tamdiu verſabant, donec ignis attritu conciperetur; tabellam στορέα, vel ἐσχάραν, lignum, quod in ipſam immittebatur, τρύπανον, vel τέρετρον Græci, Latini terebram nuncuparunt. Interpres Apollonii Rhodii in illud τοὶ δ' ἀμφὶ πυρεῖα δινεύεσκον, ſic ait: πυρεῖα γὰρ φησὶ τὰ προστριβόμενα ἀλλήλοις τὸ πῦρ ἐκγεννᾶν, ὧν τὸ μὲν ἐστὶν ὕπτιον, ὃ καλεῖται στορεὺς, θάτερον δὲ παραπλήσιον τρυπάνῳ, ὅπερ ἐκτρίβοντες τῷ στορεῖ στρέφουσι; quæ verba ſic verto: *Igniaria enim dicit inter ſe attrita ignem generare, quorum alterum eſt ſupinum, & στορεὺς nominatur, alterum terebræ ſimile, quod affricantes alteri vertunt*, & Theophraſtus: πυρεῖον φασὶν ἄριστον ἐκ τῆς ἀθραγένης καλουμένης ὑπὸ τινῶν, τοῦτο δέ ἐστι τὸ δένδρον ὅμοιον τῇ ἀμπέλῳ τῇ ἀγρίᾳ; ὥσπερ γὰρ ἐκείνη, καὶ τοῦτο ἀναβαίνει πρὸς τὰ δένδρα: δεῖ δὲ τὴν ἐσχάραν ἐκ τούτου ποιεῖν: τὸ δὲ τρύπανον ἐκ δάφνης; quæ verba ſic verto: *igniarium ajunt eſſe præſtantiſſimum ex arbore, quæ athragene vocatur. a quibusdam; hæc autem ſimilis eſt ſilveſtri viti; nam, ſicut illa, in arbores nititur; oportet autem* ἐσχάραν *ideſt focum ex hac ſtruere, terebram autem ex lauro*. Plinius [b] autem hederam aptiſſimam eſſe teſtatur; ſic enim loquitur: *Teritur lignum ligno, ignemque concipit attritu excipiente materiâ aridi fomitis fungi, vel foliorum facillimè conceptum, ſed nihil hederâ præſtantius, quæ teratur, lauro, quæ terat*. Cujus opinio Senecæ [c] auctoritate firmatur libro ſecundo Naturalium Quæſtionum, qui ſic loquitur: *duobus modis, uno, ſi excitatur, ſicut e lapide percuſſo; altero, ſi attritu invenitur; ſicut quum duo ligna inter ſe diutiùs trita ſunt. Non omnis hoc tibi materia præſtabit, ſed idonea eliciendis ignibus, ſicut laurus, hederæ, & alia in hunc uſum nota paſtoribus* Veſtales autem, ſi credimus Feſto
4 Pompejo, ad ignem æternum excitandum terebrâ utebantur ex ferro, non ex lauro; qua ratione Homerus in Hymnis a Mercurio ignem extritum eſſe tradit, quem ille ignis inventorem facit. Hanc autem rationem attritu lignorum ignem eliciendi Plinius [d] naturalis Hiſtoriæ libro ſecundo reſpexit his verbis: *addantur humani ignes, & lapidum quoque inſiti naturæ, attrita inter ſe ligna; jam nubium, & origines fulminum*. Sed ne longiùs a propoſito digrediamur, quum ex hac ignis eliciendi ratione, qua Veteres utebantur, conſtet ex attritis modicâ vi lignis exteri ignem, quis neget poſſe interdum ventorum agitatione violentiſſimâ, & turbinum vorticibus, quorum ſunt vires propemodum immenſæ; nec in unam partem feruntur, ſed in ſe retorquentur, inter ſe teri ramos, ſtirpeſque, ut ignem emittant, qui exceptus aridi materiâ in ingens incendium adoleſcat, & cuncta corripiat? Seneca, & [e] cum eo Stoici omnes 5
inter ſe luctantibus ventis collidi nubes, & atteri, ex eoque conflictu, attrituque exprimi fulmina, edique fulgetras crediderunt; quibus & Lucretius [f] videtur aſſentiri, qui ſic ait:

Principio tonitru quatiuntur cærula Cœli,
Propterea quia concurrunt ſublime volantes
Ætheriæ nubes contra pugnantibu' ventis

Si doctiſſimis viris credibile viſum eſt, tantas eſſe ventorum vires, ut ex liquido nubium corpore vehementiùs trito ignis exprimi poſſit, qui ruinâ, ſtrage, & incendio cuncta permiſceat, compleat, evertat, deleat; quanto magis veriſimile eſt eaſdem duriorem, aridamque materiam ita agitare, ut ejus tritu ignis exteratur? Cogitate quanti ſint impetus ventorum, quanti, & quàm violenti turbinum vortices, quàm tremendâ velocitate volvantur; ventorum vi ſilvæ convelluntur, arboreſque, & ſtirpes radicitus extirpatæ in ſublime rapiuntur, ædificiorum firmiſſimæ moles evertuntur, navigia contorta franguntur, mare immenſum, quod iners jaceret, concitatur, & ſævit, & fundo vertitur, & fluctibus intumeſcit, & terræ ſuperfunditur. In novo Orbe tam violenti, tam ſævi exiſtunt vento- 6
rum turbines, ut per immenſa terrarum ſpatia cuncta ſecum rapiant, cuncta proſternant, ſilvas evertant, ædificia ſolo æquent, animantes omnes vel in ſublime raptas, vel ſolo afflictas necent. Quam peſtem homines prævidentes (certis enim ſignis ventura cognoſcitur) in defoſſos ſub terrâ ſpecus confugiunt; neque enim exitium effugiunt, niſi qui in ſpeluncas, atque antra ſe contulerunt. Quis igitur dubitet, quin vis venti, quæ tantas ſtrages ciet, & rerum faciem mutat, poſſit, quod hominis vires non contentæ, ſed molli, ut ajunt, brachio poſſunt?

DIS-

[a] Plin. libr. 16. cap. 40. [b] Plin. ibid. [c] Senec. Natural. Quæſt. libr. 2. cap. 22. [d] Plin. libr. 2. cap. 108. [e] Seneca Natural. Quæſt. libr. 2. cap. 15. [f] Lucret. libr. 6.

DISSERTATIO L.

In qua agitur de Proditoribus.

Plerique omnes proditionem amant; odio verò habent proditores; & proinde qui a sociis desciscunt, summâ ope niti debent, ut omnem infidelitatis opinionem removeant. Sylla servum, qui dominum sibi prodiderat, libertate quidem donavit; at præcipitem deinde e saxo dejecit. Fabricius medicum hostis Pyrrhi, qui eum se veneno sublaturum pollicitus fuerat, Pyrrho indicavit. Zeno Imperator Armatium, qui prodito Basilisco se cum ipso conjunxerat, e medio sustulit.

QUum Rhymetalces [a] Rex Thracum ab Antonii partibus ad Augustum descivisset, & inter pocula se amicitiam Augusti Antonii societati præoptasse intempestivè, insolenterque jactaret, ut Cæsari beneficium exprobrare videretur, offensus hominis impudentiâ, & importunitate dixisse fertur Augustus: *ego verò amo proditionem, non approbo proditores*. Quo dicto declaravit
1 nihil minus convenire, quàm eum, cujus fluxa fides erga veteres amicos fuit, apud novos de suâ perfidiâ gloriari, etiamque iis, quibus proditio prodest, invisos esse proditores; quod & [b] Antigonus affirmavit, qui prodentes sibi esse jucundos præseferebat, odiosos, qui prodiderunt. Quocirca qui a sociis defecerunt, & ad eorum hostes se contulerunt, summâ ope niti debent, ut potiùs esse deserti, quàm deseruisse, potiùs proditi, quàm prodidisse, & necessitate coacti, non levitate adducti spes novas, novamque fortunam sequi videantur, omnemque infidelitatis opinionem a se amovere debent, & inconstantiæ suæ causam in eos conferre, a quibus desciverunt. Id præce-
2 ptum sequuntur, Auditores, apud Thucydidem Mitylenæi, qui Atheniensium societate repudiatâ, quum ad amicitiam Lacedæmoniorum adjungere sese pararent, eam habent in curiâ Spartanorum orationem, qua se non ignorare dicunt proditores esse jucundos iis, quos veteribus sociis anteponunt, quatenus utiles rebus ipsorum videntur esse; verumtamen quum malè sint usi prioribus sociis, deteriores haberi; se verò non esse Atheniensium proditores, desertos quippe a Lacedæmoniis ad amicitiam Atheniensium se applicuisse, & sequutos esse Græcism a Barbaris liberantes; quia non alios sequi potuissent auctores Græciæ in libertatem asserendæ; sed ubi Athenienses pulsis Europâ Medis in servitutem socios redigere cepissent, & Græcis multò gravius imponere jugum, quàm quod excusserant, tunc invitos, gementesque adjuvisse Athenienses Græciæ imperium affectantes; sed ubi spes affulsit Græciæ in libertatem vindicandæ, Spartanis ad conatus Atheniensium coërcendos excitatis, se quoque erectos ad tollendam tyrannidem, neque unquam communi causæ defuturos. Hæc Mitylenæorum [c] est oratio,
de qua hodierno die disseremus; atque 3
illud inprimis observandum apud Livium libro septimo decadis tertiæ simili usa oratione Indibilem, atque Mandonium, quum a Pœnis ad Scipionem Romanum imperatorem transissent; sic enim summus historicus loquitur: *Indibilis pro utroque loquutus haudquaquam, ut barbarus, stolidè, incauteque, sed potiùs cum verecundâ gravitate, propiorque excusanti transitionem, ut necessariam, quàm glorianti, eâ velut ad primam occasionem raptâ. Scire enim se transfugæ nomen execrabile veteribus sociis; novis suspectum esse; neque eum se reprehendere morem hominum, si tamen anceps odium causa, non nomen faciat; merita inde sua in duces Carthaginienses commemoravit; avaritiam contra eorum, superbiamque, & omnis generis injurias in se, atque populares. Itaque corpus dumtaxat suum ad id tempus apud eos fuisse, animum jam pridem ibi esse, ubi jus, ac fas crederet coli; ad Deos quoque confugere supplices, qui nequeant hominum vim, atque injurias pati. Se id Scipionem orare, ut transitio sibi nec fraudi apud eum, nec honori sit; quales ex eâ die experiundo cognoverit, perinde operæ eorum pretium faciat.* Eandem usurpat sententiam apud Cornelium [d] Tacitum Segestes libro primo, qui sic ait: *amicos, inimicosque ex vestris utilitatibus delegi, neque odio Patriæ (quippe proditores iis etiam, quos anteponunt, invisi sunt) verùm quia Romanis, Germanisque idem conducere, & pacem, quàm bellum probabam.* Et sa-
nè, quum illud [e] Isocratis dictum, non ho- 4
minis ore, sed ex oraculi cortinâ promptum videatur: *Antequam amicitiam cum aliquo conjungamus, videndum etiam, atque etiam, & considerandum, quomodo sit usus amicis prioribus*; quis non amicitiam proditorum segregandam a se, & detestandam putet, quum sciat erga veteres amicos tantâ usos improbitate, ac tam injurios fuisse, ut ex quorum fortunâ suam pendere voluerant, quibuscum sacris fœderibus se conjunxerant, eos perfidiosè prodant, & hostiliter insectari parent? Ideo Polybius prudentissimus, & gravissi-

[a] Plutarch. in Apophth. & in Vitâ Romuli. [b] Idem Plutarch. in Vitâ Romul. [c] Apud Thucyd. l. 3.

[d] Cornel. Tacit. Annal. libr. 1. n. 58. [e] Isocrat. ad Demonicum.

vissimus Auctor jure miratur, quid sibi velint proditores, aut quid tandem sperent, quum & proditiones plerunque deprehendantur; & si ex animi sententiâ processerint, duces, & Reges dum sibi utiles proditores arbitrantur, magnis pollicitationibus alliciant, honorent, colant; proditione verò factâ suspectos habeant, & pro vilissimis contemnant, & interdum inimicè insectentur? Philippum Macedoniæ Regem
5 testatur Demosthenes in omnibus Græciæ urbibus nonnullos cives corrupisse pecuniâ; & antequam Patriam proderent, hospites, & amicos appellasse, & summis honoribus affecisse; proditâ verò Patria tanquam vilissima capita aspernatum; Sylla verò servum Sulpicii, qui dominum sibi prodiderat, libertate quidem donavit, libertate autem donatū e saxo præcipitem dejecit, remunerans libertate beneficium, puniens atrocissimâ morte perfidiam. Fabricius me-
6 dicum [a] Pyrrhi Regis, qui pollicitus erat Pyrrhum veneno sublaturum, & Romanos diutino, periculosoque bello liberaturum; proditorem aversatus Regi indicavit, ipsumque monuit, ut ab insidiis medici caveret. Camillus [b] quum Phalerios obsideret, magistri conditionem repudiavit, qui Principum Faliscorum Liberos in castra deductos in ejus manum tradiderat; nam graviter increpitâ magistri perfidiâ nudari, vincirique jussit; & datis flagris præceptorem discipulis tradidit in urbem reducendum, verberibusque lacerandum. Adeo proditorem odio habuit, ut maluerit diuturnâ obsidione implicari, & intolerabiles labores perferre, quàm videri victoriam debere proditori; cujus excellentem virtutem divinum Numen est remuneratum; nam viri justitiâ victi Falisci, qui nondum penitus cesserant armis, & extrema potiùs pati, quàm in Romanorum venire potestatem animis obstinarant, se, urbemque Romanis ultro dediderunt. Sed Fabricii, & Camilli divina, & vix imitabilis virtus & proditionem, & proditorem potuit aspernari; durius omnino Imperator Zeno Armatium, qui prodito Basilisco se cum ipso conjunxerat, e medio sustulit, quum diceret: *sibi fidum non futurum, qui priorem dominum prodidisset*; nam beneficio usus est proditoris, proditorem trucidavit. Ceteri etsi non
7 omnes in proditores sæviunt; tamen omnes proditores ad proditionem magnis præmiis, & pollicitationibus invitant, deinde post proditionem tanquam infidos aversantur; & unusquisque proditoribus utitur, tanquam peste, vel fame, vel morbo uteretur; quem, dum apud hostes versatur, si posset, aleret, augeret; ad suos transeuntem exterminare conaretur; ideo qui ad hostes transeunt, cavere debent, ne perfidiâ, ne levitate adducti socios mutasse videantur. Est igitur Thucydidis conscripta prudenter oratio, qua Mitylenæi apud Lacedæmonios, quos Atheniensibus prætulerunt, proditionis invidiam a se deprecantur, & perfidiæ crimen diluunt; sed quinam proditores habendi, & quibus minimè credendum sit, alio die exponemus; neque enim semper perfidi sunt existimandi, qui veteribus sociis relictis se se ad novos contulerunt.

DISSERTATIO LI.

Super eodem Argumento.

Polybius Demosthenem reprehendit, quòd omnes, qui suæ Patriæ rem ad Philippum, vel Alexandrum inclinarunt, proditores appellet. Libertatis nimio studio libertas perit. Species est libertatis velle, quod jubearis. Lastheni, quum apud Philippum quereretur, cui Olinthum prodiderat, quòd se proditorem appellarent, respondit Philippus, Macedones esse subrusticos, scapham quippe scapham *nominare. Proditores sunt, qui lucri causâ, aut aliâ cupiditate ducti Patriam produnt, quales multi recensentur; contra verò nonnulli Patriæ saluti, aut suæ prospicientes proditores habendi non sunt. Theramenes cothurnus est appellatus, quia ad omnem Reipublicæ statum se se conformaret. Ciceronem etiam duabus sedere sellis cavillabantur invidi. Proditoribus fidendum, quum non habent, ad quem deficiant, & salutem desperant; exemplo fuerunt Campani, & Brutii, qui quum a Romanis defecissent, Pœnos nunquam deseruerunt; iccirco seditionis auctores ad ea facinora populum solent impellere, quorum veniam sperare non possint.*

Thucydidis egregiam sententiam hesterno die illustrabamus, Auditores ornatissimi, qua summus Auctor affirmat eos, qui a sociis defecerunt, iis, quos anteponunt, esse jucundos propter utilitatem, quam afferunt; sed quia proditores habentur veterum sociorum, contemni, viderique Mortalium deterrimos, & meritò quidem; quis enim sibi fidum speret, quem recenti exemplo admonetur erga alium fuisse infidelem? sed quia non omnes, qui sociis relictis ad eorum hostes se se contulerunt, & novam veteri amicitiam præ-

a Tit. Livius libr. 42. & Plutarch. in Vitâ Pyrrhi.

b T. Livius libr. 5.

præoptarunt, perfidiæ vitio laborant; multique, & qui transfugerunt, & qui a sociis ad hostes defeciverunt, in officio constantissimè permanserunt, & meliore fide novos amicos, quàm veteres coluere, spectandas esse causas defectionis hodierno die dicam; & qua ratione quis possit proditionem a justâ defectione, perfidiam ab electione melioris partis, levitatem a certo judicio distinguere; nam illud constat multos non pœnituisse fidei transfugarum, &
1 eorum, qui ad se [a] defecerant. Mutines tradito in potestatem Romanorum Agrigento a Pœnis transfugit ad Romanos, neque unquam proditor vilis est habitus; sed & civitate donatus, & præmiis auctus est amplissimis; nec unquam fregit fidem, sed ejus forti, fidelique operâ in bello Romani sunt usi. Hiero Siciliæ Rex [b] bello Punico primo steterat a Pœnis, deinde mutatâ sententiâ icto cum Romanis fœdere Pœnos oppugnavit; omnium Regum fidelissimum socium Romani Hieronem habuerunt; sæpe primo Punico bello magnis cladibus afflicta Respublica pœne concidit, & eversa est; sæpe secundo bello Punico Carthaginiensium vi concussum nutavit imperium Romanorum, nunquam Hieronis fides, virtusque contremuit; semper ejus Regnum certissimum præsidium Romanis fuit; nonaginta vixit annos Hiero, & eundem vitæ finem habuit, & fidei erga Romanos. Et ne singulos homines duntaxat nominem, populi universi desciverunt, & novam veteri societatem prætulerunt; & tamen iis, quorum fortunam sequuti sunt, fidem integram, inviolatamque servarunt. Achæi [c] magnis affecti fuerant a regiâ Macedonum domo beneficiis, quam multis officiis coluerant; & tamen amicitiam Romanam amplexi Philippi societatem repudiarunt; nec iis erga novos socios fides defuit, quam & bello adversus Philippum, & adversus Persen præstiterunt. Sed fuit
2 ratio, cur & transfuga Mutines non pro proditore haberetur; & Hiero Romanam, quàm Punicam societatem majore fide, & constantiâ coleret; & Achæi sine ullâ perfidiæ notâ a Philippo desciscerent. Nam Mutines [d] propter eximiam virtutem militarem invisus Hannoni Pœnorum imperatori, & propter invidiam intolerabili affectus injuriâ, & honore spoliatus ad Romanos transire maluit, quàm in Carthaginiensium castris cum tanto periculo, ignominiaque versari; & Hiero unà cum Pœnis, quos adjuverat, magnâ pugnâ victus a Romanis, quum perpensis utriusque populi copiis, opibus, virtute bellicâ, Romanam rem superiorem futuram prævidisset, fœdus cum populo Romano fecit, satis ductum amicitiæ Pœnorum arbitratus; pro quibus florentissimum exercituum amiserat; nec sibi committendum existimavit, ut propter verecundiam veterum sociorum regnum suum in extremum discrimen adduceret; neque enim ullâ fœderis necessitate astringebatur pro salute, imperioque Pœnorum usque ad excidium suæ gentis cum eorum hostibus bellum gerere. Mo-
vit etiam virum sapientem virtutis existimatorem ea, quæ non falsò illâ tempestate prædicabantur, justitia, & continentia, & mansuetudo, & fides Romanorum, quam Carthaginiensium perfidiæ, crudelitati, avaritiæ anteponendam meritò judicavit. Et Achæi quum viderent Philippum Demetrii filium a mansuetudine, clementiaque Majorum, & a se ipso degenerare, & esse gravem Græciæ libertati, immo multos populos in servitutem redegisse, & ceteris insidias moliri; contra autem Romanos cum exercitu mare trajecisse, quo Græcos Macedonum jugo liberarent, impedimento esse Romanis Græciam liberantibus, & morigerari Philippi cupiditati videri noluerunt. Atque hæ sunt causæ, quas intueri
oportet, antequam eos, qui desciscunt, & 3
nostram fidem sequuntur, perfidiæ condemnemus; spectandum est an injuriis lacessiti, præterque jus, & æquum gravi, & intolerandâ servitute pressi; an imminenti periculo territi, ac suæ, suorumque saluti consulentes fidem mutarint. Idcirco Polybius in excerptis de vitiis, atque virtutibus Demosthenem reprehendit, quòd omnes, qui suæ Patriæ rem ad Philippum Alexandri Magni patrem, vel ad Alexandrum inclinarunt, appellet proditores, & acerbissimis maledictis proscindat. Neque enim in Arcadiâ Cercidam, & Hieronymum, atque Eucampidam; neque in Messeniâ Neonem, & Thrasylochum, neque Argis Myrtim, & Teledamum, & Mnaseam; neque in Thessaliâ Daochum, & Cyneam; neque in Bœotiâ Theogitonem, & Timolaum; nec apud alios populos alios fuisse Græciæ proditores, quia res ad Philippum traxerint, quum ita Reipublicæ tempora postularent; illos esse proditores, qui cupiditatis explendæ, vel lucri causâ Patriam redigunt in servitutem. Quamquam quod ad Philippum attinet, nec ipse Polybius au-
dest pernegare Philippum multos ad Pa- 4
triam prodendam auro perpulisse; de quo Horatius [e] dixit:

...... diffidit urbium
Portas vir Macedo, & subruit æmulos
Reges muneribus......

Quod ipse Philippus indicavit, qui quum quod-

[a] T. Liv. lib. 26. [b] Idem l. 22. [c] Idem lib. 32. [d] Idem lib. 26. [e] Horat. lib. 3. Od. 16.

quoddam oppidum esset oppugnaturus, & a-
mici affirmarent esse munitissimum, & pro-
pter loci naturam prorsus inexpugnabile, re-
spondit [a] *nullam arcem esse inexpugnabilem,*
quam onustus auro asinus ingredi possit. Poly-
bio tamen concesserim potuisse nonnullos,
qui studebant Philippi rebus, non esse pro-
ditores; nam si videbant Philippum eò po-
tentiæ processisse, ut obsisti non posset Græ-
ciam in servitutem redigenti; si de Græ-
corum libertate meritò desperabant, bene,
ac sapienter Patriæ saluti prospexerunt;
quam habere dominum mitem, placatum,
amicum, quàm inimicum, & iratum ma-
luerunt; & obsequendo Philippi volunta-
ti, ne penitus servire necesse esset, sunt
consequuti; nam verè Lucanus dixit, & ar-
gutè libro tertio:

..... *libertas populi, quem regna coërcent,*
Libertate perit, cujus servaveris umbram,
Si, quidquid jubeare, velis.....

Nec eos quidem reprehenderim, si neces-
se fuit vel Macedoni Græciam servire, vel
Atheniensibus, & Philippum sequuti sunt,
quia Philippi imperium pati, quàm Athe-
niensium, Græciæ, Patriæque magis expedire
judicabant; sin autem spes aliqua supererat
libertatis, communi causæ haudquaquam
deesse debebant; quamvis utile Patriæ vi-
deretur ad Græciæ libertatem defenden-
dam non conspirare. Exemplum ipsis præ-
5 buerant Athenienses, qui quum Xerxes ip-
sis imperium Græciæ polliceretur, si suis
jussis obsequi, & Græciæ causam prodere
voluissent; adire summum discrimen, &
Patriam relinquere, quàm cum Barbaro
consentire ad inferendam Græciæ servitu-
tem maluerunt. Illud autem a Polybio ve-
rissimè dictum est eos esse proditores, qui
avaritiâ adducti, vel aliâ cupiditate Pa-
triam, vel eos, quos tueri debebant, tra-
dunt in hostium potestatem; quocirca præ-
clarè Virgilius ita describit Patriæ [b] pro-
ditorem:

Vendidit hic auro Patriam, dominumque po-
tentem
Imposuit......

Proditor Darii fuit [c] Bessus, qui regnandi
6 cupidus, ratusque, si Alexandro Darium
in manus tradidisset, Bactris, quæ a Dario
tanquam Prætor acceperat, se Regem im-
peraturum, Darium vinxit, ac deinde tru-
cidavit; quem Alexander tanquam scele-
stissimum proditorem nudum in suum con-
spectum jussit adduci, flagrisque lacerari,
ac deinde extremo supplicio affici; sunt,
qui tradant inflexis magnâ vi duarum ar-
borum ramis alligatum, iis deinde remis-
sis, & in naturalem situm tendentibus, in
duas partes esse discerptum; eodemque sup-
plicio affectum, quo [d] Tullus affecit Me-
tium proditorem, quem duabus quadrigis
alligatum equis concitatis, & in diversa
tendentibus distractum esse ferunt. Prodi-
tores [e] fuere Celtiberi, qui mercede con-
ducti a Scipione, acceptâ a Pœnorum im-
peratore pecuniâ, in ipso articulo pugnæ
conserendæ Romanos reliquerunt; quo
præsidio nudatus exercitus Romanorum
fusus, fugatusque est; & Scipio fortissi-
mus imperator in acie cecidit. Proditor
fuit [f] Lasthenes, qui Olynthum Patriam
suam corruptus auro, & pollicitationibus
Philippi adductus in Macedonum tradidit
potestatem, & ad hostes transivit; qui quum
apud Regem quereretur, quòd nonnulli
Macedonum ipsi proditionem exprobra-
rent, & proditorem appellarent, respon-
disse fertur Philippus: *ignoscas oportet Ma-*
cedonibus, sunt enim urbanitatis expertes, &
subrustici; Scapham quippe Scapham solent no-
minare. Prodidit [g] quoque Patriam Tarpe-
ja, quæ proditionis pacta mercedem armil-
las aureas, aureosque anulos, quos vulgò
gerebant Sabini, Tatio Tarpejam arcem
patefecit. Et ne omnes proditores putetis
auri, vel honorum, & potentiæ cupiditate
adductos iis, quibus minimè debent, esse
infideles; exemplum referam filiæ Regis
Æthiopum, quæ Mosis Ægyptiorum ducis
amore capta, & ejus pacta nuptias Ægyptiis
portas aperuit, & hostes in urbem recepit.
Quæ exempla declarant, qui sint habendi 7
proditores; quæ idcirco attuli, nequis cla-
rissimos viros tam fœdo nomine appellan-
dos esse arbitretur; neque enim aut The-
mistocles [h] ille, qui ab ingratis civibus
pulsus, & ab omni Græciâ exagitatus, ca-
pitisque damnatus Persarum opem implo-
ravit, & pollicitus est contra Græcos arma
sumpturum; neque [i] Alcibiades, qui in
Patriam ad causam capitis dicendam vo-
catus, quum se videret invidiæ flammâ,
quam inimici conflarant, conflagraturum,
transfugit ad hostes, & multis incommo-
dis affecit Atheniensium civitatem; neque
Marcius [l] Coriolanus, qui tribunitiis pro-
cellis jactatus, coactusque exilii causâ so-
lum vertere intulit Patriæ bellum, dicen-
di sunt proditores. Quamquam rectiùs om-
nino [m] Camillus, qui eadem affectus cala-
mitate Patriæ non succensuit, neque bel-
lum molitus est; sed tempus expectavit,
quo Patriam beneficio, non injuriâ recu-
peraret. Nec illi quidem in proditorum
numerum sunt aggregandi, qui mutatis

a Cicer. ad Atticum libr. 1. Epistol. 13. b Virgil. libr. 6. Æneid. c Plutarch. in Vitâ Alexandri. d Tit. Liv. libr. 1. & Virg. libr. 8. Æneid. e Tit. Livius libr. 25. f Cal. Rhodigin. libr. 8. cap. 3.

g Tit. Livius libr. 1. h Plutarch. in Vitâ Themistoclis. i Idem in Vitâ Alcibiadis. l Tit. Livius libr. 2. m Idem Liv. libr. 5.

Reipublicæ temporibus, velificatione mutata, partes, quas fuerant sequuti, reliquerunt. Theramenes [a] insignis vir cothurnus ab invidis, & malevolis est appellatus; quia quemadmodum cothurnus utrique pedi congruebat, & aptabatur; ita [b] ille ad omnem Reipublicæ statum suam rationem accommodaret, & modò optimatum partes sequeretur, modò populi; nemo tamen prudens rerum æstimator proditorem Theramenem, sed omnes boni clarissimum, fortissimumque civem nominarunt. Cicero [c] acie Pharsalicâ victis Pompeji partibus, & Ptolemæi scelere Pompejo trucidato, noluit infinitam spem sequi; veniam a victore Cæsare impetravit, deseruit partes, quas fuerat sequutus, quas foverat; quamvis & Pompeji Liberi, & plerique eorum, qui ex pugnâ Pharsalicâ superfuerant, & ipse Cato [d] afflictas partes refoverent, desperlasque colligerent, & ingens bellum adversùs Cæsarem concitarent; nemo tamen Ciceronem proditorem putavit; qui ejus gloriæ invidebant, asperrimeque de eo loquebantur, duabus sedere sellis cavillabantur; quo dicto, ut in Theramene, ita in Cicerone inconstantiam, non proditionem, licet immerito, arguebant; sed exemplorum satis. Hoc habito delectu, & pro-
8 ditoribus ab omni alio hominum genere separatis, iis minimè credendum, hi levissimi judicandi, hi deterrimi Mortalium sunt habendi, qui fidem fregerunt, qui veteres socios perfidiosè reliquerunt, & iis, quos tueri debuerant, exitium parant. Incidunt tamen tempora, quum tutò proditoribus credas, quum nimirum ad quem deficiant, non habent; nam interdum permanent in officio, quia nisi maneant, omnem ad salutem viam sibi præclusam vident. Campani a Romanis [e] defeciverant, Pœnosque in urbem receperant, qui soli sociorum poterant afflictam Romanorum fortunam sublevare; & tamen Hannibali datam fidem nunquam violarunt; perpessi sunt diuturnæ obsidionis mala, nec periculo Patriæ sunt deterriti, quominus in suscepto consilio perseverarent; & ad extremum, quum ratio nulla expediendæ salutis ostenderetur, multi principes civitatis veneno sumpto sibi necem consciscere, quàm urbem Romanis dedere maluerunt. Quæ Campanorum pervicacia ex desperatione salutis nata est, quia graviùs Romanos offenderant, quàm ut se veniam impetrare posse confiderent. Brutii [f] quoque, qui primi Italorum ad Hannibalem defecerant, nunquam rebellarunt; & dum Punicum bellum mansit, semper & florentem, & afflictam fortunam Pœnorum sequuti sunt, quia atrocitate peccati sibi spem salutis omnem, clementiæque Romanæ præciderant. Id spectantes interdum seditionis auctores ad ea facinora populum solent
impellere, quorum veniam se non speret 9
inventurum; Spendius, & [g] Matho, qui Carthaginiensium mercenarios milites ad bellum inferendum urbi, pro cujus imperio tantum laborum susceperant, concitarant, persuaserunt ipsis, ut Gisconem, & sexcentos ex primoribus civitatis in vincla conjicerent, & deinde membratim laceratos, & omni cruciatu affectos trucidarent; quo scelere perpetrato sic efferati sunt animi conjuratorum, ut omnes usque ad exitium in furore perseverarint; solumque id bellum fuisse memoretur, in quo nemo eorum, qui arma tulerant, superfuerit, sed ad unum omnes fuerint occidione deleti.

DISSERTATIO LII.

De Atheniensium imprudentiâ in inchoando bello Syracusano.

Eos, qui in alienas regiones bellum intulerunt, celeritate præstare oportet; contra qui in suâ regione se defendunt, cunctando plerumque bene rem gerunt; utrumque satis multis exemplis confirmatur, & rationibus. Alexander, qui tot, ac magna bella confecit, viginti natus annos imperium suscepit, trigesimotertio ætatis anno fato concessit. Hannibal nondum exacto triennio quatuor Romanorum exercitus fuderat; & principio belli nullam urbem obsedit. Scipio uno die novam Carthaginem inexpugnabile propemodum oppidum expugnavit. Arabes, & Scythæ fuere semper indomabiles, quia nullam certam sedem haberent.

Livius historiæ Romanæ princeps, quæ præcipua utilitas ex historiæ cognitione capiatur in præfatione totius operis non minùs verè, quàm eleganter his verbis docet: *hoc illud est præcipuè in cognitione rerum salubre, ac frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri; inde tibi, tuæque Reipublicæ, quod imitere, capias; inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.*
Ex quibus intelligi potest ex historiæ le- 1
ctio-

---

[a] Plutarch. in Vitâ Niciæ. [b] Thucydid. libr. 8. & Xenophon. de Rebus Græcorum libr. 2 & Cicer. Tuscul. Quæst. libr. 1. [c] Plutarch. in Vitâ Ciceronis, & in Vitâ Cæsaris, & Pompeji. [d] Idem in Vitâ Catonis. [e] Tit. Livius libr. 23. [f] Idem Livius ibid. [g] Polybius Histor. libr. 1. & Cæl. Rhodiginus libr. 29. cap. 2.

ctione exemplorum copiam comparandam, & ex exemplis imitanda meliora, deteriora fugienda; observandumque inprimis, qua quidque ratione gestum sit, & quinam rem gestam exitus consequatur; & licet eventus infelix non semper arguat consilii pravitatem, tamen eum praecipuè attendendum; nam exitus rei plerunque nos quasi manu ducit ad cognoscendum, quid rectè, perperamve sit factum. Idcirco nos, qui Graecorum historicorum principem illustrandum suscepimus, non insuper habemus curam, quid in quaque re peccatum sit, Auditores, quid rectè, atque ordine factum exponendi; quod exemplum vitandum, quod consectandum admonendi, reddendique rationem, cur alia incepta exitus infelix, alia fortunatus exceperit; sicut hodierno die facimus; nam considerabimus belli gerendi rationem, qua usi sunt Athenienses, quum Syracusas obsessum in Siciliam classem appulissent. Athenienses igi-

2 tur, quum copias in litus exposuissent, & Siciliam terrore complessent, tempus triverunt, quà legatis ad Siciliae civitates mittendis, quà Selinuntiorum, Egestanorumque discordiis componendis, quà pecuniis ab Egestano populo exigendis, quà tentandis animis aliarum civitatum, quà oppidulis quibusdam subigendis, spatiumque Syracusanis dedere sui colligendi, & belli impigre comparandi. Id autem pessimo consilio ab Atheniensibus factum docebimus; Syracusani quippe, quum satis nunquam credidissent ausuros Athenienses, quum domi tantâ belli mole premerentur, Siciliam bello lacessere, ea, quae vel obsidioni tolerandae, vel hostibus refutandis conducerent, non satis paraverant; & insuper terrore tantae classis adventantis perculsi fuerant; ob eamque causam facilè vinci poterant, & perdomari, si statim Athenienses imparatos oppressissent; nec tempus dedissent Syracusanis e Peloponeso auxilia accersendi, docendique ceteras civitates non sibi tantùm infestos Athenienses venire, sed omnium Siculorum libertati, & bellum ingens totâ ferè conspirante Siciliâ concitandi, & classem apparandi, & milites, & socios navales exercendi. Sed profectò fatalis fuit ea socordia Atheniensium populi alioquin impigri, minimeque cunctatoris; & sicut id illi bellum imprudenter susceperunt, ita imprudentiùs inchoarunt; nam iis, qui longinquis regionibus bellum intulerunt, perniciosa cunctatio est. Agendo praedas, manus cum hoste conserendo, agros ferro, igneque populando, expugnandis urbibus terror augetur, quem advena incussit exercitus; hac arte summi duces magna imperia everterunt. Agesilaus [a] quum in Asiam trajecis-

set, duorum annorum spatio tantas res gessit, tot urbes expugnavit, tot ad deditionem compulit, tam prosperè cum hostibus dimicavit; ut imperium Persarum eversurus fuisse videatur, nisi fuisset ab Ephoris ad opem ferendam Patriae revocatus. Nunquam ille passus est exercitum otiari, semper, ubi hostes non putassent, improvisus aderat, circumferendis armis, agris depopulandis, diripiendis oppidis tantum Persis terrorem injecit, ut jam de suis rebus desperarent; tantum praedae abegit, ut nunquam non ejus copiae commeatu in hostili terrâ abundarint, omnesque ejus milites ditescerent, & ex decimâ parte praedae, quae in publicum redacta erat, centum talenta conficerentur; quae ille Delphos donum Deo misit simul pius, & fortis imperator. Quid [b] Alexander ille Macedo, qui non 4

majore virtute, quàm Agesilaus, sed meliore fortunâ iisdem hostibus intulit bellum? num postquam trajecto Hellesponto in hostium terram exposuit suas copias, usquam cunctatus est? num unquam Persis respirandi spatium dedit? Vix attigerat Asiam, & jam ad Granicum amnem cum Persis pugnam committebat; quo tempore quum hostes in alterâ fluminis ripâ constitissent, & Parmenio suaderet, ut expectaret, dum Persae de ripâ discederent; non ausuros quippe tam impares peditatu in propinquo diu castrametari; adderetque ripam esse praealtam, nec ascensu facilem, difficilioremque ascensum fieri Persis de superiore loco pugnantibus, ascendentesque detrudentibus in flumen; maluit adire periculum summum, quàm cunctando fateri Macedonibus pares esse Persas. Quid reliquum bellum, num minore celeritate administravit? Vix [c] quisquam lustrandi Orbis gratiâ tam brevi spatio tantum terrarum obivisset, quantum ille victoriis peragravit, qui ab Jonio mari usque ad Hypasin, & Hydaspem nationes debellavit; qui viginti natus annos suscepit imperium, trigesimo tertio transgressus Liberi Patris, & Herculis terminos Babylone fato concessit; quum non solùm gentes, quae ad Orientem pertinebant, domuisset, sed etiam Scythas, & Thracas contudisset; & imperium usque ad adustam Mundi plagam propagasset. Quem impetum Alexandri solum es- 5

se Persis pertimescendum Memnon Rhodius [d] quum intelligeret, auctor erat Darii ducibus, ut bellum ducerent, nusquam cum Macedonibus acie dimicarent; fru-

[a] Plutarch. in Vitâ Agesilai. [b] Idem Plutarch. in Vitâ Alexandri. [c] Arrianus de Expeditione Alexandri, & Q. Curtius de ejusdem rebus gestis.

[d] Arrianus de Expeditione Alexandri lib. 1.

frumenta corrumperent, villas incenderent, exscinderent urbes; Alexandro in hostili, vastaque regione bellum gerenti pecuniam, & commeatum defuturum; Persarum victoriam in eo verti, si Macedonum victoriam morarentur. Nec alio spectabat consilium Graecorum, qui Dario suadebant, ut divideret copias; nam si Darius in tot validos exercitus, in quot dividi poterant, copias divisisset, diutissimè trahi bellum poterat, & senescendum fuisset Alexandro, antequam omnes profligasset; & aut inopiâ commeatus Macedones periissent, aut ab hostibus circumventi omnes internecione occidissent. Sed fatale fuit Alexandro duce Europae Asiam succumbere; itaque Persae salubribus consiliis aures occluserunt; qui si a prudentissimis viris non monerentur, a rerum gestarum monumentis poterant admoneri, eos, qui in hostium regionem induxerunt exercitum, qui magna imperia evertere aggrediuntur, impetu valere, celeritate, audaciâ in aciem copias educendo, hostibus lacessendis, terrore belli latè circumferendo, pugnando solere assequi id, quod expetiverunt; & iis, contrariis artibus occurrendum. Neque enim Cyrus[a] ille, qui fundavit Imperium Persarum; neque Ninus, & Semiramis, qui Assyriorum potentiam ad summum fastigium evexerunt, ullâ aliâ arte, quàm impigre rem gerendo, nec usquam cunctando innumeras gentes in suam potestatem redegerunt; & fulminis ritu prius cuncta prostraverunt, quàm quisquam moveri posse credidisset; quibus domesticis exemplis docti, & quid Alexandro expediret, & quid sibi cavendum esset, poterant pervi-
6 dere; sed mitto res Asiae. Hannibal quum audaci[b] conatu Alpes transcendisset, qua ratione bellum illud Italiae prope fatale administravit? non toto exacto triennio quatuor exercitus Romanos fudit; ab Alpibus descendens torrentis modo Italiam totam belli diluvio inundavit, obruit, pessumdedit; &, ne qua mora cuncta rapienti objiceretur, primis illis annis, quibus Romanorum potentiam tremefecit, nullius urbis obsidione voluit implicari; ne dum circa urbes exercitus Poenorum sedet, reciperent animum Romani, qui tot cladibus perculsi Poenorum nomen, nedum arma, horrescebant; sciebat enim deletis exercitibus Romanis, urbes a victis ad se sponte defecturas; nec ea res fefellit hominem longè perspicacissimum; nam post Cannensem cladem cuncta paene Italia a Romanis defecit ad Poenos. Quid[c] Scipio, qui se-
7 gnem in Italiâ adversus Hannibalem militiam aspernatus exercitum in Africam transportavit, cunctandone, an agendo intra biennium majores intulit Africae clades, quàm Italiae Hannibal sexdecim annis intulerat? Meritò summus[d] Poëta Scipionem belli fulmen appellat; nam sicut fulmina momento temporis altissima quaeque percellunt; ita Scipio semper congressus cum hostibus victoribus, & in summo fortunae fastigio collocatis, eorum potentiam contudit, & evertit. Nam &[e] in Hispaniam missus, quam quatuor exercitus Poenorum, quatuor duces victores obtinebant, afflictis in eâ provinciâ duplici clade rebus Romanorum, ac vix audaciâ Martii aliquantum erectis, uno die Carthaginem novam munitissimum oppidum, ac propemodum inexpugnabile, quò omnem bellicum apparatum Poeni congesserant, ubi omnes Hispanorum obsides collocarant, expugnavit, Poenos victores vicit, expulitque Hispaniâ, Hispanos rebellantes contudit; & non dum exacto quadriennio Hispaniam universam a Pyrenaeis jugis usque ad Oceanum pacavit. In Africâ[f] verò quantos, & quàm brevi Syphacis, & Poenorum exercitus delevit? Carthaginem erectam in spem Orbis terrarum potiundi coëgit obsidionis mala, & servitutem, & excidium pertimescere; Hannibalemque invictum ducem, & ejus exercitum tot insignem trophaeis vicit; & biennio victoriam, qua nulla major, nulla clarior, nulla speciosior unquam fuit, est consequutus. Nam & Poenos debellavit, quorum potentia nulli secunda habebatur; & Hannibalem superavit imperatorem, quicum paucissimos ex omni aevo, & fortasse neminem conferas; & exercitum, quo nullus unquam fortior, nullus ferocior, nullus magis induratus laboribus fuit, profligavit. Possem Caesaris[g] exemplo uti, qui subegit Gallias, Aegyptum, Pontum, Mauritaniam non sedendo, sed acriter dimicando, nullamque occasionem rei bene gerendae omittendo; possem aliorum; sed vel haec exempla sunt satis, vel nulla sunt suffectura. Si-
cut autem qui bellum infert a lentis con- 8
siliis plerunque debet abhorrere; ita qui illatum repellit saepe numero meliùs rem gerit cunctando, quàm fortunae se committendo. Cunctatio[h] Fabii Maximi magis Hannibalem terruit, quàm non dico Sempronii, vel Flaminii, vel Varronis ferocia ducum magis temerariorum, quàm fortium; sed quàm Marcelli praestantissimi imperatoris pugnacitas, & fortitudo, qui nec victor, nec victus poterat quiescere. Itaque dum bellum Fabii artibus trahebatur, licet toties victor Hannibal absistere irri-

[a] Xenophon de Expeditione Cyri, & Justinus Historiar. libr. 1. [b] Tit. Livius libr. 21. & sequent. [c] Tit. Livius libr. 30. [d] Virgil. libr. 6. Æneid.

[e] Tit. Livius libr. 28. [f] Idem libr. 30. [g] Plutarch. in Vitâ Caesaris. [h] T. Liv. libr. 22.

irrito incepto, & Italiam relinquere cogitabat; Marcelli autem vi nunquam coactus est de victoria desperare. Scythæ, quum [a] Darius innumerabiles copias in eorum regiones induxisset, detrectando certamen, in vastas solitudines fugiendo, nullamque hostibus occasionem dando rei gerendæ in eas angustias Darium redegerunt, ut parum abfuerit, quin cum toto exercitu fame interiret. Atque hac de causa Arabes, & Scythæ fuere semper indomabiles; quum enim nullam certam sedem habeant, nunquam coguntur cum hoste congredi, ac pro aris, ac focis dimicare; itaque senescant hostium vires, & ad irritum cadant omnes eorum conatus, necesse est. Sed hi magnâ mercede hanc nullius exterorum imperio obnoxiam libertatem consequuntur; carent plerisque commodis [b] vitæ, carent urbium pulchritudine, carent ceterorum Mortalium commercio, carent artibus, carent humanitate, magnam soli partem coguntur incultam relinquere: efferantur illâ vitâ vagâ, quæ ferarum vitæ est, quàm huminum similior, & semper exules vivunt. Ceteris Mortalibus licet & habere urbes, & colere hominum cœtus, & in omni jucunditate vitæ, & humanitate versari; & siquando ingruit bellum, siquando in eorum regiones hostiles copiæ impressionem fecerunt, non se, Remque publicam in casum dare; sed variis artibus hostem eludere, & abstinendo a prœlio bellum infestius facere. Rationes autem,
9 quibus & qui inferunt bellum, lento bellandi genere non debeant uti, & qui illatum defendunt, plerunque debeant, affert apud Livium Fabius Maximus libro vigesimosecundo, quem operæpretium est audire; sic autem loquitur prudentissimus imperator: *In Italiâ bellum gerimus, in sede, ac solo nostro, omnia circa plena civium, ac sociorum sunt; armis, viris, equis, commeatibus juvant, juvabuntque. Id jam fidei documentum in adversis rebus nostris dederunt; meliores, prudentiores, constantiores nos tempus, diesque facit. Hannibal contra in alienâ, in hostili est terrâ, inter omnia inimica, infestaque, procul a domo, procul a Patriâ; neque illi terrâ, neque mari est pax; nullæ eum urbes accipiunt, nulla mœnia, nihil usquam sui videt, in diem rapto vivit; partem vix tertiam ejus exercitus habet, quem Iberum amnem trajecit, plures fames, quàm ferrum absumpsit; nec his paucis jam victum suppeditat. Dubitas ergo quin eum sedendo superaturi simus, qui senescat in dies; non commeatus, non supplementum, non pecuniam habeat?* Hactenus Livius, cujus rationes, licet ad Hannibalem, ejusque hostes Romanos pertinere videantur, liquet & in ceteros convenire. Quibus addimus illam, quæ maximi momenti est; qui infert bellum terrore plerunque valet, videturque potentior esse, & superior viribus; nec est ulla gens, quæ quum hostem sese invehentem videat, quum ardere novum bellum in suâ terrâ sentiat, non metu consterneatur; is autem metus, nisi aliis subinde, atque aliis rebus prospere gestis, & audacibus hostium inceptis augeatur, exolescat, necesse est; redeat autem animus perculsis, & qui jam de suis rebus desperabant, in spem meliorem erigantur. Imprudenter igitur fecerunt Athenienses, qui interpositâ longâ morâ passi sunt terrorem, quem tam audaci conatu Syracusanis incusserant, senescere.

DIS-

[a] Herodotus libr. 4. [b] Idem Herodotus libro 4. cap. 46.

DISSERTATIO LIII.

De Exercitibus recenſendis, atque luſtrandis, & de luſtris, & luſtrationibus.

Xerxes loco, qui Doriſcus appellabatur, & decem millia hominum capiebat, innumerabiles ſuas copias recenſuit. Darius Charidemum hoſpitem, quòd utile, ſed non gratum conſilium dederat, interfici juſſit. Utiliſſimum eſt exercitum recenſere (licet id Syphaci exitio fuerit) propterea nulli ferè duces, aut poëtæ id omiſerunt. Pythius, quum multos dies Xerxis exercitum aluiſſet, Regem rogavit, ut ex quatuor Liberis uni militiæ vacationem concederet; ille verò juvenem in duas partes diſſecari juſſit, & inter eas exercitum tranſire. Curtius pompam exercitus Perſarum tanquam ad bellum proficiſcentis deſcribit; ſed ea eſt exercitus luſtratio. Sacro, quod ſuovetaurilia dicebatur, quia ſuem, ovem, taurum immolarent, exercitum Romani luſtrabant, ut habetur ex Livio; Dionyſius Halicarnaſſeus tamen prodidit arietem, taurum, & hircum in luſtris mactari. Luſtrum, & Olympiades quincto quoque anno celebrabantur; ideo pro quinquennio a poëtis accipiuntur; ſed quatuor duntaxat annos continebant. Luſtrum Cenſorinus appellat annum magnum; alii aliud temporis ſpatium hoc nomine accipiunt; hujus anni brumam eſſe diluvium, æſtatem Mundi incendium nonnulli prodiderunt. Apollonius Thyaneus, quum Epheſus peſte laboraret, perſuaſit populo, ut hominem mendicanti ſimilem lapidibus obrueret, & id quaſi piaculum peſtilentiæ ad Inferos mitteret; cauſabatur enim ipſum eſſe Dæmonem, qui civitatem eâ clade vaſtaret. Romani, quum tres Veſtales corruptæ fuiſſent, libris ſibyllinis moniti duos Gallos, & duas Græcas mulieres vivas ſub terrâ defoderunt. In ſacro ambarvali hoſtiæ a duobus fratribus immolabantur; unde illud appellatum ſit. Ruſtici in Galliâ, etiam quum Chriſtiana religio per totum Orbem invaluiſſet, agros luſtrabant. Oſcilla ſunt funes, quibus ad arborem, aut trabem alligatis aſſer ſuſpenditur, cui inſidet ludens, & huc, illuc aſſerem movet, & movetur, exprimitque imaginem vitæ, in qua ſimili modo a fortunâ jactamur. Luſtrationes aut aquâ fiebant, aut igne, quum in Palilibus flammas tranſilirent, aut aëre, ut in Oſcillorum ludo; quia animus his tribus elementis purgatur. Ceritus *apud Plautum* inſanum *ſignificat, &* circumferri, luſtrari. *Sacres porci dicuntur, qui ab ubere depulſi ſunt; & myſticæ hoſtiæ appellantur a Tibullo, quia Cereris victimæ ſunt. Dies, quo luſtrabantur infantes, dicebatur luſtricus; & quia eodem etiam nomina maribus quidem tria, feminis verò duo imponebant, nominalia Tertullianus appellat. Superſtitio veterum Chriſtianorum imponendi nomen ex cereo, qui tradiùs extingueretur, ut puer diutiùs viveret. Feminæ priùs, quàm mares perficiuntur. Septimo die plerіſque infantibus ſolvitur umbilicus. Par numerus feminæ, mari impar comparatur. Octonarius numerus, quum ſit primus cubus, congruit feminæ, quam domi manere, nec mutare viros decet. Luto volutabantur ſuperſtitioſi, ut animi labem deponerent; luto etiam ſalivâ confecto feminæ luſtrabant infantes; hinc Perſii locus explicatur. Verba, quibus omnia fauſta pueris ominabantur, ipſorum fata appellabant; ex quo habetur Auſonii interpretatio.*

ANtequam Athenienſes aggrederentur, & obſidione cingerent Syracuſas belli caput; quibus captis, vel ad deditionem compulſis totâ ſe ſperabant Siciliâ potituros, narrat noſter Auctor copias recenſuiſſe; idem feciſſe tradit Syracuſanos, qui in prato non procul ab Anapo flumine exercitum luſtrarunt. Nam [a] de Athenienſibus ait: οἱ δὲ Ἀθηναῖοι ταύτης τῆς νυκτὸς τῇ ἐπιγιγνομένῃ ἡμέρᾳ ἐξητάζοντο: huc eſt: *Athenienſes autem die, qui eſt hanc noctem proximè conſequutus, copiarum numerum inierunt*; de [b] Syracuſanis: οἱ μὲν ἐξελθόντες πανδημεὶ ἐς τὸν λειμῶνα παρὰ τὸν Ἄναπον ποταμὸν ἅμα τῇ ἡμέρᾳ (ἐτύγχανον γὰρ αὐτοῖς ϗ οἱ περὶ τὸν Ἑρμοκράτην στρατηγοὶ ἄρτι παρειληφότες τὴν ἀρχὴν) ἐξέτασίν τε ὅπλων ἐποιοῦντο, ϗ ἑπτακοσίους λογάδας τῶν ὁπλιτῶν ἐξέκριναν hoc eſt: *illi verò egreſſi ex urbe vulgò in pratum, quod ad Anapi fluminis ripam pertinet (quippe, qui cum Hermocrate creati fuerant imperatores, ſuſceperant recens magiſtratum) exercitum in conſpectum dederunt, & priùs ex omni numero ſeptingentos delectos juvenes ſecreverunt*; ad quem locum nonnulla dicemus hodierno die, & conſequentibus, quæ ad hunc luſtrandi exercitus morem, & ad ceteras luſtrationes pertinere videbuntur. Solere duces, antequam bellum ineant, antequam ad 1
rem gerendam proficiſcantur, ſuas copias recenſere, ſuas copias in conſpectum dare, & quibusdam etiam ſacrificiis, & cæremoniis expiare pervulgatum eſt. Declarant id poëtæ, declarant hiſtorici ferè univerſi; exempla poëtarum legas apud Homerum libro ſecundo Iliados, ubi inducit Agamemno-

a Thucydid. libr. 6. b Idem ibid.

memnonem, antequam cum Trojanis prœlium committat, Græcorum copias recensentem; exponit quoque quanta fuerit Trojanorum, sociorumque multitudo, & qui duces his imperarint: apud Virgilium libro septimo divinæ Æneidos, ubi exercitus Turni, & sociorum, priusquam Trojana, Tyrrhenaque acies cum Laurentibus, & Rutulis bello concurrat, recensetur; & libro decimo init numerum copiarum, quas ab Evandro, & Thuscis acceptas ducit Æneas adversùs & Mezentium, & Latinos dimicaturas: & apud Statium libro sexto Thebaidos, qui Eteoclem facit, antequam Argivorum exercitus bellum inferat Thebanis, copias recensentem Patriam defensuras: et apud Æschylum in Tragœdiâ, quæ inscribitur *Septem Reges ad Thebas*, ubi Poëta recenset duces Argivorum, describit eorum insignia, commemorat genus, & virtutes, & eorum imperiis obtemperantes populos. Historicorum quoque exempla passim occurrunt. Xerxes [a] narratur, quum Hellespontum trajecisset Græciam
2 invasurus, voluisse exercitum recensere; sed quum iniri facilè non posset numerus innumerabilium copiarum, elegisse locum in Thraciâ, qui Doriscus vocabatur, qui decem millia armatorum capiebat; & spatio, non numero mensus esse exercitum omnium, qui memorantur, maximum. Quinctus [b] Curtius memoriæ prodidit Darium, quum defuncto Memnone suis ducibus parum fideret, statuissetque ipse decernere, suas copias in conspectum dedisse; quarum aspectu lætatum conversum esse ad Charidemum hospitem Atheniensem; qui Patriâ pulsus ab Alexandro se contulerat ad Persas ejus hostes; & interrogasse, an satis ad obterendum Alexandrum instructus esse videretur? a quo quum minus gratum, sed verum responsum accepisset, jussisse hominem innocentem, & hospitem suum, & tum maximè utilia, & salutaria suadentem ad ultimum supplicium duci. Simili arrogantiâ, licet non tam sævâ, inflatus fuisse fertur Magnus Antiochus, qui cum Romanis bellum gessit; is quum exercitum magnitudine copiarum validissimum, virtute
3 militum infirmiorem, quàm ut cum Romanis posset prosperè dimicare, barbarico luxu, purpurâ, auroque fulgentem recenseret, percunctatus est Hannibalem, qui proximus Regi sedebat, an eas copias satis Romanis futuras censeret; cui respondit Hannibal: *satis futuras censeo, licet sint avarissimi*. Rex interrogarat Hannibalem, an satis habere copiarum videretur ad victoriam de Romanis consequendam; argutissimè Pœnus Antiochi dictum detorsit aliò, quasi ad opulentiam, non ad robur exercitus pertineret; significavitque Antiochi copias prædæ Romanis, non terrori futuras, & expleturas avaritiam Romanorum, non remoraturas victoriam; nec vanus fuit vates; magnâ pugnâ [c] victus Antiochus cessit Romanis Asiæ cis Taurum possessione. Livius etiam [d] refert Scipionem Consulem nuper creatum, ubi primùm venit in Siciliam trajecturus in Africam, copiis recensitis veteranos maximè elegisse, & peritos urbium oppugnandarum; ubi notas novos imperatores potissimùm, & suscepto recens imperio solitos exercitum recognoscere; quod etiam noster Auctor [e] indicavit, qui rationem reddidit, cur Hermocrates, & collegæ Syracusanorum copias recensuerint; quia nimirum paulo ante susceperant magistratum. Sed supervacaneum est, Auditores, referendis hujus exemplis rei diutiùs immorari; quis enim non videt esse necessa- 4
rium duci, qui sibi haudquaquam notis copiis est præfuturus, subjicere oculis omnes; qui auspiciis ejus, ductuque sunt militaturi? ut sciat, quæ sint virorum robora, qui centuriones, qui tribuni, qui legati, cui copiarum parti maximè fidendum; peditum, an equitum virtute præstet exercitus; plenæ sint cohortes, an inanes, potenda sint, nec ne supplementa, quanta sit bellatorum multitudo, quibus armis utatur, qua ad bellum alacritate, qua fiducia proficiscatur; quæ omnia nosse oportet imperatores; præterea subjectæ oculis totius exercitus vires addunt animos ducibus, addunt militibus. Livius notat Syphacem Regem Massæsyliorum, quum in conspectum suas copias dedisset, licet bis victum, exutumque, castris, animos sustulisse; sic enim loquitur: *Et ita viris, equisque abundabat, ut subjectæ oculis Regni per tot florentis annos vires etiam minùs barbaro, atque impotenti spiritus possent facere*. Sed huic hæc fiducia exitio fuit; nam quum suarum virium fiduciâ elatus rebellasset, iterum [f] fusus, fugatusque & castris exutus, & regno, captusque, & in vincla conjectus regiam fortunam cum miserrimâ servitute commutavit. Ceteris plerumque prodest; quippe Mars favet inceptis audentium cum ratione, non 5
timidorum; &, si qua in re aliâ, in bello certè verissimum est illud Poëtæ [g] maximi dictum: *possunt, quia posse videntur*. Quid, quod nulla species pulchrior, nulla lætior imperatori, quàm videre sub signis instructas legiones, videre cohortes, videre manipulos, & turmas fulgentes armis, horrentes hastis, & telis dispertitos viros, dispertitos

[a] Herodot. libr. 7. cap. 59. [b] Q. Curt. libr. 3. n. 2. [c] Tit. Livius libr. 37. [d] Idem libr. 29. [e] Thucyd. libr. 6. [f] T. Liv. libr. 28. 29. & 30. [g] Virgil. Æneid. libr. 5.

ctos ordines, ornatos phaleris equos, ornatos donis militaribus viros, & aureos torques, aureas armillas, & alia militiæ decora, & virtutis insignia præseferentes; videre virorum robora, alacritatem militum, & tot millia armatorum ipsius nutum observantium; videre lectissimam juventutem, non munditiis urbanis, & pæne muliebribus comptam, sed ornatu virili nitentem, & militari? Quàm verò jucundum aspectu virorum fortium de eorum virtutibus admoneri; & quæ quisque fecerit, egregia facinora cogitare; quidquid denique eximium est in exercitu, uno aspectu intueri! Est igitur & imperatori jucundum, & exercitui decorum, & utile, ac necessarium, antequam bellum ineatur, copias recensere; & quia ea res omnes numeros continet, & utilitatis, & decoris, & jucunditatis; ideo Veteres eam cæremoniis Deorum etiam consecrarunt, & omni ornatu, pompaque spectabilem efficere voluerunt. Macedones
6 enim, quum [a] lustrabant exercitum, canem immolabant, & in duas partes dissectum dividebant; & alteram partem cum extis ad dexteram, alteram ad lævam collocabant; inter has medius traducebatur exercitus; præcedebant insignia arma omnium Macedoniæ Regum ab ultimâ origine; Rex ipse cum Liberis sequebatur, proxima Regi incedebat regia cohors, custodesque corporis; postremum agmen cetera Macedonum multitudo claudebat. Sacro peracto milites in armis decurrebant, deinde bifariam divisus exercitus, quum in duas acies discessisset, eæ acies inter se infestis sudibus decertabant, & simulacrum belli ciebant. Dux ejus partis, quæ superior fuisset, convivium sodalibus exhibebat, & ducem victæ partis, & ejus asseclas ad epulum invitabat; ita sacrum lustrale, & exercitus pompa, & ludicrum certamen epulari lætitiâ conc udebatur; & animi eorum, qui inter se contenderant, reconciliabantur. & si quam ex certamine iram conceperant, deponebant. Xerxes [b] autem sæviorem, &
7 barbaro, superbissimoque Regi convenientem lustrandi exercitus ritum excogitavit; quum Pythius Lydorum opulentissimus & ipsum, & ejus exercitum innumerabilem hospitio excepisset, & multos dies aluisset, & donis amplissimis ditasset; is petivit a Rege pro hospitii jure, pro eâ liberalitate, qua usus in Persas fuerat, ut ex quatuor Liberis, quos habebat, uni concederet militiæ vacationem; & secum solatium senectutis, præsidium domus, spem generis, oblectamentum solitudinis relinqueret. His precibus Pythius non misericordiam Barbari, sed iram movit, sævitiamque irritavit; & se filium patri dixit relicturum, sed ita relicturum, ut minimè gauderet relicto; extemploque adolescentem jussit comprehendi, & in duas partes dissecari, & alteram dexteram, alteram sinistram poni, & inter has exercitum traduci; sed id non fuit exercitum lustrare, sed execrando scelere contaminare. Jure, ac meritò ergo Xerxes, qui tam impio sacro polluerat exercitum, & hospitii jura violarat, & humanas, divinasque leges contempserat, paulo post terrâ, marique victus Græciam, quam immensis agminibus impleverat, coactus est trepidâ fugâ remetiri; & innumerabilem turbam suorum, occidione occisam, infletam, insepultam relinquere; & lucrum ingens putare, quod nemo fugientem remoraretur, & pontem, quo in Asiam transiret, intersici deret. Sed hujus furor nihil 8
egit rite, nihil non perversè, & violenter, & inhumanè; ceterum Persarum [c] Reges magnâ cum religione, pompaque spectabili lustrabant exercitum. Nam orto jam Sole quum e tabernaculo Regis buccina signum dedisset, super tabernaculum imago solis inclusa crystallo locabatur; tunc ignis efferebatur, quem sacrum, & æternum Persæ appellabant, qui positus in argenteis altaribus exercitum præcedebat; proximi incedebant Persarum Magi carminibus patriis Deum honorantes; hos trecenti sexaginta juvenes induti veste puniceâ sequebantur, qui dierum numerum, in quos dividitur annus, & imaginem referebant; exinde currus Jovis candidis equis ferebatur. Post hunc eximiâ magnitudine Soli dicatus ibat equus; qui equis insidebant, aureis virgis erant, & albentibus vestimentis insigniti, decemque vehicula multo auro, argentoque cælata sequebantur. Post hæc equitatus variis armis instructus, varioque vestis habitu, utpote ex diversis gentibus collectus incedebat; proximum locum occupabat legio, quæ Immortalis vocabatur, cultu auro, gemmis fulgida, omnique opulentiæ spectabilis apparatu. Insequebatur ingens agmen eorum, qui Cognati Regis vocabantur, muliebriter magis, quàm militariter exornatum; & quod hostes magis spe prædæ ad fortiter prœliandum accenderet, quàm armorum metu percelleret; hi Regis currum antecedebant, currus ipse aureis, & argenteis Deorum simulacris honestabatur. Quod [d] autem de curru Solis Poëta dixit

Per juga Chrysolithi, positæque ex ordine gemmæ,

id in curru Magni Regis spectabatur, cujus jugum

[a] Tit. Liv. libr. 40. & Q. Curtius libr. 10. num. 9.
[b] Herodotus libr. 7. [c] Q. Curtius libr. 3. n. 3.
[d] Ovid. Metamorph. libr. 2. v. 109.

jugum gemmis lucidissimis illuminabatur; in quo etiam duo simulacra ex auro solido facta eminebant, quorum alterum belli, alterum pacis imago habebatur; inter hæc simulacra aurea aquila expansis alis vetus insigne Persarum cernebatur. Post currum Regis ibant decem millia hastatorum, quorum spicula, & hastæ argento, auroque fulgebant; eundem stipabat multitudo Regis propinquorum, qua Persarum nobilissimi continebantur; totum agmen peditum ingenti agmine claudebatur; post hos quadringenti equi, quibus Rex, quum equitare volebat, utebatur, ducebantur; nam Eunuchorum turbam, & feminarum, & pellicum regiarum, dedecora pompæ militaris, nihil attinet recensere. Pecuniam Darii Regis, ex qua stipendia solvebantur militibus, portasse sexcentos mulos, trecentos camelos, Quinctus [a] Curtius memoriæ prodidit; ceterorum Regum, qui Persis imperarunt, mille ducentos camelos vehere solitos, Demosthenes testatur; hanc sagittariorum manus ingens tuebatur, quod agmen omnium postremum incedebat. Atque hac pompa crediderim Persas lustrasse exercitum; licet quum hanc describit Quinctus [b] Curtius, proficiscentis ad bellum exercitus ordinem describere, & ita instructas incedere Persarum copias affirmare videatur. Neque enim credibile est, quum discrimen aderat, quum adversus hostes acies jam instruebatur, Persas in primo agmine objecisse hostibus ignem sacrum, & sacrorum antistites Magos, & Jovis currum, & Solis equum, & sacra patria, si quid adversi incidisset, si hostes adorti fuissent incedentes, hostibus futura ludriblo. Idcirco belli Darius discrimen initurus hoc exhibet spectaculum; nam duces in hostes castra moturi lustrabant exercitum; ut ex Dione libro quadragesimoseptimo, & ex Cicerone [c] libro decimoquincto epistolarum constat. Sed quoniam de ritu lustrandi exercitum, quo duæ nationes, quæ maximum in terris imperium consequutæ sunt, utebantur, enarravimus; consentaneum est, & quo ritu Romani uterentur, exponere; qui Persas, atque Macedones imperii magnitudine longè præstiterunt. Romani [d] quum exercitum lustrabant, suem, ovem, taurum immolabant;
9 quod sacrificii genus composito vocabulo suovetaurilia dicebatur; testatur id Livius historiarum libro ab Urbe condità primo, qui sic ait: *Censu perfecto, quem maturaverat metu legis de incensis latæ, cum vinculorum minis, mortisque edixit, ut omnes cives Romani, equites, peditesque in suis quisque centuriis in campo Martio primâ luce adessent; ibi instructum exercitum omnem suovetaurilibus lustravit, idque conditum lustrum appellatum, qui in censendo finis factus est*; ubi notes censum prius perfici solitum, deinde lustrari exercitum; quod etiam in castris arbitror observatum; ut copiarum numerus iniretur, deinde eæ instructæ sacro rite perfecto lustrarentur. Dionysius [e] autem Halicarnasseus memoriæ prodidit, arietem, taurum, hircum in lustris mactari consuevisse, easque victimas ter circum exercitum circumductas Marti immolari; qua quidem in re illud diligentissimè observabant, ut hostias ad sacrificium qui ducerent, eligerentur homines, qui quàm faustissimis nominibus appellarentur. Eodem autem ri- 10
tu, quo Romana pubes in campo Martio lustrabatur, puto & Romanos exercitus lustrari solitos, ubi tempus aderat gerendæ rei; sed in campo Martio pubes quincto quoque anno lustrabatur; ex quo factum est, ut quatuor annorum spatium lustrum diceretur; nam initium quincti anni, quo lustrum condebatur, cum anni quarti fine conjungitur. Lustrum autem esse exactum quadriennium vel illud declarat, quòd sicut olympiades, quæ quincto quoque anno celebrabantur, quatuor annos continebant; ita lustrum quod quincto quoque anno condebatur, quatuor annos exactos complectitur. Quin etiam [f] Scaliger in Ausonianis lectionibus idem signare tempus lustrum, & olympiadem docet; & [g] Censorinus de die natali lustrum appellat annum magnum; sic enim loquitur: *Idem tempus anni magni Romanis fuit, quod lustrum appellabant*; ubi etiam affirmat olympiadem, & lustrum eodem spatio temporis terminari; ut dubium esse non possit, quin lustrum, sicut olympias, quatuor annorum intervallum comprehendat. Alio quoque in loco [h] idem Auctor lustrum annum magnum dicit his verbis: *tempus autem non diem tantummodo, vel mensem, vel annum vertentem appello; sed & quod quidam lustrum, aut annum magnum vocant*. Ratio autem cur lustrum magnus annus nominetur, ea est quod post quadriennium demum numerus dierum Solis cursui congruat. Nam exempli gratiâ unus annus non congruit, quum trecentis sexaginta quinque diebus expleatur; Solis autem cursus trecentis sexaginta quinque diebus, & quadrante conficiatur; ac ne duo quidem anni duo curricula Solis æquant; nam duo quidem anni septingentos triginta dies continent; duo Solis cursus septingentis triginta diebus, & duodecim horis peraguntur; eodem modo neque tres an-

 ni

[a] Q. Curt. libr. 3. n. 3. [b] Idem ibid. [c] Cicer. libr. 15. Epist. 4. ad Catonem. [d] Tit. Livius libr. 1. & Dionys. Halicarnass. libr. 4. Antiquitat. Roman. n. 2. in fine. [e] Dionys. Halicarn. ibid. [f] Joseph Scalig. Auson. Lection. libr. 2. cap. 23. [g] Censorin. de Die Natali cap. 18. [h] Idem cap. 26.

ni congruunt, quum dodrante diei fint contractiores, quàm tempus, quo Sol ter figniferum proprio motu metitur; quatuor demum anni, quia quarto additur dies intercalaris, continent unum, & mille quadringentos sexaginta dies, quot diebus Sol quater peragrat Zodiacum; atque id tempus annus perfectus, annus magnus appellatur, quia id folùm Solis curfui congruit.

11 Eadem ratione [a] Meto Athenienfis annum magnum excogitavit, qui ex undeviginti couftatet annis, & ἐννεαδεκαετηρίδα appellavit, quia eo temporis intervallo, fi Sol, & Luna ab eadem metâ profecti fuerint, ad eandem reverti, Solifque curfum cum Lunæ curriculo convenire eft arbitratus; Philolaus [b] autem hunc annum quinquaginta novem vertentes annos credidit continere, Callippus [c] Cyzicenus feptuagintafex, Democritus octogintaduos, [d] Hipparchus quatuor, & trecentos. Eadem quoque de causâ annum magnum Plato [e] nuncupavit fpatium temporis, quo Sol, & Luna, & quinque Stellæ errantes ad idem fignum, a quo fimul profectæ fuerant, revertuntur. Hunc annum [f] Ariftarchus putavit duobus annorum millibus, & quadringentis octoginta quatuor, Aretes Dyrrachinus quinque millibus quingentis quinquaginta duo, bus putavit terminari; Heraclitus, & [g] Linus decem millia octingentos credidit continere, Dion decem millia annorum cum nongentis octoginta quatuor, Orpheus centum viginti millia, Caffander tricies fexies centena millia; alii infinitum effe, nunquamque ftellas omnes eodem fimul, unde fimul difcefferunt, fe relaturas. Hujus anni brumam effe diluvium, quod Græci κατάκλυσμον, Cenforinus [h] diluvionem vocat; æftatem fummam incendium Mundi doctiffimi homines tradiderunt.

12 Sed ut ad luftrum revertamur, etiam hac ratione efficitur luftrum quatuor annos continere; nam quarto demum anno dies intercalatur, & quarto anno perfecto Sol ad eandem metam, unde profectus fuerat, revertitur; quod eleganter expreffit Poëta, qui dixit:

...... in luftrum accedere debet,
Quæ confummatur partibus, una dies

Poffem multis teftimoniis poëtarum oftendere luftrum nihil aliud effe, quàm quadriennium abfolutum; fed res eft tam manifefta, ut teftes non defideret; illud magis probandum, quia a ratione videtur alienum, & nonnullis poteft negotium facef-

13 fere, luftrum interdum a poëtis accipi pro quinquennio. Sidonius Apollinaris igitur carmine vigefimo tertio Trojanum bellum, quod inter omnes conftat fuiffe decennale, biluftre vocat his verbis:

Claufa ad Pergama dat biluftre bellum:

idem poëta Ulyffem, quem poft bellum Trojanum decem annos erraffe, & poft annos viginti domum revertiffe poëtæ tradiderunt, in Patriam poft quartum rediffe luftrum dixit his verbis:

Quartum poft Ithacam redire luftrum

Et, ne cui Sidonii levis auctoritas videatur, ea fulcienda eft auctoritate Statii, qui libro tertio filvarum ad uxorem Claudiam, Ulyffem quatuor luftra affirmat domo abfuiffe ubi fic ait

..... & fi egomet patrio de litore raptus
Quattuor emeritis per bella, per æquora luftris
Errarem; tu mille procos intacta fugares
Non intertexas commenta retexere telas,
Sed fine fraude palam, thalamofque armata negaffes.

Cui concinit Ovidius in Ibin, qui luftrum 14
quinquennale fpatium temporis effe declarat his verbis:

Tempus ad hoc luftris mihi jam bis quinque peractis
Omne fuit Mufæ carmen inerme meæ

Nam Ovidius carmen in Ibin compofuit, quum jam effet relegatus, ut intelligi poteft ex his verfibus ejufdem poëmatis:

Ille relegatum gelidos Aquilonis ad ortus
Non finit exilio delituiffe fuo

relegatus eft autem Ovidius non quadragefimo ætatis anno, fed quinquagefimo; nam vixit annos prope fexaginta, & annos octo exulavit. Quare quum jam exul dicit decem luftra fe jam peregiffe, decem luftra vult annos quinquaginta continere. Horatius [i] quoque luftrum effe quinquennium videtur indicare his verbis:

Brachia, & vultus, teretefque furas
Integer laudo; fuge fufpicari,
Cujus octavum trepidavit ætas
Claudere luftrum.

Ubi fi luftrum accipiatur pro quadriennio, ridiculus, & ineptus Poeta videatur, qui velit perfuadere fe juvenem triginta duos annos natum in ipfo ætatis robore ab amore propter ætatem prorfus abhorrere.

Ratio autem cur luftrum, quod quadri- 15
ennio terminatur, pro quinquennio poëtæ acceperint, eft, quòd quum luftrum quinto quoque anno conderetur, hoc eft poft quatuor annos exactos, quod fpatium initium anni quinti comprehendit, nam anni quarti finis eft initium quinti, inchos-

[a] Ælian. Var. Hiftor. libr. 10. cap. 7. Plutarch. in Vità Niciæ, & Alcibiadis, & Diodor. Sicul. libr. 12. Bibliothec. [b] Cenforinus de Die Natali cap. 18. [c] Idem Cenforin. ibid. [d] Servius in libr. 5. Æneid. Virgil. ad illud: Jamque dies (ni fallor) adeft, &c. [e] Cicer. in Hortenfio, & Sext. Pomp. libr. 12. in Magnum Annum. [f] Cenforin. de Die Natali cap. 18. [g] Idem ibid. [h] Idem Cenforinus ibid. [i] Horat. libr. 2. Od. 4. Ad Xanthiam.

chostum anno pro exacto habuerunt; ideo lustrum annos quinque complecti voluerunt. Eadem ratione Ovidius olympiadem pro quinquennio sumere non dubitavit, ut ex his versibus intelligi [a] potest:

Postque meos ortus Pisæâ vinctus olivâ
Abstulerat decies præmia victor eques,
Quum maris Euxini positos ad læva Tomitas
Quærere me læsi Principis ira jubet

Nam si rectè ratio putetur, quum Ovidius
abivit in exiliom, ab ejus natali duodecim
olympiades, & anni duo decimætertiæ, non
decem olympiades effloxerant, quum quin-
16 goaginta natus annos fuerit relegatus. Vos-
sius tamen in Etymologico duo lostra esse
censet; alterum Romanom, quod quin-
quennio finiatur exacto; nam exitu quin-
quennii mancupes, & redemptores Popu-
li Romani vectigalia luebant Censoribus;
alterum Julianum, id autem quadriennium
continere, quia quarto demum anno pe-
racto Solis cursus ad eandem, unde pro-
fectus fuerat, metam plenis annotum spa-
tiis redit. Cujus opinioni non repugna-
mus, dummodo illud teneamus, lustrum,
qood tonc condebatur, quum censo pe-
racto im campo Martlo solemoi sacrificio
populus Romanus lustrabatur, quincto quo-
que anno solitum celebrari, ob eamque
causam quadriennio, non quinquennio de-
17 finiri. Sed ut eò, onde digressa est, rever-
tatur oratio, non solum terrestres exerci-
tus, verùm etiam classes lustrabantur; id
autem sacrom ad honc maximè modum pe-
ragebatur; aris in mari prope litus collo-
catis, ita ut & adiri possent, & fluctibus al-
luerentur, in mari consistentes sacerdotes
victimas immolabant, quas deinde scaphis
classem ter circumvecti circumferebant;
dux autem earum acceptam partem solebat
in mare porricere, partem in aria adolere, &
aureâ paterâ vinum fundere. Hunc ritum
lustrandi classem describit Appianus libro
quincto Bellorum civilium; & Livius, li-
cet non tam accuratè, libro vigesimo no-
no, quem Livii locum, quia longior est,
recitare supersedeo. Alludit & Virgilius
libro quincto, ubi sic loqoitur summus
Poëta

Dii; quibus imperium pelagi, quorum æquo-
ra curro,
Vobis lætus ego hoc candentem litore taurum
Constituam ante aras voti reus, extaque salsos
Porriciam in fluctus, & vina liquentia fun-
dam

& libro tertio

At pater Anchises magnum cratera coronâ
Induit, implevitque mero, Divosque vocavit
Stans celsâ in puppi .....

quamquam in his locis non lustratur clas-
sis, sed vota marinis Diis nuncupantur.
Thucydides [b] quoque describit Athenien- 18
sium classem, quom e portu solveret, re-
fertque, postquam omnia, quæ imponi o-
portebat, imposita sunt in naves, tubâ im-
peratum silentium; deinde per præconem
vota esse nuncupata non a singulis navi-
bus, sed ab universâ classe; secundùm vota
per omnem exercitum tam vectores, quàm
duces crateras aureos, & argenteos imple-
visse mero, & Deo Maris libavisse; qui-
bus vota facientibus acclamasse omnem mul-
titudinem, quæ classem proficiscentem spe-
ctatura convenerat, & fausta omnia popu-
lo Atheniensi, ejusque sociis esse compre-
catam. Nec verò solum exercitus, classes-
que lustrabantur, sed etiam urbes, & agri; 19
exemplum insigne urbis lustratæ est apud
Lucanum libro primo belli Pharsalici, ubi
leguntur hi versus:

Mox jubet & totam pavidis a civibus urbem
Ambiri, & festo purgantes mœnia lustro
Longa per extremos pomœria cingere fines
Pontifices, sacri quibus est permissa potestas.
Turba minor ritu sequitur succincta Gabino,
Vestalemque chorum ducit vittata sacerdos,
Trojanam soli cui fas vidisse Minervam.
Tunc qui fata Deûm, secretaque carmina ser-
vant,
Et lotam parvo revocant Almone Cybellen,
Et doctus volucres augur servare sinistras,
Septemvirque epulis festis, Titiique sodales;
Et Salius læto portans ancilia collo,
Et tollens apicem generoso vertice Flamen;
Dumque illi effusam longis anfractibus ur-
bem
Circumeunt, Aruns dispersos fulminis i-
gnes
Colligit, & terræ mæsto cum murmure con-
dit,
Datque locis nomen; sacris tunc admovet aris
Electâ cervice marem......

Sed apud Lucanum lustratur urbs, ut pro-
digia, quæ calamitates belli civilis porten-
debant, expiarentur; aliquando lustrabant
urbes, ut pestem, vel famem averterent,
vel ut aliquod scelus expiarent. Narrat Phi-
lostratus [c] Apollonium Tyàneum, quum 20
Ephesus peste laboraret, persuasisse popu-
lo Ephesino, ut hominem, qui mendicanti
similis in theatro versabatur, sordidus, pan-
nosus, senio confectus, lapidibus obrueret,
& id quasi piacolom pestilentiæ ad Inferos
mitteret; quem Apollonius causatus est es-
se Dæmonem, qui civitatem eâ clade va-
staret. Et [d] Romani, quum tres virgines
Vestales corruptæ fuissent, id scelus expia-
runt, & imminentes calamitates absurdâ
planè ratione averterunt; nam libris Sibyl-
linis moniti duos Gallos, & duas Græcas
mu-

a Ovid. Trist. libr 4. Eleg. ult. *b* Thucydid. libr. 6. *c* Philostratus in Vitâ Apollonii. *d* Tit. Livius libr. 22.

mulieres vivas sub terrâ defoderunt; sed
hæ causæ lustrandi urbes absurdæ, & inu-
sitatæ, & absurdæ fuere lustrationes, ab-
surda, & insolita piacula. Agri verò [a] lu-
21 strabantur quotannis, quum sacrum ambar-
vale fiebat; id [b] sacrum quum perageba-
tur, tres hostiæ immolabantur, sus, vitulus,
agnus, quæ ambaruales vocabantur, ab
am [c] veteri præpositione, & *arvo*. Festus
Pompejus [d] tradit a fratribus duobus solitas
immolari; eæ hostiæ ter circum arva du-
cebantur; ideo Poëta summus [e] dixit:

Terque novas circum felix eat hostia fruges

sequabatur agrestium multitudo candidis in-
duta vestibus, oleâ coronata, laudesque Ce-
reris canebat, quam frugum Deam, & in-
ventricem frumenti Veteres crediderunt;
id sacrum vere appetente celebrabatur, ut
intelligi potest [f] ex Virgilio, qui sic ait:

Inprimis venerare Deos, atque annua ma-
gna
Sacra refer Cereri lætis operatus in herbis
Extremæ sub casum hiemis, jam vere sereno;

deinde describit Rusticos ordine inceden-
tes, & Cererem invocantes. Tibullus quo-
que meminit hujus sacrificii libro secundo
elegiâ primâ, ubi sic ait:

Quisquis adest faveat, fruges lustramus, &
agros,
Ritus ut a prisco traditus extat avo

& paulò post concipit preces, quibus Ru-
stici agrestes Deos adorabant:

Dii patrii, purgamus agros, purgamus agre-
stes;
Vos mala de nostris pellite limitibus.
Neu seges eludat messem fallacibus herbis,
Neu timeat celeres segnior agna lupos.

Quo in loco Poëta jubet ab opere abstine-
re, jubet abstinere a venereâ voluptate:

Luce sacrâ requiescat humus, requiescat ara-
tor,
Et grave suspenso vomere cesset opus.
Solvite vincla jugis; nunc ad præsepia de-
bent
Plena coronato stare boves capite.
Omnia sint operata Deo; non audeat ulla
Lanificam pensis imposuisse manum.
Vos quoque abesse procul jubeo, discedite ab
aris,
Queis tulit hesternâ gaudia nocte Venus

Posteaquam autem agros lustraverant, & sa-
crum rite perfecerant, in omnem lætitiam
effundebantur, & epulis diem celebrabant,
si credimus Tibullo, qui sic ait:

Nunc mihi fumosos veteris proferte falernos
Consulis, & Chio solvite vincla cado:
Vina diem celebrent; non festâ luce madere
Est rubor, errantes & malè ferre pedes

Hoc ferme ritu agri lustrabantur; quæ su-
perstitio tam altè insedit in animis Rusti-
corum; ut quum jam totus Orbis terra- 22
rum abdicato Deorum cultu Christi reli-
gionem esset amplexus, non potuerit pror-
sus aboleri. Quapropter in Galliâ Rustici
Veterum more lustrabant agros Deorum si-
mulacra circumferentes. Testatur hoc Sul-
picius Severus, qui sic ait: *Quia esset hæc*
Gallorum Rusticis consuetudo simulacra Dæmo-
num candido tecta velamine, miserâ per agros
suos circumferre dementiâ. Lustrabantur & 23
homines, ubi vel cæde, vel alio facinore
sese impiarant; hi verò non se ipsos expia-
bant, sed ad aliquem confugiebant, qui ad-
hibito lustrali sacro ipsos piaculo exolve-
ret. Hujus exemplum rei apud Herodo-
tum invenitur libro primo, ubi tradit A-
drastum Gordii filium, quum fratrem for-
tuito, non voluntarie, occidisset, a patre
in exilium actum ad Regem Lydorum Crœ-
sum confugisse, & ab eo esse expiatum.
Est etiam in fabulis Peleum Achillis pa-
trem, quum Phocum necavisset, pulsum
Patriâ Phthiam advenisse, & ab Eurytione
Actoris filio fuisse lustratum. Sed quum
Peleus ab Eurytione non id solùm benefi-
cium eccepisset, sed etiam Antigonæ filiæ
nuptiis, & tertiâ regni parte esset auctus;
fortè fortunâ accidit, ut aper inusitatæ ma-
gnitudinis Calydonis culta vastaret; & quum
ad eum interficiendum heroum fortissimi
invitarentur, profectus est etiam Peleus, &
Eurytion; quum autem aprum e suis cubi-
libus ea heroum manus excitasset, & Pe-
leus in feram telum conjecisset, ab eâ aber-
ravit; & quem minimè voluisset, Eurytio-
nem, a quo tot, & tam magna beneficia ac-
ceperat, interfecit; qua cæde perpetratâ
rursus exul Peleus ad Acastum se contulit, &
ab eo lustratus est. Orestes quoque, quum
Trœzenem advenisset, qui ut patris necem 24
ulcisceretur, matrem occiderat, a Trœze-
niis cum aliis rebus idoneis, tum Hippo-
crenes fontis aquâ est expiatus; antequam
autem lustraretur, tecto eum recipere no-
luerunt; sed diversorium ipsi condiderunt,
quod Orestis tabernaculum postea est ap-
pelatum; in quo Posteri eorum, qui Ore-
stem purgaverant, convivabantur quotan-
nis, quia qui ipsum lustraverant, lustratum
convivio excepissent. Multa possent hujus
rei exempla proferri, sed minimè necesse 25
est; quare nos his paucis erimus contenti.
Quibus autem rebus ad lustrandos homines
aliquo scelere voluntario, vel involuntario
obstrictos uterentur, alio loco diximus;
non omittendum tamen Ovidium queri
nimium faciles Antiquos fuisse, qui cædis
admissæ scelus, omnium Mortalium odio
di-

[a] Tibull. libr. 1. Eleg. 1. [b] Cato de R. R. cap. 141. Virg. Georg. libr. 1. Macrob. Saturn. libr. 3. cap. 5. & Strab. libr. 5. [c] Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 17. pag. 468. vers. 30. Edit. Basil. [d] Fest. Pomp. libr. 1. [e] Virgil. Georg. libr. 1. & Servius in hunc locum. [f] Virgil. ibidem.

dignissimum, putaverint aquâ posse [a] expiari:

Ah nimiùm faciles, qui tristia crimina cædis
Fluminea tolli posse putatis aquâ

Nec omittendum genus etiam lustrationis fuisse, quod Palilibus Rustici usurpabant; quum accensos acervos paleæ saltu transcendebant, de quibus Ovidius libro quarto [b] Fastorum:

Moxque per ardentes stipulæ crepitantis acervos
Trajicias celeri strenua membra pede

& [c] Tibullus:

Ille levis stipulæ solemnes potus acervos
Accendet, flammas transilietque sacras

& [d] Propertius:

Annuaque accensò celebrare palilia fœno.

Fuit & aliud genus, quo per oscilla [e] ho-
26 mines lustrabantur; id Baccho dedicatum; ideo summus [f] Poëta dixit:

Et te, Bacche, vocant per carmina læta, tibique
Oscilla ex altâ suspendunt mollia pinu

Sunt autem oscilla funes, quibus asser suspenditur ad arborem, vel ad trabem alligatis; asseri insidet, qui eo genere ludi ludit, & impulsu corporis modò huc, modò illuc asserem, & funes movet; hique concepto impetu nunc attollunt ludentem, nunc deprimunt, exprimuntque imaginem vitæ in qua simili modo jactamur; & modò in altum attollimur, modò fortunâ rotam vertente deprimimur; is autem ludus hodieque a pueris, & puellis usurpatur. Quæ tria genera, quorum mentionem fecimus, omnem lustrationem, quæ per elementa efficitur, complectuntur; nam [g] aut aquâ purgatur animus, aut aëre, aut igne, quod Virgilius libro sexto his verbis docet

Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt; aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos, aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igne

Sicut autem urbes non solùm ad eluenda
27 scelera, sed etiam ad pestem, & famem, quæque alia fortuita avertenda lustrabantur; ita homines non solùm ad commissa piacula expianda, sed etiam ad morbos depellendos purgari solebant; nam insanos lustralibus sacris expiabant. Alludit Plautus [h] Amphitruone, qui sic ait

...... *quin tu istanc jubes*
Proceritâ circumferri......

Ubi *cerita* significat *insanam*, sicut Nonius Marcellus docet; *circumferri* verò *lustrari*, ut vir doctus [i] Interpres Plauti notat; omnis quippe lustratio circumlatione peragebatur; victima autem, qua furiosi lustrabantur, fuit porcus; testis est hujus [l] rei idem Plautus his verbis:

...... *responde mihi*,
Adolescens, quibus hîc pretiis porci veneunt
Sacres, sinceri? Cyl. nummo. Men. eum a me accipe.
Jube te piari de meâ pecuniâ;
Nam ego quidem insanum esse te certò scio

Quo loco sacres porci sunt, qui depulsi ab ubere sunt, quemadmodum Varro testatur, quasi ad sacrificium idonei; nec mirum, quum furiosi Cereris irâ vexari crederentur, ad eos expiandos adhibitos esse porcos, qui [m] fuere Cereris victimæ; ideo hostiæ mysticæ vocabantur, quo respexit his verbis [n] Tibullus

Hostiaque e plenâ mystica porcus harâ

Sed & aliis morbis affecti lustrabantur, eu-
jus rei testis esse potest idem Tibullus, qui 28
de suâ puella, & de se divinis rebus rite procuratis ejus morbum [o] depellente ait:

Ipse ego, quum tristi morbo defessa jaceres,
Te dicor votis eripuisse meis:
Ipseque ter circum lustravi sulphure purò,
Carmine quum magico præcinuisset anus:
Ipse procuravi, ne possent sæva nocere
Somnia, ter sanctâ deveneranda molâ:
Ipse ego velatus filo, tunicisque solutis
Vota novem Triviæ nocte silente dedi

Sed hactenus ea lustrationis genera attigimus, quibus homines vel aliquod opus aggressuri, vel ut prodigia expiarent, vel ut calamitatem averterent, vel ut aliquid boni impetrarent, vel ut labem scelere con-
tractam eluerent, utebantur. Venio nunc 29
ad id genus, quo omnes lustrabantur; omnes enim infantes lustrali sacro piabantur, mares [p] nono, feminæ octavo die, qui lustricus vocabatur; prius autem feminæ, quàm mares lustrabantur, quia maturiùs, quàm mas, perficitur femina; ante octavum autem diem infantes non purgabantur, ut [q] refert Plutarchus, quòd usque ad id tempus maximè pueri periclitantur, & [r] septimo die plerisque solvitur umbilicus, videnturque similiores esse plantæ, quàm animanti; octavus autem feminæ, mari nonus tribuebatur, quòd par numerus feminæ, impar mari comparatur; impar enim semper superat parem, sicut mas feminam vincit; nam si pari addatur impar,

[a] Ovid. Fastor. libr. 2. v. 45. [b] Idem Ovid. libr. 4. v. 781. [c] Tibull. libr. 2. Eleg. 5. [d] Propert. libr. 4 Eleg. 1. [e] Sextus Festus Pomp. in hac voc. [f] Virgil. libr. 2 Georg. [g] Serv. in libr. 2. Georgic. ad locum supra laudatum. [h] Plautus in Amph. Act. 2. Sc. 2. v. 143. [i] Taubmannus. [l] Plautus in Menæchmis Act. 2. Sc. 2. v. 14. [m] Cato de R. Rust. cap. 134. Varro de Vitâ Populi Roman. libr 3. apud Non. Marcell. in V. Præcedaneam, & A. Gell. libr. 4. cap. 6. [n] Tibull. libr. 1. Eleg. ult. [o] Idem Tibull. l. 1. El. 5. [p] Macr. Saturn. libr. 1. cap. 16. Plutarch. in Problem. 102. & Fest. Pompejus libr. 10. [q] Plutarch. ibid. [r] Aristot. libr. 7. de Nat. Animal.

par, qui producitur est impar; sicut si tribus addas quatuor, efficitur numerus impar septem. Afferunt & aliam rationem; novenarius numerus est primum ex impari quadratum; convenit igitur viro, quem quadratum esse oportet, atque perfectum; octonarius est primus cubus, congruitque feminæ, quam domi manere, sicut semper stat, nec movetur cubus, nec mutare viros levitate muliebri decet. Hoc autem die, quo lustrabant infantes, etiam nomina ipsis, maribus quidem tria, feminis duo imponebant; idcirco Tertullianus hunc diem nominalia appellavit. Græci verò quinto post partum die sacrificabant, infantemque lustrabant, ut ex Plauto, & Platone docet Gyraldus [a] Syntagmate decimoseptimo; nomen autem Græci ante diem septimum non imponebant, ut auctor est Aristoteles; eruditissimi verò viri decimo die Græcos [b] plerumque nomen infantibus indidisse tradiderunt. Sed ad Romanos revertamur; ad hanc lustrationem puerorum Persii versus doctissimi viri putant per-
30 tinere, qui in secundâ satyrâ leguntur:

Ecce avia, & metuens Divum matertera cunis
Exemit puerum, frontemque, atque uda labella
Infami digito, & lustralibus ante salivis
Expiat urentes oculos inhibere perita

Ubi notes lustrari solitos pueros a cognatis aniculis; lustrari verò ad labra, frontemque admotâ salivâ; admovebatur autem saliva infami digito, qui est medius inter indicem, & anularem. Credibile est au-
31 tem non meram salivam adhibuisse, verùm pulverem salivâ aspersisse, & lutum effecisse, eoque labra, frontemque attigisse; nam in expiationibus luto utebantur. Ideo [c] Petronius Arbiter dixit: *mox turbatum luto pulverem medio sustulit digito, frontemque signavit*; & Plutarchus [d] tradit superstitiosos luto sese inquinasse, quo videlicet commissa piacula expiarent, quod Aristides dixit τῷ πηλῷ λαμβάνειν *lutum sumere*. Quin & in luto solitos volutari superstitiosos homines accepimus, ut eo corporis dehonestamento, quam animo contraxerant, labem deponerent; feminæ verò, quæ lustrabant pueros, vel sputo lutum conficiebant, vel eo, quod e balneorum cellis collegerant, utebantur. Testatur id Beatus Joannes Chrysostomus his verbis: βόρβορον αἱ γυναῖκες ἐκ τοῦ βαλανείου λαμβάνουσαι τροφοὶ, καὶ θεραπαινίδες, καὶ τῷ δακτύλῳ χρίσασαι κατὰ μετώπου τυποῦσι τοῦ παιδίου: hoc est: *quum sumpserint ex balneo lutum mulieres nutrices, & ancillulæ, illinentes digito infantis frontem signant*. Ubi verò sive salivâ, sive aliâ re (neque enim pro certo affirmarim, Persii versus ad lustrale pueri sacrum pertinere, licet id doctissimi viri asseverent) infantem lustraverant, pro felicitate pueri vota nuncupabant; atque etiam in tabulâ scribebant verba, quibus omnia fausta puero ominabantur, quæ fata pueri appellabant. Quò respexisse putant Ausonium [e] Parentalibus, qui de Æmylio magno Arborio avunculo sic ait

Me tibi, me patribus clarum decus esse professus
Dictasti fatis verba notanda meis

Crediderim etiam victimas cæsas, conviviis celebrata, domumque ture, & odoribus adoleri consuevisse; neque enim sine causâ hæc infantium lustratio a Symmacho *lustralis solennitas* dicitur, a multis *nominum festum*; sed pauci omnino ex antiquis Auctoribus hujus lustralis sacri meminerunt; ideo omnia, quæ ad hoc pertinent, in summâ obscuritate versantur. Quapropter his, quæ de lustrico die diximus, contenti finem di- 32
cendi faciemus; quum illud addiderimus, antiquitus fuisse multos Christianam religionem professos, qui Veterum superstitionem in captandis auguriis imitarentur; nam ubi non superstitioso gentium ritu, sed pio, & sacrosancto Christianorum more lustrari infantem oportebat, ubi sacro fonte primi parentis labes erat abstergenda, aliquot cereos accendebant; his autem nomina imponebant, puta uni Catonis, alii Marcelli, alii Scipionis, alii Fabricii; & qui tardiùs extinguebatur, ejus infanti nomen indebant, & id omen diuturnæ vitæ putabant; itaque puerum diu victurum, & ad ultimam senectutem perventurum sibi persuadebant. Sicut autem infantes paucis diebus post natalem, ita & puerperæ lu- 33
strabantur; ideo [f] Pausanias tradit Rheam, quum Jovem peperisset, a Nymphis post partum esse lustratam, quæ purgamenta in Arcadiæ fluvium abjecerunt, qui idcirco Lymax est appellatus, quia λύματα Græci vocant purgamenta [g] Homero teste, qui dixit:

Οἱ δ' ἀπελυμαίνοντο, καὶ εἰς ἅλα λύματ' ἔβαλλον
Hi se purgabant, & salsis æquoris undis
Purgamenta dabant

---

a Gyrald. de Deis Gent. Syntagm. 17. pagin. 471. vers. 30. Edit. Basil. b Alexand. ab Alexandr. libr. 2. Genial. Dier. cap. 25. c Petron. in Satyric.

d Plutarch. de Superstition. e Auson. Parental. epigr. 5. f Pausan. in Arcad. sive libr. 8. g Homer. Iliad. α. v. 314.

DISSERTATIO LIV.

De Siciliæ incolis ad Thucydidis locum, ubi describit Siciliam.

Qui singulorum Siciliæ urbium conditores fuerint. Amphinomo, & Anapio fratribus parentes asportantibus Ætnæ incendia ignis dederunt. Gela a fluvio, an a risu nuncupata sit. Messana dicta est Zancle a Zanclo terræ filio, vel a Saturni falce, seu verius a litoris figurâ in modum falcis curvati. Proverbium ne moveas Camarinam *unde fluxerit. Emendatur Polybii locus. Equis victoribus in sacris certaminibus Agrigentini magnifica monumenta extruxerunt.*

De Siciliæ incolis, Auditores, omnium hesterno die [a] Thucydidis vestigiis insistentes disseremus; & quoniam & Cyclopes, & Læstrigones; & Sicanos, & Trojanos Elymo duce Anchisæ filio; & Siculos [b] diximus insulam tenuisse; & ad extremum Græcos e Peloponeso profectos, Archia Corinthio duce, qui pulcherrimam, opulentissimamque urbem Syracusas condiderunt; nunc reliqua exequemur, & quinam fuerint clarissimarum in Sicilia urbium conditores, & quos colonos adduxerint, exponemus.
1 Theoclem [c] Atheniensem ferunt, quum tempestate sævissimâ jactatus Siciliæ navem appulisset, infrequentiam incolarum contemplatum, & terræ feracitatem, cupiditate incensum fuisse in insulam coloniæ deducendæ. Itaque quum tempestate jam sedatâ, tranquilloque mari Athenas renavigasset, auctor Atheniensibus fuit, ut secum colonos mitterent, qui insulæ partem habitarent; quod quum non impetrasset, quia pigebat Athenienses in longinquam, & incognitam regionem cives amandare, cum Chalcidensium satis validâ manu, & Jonum, & Megarensium in Siciliam navigavit, Naxumque condidit, ibique Chalcidenses, & Jones collocavit; &
2 Megara, ubi Megarenses; Catanam [d] verò Naxii condiderunt. Eò coloniam deduxit Hieron Siciliæ tyrannus, expulso veteri populo, & urbem mutato nomine Ætnam appellavit, cujus coloniæ meminit Pindarus Pythiis Ode primâ; sed extincto Hierone veteres cives in [e] Patriam sunt restituti, & Hieronis coloni pulsi aliam Ætnam condiderunt; Catanam autem Cassiodorus conditam affirmat eodem tempore, quo conditæ sunt Syracusæ. In hac urbe sunt procreati memorabiles exempli fratres Amphinomus, & Anapius, qui [f] quum Ætna flammas eructaret, & omnes ubiti necessitudinum fugerent, vel carissima pignora, & pretiosissima quæque asportarent, soli parentes confectos ævo sustulere, quibus per medios ignes incedentibus dedere viam flammæ, suasque vires Ætnæ incendia repressserunt. Sed ut ad urbium conditores revertamur; Gelam [g] Antiphemus adductis colonis ex insulâ Rhodo, & Entimus ex Cretâ, & a fluvio [h] Gela, qui proximus urbi fluit, appellârunt; ideo [i] Virgilius ait:

Immanisque Gela fluvii cognomine dicta

Stephanus [l] tamen & alias hujus nominis origines affert; nam & Gelonem auctore Hellanico dictam esse tradit, & a risu, qui excidit Antiphemo, quum Pythiam de urbe condendâ interrogaret. Messanam [m] Messenii habitarunt e Peloponeso profecti, qui 3
quum a Laced. monis bello premerentur, omnique clade afficerentur, coacti patrium solum reliquerunt, & a Messanâ Peloponnesi Messanam nuncuparunt; quum antea ea Zancle dice etur, de qua Ovidius [n] libro dec moquarto

Liquerat & Zanclen, adversaque mœnia Rhegi

sic autem volunt appellatam vel a Zanclo Terræ filio, vel quòd ibi Saturnus falcem occultavit, qua patris pudenda amputarat; Zancle quippe Græcis falx nuncupatur. Proprius [o] vero est a litoris figurâ, quod curvatur in modum falcis nominatam, hanc paulò ante bellum Punicum primum Mamertini Campaniæ populi occuparunt, & ab eorum nomine Mamertina civitas a Romanis dicta est. Sed id accidit multis ætatibus post Thucydidis ævum; sicut accidit, quod Diodorus Siculus libro decimosexto narrat, Andromachum historici Timæi patrem collectis Naxi civibus a Dionysio, qui eorum Patriam everterat, pulsis urbem in colle constituisse, qui Naxo imminebat, & Taurus vocabatur, & ἀπὸ τῆς μένης a mora videlicet, quam ibi duxerat, & a monte Tauro Tauromenium composito vocabulo appellasse; sed hæc consequutis longo intervallo temporibus contigerunt. Camarinam autem Syracusani condiderunt; cui 4
quum palus [p] adjaceret, quæ corporum salubritati officere videbatur, oraculum cives misse e scitatum, an exiccare Camarinam paludem sibi expediret; responsum accepere versu comprehensum:

Μὴ κίνει Καμάριναν· ἀκίνητος γὰρ ἀμείνων

[a] Thucydid. libr. 6. [b] Dissertat. 34. 35. & 36. in Thucydid. [c] Strab. libr. 6. de Siciliâ. [d] Idem Strabo ibid. [e] Idem ibid. [f] Valer. Maxim. libr. 5. cap. 4. [g] Thucydid. libr. 6. [h] Virgil. Æneid. libr. 3. in fine. [i] Virgil. libr. 3. Æn. [l] Steph. de Urbib. [m] Strab. libr. 6. de Siciliâ. [n] Ovid. Metamorph. libr. 14. [o] Thucyd. libr. 6. & Strab. libr. 6. [p] Serv. in Virg. Æn. libr. 3. in fine.

hoc est:

Ne moveas Camarinam immobilis illa manebit.

Rectiùs.

Quod quum illi contempsissent, & paludem exiccassent, iter hostibus patefecerunt, qui illac transgressi urbem occuparunt, & omni clade vastarunt; unde proverbium, cujus meminit Stephanus, emanavit: *ne moveas Camarinam*. Alludit Virgilius [a] libro tertio, ubi sic ait:

...... & fatis nunquam concessa moveri
Apparet Camarina palus, campique Geloi

& Silius Italicus:

Et cui non licitum fatis Camarina moveri

Agrigentum verò coloniam Græci deduxerunt; ea urbs [b] Polybio teste sita erat in
5 præruptâ, altissimaque rupe, quam duo fluvii circumfluebant; quorum alter Hypsas, alter Acragas, cujus urbs nomine vocabatur; nam [c] Agrigentum Græco sermone Acragas appellatur; ideo [d] Virgilius dixit:

Arduus inde Acragas ostentat maxima longè
Mœnia, magnanimûm quondam generator equorum

ubi notes non sine causâ arduum Acragantem a Poetâ dici, propterea quod, ut diximus, in altâ, & undique abscissâ petrâ ejus mœnia essent collocata; quæ etiam maxima appellantur, propterea quod Agrigentum, ut [e] Diodorus testatur, & multitudine civium, & opulentiâ, & ædificiorum splendore nulli urbium secundum haberetur; quæ doctissimum Interpretem Virgilii miror omisisse. In hac urbe fuit magnificentissimum Jovis Olympii templum, cu-
6 jus magnitudinem, artificium, splendorem Diodorus [f] Siculus admiratur; cujus auctoritate adducor, ut credam [g] Polybii locum emendandum, qui sic legitur: ϗ ὁ τῦ Διὸς Ὀλυμπίυ νεὼς πολυτέλειαν μὲν ὐκ εἴληφε, κατὰ δὲ τὴν ἐπιβολὴν, ϗ τὸ μέγεθος ὐδὲ ὁτῳῦν τῶν κατὰ τὴν Ἑλλάδα δοκεῖ λείπεσθαι; quem locum ita vertit Interpres: *Olympii quoque Jovis templum, etsi cultus magnificentia non accessit, magnitudine tamen incepti, & amplitudine nulli ex Græciæ operibus est secundum*; ubi Polybius videtur affirmare deesse magnificentiam templo Jovis Olympii, vel potiùs templum Jovis Olympii non esse sumptuosum; quod est absurdum, quum idem fateatur magnitudine cum quibuslibet splendidissimis Græciæ ædificiis posse comparari; & quum Diodorus Siculus inter magnificentissima Agrigentinorum ædificia hoc maximè & propter immanes moles columnarum, & propter magnitudinem operis, & sumptum admiretur; vidit hoc Interpres, itaque πολυτέλειαν vertit non magnificentiam, sed cultus magnificentiam; quasi non deesset ei templo magnificentia, sed deessent pretiosa ornamenta. Ego verò suspicor legendum non πολυτέλειαν quod nomen significat *sumptum*; sed συντέλειαν quod *perfectionem*, quod est verissimum; nam Agrigentini bello, & calamitate Patriæ impediti templum perficere non potuerunt. Quocirca Diodorus [h] Siculus testatur huic templo tectum defuisse, quod tantæ molis fuit, ac tantæ impensæ, ut quum Agrigentini urbem ab hostibus captam recepissent, nunquam id consummare potuerint. Atque eo magis adducor, ut credam, ita legendum, quòd συντέλειαν λαμβάνειν est usitata Græcis loquutio, non autem πολυτέλειαν λαμβάνειν. Notes etiam [i] in Virgilii carminibus Acragantem appellari
magnanimorum patrem equorum, quia A- 7
grigentini nobilibus alendis equis valde studebant. Idcirco [l] frequentissimas è sacris Græciæ certaminibus Agrigentini victores equi palmas reportarunt; quibus equis Agrigentini tam magnifica, & splendida monumenta extruxerunt, ut urbi ornatissimæ maximo essent ornamento.

DIS-

[a] Vide Servium in Æneid. Virgilii libr. 3. in fine. [b] Polybius libr. 9. [c] Plin. libr. 3. cap. 8. [d] Virgil. Æneid. libr. 3. in fine. [e] Diodor. Siculus Bibliothec. libr. 13. [f] Idem Diodorus Sicul. ibid. [g] Polybius libr. 9. [h] Diodor. Sicul. libr. 13. Biblioth. Histor. [i] Virgil. Æneid. libr. 3. in fine. [l] Vide Serv. in hunc Virgil. locum.

DISSERTATIO LV.

De iisdem Siciliæ incolis.

Continens citiùs, seriùs insulæ habitatoribus frequentari cœperunt. Motyen Stephanus ab Hercule conditam existimat; a Phœnicibus verò Thucydides. Pelorus, vel a magnitudine, vel a monstris est appellatus; fallitur autem Pomponius Mela, qui a Peloro navis gubernatore Hannibalis dictum putat. Athenienses, quum triremes trecentas haberent, irrito conatu Siciliam invaserunt; Romani autem, quum nullam haberent classem, tantam brevi adornarunt, ut non semel quinqueremibus prope quadringentis dimicarent; & septingentis navibus amissis, Siciliâ nihilosecius sunt potiti, quàm Carthaginienses tuebantur; quibus cum nulla gens aut scientiâ rerum maritimarum, aut potentiâ poterat comparari. Populis Europæ, vel Africæ Orbis terrarum imperium affectantibus Siciliæ possessio est necessaria.

PRocreator ille sapientissimus, & Rector Mundi Deus hanc altissimo consilio cupiditatem Mortalibus dedit terræ frequentandæ; ne sedes illa, quam nobis attribuerat, incolis vacua, & deserta squalleret. Idcirco quum Orbis terrarũ nondum satis incolarum frequentiâ celebraretur, multaque loca raris oppidis colerentur, Veteres Patriam relinquebant, & novam sedem, & condendæ urbis locum querebant; ex quo factum est, ut omnes regiones florerent urbibus, florerent hominum cultu, nec feris habitandum solum relinqueretur; & terra iners, & vasta cessaret. Atque utinam non bella, & latè regnandi cupiditas, & Regum furor florentissimas urbes excidissent, & plerisque regionibus cladem, & vastitatem attulissent! multo pulchrior, & admirabilior esset terrarum facies; quum tot pulcherrima ædificia, urbesque starent, quarum etiam ruinas admiramur. Nunc eò redacti sumus, ut desiderandus ille mos Antiquorum videatur, quocunque libuisset, colonias deducendi; sed, ut ad propositum argumentum querelis omissis revertamur. Continens citiùs urbibus cepta est
1 frequentari; insulæ seriùs; nam, ut ceteras prætermittam, Sicilia usque ad ætatem Romuli raras urbes habuit, raris populis habitata est; sed ubi Græci gens nava, & experiens, cœperunt frequentiùs navigare; & in Græciâ alia ex aliis bella exarserunt, pulsique sunt Patriâ populi, coactique novas sedes querere; tum demum Sicilia propter ubertatem soli multis urbibus, & præclarissimis cepit abundare; de quibus & hesterno die dicebamus, & hodierno cum maximè dicemus, Auditores. Motyen Siciliæ urbem Stephanus [a] videtur existimasse ab Hercule conditam, qui tradit a Motye muliere appellatam, quæ Herculi indicavit eos, qui boves abegerant; sed Thucydides [b] affirmat Motyen a Phœnicibus constitutam; qui quum antea totâ insulâ mercaturæ causâ habitarent, adventu Græcorum territi, ne ab inimicâ gente sparsi opprimerentur, in finitimam Elymis regionem se congregarunt, & Motyen, Soloëntem, Panhormum condiderunt: ut & Elymorum, qui finitimam regionem incolebant & amicitiâ, & opibus, & propinquitate magnæ Carthaginis, cui propter Tyrios, qui Carthaginem condiderant, cognatione conjungebantur, Græcorum injurias propulsarent. Ex his tribus Panhor-
mus facta est colonia Romanorum; Enna 2
verò est Syraculanorum opus, ut Stephanus [c] memoriæ prodidit. In eâ [d] fuit celeberrimum Cereris templum, a quo Ennæa Ceres appellatur; sic [e] Claudianus Ennæam Cererem dixit

Ennææ Cereri Proles optata vigebat

& Silius Italicus Proserpinam

Hic crine effuso, atque Ennææ numina Divæ,
Atque Acheronta vocat stygiâ cum veste sacerdos.

Meritò autem Ceres, & Proserpina Ennæa dicitur; nam ex [f] Ennensium luco raptam esse Proserpinam memoriæ Veteres prodiderunt; ex eo, inquam luco, qui, quia situs erat in mediâ Siciliâ, Siciliæ umbilicus vocabatur, templumque Cereris Ennææ vetustissimum habebatur. Quocirca [g] Romani quum in Sibyllinis libris invenissent Cererem antiquissimam placari oportere, Ennam usque Cereris sacerdotes ad sacra huic Deæ facienda miserunt. Nec [h] omittenda
Himera Stesichori præcellentissimi poëtæ 3
Patria, quæ [i] ab Euclide, Simo, & Sacone condita est; habitarunt ipsam Chalcidenses, & Zanclæi cum exulibus Syracusanis; est autem ab Himerâ flumine appellata, sicut pleræque Siciliæ civitates. Nec Hyblæi mellis claritas me sinit Hyblam præterire, quæ [l] ab Hyblo Rege, vel Hylone dicta est. Stephanus [m] tres in Siciliâ Hyblas numerat, quarum maxima sit, cujus cives Hyblæi nominentur; alia minor, cujus ci-

a Stephanus de Urbib. b Thucydid. libr. 6. c Stephan. de Urbib. d Valer. Maxim. libr. 1. cap. 1. e Claudian. de Raptu Proserpinæ libr. 1. v. 122. f Diodor. Siculus libr. 5. Bibliothec. pag. 199.

g Valer. Maxim libr. 1. cap. 1. h Suid. in Voce Στησίχορος. i Thucyd. libr. 6. l Thucyd. ibid. m Stephanus de Urbibus.

ves Hyblæi Galeotæ; tertia minima omnium, quæ Hera etiam appelletur; earum habitato es Magarentes habebantur, Cicero tertiâ Verrinâ Hyblæ cives appellat Hyblenses. Nec Herculis gloria me patitur ubiviscere Heracleæ, quæ Stephano teste civitas fuit Siciliæ, licet neque a Strabone, neque a Thucydide inter Siciliæ urbes nominetur. Sed quis omnes Siciliæ urbes recenseat, aut
4 possit omnium conditores invenire? fuerunt Siciliæ urbes Selinus, cujus ager palmarum copiâ abundabat; ideo [a] Virgilio palmosa Selinis dicitur; fuit Herbessus, fuit Eubœa, quam [b] Leontini condiderunt; fuit Callipolis, quam [c] Naxii; fuit [d] Halesa, fuit Tyndaritana [e] civitas, Assorina, Halentina, Apolloniensis, Capitina, Cephalæditana, Acherina, Lilybæa, Citarina, Letina; & quæ Ciceronis [f] ætate florebat Centuripina, & quæ a Plinio [g] memorantur Herbulensis, Netina, Halicyensis, Adranitana, Imacarensis, Magellina, & aliæ, quorum nomina commemorare non est necesse. Nunc de nominibus trium promontoriorum, in quæ Sicilia excurrit, dicemus, unde originem duxerint. Pomponius Mela non contemnendus Auctor tradit Pelo-
5 rum a Peloro navis gubernatore, quo Hannibal utebatur, appellatum; nam Hannibalem refert ex Africâ fugientem, ut in Asiam navigaret, venisse ad eum locum, unde Pelorum prospici poterat; quod quum longè prospectanti Italiæ conjunctum videretur, existimasse proditum se a navis gubernatore, & in terram hostilem esse delatum; ideo occidisse gubernatorem, deinde animadverso errore, in eo promontorio Pelorum humasse; ne, cui vitam eripuerat, sepulturam invideret; ab ejus nomine gubernato is nomen accepisse promontorium. Quod ego, pace dixerim Pomponii, a veritate longissimè remotum existimo; nam Thucydides, qui [h] annis circiter ducentis triginta ante Hannibalem Carthaginiensem floruit, mentionem facit Peloridis his verbis: ἐπὶ δὲ τὴν Πελορίδα τῆς Μεσσήνης συλλεγεῖσαι αἱ τῶν Συρακυσίων, καὶ συμμάχων νῆες ὥρμουν: *ad Pelorida, quæ est in agro Messanæ, congregatæ Syracusanorum naves, & sociorum stationem habebant*: ubi [i] Interpres Pelorida interpretatur ἀκρωτήριον τὸ Βορειότατον *promontorium, quod maximè vergit ad septemtrionem*, cujusmodi est Pelorus; & sanè idem est Pelorus apud Græcos, & Peloris, & Peloriás. Propius vero est Pelorum appellatum, vel a magnitudine, nam a Græcis *Pelorus* dicitur *magnus*; vel a monstris, nam in eo loco sunt Scylla, & Charybdis, quas esse monstra finxerunt poetæ. Pachynum autem vir doctus [l] Interpres Virgilii vult dictum ab aëre crasso, qui est in illis locis, παχὺ enim *crassus*. Lilybæi nomen unde deductum sit, non reperio, nisi forte a Libyâ dictum est, quam spectat Lilybæum; atque hæc de locis, & urbium nominibus, earumque conditoribus satis fuerit explicasse. Nunc illud est animadvertendum duos
potentissimos populos, rebusque gestis clarissimos Athenienses, & Romanum cupidos imperii proferendi, Orbisque terrarum 6
imperium sibi vindicantes, in Siciliam trajecisse; & Athenienses [m] quidem amisso exercitu, captis, aut incensis navibus, in maximas calamitates incidisse; & ad extremum, qui Orbis terrarum imperium appetiverant, libertatem amisisse; Romanos autem expeditione in Siciliam susceptâ, & insulam subegisse, & potentissimos hostes Carthaginienses expulisse, & Siciliâ perdomitâ, sibi iter ad omnium gentium imperium patefecisse; quod eo mirabilius est, quia Athenienses, quum classibus plurimum possent, & trecentis [n] triremibus maria navigarent; Romani quum classes non haberent, sine quibus non poterat Sicilia perdomari, eam [o] insulam invaserunt; tantum vel Romana virtus, vel temporis opportunitas valuit, quam non expectarunt Athenienses. Sed profectò Romana virtus, plusquam temporis commoditas potuit, & in hac re quid posset, ostendit; quis enim populus præter Romanum ausus esset, quum scientiâ rei navalis prorsus careret, quum classem pro sus nullam haberet, aut habuisset, insulam tantam, tam opulentam aggredi, quam Carthaginienses tuebantur; quibus cum nulla gens usu rerum maritimarum, aut potentiâ poterat comparari? quis autem [p] tantas brevi parare classes potuisset, ut non semel quinqueremibus prope quadringentis cum hoste confligeret; & quum septingentas naves amisisset, tamen ad extremum & victoriâ potiretur, & sibi imperium maris vindicaret? Illud etiam ani-
madvertendum Siciliæ possessionem populis 7
Europæ, vel Africæ Orbis terrarum imperium affectantibus esse necessariam; quod, qui insulæ situm considerabit, intelliget; intelliget etiam, qui cogitabit tres opulentissimos populos, Athenienfem, Carthaginiensem, & Romanum, qui omnibus gentibus imperare destinaverant, ejus potiundæ causâ tantas armasse classes, tantum laboris suscepisse, tantum subjisse periculorum, ac tantas

a Virg. libr. 3 Æneid. in fine, & Servius in eum locum. b Strabo libr. 6. de Siciliâ. c Idem ibid. d Idem ibid. e Idem Strab. ibid. f Cic. in Verr. g Plin libr. 3. cap. 8. h Thucyd. libr. 4. i Græcus Thucyd. Interpr. in hunc locum. l Serv. in Virg. Æneid. libr. 3. in fine ad eum locum: *projectaque saxa Pachyni*. m Thucydid. libr. 7. n Idem Thucyd. libr. 1. o Tit. Liv. libr. 26. p Tit. Liv. libr. 28. in fine.

tas clades accepisse, eumque populum solum ad Orbis terrarum imperium pervenisse, qui totam Siciliam subegerat.

DISSERTATIO LVI.

Expenditur orationis artificium, qua apud Thucydidem utuntur Corinthiorum Legati.

Qui ad judices verba faciunt, caveant, oportet, ne quid eos offendat; secus est in orationibus deliberativi generis, quæ apud Senatum habeantur; sic etiam Amicis vitia sunt exprobranda, & vitanda assentatio; ita tamen ut exprobratio jucundis temperetur. Antisthenes ajebat ad salutem opus esse vel Amicis veris, vel acribus Inimicos; & Cato, meliùs de quibusdam mereri Inimicos, quàm Amicos. Æmulatio civitatum disciplinam conservat; veruntamen omnes populi finitimorum virtuti, & potentiæ invident, eosque pessumdatos volunt; ut documento sunt innumera, quæ afferuntur, exempla. Romani Carthaginem, & Corinthum dumtaxat everterunt; quia solæ Orbis terrarum imperium possent affectare.

QUum [a] Corinthii, & nonnullæ Peloponesi gentes Potidæam Thraciæ urbem Atheniensium imperio subjectam ad defectionem impulissent, & imposito valido præsidio tuerentur; Athenienses contra Corinthios, & Potidæatas, & socios prælio victos in oppidum confugere coëgissent; idque magnâ vi adorti oppugnarent, Corinthii, sociique haud dubiè bellum gerendum rati miserunt Spartam legatos, qui Lacedæmonios jam pridem habentes Atheniensium potentiam suspectam ad bellum incitarent. Hos legatos Thucydides narrat, quum senatus his datus esset, eam habuisse in curiâ Spartanorum orationem, quæ ad Spartanorum animos commovendos accommodata videretur. In eâ oratione possit quispiam suspicari Thucydidem non satis ex arte quædam protulisse; nam quum oporteat dicentem in eo præcipuè laborare, ut eorum, apud quos verba facit, benevolentiam sibi conciliet; idque sit in laudibus oratoria nosse, quibus rebus in animos auditorum influat, ne his adversis, aut certe non faventibus respuatur oratio; Thucydides contra legatos Corinthiorum inducit utentes oratione, quæ Spartanos nimiâ severitate, & libertate dicendi exasperare posse videatur. Nam exprobrant ipsis ignorantiam rerum externarum: exprobrant in consiliis, & in agendo tarditatem, & cunctationem: exprobrant negligentiam sociorum: accusant eos, quòd post fusas, fugatasque Persarum copias, & Mardonium superatum, & pulsum e Græcia Xerxem sive int Athenienses Patriæ muros ab hostium exercitu stratus instaurare: accusant, quòd, Xerxe innumerabili exercitu conflato excitam prope e sedibus suis Asiam in Græciam invehente, non ante fuerint ad communem libertatem defendendam excitati, quàm Persarum exercitus in ipsis Græciæ visceribus versaretur, & Peloponeso jam 1 immineret; ipsumque Barbarum victum fuisse non tam vigilantiâ Spartanorum, quàm quia multa peccaverit; hanc autem causam fuisse, quòd Corinthii, sociique ab Atheniensibus victi, domitique non fuerint, magis Atheniensium peccatis, quàm Spartanorum præsidio tuti. Athenienses contra, Corinthiorum oratores quodammodo laudant; quòd sunt ad excogitandum acuti, & ad ea, quæ excogitarunt, exequenda celeres, atque audaces magis, quàm vires eorum patiantur, & præter hominum opinionem periculorum appetentes, & in rebus asperis bene sperare consueti; & impigri, & prompti ad Patriam pro Patriâ relinquendam; & quòd utuntur corporibus pro salute Reipublicæ tanquam alienis, animo verò adversùs ipsam amicissimo; & quòd hostium quidem victores quàm longissimè procedunt, & victoriam exercent audacissimè; victi verò quàm minimè animo concidunt, & consternantur; quodque, si quando rem aggressi non sunt consequuti, alia sperantes, quæ deerant, impleverunt, minimeque fruuntur præsentibus, quia semper aliquid novi concupiscunt; & nihil aliud esse ducunt diem festum, quàm ea, quæ convenit, impigre expedire; nec minùs existimant gravem quietem expertem negotii, quàm occupationem laboriosam. Quum igitur & hostes laudare sit odiosum; & eorum, apud quos dicas, res gestas elevare dicendo, Thucydides videri possit accusandus inscitiæ, qui Corinthios inducat utentes oratione, qua & Atheniensium virtutem, & solertiam in Cœlum ferant; & Lacedæmoniorum, apud quos dicunt, tarditatem exaggerent, & negligentiam, & res gestas extenuent, atque abjiciant, quæ aliorum admiratione celebrabantur. Ego verò Thucydidem hodierno die ab hac calumniâ vindicabo, ostendamque, Auditores, ejus orationem non modò non carere artificio, sed omnes numeros artis continere, & esse ad persuaden-

[a] Thucydid. libr. 1.

dendum maximè accommodatam. Atque il-
lud ante omnia animadvertendum est; ali-
ter apud judices verba facienda, aliter in
Senatu, quum de rebus gravissimis delibe-
ramus. Apud judices orantibus causas ca-
2 vendum est, ne quod excidat verbum, quod
animum judicis mordeat, quod offendat
aures, quod lædat voluntatem, quod non
obsequium summum, reverentiamque præ-
seferat; quia in judiciis victoriæ spem præ-
cipuè in benevolentiâ judicis collocamus,
at quum loquimur in Senatu, quum de re-
bus maximis disceptamus, gravissimam per-
sonam sustinemus. Itaque licet uti majore
libertate dicendi, nihilque fugiendum ma-
gis, quàm ne loqui videamur ad volunta
tem; quia qui loquitur ad voluntatem, non
quæ utilia putat, sed quæ jucunda, suadet
audienti; quod maximè contrarium deli-
berantibus est, atque damnosum; quum in
deliberando omnia sint ad utilitatem, di-
gnitatemque referenda. Quamquam Thu-
cydides ita utitur libertate, ut nihil asperè
dicat, nihil, quod Lacedæmonios offendere
posse videatur. Nam, licet accuset eos,
quòd ad propulsanda pericula tardè move-
antur, quòd sociorum injurias negligant;
id ait, non ex naturæ vitio, nec ex metù
periculorum, sed ex virtute Spartanorum
originem ducere. Quum enim Lacedæmo-
nii egregiâ fide inter se agant, non facilè
in animum sibi inducere alios populos fra-
cturos esse fœdera, fidemque violaturos.
Quod verò dicit de inscitiâ rerum externa-
rum, de cunctatione belli suscipiendi, a
Reipublicæ, qua utuntur Spartani, formâ, &
ab ipsorum gravitate vult provenire. Est igi-
tur mixta laudibus objurgatio; qualis ab A-
micis debet proficisci, qui nec infestâ oratio-
ne vitia debent exprobrare, nec blandien-
do, assentandoque benevolentiam aucupari;
quorum utrumque abhorret ab Amici natu-
râ, qui & animum mordentia debet misce-
re jucundis, & adulationem tanquam ami-
citiæ pestem aspernari; nec recusare, quin
liberè, siquid ab Amico peccatum sit, re-
prehendat; & in consiliis dandis plurimum
severitatis admiscere. Atque id licet obser-
vare in præstantissimis quibusque oratori-
bus, qui in deliberativo genere orationes
habuerunt. Demosthenes maximus orator
in Philippicis, quoties Athenienses, quos
3 ad bellum adversus Philippum vult inflam-
mare, reprehendit, quòd propter ignaviam
nihil eorum gerant, quæ ab iis, qui partam
a Majoribus gloriam, & libertatem conser-
vare, & Posteris tradere velint, geri con-
venirent? quoties arguit populum, tan-
quam a virtute Majorum degenerantem, &
in nullius momenti negotiis occupatum,
& maxima, quibus Reipublicæ salus con-
tinetur, negligentem? quoties accusat,
quòd auxerit negligentiâ suâ Philippum,
quòd aures præbeat non salutaria, sed ju-
cunda suadentibus? Ipsum verò Philip-
pum, licet superabilem vigilantibus, bel-
lum strenuè parantibus, rem fortiter ge-
rentibus esse dicat; licet in ipsum elatus
quasi quodam æstu orationis invehatur; li-
cet ejus invidiam carpat, qua fortissimum
quemque depressum ire criminatur; & gau-
dere dicat scurris, gaudere petulantibus, &
nequam hominibus, gaudere conviviis, &
ebrietate, gaudere lascivis saltationibus; ta-
men ejus in gerendo bello vigilantiam lau-
dat, laudat fortitudinem contemptricem
periculorum, laudat gloriæ cupiditatem,
cujus assequendæ causâ & oculum Philip-
pus amisit, & plurima vulnera excepit ad-
verso corpore, & humerum perfregit, &
ex vulnere claudicat. Quid Cicero? non-
ne in Philippicis consensum totius Italiæ 4
ad repetendam libertatem exaggerat? ere-
ctam dicit plebem, erectos Equites, liber-
tos etiam, & servos excitatos ad depellen-
dos tyrannos; solos autem publicæ causæ
deesse queritur principes civitatis, expro-
bratque Senatui, apud quem verba facit,
languorem, damnat cunctationem, dolet
paucissimos esse consulares, qui senten-
tiam fortiter dicere audeant, qui ad Rem-
publicam strenuè capessendam excitentur;
improborum verò vim acerrimam esse, &
ad opprimendam Rempublicam nunquam
non intentam, non vigilantem, non para-
tam audaciam. Qua oratione illi sunt usi
prudentissimè ad animos excitandos; nun-
quam enim nobis acriores stimuli admo-
ventur, quàm quum cogitamus esse nobis
rem cum hoste acerrimo; qui nunquam
conquiescat, qui nullam prætermittat oc-
casionem nocendi, qui virtute præstet, &
opibus antecellat. Ideo Antisthenes ajebat
iis, qui volunt ad salutem pervenire, opus 5
esse vel Amicis veris, & legitimis, vel acri-
bus Inimicis: & Cato dicebat meliùs de
quibusdam mereri Inimicos acerbissimos,
quàm Amicos, qui dulces esse videantur.
Themistocles, quum a prioris vitæ per lu-
xum, & voluptatem, atque socordiam actæ
pertæsus ad Rempublicam accessisset, & no-
ctes insomnes duceret, excitari se Mara-
thonio Miltiadis trophæo prædicabat. Si
hominem gloriæ cupidum quiescere non
sinebat Miltiadis præstantissimi ducis glo-
ria; si pudebat a suo cive vinci, quum e-
jus victoria non modò non obfuisset, sed
etiam sibi, & Reipublicæ salutem attulisset;
quantò magis excitabuntur homines non
prorsus ignavi, quum hostes videbunt pro-
spero

a Plutarch. in Vitâ Themistocl.

spero uti fortunæ flatu, & ad summam gloriam, & potentiam niti, quum præstare virtute bellicâ, quum optime Republicâ constitutâ? Cavete, quemquam putetis amatorem tantopere sui rivalis successibus commoveri, quantopere civitates; quæ in spem imperii eriguntur, æmularum civitatum gloriâ, virtute, rebus prospere gestis, incrementis commoventur; neque enim minus acris est ambitio, quam amor; & imperii cupiditas omni cupiditate potentior est.
6 Hæc Romanus, quamdiu stetit magna Carthago, & visa est præbere pulsi imperio sedem, in officio continuit; qui, dum superfuit urbs, quam timere poterant, a Majorum moribus non desciverunt; eâ eversâ nihil priscæ virtutis retinuerunt. Ideo Scipio Nasica, quum [a] Cato censeret excidendam Carthaginem, semper auctor Senatui fuit conservandæ civitatis; qua florente Romana Respublica virtute florebat, & viris; quibus poterat solis Orbis terrarum imperium sibi vindicare; quibusque solis invicta permanebat, quum [b] Ennius prudenter, & verè dixerit

Moribus antiquis res stat Romana, virisque

Nec Romani solùm stante æmula imperii urbe ad virtutem, retinendamque veteris disciplinæ severitatem sunt excitati, sed & aliæ nationes. Athenienses, dum Sparta-
7 norum potentia terrebantur, dum vicinas opes Thebanorum pertimescebant; dici vix potest, quantum coluerint rem militarem, qua continentia egerint, qua temperatione publici moris, qua disciplina; ubi verò Spartanorum opes Leuctricâ calamitate [c] conciderunt, & extincto Epaminonda extincta est Thebanorum potentia, acies illi spiritus Atheniensium relanguerunt; mores ab industriâ ad ignaviam, a labore ad voluptates, a parsimoniâ ad luxum defluxerunt, & fracta virtus Spartanorum virtutem fregit æmulæ civitatis; & duarum urbium Græciæ principum altera adverso prœlio, altera secundâ furtunâ, quæ debilitarat adversarios, pessumdata est. Ipsi
8 Lacedæmonii, qui annos ferè quingentos Lycurgi [d] severissimam disciplinam coluerant, & ab eâ ne latum quidem unguem discesserant; non alio tempore ceperunt a Majoribus degenerare, ceperunt adversissimis Lycurgi disciplinæ vitiis, avaritiâ, & studio voluptatum laborare, quàm quum ad Ægos [e] flumen Atheniensium classe devictâ, fractaque & diuturno bello, & tot adversis hostium potentiâ, & dirutis mœnibus Athenarum, & triginta tyrannis impositis opulentissimam civitatem timere desierunt. Atque ego non aliâ de causâ existimo Persas, qui potiente rerum Cyro tan- 9
tum bellicâ virtute valuerunt, tam severis legibus utebantur, tam laudabili Reipublicæ formâ, tam incorruptis moribus, quemadmodum intelligi potest [f] e Xenophonte; tam cito ad tantam ignaviam, tantamque animi mollitiem esse delapsos, ut imperante [g] Dario, qui paucis post Cyrum annis Regnum Persarum sublatâ Magorum tyrannide occupavit, innumerabiles eorum copiæ a parvâ Atheniensium manu vincerentur; & Xerxe [h] deinde regnante, qui successit Dario, exercitus ille Persarum, quo nullus major unquam fuit, tam facilè a Græcis trucidaretur, nihilque contemptius ignaviâ Persarum haberetur; qui paulò ante Cyro duce [i] tot, ac tam indomitas nationes debellarant, Asiamque pæne universam in suam ditionem, potestatemque redegerant; non aliâ, inquam de causâ existimo, tam brevi Persarum mutatos esse mores, tam brevi lapsam disciplinam, quàm quia Cyrus omnia latè perdomando, & imperii terminis a mari interno usque ad Indos, & ab adustâ Mundi plagâ usque ad Scythiam proferendis, nihil, quod esset Persis metuendum, reliquit. Itaque Persæ post Cyri mortem, quum bellicosissimas Europæ nationes propter longinquitatem non reformidarent; Asiæ verò populos universos imperio subjecissent; remotis æmulis ad otium, voluptatesque conversi, omnem pristinæ virtutis indolem amiserunt; & ex pugnacissimis fugacissimi, ex fortissimis molles, & effeminati, ex continentissimis intemperantes maximè evaserunt. Nec illis profuit natura regionis, quam incolebant, quæ aspera, & montana ad confirmandum animi robur, alendamque virtutem incolarum imprimis accommodata videbatur. Idem arbitror Assyriis [l] accidisse, quorum virtus Nino, & Semiramide regnantibus tot Orientis populis debellatis effulsit; his autem extinctis extincta est; quia eorum rebus præclarè gestis effectum est, ut nullam Assyrii gentem, nullius Regis opes pertimescerent. Contra Romani, quia paulatim,
& quasi per gradus ad Orbis terrarum im- 10
perium pervenerunt, semperque quem metuerent, cujus industriâ ad laborem, & virtutem excitarentur, habuerunt, diutissimè patriam disciplinam, patrios mores retinuerunt; omninoque cos virtutis est in bene temperatâ Republicâ virtus vicinorum; & timor, quem bellicosi, & potentes accolæ affe-

[a] Plutarch. in Vitâ Catonis, & Plin. libr. 15. c. 18. [b] Ennius apud Cic. de Republicâ libr. 6. [c] Plutarch. in Vitâ Pelopid. [d] Idem in Vitâ Lycurgi. [e] Idem Plutarch in Vitâ Lysandri, & Alcibiadis. [f] Xenoph. de Institut. Cyri libr. 1. & de ejusdem Expedit. [g] Justinus Histor. libr. 1. [h] Herodot. libr. 8. cap. 24. & Plutarch. in Vitâ Themistoclis. [i] Xenoph. de Expedit. Cyri. [l] Justin. Historiar. libr. 1.

-sferunt, interdum est in causâ, ne quenquam jure timere possimus. Ideo [a] Massiliensium civitas, quum undique ferocibus, & barbaris gentibus cingeretur, fuit in media barbarie exemplum gravitatis, exemplum disciplinæ, exemplum optimè constitutæ Reipublicæ, exemplum virtutis militaris; nec unquam amisit libertatem, quamvis ad eam funditus evertendam tot circum immanes Gallorum nationes quotidie consurgerent. Pari virtute, licet impari potentiâ, fuisse Livius [b] animadvertit Emporias in Hispaniâ, quæ civitas vigilantiâ, curâ, temperatione publici moris, assiduo studio rerum bellicarum est consequuta, ne sibi essent illi barbariæ fluctus, quibus undique alluebatur pertimescendi. Quocirca vi-
11 detur optandum quodammodo Rebuspublicis habere finitimos acres, & bellicosos; ita quippe mores non dissolvuntur, & cives ad virtutem, resque præclarè gerendas excitantur, quibus rebus civitatum felicitas continetur. Sed quia molestum est semper esse sollicitum de suæ Reipublicæ salute, & de libertate semper anxium; idcirco omnes populi virtutibus, & potentiæ invident accolarum; nec eorum opes adolescere facilè patiuntur; & quidquid est timendum, eversum volunt. Atque hac de causâ [c] Romam nascentem, crescentemque tot bella circumsteterunt; nec ullus populus e finitimis fuit, qui novam urbem opprimere non conaretur; quia nimirum omnes, ut [d] Livius ait, tantam in medio crescentem molem metuebant. Quin etiam quum [e] Romani captam a Gallis urbem recuperassent, & eversam instaurassent; non fuit misericordiâ motæ finitimæ civitates populi, cum quo toties fœdus inierant, cum quo communia sacra habebant, quem cognationibus, & affinitatibus attingebant, ab alienigenis, & Barbaris oppressi, ac vix erepti e faucibus fati, sed omnes [f] ad opprimendam Romam resurgentem conspirarunt; quia nimirum incrementa Urbis, antequam caperetur a Gallis, reformidarant; & tunc sibi oblatam divinitus occasionem tollendi e medio metus, qui ipsas tantopere exterruerat, arbitrabantur. Ipsi Roma-
12 ni, quamvis clementissimè victoriâ semper uterentur, neque unquam ferè usque ad excidium ullius gentis bellum gererent; tamen duas maximas, atque opulentissimas in terris urbes [g] Carthaginem, & [h] Corinthum exciderunt; quòd solæ imperio Orbis terrarum præbere sedem posse videbantur. Nam [i] Carthago & ubertate soli, & opportunitate maris, & imperio multarum, & potentissimarum civitatum, & belli studiis, & saluberrimis legibus, & præstantissimâ Reipublicæ formâ, & scientiâ rei navalis universis Africæ urbibus antecellebat, & nullis Asiæ, vel Europæ secunda habebatur. Et [l] Corinthus opibus, & opportunitate situs, quo in Isthmo inter duo maria Jonium, & Ægæum collocata, mercium ex Europâ, Asiaque advectarum celeberrimum emporium, duobus Cenchreis, & Lechæo succinctum portubus, & totius Achajæ principatum præclarissimum habebatur. Capuam [m] verò, quæ & ipsa dignum 13
imperio domicilium videbatur, non illi quidem funditus everterunt; non enim timebant, ne civitas prope suburbana ipsis inscientibus res novas moliretur; sed ne se posset commovere; spoliarunt magistratu, spoliarunt omni Reipublicæ formâ, & receptaculum frugum ex agris convectarum, & aratorũ, non civitatem esse voluerunt. Quin & magnæ Carthagini ut exitium maturarent, nulla res magis eos movit, quàm legati, qui aliquot post Punicum bellum secundum annis in Africam missi mirum in modum rem Carthaginiensem crevisse renunciaverant; adeo acres animis potentium populorum subjicit stimulos gloria, & virtus, & felicitas æmularum civitatum. Thucydides igitur ar-
tificiosissimè composuit orationem, qua Co- 14
rinthiorum legati conantur Lacedæmonios ad bellum suscipiendum adversus Athenienses accendere. Nam quum nihil magis populos imperii cupidos accendat ad excidium potentium accolarum, quàm eorum perspecta virtus, & opes, & imperio digna amplitudo; Corinthiorum legati hæc omnia adesse Atheniensibus, & insuper immoderatam cupiditatem imperandi docent: ostendunt quam multas civitates in servitutem redegerint ostendunt omnium aliarum insidiari libertati: ponunt ob oculos, quibus rebus excellant Athenienses, quibus vincantur Lacedæmonii; ut ad id bellum non solùm alienæ libertatis defendendæ curâ, sed etiam metu suæ amittendæ excitentur. Et ne Lacedæmonii cogitantes quantopere Athenienses antecellant, despondeant animum, fasceisque submittant æmulis; & præclarè secum agi putent, si Athenienses contenti reliquos Græciæ populos redigere in suam potestatem, abstineant se a bello Spartanis inferendo; omnem Atheniensium felicitatem, omnem potentiam, omne incrementum maximæ civitatis a negligentiâ, & cunctatione Spartanorum originem duxisse affirmant. Si Lacedæmonii velint animum intendere, si impi-

[a] Tit. Liv. libr. 34. [b] Idem eod. libr. [c] Luc. Flor. libr. 1. [d] T. Liv. libr. 1. [e] Idem libr. 5. [f] Idem libr. 6. [g] T. Liv. libr. 49. Luc. Flor. libr. 2. cap. 15. Plutarch. in Vitâ Catonis, & Plinius libr. 15. cap. 18. & Div. Augustin. de Civitat. Dei libr. 3. cap. 21. Oros. libr. 4. cap. 22. & Eutrop. libro 4. cap. 4. [h] Tit. Livius libr. 52. [i] Strabo libro alt. [l] Idem libr. 8. [m] T. Liv. libr. 26.

impigre suscipere bellum; si obviam ire Atheniensium potentiæ eò jam procedenti, ut non modò finitimis, verùm etiam longinquis populis formidabilis videatur; non dubitant, quin Lacedæmonii subnixi opibus, & potentiâ sociorum, sint Athenienses debellaturi; magisque de suâ libertate tuendâ, quàm de servitute aliis populis inferendâ cogitare coacturi. Sed adesse jam ipsum opportunitatis articulum demonstrant; si prætervehi sinant occasionem, & crescere opes Atheniensium patiantur, frustra auxilium sociorum ab Atheniensibus jam oppressorum imploraturos; frustraque suam potentiam confirmatæ jam tyrannidi oppositUros. Et necessarium ergo bellum, & facilem victoriam esse non cunctantibus docent; quod suadentibus bellum fuit inprimis ostendendum. Licet autem in eo dumtaxat occupati videantur, ut exaggerando vim Atheniensium, excitent in Spartanis æmulationem, augeantque suspicionem, qua illi incendebantur, Athenienses nihil aliud moliri, quàm ut omnes Græciæ populos libertate spoliarent, & sibi ipsis, qui aliorum duces esse consueverant, injungerent servitutem; tamen & benevolentiam captant, dum amplificant dicendo gloriam Spartanorum. Nihil a Græ-
15 cia præclarius gestum est, quàm bellum adversus Persas; quum [a] Xerxem, qui terram innumerabilibus copiis, maria classibus impleverat, victum Græciâ expulerunt; in eo bello maximè virtus enituit Atheniensium; nam & plures naves, quàm simul omnes aliæ Græciæ gentes, præbuerunt; & [b] Themistoclem ducem, cujus consilio haud dubiè ea parta victoria est; & omnium impigerrimè in barbarum insurrexerunt, & pro Græciæ libertate se, Remque publicam maximis periculis objecerunt. Hujus belli mentionem faciunt Corinthiorum oratores, & Athenienses ne nominant quidem; sed omnem hujus confecti gloriam Spartanis tribuunt; nec, quod maximè ad rem pertinet, apparet assentatio; nam jure quodammodo potest dici id bellum a Spartanis profligatum; quia Spartani duces ejus belli fuerunt, concedentibus Atheniensibus, ne rem intempestivâ ambitione corrumperent; sed qui verbo comites, re verâ Græciæ a Barbaris defendendæ principes extiterunt.

§§§§

DISSERTATIO LVII.

Spartani tibiis in prœlio utebantur.

Pompejum libenter carpit Cæsar utpote æmulum suæ gloriæ militaris. Theutones vincebantur ab omnibus, quia nimiâ ferociâ efferebantur. Turcæ antequam prælium ineant, potionem sumunt, ut periculorum obliviscantur. Remos ad numerum agitabant remiges; Rustici etiam Musicâ solabantur labores. Homerus verbum μέλπεσθαι, quod canere *significat, accipit pro* prœliari. *Heroum ne solus Achilles citharâ canens inducatur ab Homero, an etiam Paris, & an legendum sit apud Homerum κίδαρι pro κίθαρι, quam lectionem nonnullos agnoscere tradit Eustathius. Clemens Alexandrinus, & Plutarchus prodiderunt Cretenses lyrâ usos in bello; citharâ autem Martianus Capella, & alii. Tyrrhenos tubam invenisse, & cornua Athenæus tradit; & Plinius Pisæum quendam tubæ repertorem facit. Tubarum sex genera. Homerus potiùs approbat morem militum sedatè euntium in hostes, quàm eorum, qui strepitu prælium ineunt.*

INsignem locum Thucydidis non omittemus hodierno die, Auditores, quia rem continet cognitu dignam, cujus meminit Gellius libro primo capite undecimo Noctium Atticarum; meminit [c] Aristoteles problematum libris, meminit [d] Plutarchus, meminit Pausanias Laconicis, multi denique [e] veteres, recentioresque Scriptores meminerunt. Locus 1
Thucydidis est in libro tertio, ubi summus Auctor tradit Lacedæmonios acerrimos bellatores, non ad tubarum clangorem, cornuumque, & tympanorum inconditum sonum, sed ad tibiæ cantum in prœlium incessisse; id autem non voluptatis causâ fecisse Lacedæmonios arbitratur; sed ut æqualiter, & sensim, & cum quodam musico numero graderentur; ne in hostes euntibus distraherentur ordines, neve dispersi, dispalatique pugnam inirent, quod in congressibus magnorum exercituum solet evenire. Eodem consilio Pompejus in acie
Pharsalicâ cum Cæsaris copiis dimicaturus 2
præceperat militibus, ne procurrerent; sed presso gradu hostes immoti expectarent; quod licet libro tertio belli civilis reprehendat Cæsar, qui Pompejum libenter carpit tanquam æmulum suæ gloriæ militaris; & nullâ ratione factum dicat, tamen eò

[a] Herodot. libr. 8. cap. 24. [b] Plutarch. in Themistoclis Vitâ. [c] Aristot. apud eund. A. Gell. libr. 1. cap. 11. [d] Plutarch. in Apophth. Laconic. in Agesilao, & de Musicâ. [e] Polyb. libr. 4. Valer. Maxim. libr. 2. cap. 1. Martianus Capella libr. 9. Quintilian. libr. 1. Inst. Orator. cap. 16. de Musicâ, & Clem. Alex. Pædag. libr. 2. cap. 4.

consilium Pompeji spectabat, ut ne milites
longiùs procurrendo fessi ad hostes perve-
nirent, neve turbarentur ordines, neve a
se invicem distracti dimicarent; sed con-
ferti, recentesque viribus primum hostium
impetum, qui est acerrimus, exciperent, &
refutarent; quod spectasse [a] Lacedæmonios
constat, qui supra quadringentos annos in-
victi permanserunt. Illud etiam spectavit
Pompejus, ut hostes duplicato spatio, quod
cursu transire Pompejanis non occurren-
tibus cogebantur, ad suos defatigati perve-
nirent, & fessi cum integris prœliarentur;
quod planè accidisset, nisi Cæsaris milites,
utpote veterani, peritique pugnandi, con-
silium, ut dici solet, in arena nullo præci-
piente cepissent. Nam in medio cursu sub-
stiterunt, & paulisper conquierunt; dein-
de resumptis quiete viribus in hostes se se
invexerunt. Sed, ut ad Lacedæmonios re-
3 vertamur, Aristoteles aliam rationem red-
didit hujus Laconici instituti; affirmat quip-
pe Lacedæmonios ad tibiæ cantum ad pu-
gnam incessisse, ut quum placidè, modu-
latèque moverentur, vaderentque in ho-
stes, deprehenderentur segnes, & timidi,
& qui desererent ordinem, locumque a
ducibus assignatum; quod, ubi ingenti im-
petu procurritur, non facilè potest observa-
ri. An verò dicendum est, quod de Theo-
pompo, & Ephoro Isocrates usurpare so-
lebat, alterum freno, alterum indigere cal-
caribus? alios homines ad rem fortiter ge-
rendam esse excitandos; ideoque in prœ-
liis adhiberi tubarum, lituorumque, & cor-
nuum, & buccinarum strepitum, quo evi-
brantur, & ad pugnam accenduntur; La-
1 cedæmonios autem, qui nimia etiam sua-
pte naturâ ferocirent, & quorum mos, ut
ait Cicero, esset inflammatus cupiditate vin-
cendi, fuisse comprimendos; ne ferociâ
nimiâ rem in discrimen adducerent; ob
eamque causam adhibitos esse tibiæ mo-
dos; quibus immodicus ardor pugnandi
temperaretur. Quæ ratio etiam verior esse
4 videbitur, si Pausaniæ [b] credamus, Lace-
dæmonios non solum tibiæ modis usos ma-
nus cum hostibus conferentes, verùm etiam
lyræ, citharæque cantu; quid enim lyræ,
citharæque concentus conferre bellatori-
bus pugnam ineuntibus potest? aut quid
2 sibi voluit Lycurgus, qui res tam inter se
discrepantes, & propemodum disparatas,
Martem cum Musis; inconditum clamo-
rem prœliantium cum lyræ, & citharæ sua-
vitate; laborem, & lamenta, & gemitus,
& vulnera, & cædes cum Musicæ volupta-
te conjunxit? Illud profectò voluit, mul-
cere animos, & lenire iras, & inconsul-
tum impetum retundere, quibus in bello
nihil esse perniciosius pro[b]at [c] Seneca e-
xemplo Theutonorum, Cimbrorumque;
quos non alia de causa non solùm Roma-
ni, sed etiam Asiæ, Syriæque milites vin-
cebant, nisi quia laxabant iræ frenos, &
effundebant habenas, & immodicâ ferociâ
efferebantur. Possemus & aliam afferre ra-
tionem, horrendus ille sonus, quem tym-
pana, lituique, & tubæ edunt eò spectat,
ut mentes bellatorum attonitas reddat, &
quasi de statu dimoveat, ne cogitent peri-
cula, ne mortem pertimescant, sed quo-
dam furore correptæ inter vulnera, & cæ-
des, & hostium tela versentur. Quo con-
silio ferocissimam Turcarum nationem, an-
tequam prœlium ineat, accepimus uti qua-
dam potione, qua sumptâ animi obstupes-
cunt, & furore corripiuntur, & omnium
periculorum obliviscuntur. Sed id pleris-
que prodest, quibus, ut feris, impetus est pro 5
virtute, & stupor fortitudinis partes subit;
at Lacedæmonii, qui a teneris unguiculis
didicerant mortem contemnere; qui sibi
persuaserant, dulce, & decorum pro Pa-
triâ mori esse; qui nihil aliud toti [d] vitâ
meditati fuerant, nihil aliud cogitaverant,
quàm honestam mortem turpi vitæ esse an-
teponendam; tum fortiter prœliabantur,
quum sibi non exciderant, quum memine-
rant præceptorum, quibus a pueris fuerant
instituti, ob eamque causam mansuetiore
Musicâ indigebant, quæ animum non stu-
pefaceret, sed excitaret. Quid si dicamus
musicen Marti quoque convenire; ideo
Quinctus [e] Fulvius Nobilior spolia Martis
Musis dedicavit, & Ennio poetâ in medio
martis ardore familiarissimè utebatur. Et
fanè Veteres musicen omnibus prope re- 6
bus adhibebant; enumerat Aristides Quin-
ctilianus multa tam tristia, quàm læta, quæ
Musicâ modulante temperantur; nam [f] &
remiges ad numerum remos agitabant; qua
de re [g] Ovidius dixit

Quique refert pariter lentos ad pectora re-
mos,
In numerum pulsâ brachia versat aquâ

Quocirca [h] celeustæ dicebantur, quibus
modulantibus socii navales remigabant, &
celeusma [i] eorum modulatio, & in funeri-
bus musice luctibus moderabatur; & sacrifi-
cia, & [l] honores Deorum musice honesta-
bat,

[a] Ælian. Var. Histor. libr. 12. cap. 42. Isocr. Orat. de Pace, & Pausan. in Atticis, sive libr. 1. [b] Pausan. in Lacon. sive libr. 3. [c] Senec. libr. 1. c. 11. de Irâ. [d] Cic. Tuscul Quæst. libr 1. [e] Cic. pro Archiâ, & Cæl. Rhodig. libr. 7. cap. 1. [f] Quintil. Inst. Orator. libr. 1. cap. 16. de Musicâ. [g] Ovid. Trist. libr. 4. Eleg. 1. [h] Budæus in Pandect. Ex l. 1. ff. Nautæ, caupones, stabularii, §. Qui sunt. [i] Martial. libr. 4. epigr. 64. [l] T. Liv. libr. 9. Val. Max. libr. 2. cap. 1. Ovid. Fastor. libr. 4. Quintil. libr. 1. Inst. Orat. cap. 16. de Musicâ, & Athen. libr. 14. cap. 5.

bat, & exhilarabat [a] convivia, & [b] Rusticorum laborem solabatur; & [c] laboriosissima quæque artificum opera admixta numerorum suavitate tolerabilis faciebat, & theatri voluptatibus [d] miscebatur. Quin etiam pentathlis, quorum opus bellicæ virtuti proximum est, sese exercentibus tibiâ sonante musice accinebat; cur non & prœliantibus, non illo incondito, & terribili tubarum, cornuumque, & tympanorum, sed citharæ, lyræque, & tibiarum sonitu suavio re præcineret? Præsertim apud Lacedæmonios, qui Musas [e] eximiè venerabantur,
7 quarum delubrum a parte lævâ templi Minervæ, quæ Chalciœcos dicebatur, condiderunt; & qui antequam prœlium committerent, semper solenni sacrificio Musas placabant; & qui Spartam toties [f] a Messeniis victam, & extrema metuentem servatam Tyrtæi cantu meminerant. Quippe quum tot cladibus fessi Lacedæmonii animum jam desponderent, Tyrtæi versibus excitati bellum redintegrarunt, Messeniosque victores vicerunt, & in servitutem redegerunt; tantum illi virili Musicæ, non fractæ, & effeminatæ debuerunt. Et sanè Musicen non alienam esse a bello declaravit Homerus, qui verbum μέλπεσθαι, quod significat *canere*, transtulit ad pugnam, & accepit pro eo, quod est *prœliari*: &, ut notat [g] Athenæus Achillem solum heroum fortissimum inducit [h] canentem citharâ, & Musicâ curas diluentem; quodque majus est, hanc ipsam citharam vult præmium accepisse virtutis. Quum enim [i] Eetionis
8 urbem expugnasset, tradit exceptam sorti ex universâ prædâ citharam, & Achilli urbis expugnatori datam; quasi fortissimo viro non magis equi bellatores, non arma capta ex hostibus, quàm cithara, qua res heroum gestas caneret, conveniret; nec ulla re magis, quàm citharæ cantu virtus militaris excitaretur Sed ad Athenæum quod attinet, videtur Athenæus posse reprehendi, qui dixerit ab Homero solum induci Achillem Musicâ utentem; nam Homerus & Paridem [l] non quidem descripsit citharâ canentem; sed cecinisse indicavit eo in loco, ubi Hector exprobrans Paridi timiditatem in bello dicit, si cum Menelao bello decernat, non illi citharam, & dona [m] Veneris profutura

Οὐκ ἄν τοι χραίσμῃ κίθαρις, τά τε δῶρ' Ἀφροδίτης

Non citharæ cantus, Veneris non dona juvabunt

Sed Athenæus, ubi legitur κίθαρις, videtur legisse κίδαρις; quam lectionem Eustathio teste nonnulli agnoscebant; quia Homerus Paridem nunquam inducat citharâ canentem; quibus non assentior. Nam Homerus videtur eodem modo Paridis can- 9
tum neglexisse, quo Alexander ille Magnus neglexit Paridis citharam; sicut enim Alexander, quum Ilienses [n] ipsum ad inspiciendam Paridis citharam invitarent, respondit se Paridis citharam nihil morari; gratum sibi facturos, si Achillis citharam, qua heroum res fortiter gestas heros ipse fortissimus celebravit, ostenderent. Ita Homerus magni fecit Achillis citharam, non Paridis; quia Paris eâ fuerat usus ad modulandas turpes cantilenas, quibus aures femellarum, & effeminatorum juvenum demulceret; quod Horatius [o] his verbis indicavit

Nequicquam Veneris præsidio ferox
Pectes cæsariem, grataque feminis
Imbelli citharâ carmina divides.

Ubi Poeta imbellem citharam Paridis appellavit, ut ab Achillis citharâ bellicosâ distingueret. Voluit igitur Homerus citharam organum esse Martis, non Veneris, & homines ad fortis facta, non ad lasciviam incitare; nec enervare animos, sed corroborare; quemadmodum & Lace- 10
dæmonii voluerunt; si verè [p] Pausanias affirmavit usos in bello citharâ ad animos militum accendendos; tibiam certè esse voluerunt, tibiam, inquam, veterem, quæ non fuit æmula tubæ, ut illa, quæ Horatii [q] temporibus in usu fuit; de qua ita

Tibia non ut nunc orichalco vincta, tubæque
Æmula.......

Nec verò Spartanorum id solùm consilium fuit uti mitioribus in bello modis ad animos militum inflammandos ad pugnam; nam Clemens [r] Alexandrinus testatur Cretenses præcinente lyrâ prœlium solitos committere; ut non mirum sit, quod [s] Pausanias tradit etiam Lacedæmonios usos lyrâ. Quippe quum [t] Lycurgus leges Spartanis conderet, in multis Cretensium Rempublicam est imitatus; alii [u] verò Auctores, Cretenses ad pugnam incessisse citharâ concinente memoriæ prodiderunt, in quibus est [x] Martianus Capella; sed Lyrâ usos e-

[a] Plato in Gorgia Aristoph. in Avibus, & in Vespis Plutarch. in Sympos. libr. 1. & de Music. [b] Ovid. Trist. libr. 4. Eleg. 1. [c] Quintilian. Inst. Orator. libr. 1. cap. 16. de Musicâ. [d] Bulenger. de Theatro libr. 2. cap. 21. [e] Pausan. in Laconicis, sive libr. 3. [f] Philochorus apud Athen. libr. 14. cap. 7. [g] Athen. libr. 14. cap. 5. [h] Homer. Iliad α. [i] Plutarch. de Musicâ. [l] Hom. Iliad. γ. [m] Idem ibid. v. 54. [n] Plutarch. in Vitâ Alexandr. [o] Horat. libr. 1. Od. 15. [p] Pausan. in Laconicis, sive libr. 3. [q] Horat. de Arte Poët. [r] Clemens Alexandrin. libr. 2. cap. 4. Pædagog. [s] Pausanias in Laconicis, sive libr. 3. [t] Aristot. de Republ. libr. 2. cap. 10. [u] Heraclides in Politicis, & Gell. libr. 1. cap. 11. Polybius libr. 4. ubi de tibiis loquitur. [x] Martianus Capella libr. 9.

tiam Plutarchus libro de Musicâ asseverat. Sybaritæ verò teste [a] Martiano Capellâ, si-
11 cuti Lacedæmonii ibant in hostes, tibicinibus bellicum canentibus; Amazones autem dicuntur solitæ pugnam capessere calamis occinentibus; ex quibus [b] quæ venit ad Alexandrum ex eo prolem conceptura, quum tibicinem muneri accepisset, mirum in modum eo dono lætata esse fertur. Arcades [c] verò cum hostibus dimicantes fistulis utebantur, Siculi [d] pectidibus; pectis autem est musicum organum idem, ac magadis, quæ, ut apud [e] Athenæum testatur Anacreon, est citharæ genus viginti chordarum; Arabes [f] cymbalis; eorundem pulsu, licet cum tympanorum strepitu conjuncto, Indi [g] ad pugnam incedebant; Lydi fistula um, & [h] fidium cantu. Non igitur soli Spartani suaviore concentu sese ad martiam virtutem accendebant; sed omnes ferè nationes, quæ minùs ferociæ tribuebant, & quas ingenio mitiore natura donaverat; barbaræ verò, atque efferatæ horridiore sonitu delectabantur. Thraces [i] enim cornua inflabant, Galli barbaricam tu-
12 bam, quæ longè terribiliorem edebat sonum, quàm aliæ, quibus ceteræ gentes utebantur. Parthi [l] super concavum lignum extentam pellem, clavosque æreos undique horrendum sonum dabant; qui ex fragore tonitruum, ululatuque ferarum mixtus videretur, ut Plutarchus in Crasso, & Appianus Alexandrinus tradiderunt. Cimbri [m] extentos vehiculorum pelles teste Strabone cum horrendo fragore diverberabant; Ægyptii [n] tympanorum pulsu pugnam accendebant. Sed plerisque gentibus placuit tuba; id [o] inventum Tyrrhenorum; ideo Sophocles in Ajace flagellifero dixit

Καλκοςόμυ κώδωνος ὡς τυῤῥηνικῶ.

& [p] Virgilius

Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clangor

& Athenæus libro quarto sic loquitur:
Τυῤῥηνῶν δὲ ἐςὶν ἕυρημα κέρατάτε, κ̀ σάλπιγγες;
hoc est:
Tyrrhenorum inventum sunt cornua, & tubæ, ex quo constat Tyrrhenos non tubam solùm, sed cornua invenisse; tubæ verò Plinius [q] Pisæum facit repertorem. Quam-
13 quam non me præterit sex tubarum genera ab Eustathio recenseri, quarum inventionem multis, non uni tribuit. Nam fuit tuba, quam invenisse Minerva dicebatur; ideo Minerva [r] Salpinx apud Argivos colebatur; fuit & ea, quam fertur Osiris reperisse, formâ rotundâ, qua Ægyptii populum ad sacrificium convocabant; tertia gallica tuba, cujus pars extrema ferini capitis imaginem exprimebat; quarta Paphlagonum inventum, cujus extremitas in bubulæ frontis formam desinebat, & idcirco βοὶνὸς idest *bubula* vocabatur, & gravem edebat sonum; quinta ea, qua Medi utebantur, cujus caulis constabat e calamo; sexta demum Tyrrhena, qua flatus exit, aliquantum inflexa, quam Eustathius Phrygiæ tibiæ persimilem fuisse testatur. Hæc apud omnes ferè gentes bellicum canebat; eapropter Statius tubæ sonitum tyrrhenum murmur appellat; & alio in loco tyrrhenos tumultus his [s] verbis

Horrent Tyrrhenos Heliconia plectra tumultus:

Homerus tamen nusquam heroës usos esse tubâ ad prœlium accendendum memorat, quamvis usum tubæ cognoverit; ut intelligi potest ex his [t] verbis 14

Ὡς δ' ὅτ' ἀριζήλη φωνὴ, ὅτετ' ἴαχε σάλπιγξ
Ἄςυ περιπλομένων δηΐων ὑπὸ θυμοραϊςέων

hoc est:

Ut clangente tubâ vox clara everberat aures,
Hostiles muros ubi successere phalanges

& [u] ex hoc loco:

Ἀμφὶ δὲ σάλπιγξεν μέγας οὐρανὸς,

hoc est

Insonuit latè tamquam tuba magnus Olympus

Quinetiam Grajos bellatores inducit sedato gradu sine clamore vadentes in hostes, 15
Trojanos autem ingenti tumultu, strepituque pugnam capessentes; ita enim [x] loquitur:

Τρῶες μὲν κλαγγῇ τ', ἐνοπῇ τ' ἴσαν ὄρνιθες ὥς,
Ἠΰτεπερ κλαγγὴ γεράνων πέλει οὐρανόθι πρὸ,
Αἵτ' ἐπεὶ ὖν χειμῶνα φύγον, κ̀ ἀθέσφατον ὄμβρον,
Κλαγγῇ ταί γε πέτονται ἐπ' ὠκεανοῖο ῥοάων,
Ἀνδράσι Πυγμαίοισι φόνον, κ̀ κῆρα φέρουσαι,
Ἠέριαι δ' ἄρα ταίγε κακὴν ἔριδα προφέρονται.
Οἱ δ' ἄρ' ἴσαν σιγῇ μένεα πνείοντες Ἀχαιοὶ
Ἐν θυμῷ μεμαῶτες ἀλεξέμεν ἀλλήλοισιν.

Quos versus ita possumus interpretari

Turba quidem Troum magno clamore ruebat,
Ut volucres, velutique gruum venit æthere clangor;

Quæ

---

[a] Marcianus Capella libr. 9. [b] Diodor Sicul. libr. 17 Biblioth. Histor. Justinus libr. 12 Plutarchus in Vitâ Alexandri, Arrianus de ejosdem Expedit. libr. 7. & Strabo libr. 11. [c] Clemens Alexandrin. Pædag libr 2. cap. 4. [d] Idem ibid. [e] Athen. libr. 14. cap. 4. [f] Clemens Alexandrin. libr. 2. Pædagog. cap. 4. [g] Q Curt. libr. 8. [h] Herodot libr. 1. & A. Gell. libr. 1. cap. 11. [i] Clemens Alexandrin. Pædagog. libr. 2 cap. 4. [l] Justinus libr. 41. [m] Strabo libr. 7. [n] Clemens Alexandrin. Pædag. libr. 2. cap. 4. [o] Idem Stromat. libr. 1. [p] Virgil. Æneid. libr. 8. [q] Plin libr. 7. cap. 56. [r] Pausanias in Corinthiacis, sive libr. 2. [s] Stat. Thebaid. libr. 7. [t] Homer Iliad. σ v. 219. [u] Hom. Iliad. φ. v. 388. [x] Idem Hom. Iliad. 3. v. 2.

Quæ postquam Edonas hiemes fugere, profundum
Oceanum super ingenti clangore vehuntur,
Pygmæis cædemque viris, cladem que ferentes;
Hæ nempe aëriæ litemque, & prælia portant;
Ast ibant taciti spirantes robur Achivi
Ardentes arcere hostem, sociosque tueri.

Ex quibus versibus constat Poëtam magis morem Spartanorum sedatè euntium in hostea, quàm aliarum gentium magno cum impetu, strepituque prœlium ineuntium comprobasse; & fortasse Lycurgus, quem Homeri studiosum fuisse memoriæ proditum est, Homeri carminibus admonitus id institutum transtulit in Rempublicam Spartanorum.

DISSERTATIO LVIII.

Vicissitudines laboris, & quietis natura desiderat.

Augustus interdum cum pueris ludere solebat nucibus ocellatis; Agesilaus, & Socrates equitare in arundine; Scipio, & Lælius conchis legendis repuerascere feruntur; Scævolam Jurisconsultum pilâ lusitasse tradunt.

ET primus, Auditores ornatissimi, ex hoc amplissimo loco dixi, quum studia vertentis anni auspicaremur, & hodierno die ultimus dicam; & sicut eo tempore adolescentes, qui me audiebant, ad laborem bene longâ oratione sum cohortatus; ita nunc ad concessam studiis vestris requiem paucis vos invitabo; quam vobis non inutilem futuram existimo, si otium in his rebus, quæ reficiant animum, non quæ dissolvant, collocetis. Nam vicissitudines la-
1 boris, & quietis cum animantibus universis, & rebus inanimis, tum humanæ naturæ, & ingeniis maximè prosunt. Idcirco summos viros accepimus perfunctos maximis Reipublicæ muneribus, confecto studiorum suorum curriculo, non dedignatos etiam levioribus ludis animum oblectare. Augustus, cujus [a] humeris sedebat immensa moles imperii, cujus curâ salus Orbis terrarum nitebatur; siquando ab administratione Reipublicæ vacaret, & otium nactus esset, interdum cum pueris ludere solebat nucibus ocellatis: Agesilaus, quo duce [b] nemo impiger magis, nemo in maximis rebus magis occupatus, nemo gravior unquam fuit, deprehensus est ab Amico, quum in conclavi domus cum filiis parvulis in arundine equitaret; quod & de Socrate philosophiæ parente memoriæ [c] Veteres prodiderunt. Scipio [d] eversor Carthaginis, & Lælius optimorum in Republicâ 2
consiliorum semper auctor, conchas legere in Cajetæ litore otiosi, & incredibiliter soliti dicuntur repuerascere. Scævola [e] ille Jurisconsultorum [f] disertissimus, disertorum consultissimus, quum a legum studiis, & a forensibus causis feriaretur, pila traditur lusitasse, quod omnium optimè faciebat. Porcius Latro nobilis declamator, & quum in eloquentiæ studia incumberet, omnium laborem, assiduitatem, industriam, vigilantiamque vincebat; & quum otiaretur, omnes ludo, venatu, jocis, hilaritate, omnique animi remissione superabat. Intelligebant nimirum prudentissimi viri occupationes otio, labores quiete, feria ludo, curas hilaritate esse distinguendas; nec semper animum quasi arcum contentum esse oportere. Quod & optima omnium magistra natura nos docuit, quæ & ipsa mirum 3
in modum rerum vicissitudine delectatur; sic nox diei succedit, tranquillitas excipit tempestatem, hiems veri mutatur, nubilum sereno finitur, quod eleganter expressit Poëta, qui [g] dixit

Non semper imbres nubibus hispidos
Manant in agros, aut mare Caspium
Vexant inæquales procellæ
Usque, nec Armeniis in oris,

Amice Valgi, stat glacies iners
Menses per omnes, aut aquilonibus
Querceta Gargani laborant,
Nec foliis viduantur orni.

Nihil est omnino mortale, quod non quietè aliquando desideret, quod non assiduo labore defatigetur; si semper intendatur arcus, infringitur: ferri acies assiduis ictibus hebetatur: durissimi silices atteruntur: omnium mortalium vires fatiscunt, nisi somno reficiantur. Mutas animantes ipsas videmus otio delectari; non enim semper aves in quærendo pastu, aut struendis nidis, aut fovendis pullis sunt occupatæ; sed aliquando videntur voluptatis causâ volitare, aut arbori insidentes vocem suavissimè modulari: nec

[a] Suetonius in Vitâ Augusti cap 83. [b] Plutarchus in Vitâ Agesilai, & in Apophthegmat. & Ælianus Var. Histor. libr. 12. cap. 15. [c] Ælian. ibid. Val. Max. libr 8. cap. 8. & Senec. de tranquillit. animi cap. ult. [d] Valer. Maxim. libr 8. cap. 8. [e] Idem Val. Maxim. ibid. [f] Cic. de Orat. libr. 2. [g] Horat. libr. 2. Od. 9.

nec semper apes mella condunt, sed interdum ludo gestiunt: nec semper leones prædas agunt, sed aliquando conquiescunt, aut ludunt. & velut soluti curis per arva liberè vagantur. Quàm verò prosit quies declarant fertiles agri, qui quum cessarunt, uberiorem segetem producunt; hos imitari vos jubeo: jubeo parumper otiari, ut uberiores ingenii fructus proferatis. Nec tamen auctor sum vobis omnino cessandi; nam agri, si unum, aut alterum annum non seruntur, acquirunt vires requiescendo; at vobis, quum doctrinæ semina non penitus insederint, nec altiùs radices egerit sapientia, pertimescendum est, ne diuturno intervallo ingenium sterilescat. Est igitur &
hoc otio, quod vobis conceditur, aliquid temporis litteris tribuendum; & ea, quæ didicistis, ne effluant, identidem recolenda, & novi semper aliquid addiscendum.
Et si durum vobis videtur illud Apellis præ-
ceptum, qui jubebat, nullam diem * sine 4
lineâ præterire; saltem aliquando, quum vobis commodum erit, quum satias vos ceperit otii, & lusionum, debetis Musis operam dare. Sed ne dum otium laudo, mihi negotium exhibeam longiore sermone, & vobis molestiam; hac habitâ brevissimâ oratione descendam, dimittamque vos eâ formulâ, qua Romani magistratus, quum Senatum dimitterent, utebantur: *nemo vos tenet*.

Finis Dissertationum in Thucydidem.

BENE-

* Plin. libr. 35. cap. 10.

BENEDICTI AVERANII IN EURIPIDEM DISSERTATIONES VIGINTISEX.

DISSERTATIO I.

Philosophiæ maximè affinis est Poëtica.

Virgilius præstantissimus est poëta, & philosophus doctissimus, Platonisque sectator. Agamemnon Clytæmnestræ poëtam reliquit, qui ejus mores componeret; quo vivo nihil deliquit, interfecto autem multa peccavit. Sapientes, & poëtæ iidem erant antiquitus. Philosophi multi versus factitarunt. Socrates Euripidis tragœdiis delectabatur. Providentiam divinam qui tollit, tollit causam effectricem, & virtutes omnes. Lactantius Aristotelem Deum non coluisse dicit.

QUamvis nihil inter artes, facultatesque præclaras tam discrepans, tam abhorrens, diversumque esse videatur, quàm a poëticâ philosophia; quum altera studium veritatis profiteatur, altera commentitias fabulas consectetur: altera voluptatem, quasi artis extremum spectet; altera prodesse etiam cum
1 animi dolore conetur; diligentiùs tamen reputando, simile quiddam, conjunctum, cognatumque philosophiæ Poëticam esse reperiemus; nam in utriusque studio facultatis inest quædam admiratio. Quum enim, quemadmodum Plato in The teto docet, ab admiratione duxerit o iginem philosophia, nihil in eâ est vulgare, nihil non admirandum; & Poëtica tam est admirabilium rerum studiosa, ut non tam delectationem, quàm auditorum admirationem spectare videatur. Quid enim sibi volunt dicendi genus magnificum, sententiæ reconditæ, verba a vulgari consuetudine sermonis abhorrentia, narrationes illæ mirabiles, eventa rerum inopinata, quibus poëtæ, quasi quibusdam gemmis, illustrant, & illuminant orationem suam? fabularum verò studium, quibus poëta videtur a philosopho vel maximè discrepare, nonne utramque facultatem ita conjungit, ut fateri pæne unam, eamdemque esse nos cogat?
Nonne Salustius non ignobilis auctor sapientiæ in aureo libello, quem de naturâ 2
rerum conscripsit, res divinas, quæ pars est multo maxima, & præstantissima philosophiæ, aptissimè fabulis explicari contendit? Nonne [a] Aristoteles affirmat philosophum perstudiosum esse fabularum? quod Sapientes illi veteres ostenderunt, qui omnia sapientiæ præcepta fabulis involuta nobis tradide-

[a] Metaphys. libr. 1. cap. 2.

diderunt; & Pythagoras [a] ille philosophiæ
princeps, & Ægyptii [a] sacerdotes, qui sem-
per involucris quibusdam tectam, nun-
quam nudam veritatem hominum oculis
exposuerunt. Quemadmodum autem phi-
3 losohpus a poëtâ fabulas, ita a philosopho
poëta sapientiam mutuatur; quapropter
Horatius, prudentissimè [c] cecinit

Scribendi rectè sapere est & principium, & fons;
Rem tibi Socraticæ poterunt ostendere chartæ

quod Horatius præcipit exemplis doctus
magnorum poëtarum. Quis enim Home-
ro sapientior, a quo non modò, ut [d] Ovi-
dius testatur,

...... ceu fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigantur aquis

sed etiam omnes philosophi præcepta sa-
pientiæ, quemadmodum doctissimi viri, &
Plutarchus [e] inprimis ostendit, hauserunt;
qui tantus est in eâ philosophiæ parte, quæ
spectat ad mores, ut Horatio [f] teste

...... quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
Plenius, & melius Chrysippo, & Crantore dicat

Quid enim de Virgilio loquar, quem ego
sta uo non modò poëtam esse præstantissi-
mum, sed etiam philosophum doctissimum,
Platonisque sectatorem sapientissimum? At-
4 que hanc Poeticæ cum philosophiâ cogna-
tionem Veteres animadvertentes eosdem
poetas, & Sapientes habuerunt, ut ex Ho-
mero [g] intelligi potest, qui tradit Agamem-
nonem, poëtam domi reliquisse, qui Cly-
temnestræ mores componeret, quo illa vi-
vo nihil turpe cogitaret; occiso, turpissi-
mo se flagitio contaminarit, & virum Asiæ
victorem cum clarissimâ laude domum re-
deuntem apud penates patrios crudelissimè
trucidarit. Neque verò sine causâ id a sum-
mo poëtâ fictum est; nam Sapientes fuisse
poëtas testes locupletissimi sunt Orpheus,
Musæus [h], Linus, universus ille [i] Sibylla-
rum chorus, Zoroastres [l], quem cente-
na millia carminum composuisse memoriæ
proditum est; Thales [m] Milesius, Epimeni-
des [n], Draco, Solon [o], Empedocles [p], A-
nacharsis [q]. Quem morem a Veteribus ac-
ceptum, etiam postquam a philosophiâ Poë-
tica separata est, retinuerunt Plato, & Ari- 5
stoteles, quorum [r] alter dithyrambos, tra-
gœdias, epigrammata, quorum nonnulla
elegantissima extant; alter quadraginta mil-
lia versuum dicitur conscripsisse. Sed &
poëtæ vicissim a studio sapientiæ non ab-
horruerunt, & inter omnes maximè Euri-
pides, de sapientiâ cujus nobis institutus
est sermo; qui quantum philosophiæ stu-
diosus fuerit, declarant Clemens Alexan-
drinus, qui libro quincto Stromateon ipsum
philosophum scenicum vocat; de eo enim,
ὁ, inquit, ἐπὶ σκηνῆς φιλόσοφος; & [s] quòd
Anaxagoræ auditor fuit, & [t] Socratis fa-
miliaris. Ac si, quod hactenus ostendimus,
non est alienum a veritate similem esse, co- 6
gnatamque philosophiæ Poeticam, & sa-
pientiam habendam esse fontem poeticæ
laudis, haud scio an Euripides ulli poëta-
rum meritò concesserit; non enim temere
verba fundit, & sine rerum pondere ina-
nem aurium voluptatem aucupatur; sed
ejus carmina cum sententiis gravissimis,
tum utilissimis vitæ præceptis referta sunt;
neque tantùm Parnassum, & Heliconem,
sed Academiam, & Lyceum sapiunt. Cu-
jus rei testem non e vulgo hominem, sed
eum, qui sapientissimus omnium Morta-
lium fuisse dicitur, possumus appellare So-
cratem; qui [u] quum Aristophanem, cete-
rosque poetas contemneret, Euripidis tra-
gœdiis mirificè delectabatur; & ut [u] tradit
Ælianus in variâ historiâ, libenter, quum
eæ agerentur, in theatrum ventitabat. Qua-
propter, ut in scribendis comœdiis Te-
rentium Lælio, & Africano adjutoribus
usum Romani prodiderunt; sic Euripidem
Socrate usum in tragœdiis componendis
nonnulli [y] Græcorum tradiderunt. Et sa- 7
nè digna sunt Euripidis poëmata, quæ
philosophorum sapientissimo tribuantur;
quid enim illis acutius, quid subtilius,
ad mores hominum componendos aptius?
quæ causa nobis fuit, ut hunc auctorem
potissimum explicandum susciperemus;
neque enim nos ii sumus, qui Aristopha-
nem probemus, qui in Acharnanibus ob
hoc ipsum sententiarum acumen, & subli-
mita-

[a] Plutarch. de Liberis educand. in fine. Diog. Laertius libr. 8. segm. 17. Athen. libr. 10. & D. Hieronym. in Apolog. adversùs Rufinum. [b] Diog. Laërt. in proœmio, & Corn. Tac. Annal. libr. 11. n. 14. [c] Horat. in Arte Poët. [d] Ovid. Amor. libr. 3. Eleg. 8. de Morte Tibulli. [e] Plutarch. pluribus locis Opusculorum, ubi Homeri versus refert. [f] Horat. Epistol. libr. 1. Epist. 2. [g] Hom. Odyss. libr. 3. [h] Diogen. Laërt. in proœm. [i] Lactant. Firmian. de falsâ Religion. libr. 1. cap. 6. [l] Plin. libr. 30. cap. 1. [m] Diogen. Laërt. libr. 1. segm. 33 in Vitâ Thaletis. [n] Idem libr. 1. segm. 111. in Vitâ Epimenid. [o] Plutarch. in Vitâ Solonis. [p] Diogen. Laërt. libr. 8. in Vitâ Empedocl. [q] Idem libr. 1. segm. 101. in Vitâ Anacharsis, & Suid. in V Ἀνάχαρσις. [r] Diogen. Laërt. libr. 3. segm. 5. in Vitâ Platonis, & Ælian. Var. Hist. libr. 2 cap. 30 [s] Diogen. Laërt. libr. 2. segm. 10. in Vitâ Anaxagoræ. Scholiast. Pindari ad Od. 1 Olymp. A. Gell. libr. 15. cap. 20. Diodor. Siculus Bibliothec. libr. 1. pag. 24. Euseb. de Præparat. Evangel. libr. 10. cap. 14 & Origen. libr 4 contra Celsum. [t] Diogen. Laërt. libr. 2. segm. 18. in Vitâ Socratis, & A. Gell. libr. 15. c. 20. [u] Ælian. Var. Histor. libr. 2. cap. 13. [x] Idem Ælian. ibid. [y] Mnesilochus, Callias, & Aristophanes apud Diogen. Laërt. libr. 2. segm. 18.

mitatem Euripidem carpit. Nam quum, ut in principio dissertationis hujus demonstravimus, magna sit poëtæ cum philosopho similitudo; sicut in philosopho poëticum quid non improbaverim; ita in poëtâ philosophiam vehementissimè comprobo. Hac verò quàm longè præstet Euripides, quid attinet dicere? testimonio sunt ejus carmina, quæ ego nonnullorum philosophorum scriptis antepono. Atque hanc
8 meam opinionem me vobis facillimè probaturum esse confiderem, nisi temporis angustiis impedirer; proferrem enim innumerabiles Euripidis sententias; quibus vita hominum non minùs, quàm philosophorum præceptis tam ad virtutem morum, quàm ad civiles, & domesticas actiones eruditur. Quod ne nunc quidem admodum difficile est; nam quemadmodum Timanthes [a] ille ex Cyclopis digito, quem satyrus thyrso metiebatur, ejus expressit magnitudinem; sic ego ex paucissimis Euripidis carminibus, quæ cujuslibet philosophi æquant gravitatem, Euripidis ostendam sapientiam. Caput igitur, & quasi fundamentum phi-
9 losophiæ non solùm ejus, quæ pertinet ad mores, verùm etiam naturalis, quam Physicam dicunt, est opinio de summi Dei providentiâ; nam & in naturali philosophiâ, qui negat Mundi fabricam ad Deum quidquam pertinere; quum in omnibus duæ res omnino considerari soleant; materia, ex qua quidque efficitur, & causa, quæ efficit; materiam relinquit, tollit effectricem causam; & in morum doctrinâ, qui providentiam tollit, simul pietatem tollit, & religionem, tollit justitiam, omnes denique virtutes funditus tollit. Atque in
10 hac re tam gravi, tamque magnâ, quàm multi philosophi nobiles extiterunt, qui a veritate quàm longissimè aberrarent? mitto [b] Democritum, mitto Epicurum [c] omnia ex atomis fortuitò concurrentibus conficientes, nihil de Stratone [d] Physico loquor, qui Mundum regi naturâ non sentiente existimavit. Aristoteles ipse nonne, si credimus [e] Plutarcho in libris de Placitis Philosophorum, Clementi [f] Alexandrino, Antiquis ferè omnibus, Mundum sub Lunâ non ratione administrari, sed agi casu est arbitratus? idcirco Lactantius Firmianus non sine causâ: Aristoteles, inquit, Deum nec coluit, nec curavit. Quantò autem rectiùs Euripides in Supplicibus damnat hanc sententiam, ostenditque pluribus verbis omnia ad utilitatem hominum divino consilio constituta; quos ego versus, sunt enim elegantissimi, libenter adducerem, nisi plurimi essent, & ego longior esse nollem; sed sic habetote, præcipua argumenta, quibus probatur agere curam rerum humanarum Deum, illis contineri. Quid in mo-
ribus? nonne maxima quæstio apud philo- 11
sophos est; utrum felicitas fortunæ bonis expleatur; quibus tam parum tribuunt Sapientes, ut [g] Epicurus, qui summum bonum in voluptate collocavit, exiguam dixerit intervenire fortunam Sapienti? Quapropter [h] Theophrastus, qui paulò majus affirmavit habere momentum ad felicitatem fortunam, traducitur a philosophis, vehementissimeque reprehenditur. Atque in hac questione tam gravi, tamque præclarâ quàm a sapientiæ decretis non discedit Euripides, cujus illi sunt versus longè doctissimi!

Ὄλβῳ δ' ἐπιῤῥυέντος εὐτυχέστερος
Ἄλλου γένοιτ' ἂν ἄλλος, εὐδαίμων δ' ἂν οὔ.

hoc est:

Donis at affluentibus volucris Deæ
Existit alius alio fortunatior,
Sed non beatus ......

quibus carminibus apertè negat felicitatem fortunæ bonis esse metiendam. Quid non-
ne placitum Stoicorum est, idque inter eas 12
sententias collocatur, quæ παράδοξα græco vocabulo nominantur, solùm [i] esse liberum Sapientem; ceteros omnes esse servos; sed alios aliis nobiliores, & splendidiores haberi, ut in magnâ familiâ mediastinis est honoratior Atriensis? quàm autem sapienter id Euripides indicavit, qui in Hecubâ quemquam esse liberum pernegat his verbis:

Οὐκ ἔστι θνητῶν, ὅστις ἔστ' ἐλεύθερος,
Ἢ χρημάτων γὰρ δοῦλός ἐστιν, ἢ τύχης,

qui versus ita latinè possunt explicari:

Heu nemo liber omnium est Mortalium,
Nam quisque sortis famulus, aut pecuniæ est

Præclarè quippe se res habet, si non Agamemnon Rex Regum liber, ut Euripides in his versibus affirmat, nemo stultus unquam liber, quod Sapientibus visum est. Quæ sententia nonne Liceo dignior est,
quàm scena? quid illa, qua in Supplicibus 13
constituit tres esse partes civitatis, quarum una sint ditissimi cives, alia inopes, tertia inter hos interjecti mediocribus homines opibus; atque hos tertios optimos habendos esse dicit, & conservatores civitatum; nonne præscribit legum latoribus, quid in condendis legibus spectare debeant; & jubet illos eam partem, quæ constet e civibus neque nimis opulentis, neque valde indi-

a Plin. libr. 35. cap. 10. b Diogen. Laërt. libr. 9. in Vitâ Democriti. c Idem libr. 10. in Vitâ Epicuri, & Plutarch. de Placitis Philosophor. libr. 2. cap. 3. d Strabo apud Lactant. Firmian. libro de Irâ Dei cap. 10. e Plutarch. de Placitis Philosophor. libr. 2. cap. 3. f Clemens Alexandrin. Stromat. libr. 5. g Diogen. Laërt. libr. 10. in Vitâ Epicuri. h Theophrast. de Beatâ Vitâ apud Cicer. de Finibus libr. 5. i Cic. in Paradoxis.

indigentibus, quo ad ejus fieri possit, augere? ex quo efficitur illa, quam [a] Plato jure laudavit, æqualitas; & ex Republicâ tollitur inopia, tollitur insolentia civium, tollitur contemptus legum, quæ a potentioribus plerumque violantur; qua quidem æqualitate possessionum tantopere gloriatus est [b] Lycurgus, ut quum agrum Lacedæmoniorum vidisset in æquales partes distributum, negaverit illum agrum civium eandem urbem incolentium videri, sed fratrum germanorum videri affirmarit.

DISSERTATIO II.

De Euripidis Vitâ.

Matrem Euripidis holera vendidisse plerique tradunt; Philochorus tamen, & alii summo loco natam prodiderunt. Euripides picturæ operam dedit, & juxta aliquos pugilatui, & pancratio; sicut etiam Plato athletarum exercitationibus incubuit. Tantalo silicem imminere fabulæ ferunt, quòd Solis naturam sit contemplatus, quem Anaxagoras ignitum esse lapidem putabat. Euripides, & Socrates optabant Bonos a Malis aliquâ notâ dignosci. Tragœdias Euripides juxta aliquos septuaginta quinque scripsit juxta alios nonaginta duas; & decies quinquies in certamine poëtico coronatus est, vel, ut Suidæ placet, quinquies. Euripides instituit, ut argumentum fabulæ præponeretur. Virgilius Sophoclem admiratur. Aristophanes Euripidi Æschylum anteponit:

BEne, ac sapienter, Auditores ornatissimi, a doctissimis viris dictum accepimus; idque [c] Seneca non contemnendus Auctor inprimis affirmavit, orationem esse quoddam speculum animorum, & ex cujusque sermone facilè vitæ genus, & insti-
1 tuta cognosci; quod esse veritati consentaneum non uno, sed innumerabilibus exemplis declaratur; sic enim [d] dicendi genus molle, fractum, & enerve Mæcenatis luxum, & delicias arguebat: sic Hortensii compta [e] nimis, & calamistris inusta oratio munditiis hominis congruebat: sic Julii Cæsaris ardorem animi illum incomparabilem, quo omnes omnium gentium duces vicit, sermo [f] incitatus, & vehemens exprimebat: Augusti [g] verò lenitudinem, facilitatemque morum eloquendi genus elegans, & temperatum; sicut obscura verba, & obsoleta [h] Tiberii reconditam, ab-
strusamque naturam; & apud [i] Græcos Pla- 2
tonis in dicendo sublimitas, & latitudo altitudinem animi, & viri magnitudinem humana contemnentis, & divina spectantis indicabat: Demosthenis autem [l] acerbitas, orationis genus robustum, severum, plenum sanguinis, & nervorum quid aliud nisi tristitiam vitæ, austeritatemque morum, severitatemque declarant? sicut in oratione Xenophontis [m] illa suavitas inaffectata amabiles viri mores, placidamque naturam; quibus ille rebus dicitur præstitisse, demonstrant. Possem eodem modo ceteros illustres, præclarosque scriptores commemorare, nisi vererer, ne hæc nimis multa vobis exempla, quæ attulimus, viderentur; præclarè quippe se res habet; semper oratio est index animorum, atque vitæ; quo fit, ut quemadmodum eloquentiæ genere perspecto mores quodammodo cognoscuntur Auctorum; ita cognitâ vitâ nonnihil illustretur oratio. Quocirca prudenter institu-
tum arbitror, ut clarorum scriptorum vitæ 3
eorum operibus præponantur; qua re & delectationi consulitur lectorum, & Auctorum scriptis lumen affertur; & cur illud genus dicendi sequuti sint, & cur quidque dicatur, aperitur. Quo ego consilio usus hodierno die, quum Euripidis tragœdias hoc anno susceperim exponendas, de ejus vitâ statui nonnulla dicere, que vobis Auditores, non injucunda, & ad Euripidem intelligendum non inutilia fore existimavi. Euripides [n] igitur parentibus natus est Mnesarcho, & Clitone; ejus matrem holera vendidisse memoriæ proditum [o] est; quò respicit [p] Aristophanes in Equitibus, quum ludens Euripidem dicit [q] διασκανδικίσαι hoc est, ut vetus Interpres explicat, ita loqui, ut ejus verba holera saperent; scandix enim [r] genus holeris; sed alii id constanter negant Philochorum [s] auctorem sequuti, qui tradit Euripidis matrem summo loco natam; quam opinionem videtur Euripides [t] ipse quodammodo confirmare, quum
in tragœdiis toties nobilitatem laudet. Ut- 4
cunque tamen ea se res habet; natus [u] est Euri-

[a] Plato libr. 6. de Leg. [b] Plutarch. in Sentent. Laconicis. [c] Senec. Epistol. 114. & 115. & Cicer. Tuscul. Quæst. libr. 5. [d] Sueton. in Vitâ Augusti cap. 86. [e] A. Gell. libr. 1. cap. 5. [f] Sueton. in Vitâ Jul. Cæsar. cap. 55. [g] Idem in Vitâ Augusti cap. 86. [h] Idem ibid. & in Vitâ Tiberii cap. 70. [i] Diogen. Laërtius libr. 3. in Vitâ Platonis. [l] Plutarch. in Vitâ Demosthen. [m] Diog. Laërt. libr. 2. in Vitâ Xenoph. [n] Suid. in V. Εὐριπίδης.

[o] Theopompus apud A. Gell. libr. 15. cap. 20. [p] Plin. l. 22. c. 22. [q] Suid. in V. Διασκανδικίσης. [r] Suidas in V. Σκάνδιξ. [s] Philochor. in Atthid. [t] V. Stobæum de Nobilitat. serm. 86. [u] Diogen. Laërt. libr. 2. segm. 45. in Vitâ Socratis.

Euripides Olympiade septuagesima quinctâ, quo die [a] Græci Xerxem apud Salamina navali prœlio vicerunt; qui dies cum lætissimus Græciæ, tum maximè gloriosus affulsit partâ victoriâ, qua nullam majorem communi consensu Græci pepererunt; ut divino consilio Græciæ natus poëta maximus videretur eo die, quo maximam esset victoriam consequuta; ut eodem tempore & res præclara gereretur, & qui rem gestam celebrare dignè posset, oriretur. Ceterùm ubi primùm adolevit, quum ingenio præstaret, artem professus est ab eâ, ad quam a naturâ factus erat, non omnino abhorrentem; nam [b] picturæ operam dedit, quæ muta poësis est appellata. Sunt autem [c] nonnulli, qui Pancratium, & pugilatum exercuisse tradunt, quum pater ejus ab oraculo responsum accepisset in gymnicis certaminibus coronatum iri; quod & ipsi contigit; nam Athenis est coronam magnâ cum gloriâ consequutus. Sed non fuit Euripides
5 ex eo genere hominum, qui Virgilianum Japidem imitantur, qui quum florere dicendi gloriâ posset, ad aliam facultatem animum appellere [d] maluit:

.... & mutas agitare inglorius artes

Sed quemadmodum [e] Plato ab athletarum exercitationibus ad philosophorum studia se contulit; sic Euripides ab iisdem ad eloquentiam animum, studiumque convertit, & coronam Olympiacam, citò marcescentem præ poëticâ contempsit, quæ semper immortali laude florescit. Verumtamen quum videret omnium laudatarum artium, & præcipuè poëticæ parentem, & procreatricem quamdam esse philosophiam; neque verò posse disertam ejus esse linguam, cui cor non sapiat; Anaxagoram [f] tum maximè excellentem laude sapientiæ de rerum naturâ disserentem studiosè, ac diligenter audivit; sicut [g] Socratem morum præce-
6 pta tradentem. Utriusque verò doctrinæ semina quædam sparsit in suis tragœdiis; nam [h] & quum Tantalum dicit imminentem capiti silicem apud Inferos assiduè formidare, ut nonnulli [i] volunt, ad Anaxagoræ sententiam respicit, qui Solem esse ignitum [l] lapidem confirmavit. Nam Tantalus fuisse narratur Astrologus insignis, qui Solis naturam fuerit diligentissimè contemplatus; fingitur autem ipsi imminere saxum, quòd Sol aliud nihil Anaxagoræ auctore, quàm saxum est; cujus curâ spectandi Tantalum quotidie torserit. Et Socraticæ sapientiæ passim in Euripide vesti- 7
gia reperiuntur; ut quum queritur nullam notam esse, qua boni a malis [m] discernantur:

Ἀνδρῶν, ὅτῳ, inquit, χρὴ τὸν κακὸν διειδέναι,
Οὐδεὶς χαρακτὴρ ἐμπέφυκε σώματι·

hoc est:

At, quæ malos oporteat dignoscere,
Nullus character corpori impressus cluet

nonne respicis [n] Socraticum illud fenestrata hominum pectora esse oportere; ne boni, malique ignorentur, improbitasque probitatis specie delitescat? & quum ait:

Μηδένα γὰρ οἶμαι δαιμόνων εἶναι κακόν.

hoc est:

Nullum deorum quippe deputo malum.

nonne Socratis exprimit sententiam, qua sapientissimus ille senex asseverabat nullius mali Deum auctorem habendum esse? Pos- 8
sem Euripidis multas recitare sententias, quibus id facilè possit ostendi; sed non est hic locus; quare ad ipsius vitam revertamur. Composuit tragœdias Euripides, ut quidam [o] tradunt, septuaginta quinque, ut alii [p] nonaginta duas; novendecim dumtaxat extant; duodecim præter has, quæ omnium manibus teruntur, citantur a Clemente [q] Alexandrino; decies quinquies in certamine poetico coronam est indeptus, vel, ut Suidæ placet, quinquies; primus autem instituit, ut initio fabulæ argumentum proponeretur. Laudatur [r] in eo & perspicuitas orationis, & sententiarum acumen, & elegantia, rotunditasque numerorum, & eloquutionis venustas, & suavitas, & varietas, & in lacessendo, respondendoque mira facundia, & præcipua vis in affectibus commovendis. Quapropter
hunc oratori [f] Quintilianus judicat utilio- 9
rem, quàm Sophoclem, cui sonus ille sublimior, & cothurnus, & gravitas omnium concessu tribuitur; sed hic noster & sententiis densior, & compositione concinnior, & carminum rotunditate jucundior, translatis venustior, sapientiâ gravior, animis denique, quod ego caput esse poëticæ facultatis arbitror, aptior commovendis. Quapropter Sophoclis illam gravitatem tot Euripidis præstantissimis virtutibus existimo compensari, vel etiam vinci; licet [t] Virgilius cothurnum Sophoclis admiretur: li-

[a] Suidas in V. Εὐριπίδης. [b] Suidas ibid. [c] A. Gell. libr. 15. cap. 20. [d] Virgil Æn. libr 12. [e] Diogenes Laërtius libr. 3. segm. 4. in Vitâ Platonis. [f] Idem Diogen. Laërt. libr. 2. segm. 10. in Vitâ Anaxagoræ, Cic. Tuscul. Quæst. libr. 3. Diodor. Sicul. libr. 1. Vitruvius libr. 8. cap. 1. A. Gell. l. 15. cap. 20. & Euseb. Præpar. libr. 10. [g] A. Gellius libr. 15. cap. 20. [h] Eurip in Oreste. [i] Diogen. Laërt. libr. 2. segm. 8. in Vitâ Anaxagoræ. [l] Plutarch. de Placitis Philosophor. libr. 2. c. 20.

[m] Euripid. in Medeâ. [n] Plato de Republ. libr. 2. [o] Varro apud A. Gell. libr. 17. cap. 4. [p] Apud Suid. in V. Εὐριπίδης. [q] Clem. Alexandrin. Stromat. libr. 1. 5. & 6. [r] Diogen. Laërt. libr. 4. segm. 26. in Vitâ Crantoris, & Quintil. libr. 10. cap. 1. [f] Quintilian. Orat. Instit. libr. 10. cap. 1. [t] Virgil. Eclog. VIII.

cet Antiqui [a] Sophoclem propter sermonis incredibilem suavitatem vocaverint apem; & florem poetarum Simonides nuncupet; & Bacchus eundem suas delicias appellasse
10 dicatur: Quò magis miror, quod [b] Aristophanes Euripidi Æschylum præposuerit magnificum quidem, & gravem poëtam, sed durum, & incompositum; præsertim quum Menander ejusdem, atque Aristophanes, artifex operis, princeps novæ comœdiæ, non solùm Euripidem summopere probaverit; sed eum sequutum esse se se quamvis in diverso opere glorietur. Sed Aristophanem puto maledicendi libidine inductum tragici carminis prinicipem reprehendisse; qua de causâ sanctissimum philosophiæ parentem, & principem mordacissimâ [c] comœdiâ traduxit, & se inexpiabili scelere contaminavit. Fuerunt & aliæ causæ, cur Aristophanes Euripidem improbaret, quas exponam aliâ dissertatione, ne quem Aristophanis infatuet auctoritas; tum reliqua de nostri poëtæ vitâ persequar.

DISSERTATIO III.

De eadem Euripidis Vitâ.

Quorundam scripta sæpe improbantur ob morum dissimilitudinem. Demosthenem ejus ætatis oratores irridebant; & Pytheas ajebat Demosthenis verba lucernam redolere. Plautum Horatius deridet ob morum dissimilitudinem. Euripidem Sophocles dicebat esse feminarum osorem in tragœdiis, non in lecto. Euripides dixit pulchrorum non solum ver, sed etiam autumnum esse pulchrum. Salmasius Solinum redarguit, quòd Archelaum tertium Macedoniæ Regem dixerit; quum tamen octo Reges ante ipsum fuerint; sed Solinus intelligit fuisse tertium regio fastigio dignum. Poëtæ multi Regum familiaritate floruerunt. Euripidem canes lacerasse quidam tradunt; alii a mulieribus, quas odio habebat, discerptum. Sepulcrum fulmine ictum argumentum erat divinitatis. Athenienses missis legatis Euripidis cadaver petierunt, nec obtinuerunt a Macedonibus.

Quemadmodum morum dissimilitudo facit, ut eorum facta neutiquam probemus, a quibus ingenio, institutis, vitæ genere dissidemus; sic eadem vitæ, morumque diversitas causa est, ut etiam eorum scripta improbemus, quibus natura nos dissimiles procreavit. Qua de causâ
Demosthenem irridebant ejus ætatis orato- 1
res, quòd orationis genere moroso, & anxio, & contortis quibusdam sententiis uteretur; & [d] Pytheas ajebat Demosthenis verba lucernam redolere; quibus tamen non tam dicendi genus illud magnificum, & divinum, quàm hominis mores tristes, austeri, difficiles, asperi displicebant; quum ipsi ventri dediti; & obscenis voluptatibus vitam traducerent. Atque haud scio, an eadem causa fuerit, cur Asinius Pollio adeo Ciceronis eloquentiam improbarit, ut carmen illud:

Deflendus Cicero est, Latiæque silentia linguæ,

quum in domo Messalæ recitaretur, ferre non potuerit. Plautum certè delicias lati-
næ linguæ, cujus ore [e] Stolo doctus cum 2
primis vir existimavit, si latinè loqui vellent, Musas loquuturas, Horatius [f] ceteroquin acri vir judicio non modò reprehendit; verùm etiam irridet, & quasi aliquem de trivio poëtam abjicit, & proterit illis carminibus:

At nostri proavi Plautinos & numeros, &
Laudavere sales, nimiùm patienter utrunque,
Ne dicam stultè mirati; si modò ego, & vos
Scimus inurbanum lepido seponere dictum

Hujus autem Horatiani judicii non aliæ causæ extiterunt, quàm naturæ dissimilitudo; Horatius nimirum taciturnus, tristis, iracundus: ingenium Plauti facetum, come, festivum, quod in ejus eminebat scriptis, non adamavit. Quod si Plauti lepos Hora- 3
tio non arrisit propter ingeniorum diversitatem, quum alioquin inter Horatium, & Plautum, utpote diversis genitos ætatibus, nullæ intercedere potuerint simultates; quanto verisimilius est Aristophanem non admodum Euripidis poëmatis delectatum ob eamdem causam, qui eodem tempore vixit, & odio fortasse Euripidi fuit; propterea [g] quod non tam Anytus, & Melitus, quàm Aristophanes apud populum Atheniensem Socratem accusavit. Nam Aristophanes comœdiam *nebulas* inscriptam docuit, qua Socratem irridet, & affirmat religionem tollere, novos Deos inducere, multumque, & non inscitè nugatur; quibus Aristophanis nugis Populus Atheniensis deceptus permisit Anyto, & Melito, ut Socratem in judicium vocarent; in quos erat propter hanc ipsam causam severissimè animadversurus Non igitur mirum, si Euripides oderat Aristophanem sui præceptoris pestem, atque perniciem, & si Aristopha-

[a] Aristoph. Scholiast. in Vespis, & Sophocl. Scholiast. ad Oedipum Colon. & Suid. in V. Σοφοκλῆς. [b] Aristoph. in Nubib. & in Ranis. [c] Aristoph. in Nub. Socratem mordet. [d] Plutarch. de administrandâ Republ. [e] Apud Quintilian. Instit. Orat. libr. 10. cap. 1. [f] Horat de Arte Poët. [g] Diog. Laërt. libr. 2. segm. 38. in Vitâ Socratis.

phanes Euripidem inimicum suum insectabatur. Præsertim quum Euripides philoso-
4 phos fuerit sectatus; nam præterquam quod
Anaxagoræ, Socratisque studia est æmulatus, etiam [a] Platonem ad Ægyptios profectum sacerdotes eorum sapientiæ cognoscendæ gratiâ sequutus esse fertur; ut appareat virum in totâ vitâ semper philosophatum; philosophos autem Comici veteres valde sunt insectati, & odio plusquam vatiniano prosequuti; quapropter eorum gravitatem mordacissimis dictis vellicarunt, & populo irridendam præbuerunt. Ideo Lucianus in dialogo ad eum, qui ipsum Prometheum dixerat, a comœdiâ auctores dialogorum, idest philosophos affirmat irrisos τὺς, inquit, τῷ διαλόγῳ ἑταίρυς ἐχλεύαζε φροντιςὰς, ϗ μετεωρολέσχας, ϗ τὰ τοιαῦτα προσαγορεύυσα; quod esse consentaneum veritati testimonio sunt veterum fragmenta comœdiarum, in quibus
5 philosophi maledictis incessuntur. Sic Epicrates [b] comicus Platonem, Speusippum, & Menedemum; sed Platonem præcipuè carpit, quum ipsum inducat auditoribus proponentem quæstionem de naturâ cucurbitæ; utrum sit holus rotundum, an herba, an planta, an arbor: sic [c] Hermias apud Athenæum Stoicos nugarum mercatores vocat, & voraces, & puerorum amatores: sic & Comicus vetus de Socrate sic loquitur:

Τὺς ὠχριῶντας, τὺς ἀνυποδήτυς λέγεις,
Ὧν ὁ κακοδαίμων Σωκράτης, ϗ Χαιρεφῶν:

quos versus ita latinè converto

Tu dicis illos pallidos sine calceis,
Quos inter est & Socrates, & Chærephon

& [d] Alexis in Tarentinis Pythagoricos dicit vitam vivere eorum, qui conjecti sunt in carcerem, quum ait:

...... Πυθαγορισμοὶ, ϗ λόγοι
Λεπτοὶ διεσμιλευμέναιτε φροντίδες
Τρέφυσ᾽ ἐκείνυς, τὰ δὲ καθ᾽ ἡμέραν τάδε,
Ἄρτος καθαρὸς εἷς ἑκατέρῳ, ποτήριον
Ὕδατος, τοσαῦτα ταῦτα δεσμωτηρίυ
Λέγεις δίαιταν πάντες οὕτω γ᾽ οἱ σοφοὶ.

Sed quid opus est alios citare comicos poë-
6 tas, quum [e] Aristophanes ipse in Pythagoricis tam insigniter philosophis maledicat; ut eos affirmet non amore virtutis inductos, sed necessitate coactos philosophiæ operam dare; & tenuitatem victus, & frugalitatem paupertati prætexere. Hoc igitur odio in Sapientes Aristophanes incitatus etiam Euripidi maledixit; quem sapientiæ perstudiosum esse constabat, & philosophiam fuisse professurum; nisi Anaxagoræ sui præceptoris casum timuisset, quem, quia Solem esse dixerat [f] ignitam glebam, impietatis reum peragi viderat, & [g] in carcerem conjici, ac vix tandem Periclis po- 7
tentiâ periculo capitis liberari. Et verò quomodo poterat inter Aristophanem, & Euripidem convenire? quum alter studeret excitando risui, alter ad gravitatem a naturâ compositus risum odisset seriis tantummodo rebus intentus: alter jocis, & ludo vacaret; alter sapientiæ: alter quomodo populum delectaret; alter quomodo admoneret, cogitaret: alter denique hilaris, facetus, maledicus esset; alter tristis, cogitabundus, gravis in eloquendo, & laudibus aptior, quàm maledictis? Fuit [h] enim in Euripide summa gravitas conjuncta cum quadam acerbitate morum, & tristitiâ vitæ; qua de [i] causâ & mulieres odio habuisse accepimus, & a re uxoriâ abhorruisse; quamquam [l] Sophocles, quum diceret quidam Euripidem esse osorem feminarum, respondisse fertur: in tragœdiis certè, nam in lecto valde est amator. Cur autem mulieres
tantopere carperet Euripides, causa verior 8
fuit, quòd eas expertus esset valde [m] impudicas; duas enim habuit uxores Melitto, & Chœrilen; utramque autem in adulterio deprehendit. Nam alioquin Euripides ab amore non abhorruit; siquidem Agathonem poëtam eximiâ formâ adolescentem mirificè adamavit; de quo illud narratur [n] jocosum; quum cenarent apud Archelaum Regem Euripides, & Agatho jam annos natus quadraginta, Euripides ebrius Agathonem complexus est, & exosculatus; interrogavit Archelaus Euripidem, an adhuc id ætatis amaret Agathonem: quid ni, inquit, Euripides, quum pulchrorum non solùm ver sit pulchrum, sed etiam autumnus? Sed & Craterum nonnullis Auctoribus dicitur dilexisse; pudore autem uxorum impudicarum, quum earum flagitia ferre non posset, ac multo minùs Comicorum dicteria, quibus ob illud dedecus carpebatur, Athenis abjit in Macedoniam ad [o] Regem Archelaum. Is autem Arche-
laus fuit ille, qui tertius Macedoniæ Rex 9
a Solino [p] numeratur; non quia Solinus in tanto sit errore versatus, ut putaverit duos

[a] Diogen. Laërt. libr. 3. segm. 6. in Vitâ Platonis. [b] Epicrat. apud Athen. libr. 2. cap. 18. [c] Hermias apud Athen. libr. 13. [d] Alexis apud Athen. libr. 4. cap. 17. [e] Aristophan. apud Athen. libr. 4. cap. 17. [f] Plutarch. de Placitis Philosophor. libr. 2. cap. 20. & Xenophon. Memorabil. libr. 4. [g] Diogen. Laërt. libr. 2. segm. 14. in Vitâ Anaxagoræ, & Suid. in V. Εὐριπίδης. [h] Suid. ibidem. [i] A. Gell. libr. 15. cap. 20. & Suid. ibid. [l] Hieronym. in Commentar. Histor. apud Athen. libr. 13. cap. 1. [m] Suid. in V. Εὐριπίδης, & Thomas Magist. in Euripid. Vitâ. [n] Ælian. libr. 13. cap. 4. Var. Histor. Plutarch. in Vitâ Alcibiadis, & in Amatorio. [o] A. Gell. libr. 15. cap. 20. Suid. in V. Εὐριπίδης, & Plutarch. περὶ φυγῆς. [p] Solinus cap. 15.

duos dumtaxat ante Archelaum Macedoniæ Reges extitisse; quemadmodum credidit [a] Salmasius, qui magno molimine dum inscitiam Solini redarguit, suam, ut plautino verbo [b] utar, incogitantiam prodit; sed quia tertius Macedoniæ Rex Archelaus regali fastigio dignus fuit, & nominis immortalitate; quandoquidem multa præclarè gessit, & auxit Macedonum opes, remque nauticam tantâ solertiâ administravit, ut a Solino [c] dicatur navalium commentor præliorum. Nam ante Archelaum octo Reges Macedoniæ imperarunt; Thucydides [d] enim de Archelao sic loquitur: Ἀρχέλαος ὁ Περδίκκου υἱὸς βασιλεὺς γενόμενος τὰ νῦν ὄντα ἐν τῇ χώρᾳ ᾠκοδόμησε, καὶ ὁδοὺς εὐθείας ἔτεμε, καὶ τἄλλα διεκόσμησε, τά τε κατὰ τὸν πόλεμον ἵπποις, καὶ ὅπλοις, καὶ τῇ ἄλλῃ παρασκευῇ κρείσσονι, ἢ σύμπαντες οἱ ἄλλοι βασιλεῖς ὀκτὼ οἱ πρὸ αὐτοῦ γενόμενοι. Hic autem adeo poëtarum ingeniis est delectatus, ut Euripidem summo in pretio, & honore habuerit; & ei [e] consiliorum suorum summam crederet, hominisque sa-
10 pientiâ semper usus fuerit. Neque enim Antiqui Musas indignas Regum familiaritate, aut ineptas Rebuspublicis administrandis putabant. Quocirca Anacreontem Samiorum [f] tyrannus Polycrates coluit; Hiero [g] Siciliæ Rex Pindarum, Æschylum [h], Simonidem; Dionysius [i] Philoxenum est admiratus; Antigonus Antagoram Rhodium, & Solensem Aratum suspexit; & Augustus [l] Horatium adamavit, Virgiliumque [m] veneratus est, & ejus in maximis rebus consilio est usus; & Sophocles magistratus gessit amplissimos, & Rempublicam princeps administravit. Nunc autem non solùm amœniores musæ poëtarum, quæ secessum quærunt, & otia; sed etiam graviores philosophorum, quæ ad homines regendos natæ videntur, ab administratione Reipublicæ prohibentur, & a Regum familiaritate submoventur; ideo inscitiâ, & barbarie laboramus; eo autem more, qui melioribus annis obtinebat, Euripides non ineptus habitus est publicis curis, neque indignus, cui regiorum consiliorum summa commit-
11 teretur, & Regi intimus haberetur. Qui honos ipsi in perniciem vertit; nam æmulorum invidiam excitavit; itaque Arrhidæus [n] Macedo, & Craterus Thessalus, quum eum tantis honoribus affectum æquo animo videre non possent, corrupto custode regiorum canum eos in [o] Euripidem a cenâ redeuntem immiserunt, a quibus Poëta miserrimè discerptus est, & trucidatus. Alii [p] tamen quod de Orpheo fabulæ ferunt, a mulieribus, quarum amorem aspernabatur, laceratum esse tradunt; quod ego fictum puto, nam abhorret a facinore tam immani molle, atque imbecille ingenium feminarum; & in Euripide [q] Orphei exemplum relatum esse fertur, quod est fabulosum. Nec erat, cur mulieres indignarentur se esse parum gratas Euripidi; qui, quo tempore interfectus est, annum septuagesimum quinctum ætatis expleverat. Quo extincto sic [r] indoluisse fertur Archelaus, 12
ut non contentus ejus funus magnifico, & regio sumptu celebrare, crinem totonderit, ut fieri in maximo luctu, & in funeribus cognatorum solebat; & dolorem, quem animo conceperat, mæstitiâ vultus, & squallore declararit. Nec [s] minùs acerbè ejus interitum Athenienses tulerunt, qui Euripidis auditâ morte in luctu fuisse traduntur; & [t] Sophocles alterum tragici carminis lumen, quamvis artis æmulus, & lugubrem vestem dicitur induisse, & histriones sine coronâ in certamen induxisse. Hujus mortui corpus in Macedoniâ conditum est, ut [u] Pausanias in Atticis tradit, 13
& [x] Plinius testatur his verbis: *in Macedoniâ non procul Euripidis sepulcro duo rivi confluunt*. Plutarchus in Lycurgo; qui etiam sepulcrum ejus fulmine ictum memoriæ prodidit, quod argumentum Veteres cujusdam divinitatis esse putaverunt; idque animadverterunt [y] nemini nisi Lycurgo contigisse; Thucydides, sive Timotheus melicus poëta in hoc [z] epigrammate

Μνᾶμα μὲν Ἑλλὰς ἅπασ' Εὐριπίδου, ὀστέα δ' ἴσχει
Γῆ μακεδὼν, ᾗ γὰρ δέξατο τέρμα βίου,
Πατρὶς δ' Ἑλλάδος Ἑλλὰς Ἀθῆναι, πλεῖστα δὲ Μούσας
Τέρψας, ἐκ πολλῶν καὶ τὸν ἔπαινον ἔχει

Græcus autem [a] poëta in Anthologiâ etiam locum, in quo propriè sepultus est, indicat his verbis:

Ἀλλ' ἔμολες Πελλαῖον ὑπ' ἠρίον, ὡς ἂν ὁ λάτρις
Πιερίδων, ναίῃς ἄγχυτι Πιερίδων:

Quò respexit Angelus [b] Politianus in hoc versu

Quem-

[a] Salmas. in Plinian. exercit. ad Solin. c. 9. [b] Plautus Mercat. in Prolog. [c] Solin. cap. 15. [d] Thucydid. libr. 2. circa finem. [e] Thomas Magist. in Vitâ Euripid. [f] Ælian. Var. Histor. libr. 9. cap. 4. & Strab. libr. 14. [g] Ælian. libr. 9. cap. 1. Var. Histor. [h] Pausan. in Atticis, sive libr. 1. [i] Idem ibid. [l] Sueton. vel quis alius antiquos Grammaticus in Vitâ Horatii. [m] Auctor Dialogi de caosis corruptæ eloqoentiæ, & Ælius Donatus in Vitâ Virgilii. [n] Suid. in V. Εὐριπίδης. [o] A. Gell. libr. 15. cap. 20. & Hyginus fab. 247. Diodor. Sicul. Biblioth. Histor. libr. 13. & Valer. Max. libr. 9 c. 12. [p] Soid. in V. Εὐριπίδης. [q] Ovid. Metamorph. libr. 11. fab. 1. [r] Solinos cap. 14. vel juxta aliquorum computatiooem 15. & Alexand. ab Alexandr. Dier. Genial. libr. 3. cap. 7. [s] Thumas Magister in Vitâ Euripidis. [t] Idem ibidem. [u] Pausan. in Atticis, sive libr. 1. [x] Plin. libr. 31. cap. 2. [y] Plutarch. in Lycorgo. [z] Anthol. libr. 3. εἰς τάφους epigr. 25. [a] Antholog. ibid. epigr. 24. [b] Angel. Politian. io Nutric. circa finem.

Quemque tegit sævis lacerum pia Pella molossis.

Tanti autem fecerunt Athenienses, & Macedones Euripidis ossa apud se habere,
14 ut Athenienses quidem publicè decreverint legatos ad Macedoniæ Regem mittendos, qui postularent, ut [a] Euripidis ossa in Patriam transferri pateretur; Macedones autem nullis precibus adduci potuerint, ut id concederent, sed magno consensu preces florentissimæ civitatis repudiarent. Quapropter Athenienses coacti sunt in Atticâ terrâ [b] Euripidi tumulum inanem constituere, ut extaret in Patriâ ejus civis monumentum, qui Patriam æternis carminum suorum monumentis illustraverat; & quoniam reliquias corporis consequi non potuerant, oris effigiem in theatro [c] statuerunt; ut quotiescunque spectarent tragœdias, ejus poëtæ admonerentur, qui tragicas musas ad summam gloriæ claritatem evexisset. Sic ea civitas, quæ [d] Themistoclem Patriæ con-
15 servatorem, quantum in ipsâ fuit, abjecit insepultum; quæ vix adduci potuit, ut Milciadem [e] tam insigni Barbarorum trophæo clarum sepeliret; quæ Alcibiadem ejectum e [f] Patriâ in externâ terrâ humatum neglexit; quæ [g] Thesei conditoris mortem minimè honoravit; Euripidem & vivum desideravit, & mortuum requisivit; & quum ejus extincti cadaver habere non potuisset, sepulcrum nominis apud se esse voluit; adeo mitiores hæ pacis artes suapte naturâ sunt hominibus gratiores, quàm bellicæ; & bellicæ quidem artes propter usum necessariò coluntur; studia autem liberalissimarum facultatum sponte, & veris affectibus diliguntur; & illæ quidem inani quodam strepitu præsentis potentiæ animos admiratione percellunt; hæc autem non modò præsentiâ, sed ex oculis etiam sublata suspiciuntur.

DISSERTATIO IV.

De eadem Euripidis Vitâ nonnulla delibantur.

Euripi multi vocantur. Euripus Euboicus æstum septies quot diebus, noctibusque reciprocare a multis dicitur; sed Livius scribit non septies, sed quotiescumque ventorum impetus cogit; cujus rationem reddere conatur Tanaquil Faber; falsum itaque est Aristotelem se in illum conjecisse. Euripides duodeviginti natus annos tragœdias conscribere est aggressus. Musæ finguntur in silvis, & montibus habitare; quia poëtæ solitudinem amant. Æschylus semper pæne ebrius ad carmina facienda accessit. Anacreon dixit suos Deos esse formosos. Multorum celebres bibliothecæ. Impunita scelera mali sunt exempli in tragædiis, non quæ suppliciis afficiantur.

EUripidis mores, atque vitam descripsimus in sermonibus, quos [i] proximè habuimus; verùm quia non omnia complecti potuimus, faciendum esse visum est, ut nonnulla, quæ spectant eodem, quæ digna cognitu sumus arbitrati, in præsentiâ exponamus. Et ut hinc potissimum exordiamur; Euripidis nomen quemadmodum qui- 1
busdam placuisse video ab [k] Euripo ductum est, propterea quod Euripides natus est eo die, quo Græci [l] Persas in Euripo navali prœlio devicerunt; est autem [l] Euripus fretum inter Eubœam, & Bœotiam interjectum; quamvis apud [m] Plinium, & Hellespontiaci, & Tauromintani Euripi mentio reperiatur: & omne mare angustum inter duas terras fluens dici possit Euripus. Qua de causâ, & ductus aquarum in hortis Euripi nominantur; sicuti [n] Cicero libro secundo de legibus docet. Quo sensu [o] Plinius Euripum accipit, quum ait; *quid Euripus viridis, & gemmeus?* & [p] Plinius senior in historiâ naturali libro trigesimo sexto capite decimo quincto illis verbis, *quod siquis diligentiùs æstimaverit aquarum abundantiam in publico balineis, piscinis, domibus, euripis, hortis suburbanis, villis.* Sed Euripus quum dicitur, ferè intelligitur Euboicus, qui est maximè celebris, eo quod æstum septies quot diebus, noctibusque reciprocare fama est, ut [q] Plinius,
Stra-

[a] A. Gell. libr. 15. cap. 20 [b] Pausan. in Attic. sive libr. 1. [c] Pausan. ibid. [d] Plutarch. in Themistoclis Vitâ. [e] Herodot. libr. 6. cap. 136. & Valer. Maxim. libr. 5. cap 3. [f] Plutarch. in Vitâ Alcibiadis. [g] Idem in Vitâ Thesei. [h] Cæl. Rhodig. libr 24 cap. 10. [i] Suid. in V. Εὐριπίδης. [l] Strabo libr. 9 de Bœotiâ Plin. libr. 4. cap. 12. & Suid. in V. Εὔριπος. [m] Plin libr. 4. cap. 12. & libr. 2. cap. 97. [n] Cic. libr. 2. de Legib. in princ. [o] Plin. Epistolâ. [p] Plin. Nat. Histor. libr. 36. cap. 15. in fine. [q] Plin. libr. 2. cap. 97.

Strabo [a], Suidas [b], Pomponius Mela tradiderunt; quam tamen falsam docet [c] Li-
2 vius Macedonico bello; qui scribit non septies, sed quotiescumque ventorum impetus cogit huc illuc impelli alternis vicibus fluentem, refluentemque mirâ naturæ inconstantiâ; cujus rei rationem reddere conatur in Epistolis [d] Tanaquil Faber. Quo magis eorum opinio est explodenda, qui tradunt Aristotelem, quum se diu torsisset, & tanti miraculi causam invenire non posset, in profundum sese conjecisse, quum diceret: Euripus capiat Aristotelem, quoniam Aristoteles non cepit Euripum. Quod præterquamquod abhorret a sapientiâ illius viri, & insani cujusdam furori convenit; etiam historiæ testimonio falsum esse convincitur, qua memoriæ [e] proditum est Aristotelem morbo, & senectute confectum supremum diem explesse, quum Theophrastum scholæ successorem reliquisset; quæ historia quoniam non est injucunda cogni-
3 tu, breviter a me exponetur. Quum Aristoteles [f] corpore ægro, affectoque jam esset, & ejus auditores ipsum rogassent, ut indicaret, quem præesse vellet scholæ; Aristoteles id facturum se esse respondit, ubi opportunum tempus advenisset; aliquot deinde diebus interjectis quum ii adessent, qui, ut sibi magistrum destinaret, postularant; & inter eos omnium Aristotelis discipulorum eloquentiâ, atque doctrinâ facile principes Theophrastus Lesbius, & Menedemus Rhodius, petit ut sibi vinum Lesbium, & Rhodium daretur; exotico vino se esse usurum, quoniam Atticum non satis esset commodum valetudini suæ; quum autem illi utrumque attulissent, & Aristoteles utrumque comprobasset; jucundius tamen dixit videri Lesbium, quo dicto lepidè significavit præficere se scholæ Theophrastum Lesbium hominem suavissimæ facundiæ; nec multum deinde temporis intercessit, quum Aristoteles fato concessit, omnesque ejus auditores Theophrastum sequuti sunt. Sed nos ad Euripidem
4 revertamur; Tragœdias [g] conscribere aggressus est Euripides, quum annos ageret duodeviginti; ostendebatur [h] autem in insulâ Salamine spelunca tætra, atque horrida, in quam abdere se Poëta, & tragœdias consueverat scriptitare; quod consilium sequutus est & [i] Demosthenes, qui meditaturus in locum, unde vox nulla audiri, nihil conspici posset, se se recondebat. Quod Quintilianus [l] probat; quod si in oratore laudandum est, multò certè magis in poetâ probari debet; præclarè quippe ab Ovidio [m] dictum est

Carmina secessum scribentis, & otia querunt

Nec nihil illi viderunt, qui Musas finxere in silvis, & montibus inhabitantes, Parnassumque [n], & [o] Heliconem Apollini consecrarunt; amant enim poetæ secretum, & solitudinem; unde secessus proprius esse dicitur poëtarum. Auctor [p] de causis corruptæ eloquentiæ: *malo securum, & secre-* 5
tum Virgilii secessum; poëtæque cupidi esse feruntur silvarum, & fontium; Juvenalis [q]

...... *Cupidus silvarum, aptusque bibendis*
Fontibus Aonidum......

& [r] Virgilius

Flumina amem, silvasque inglorius; o ubi campi,
Spercbiusque, & virginibus bacchata Lacænis
Taygeta! o qui me gelidis in vallibus Hæmi
Sistat, & ingenti ramorum protegat umbrâ!

Meliùs autem Euripides in locum horridum, obscurum, tætrum secedebat, quàm illi, qui amœnos quærunt colles, & fontium gelidorum lapsus, & jucundam solitudinem. Nam pratorum, & nemorum amœnitas, & præterlabentium aquarum jucundum murmur, & silvæ auris inspirantibus placidè resonantes, & avium musici cantus, & aspectus ille virentium camporum lætissimus, sicut animum delectatione reficiunt, & recreant; ita avocant ab intentione scribentem. Quamvis non negaverim 6
alios aliis rebus excitari; sic [s] Æschylum ferunt semper pæne ebrium ad carmina facienda accessisse: sic [t] Hipponactem ira ad scribendum compulit: sic Archilochi [u] vis illa acerrima dicendi opinione injuriæ, & gravi iracundiâ est excitata: sic Anacreontem amor commovit ad cantum; quocirca quum interrogaretur, qua de causâ nullum scriberet in Deos hymnum; respondere solebat suos Deos esse formosos, formosasque, quos quotidie versibus celebrabat. Eodem sanè modo, quum alia alios moveant, potest & amœnitas illa camporum acuere nonnullorum ingenia. Euri- 7
pides autem non amœnitate, sed horrore speluncæ illius ad scribendum invitabatur;

& ex

[a] Strabo libr. 9. de Bœotiâ. [b] Suid. in V. Εὔριπος. [c] T. Liv. libr. 28. [d] Tanaquil Faber libr. 1. Epistolar. Critic. Epist. 14. [e] Suid. in V. Ἀριστοτέλης. [f] A. Gell. libr. 13. cap. 5. [g] Idem libr. 15. cap. 20. & Cæl. Rhodigin. libr. 24. cap. 10. [h] Philochor. apud A. Gell. libr. 15. cap. 20. [i] Plutarch. in Vitâ Demosthenis. [l] Quintilian. Instit. Orat. libr. 10. cap. 3. [m] Ovidius Trist. libr. 1. Eleg. 1.

[n] Ovid Metamorph. libr. 2. [o] Pausan. in Bœot. & Strabo libr. 9. [p] Auctor Dialog. de causis corruptæ eloquentiæ Cornel. Tacit. inscriptus n. 13. [q] Juven. Satyr. 7. v. 59. [r] Virg. Georg. libr. 2. [s] Chamæleon apud Athen. libr. 1. c. 19. [t] Plin. libr. 36. cap. 5. [u] Horat. in Arte Poët. & Epist. libr. 1. Epist. ultim.

& ex eâ velut è Trophonii [a] specu, vel
antro [b] Sibyllæ divinos & ipse versus edebat.
Neque solùm animum curis vacuum
illâ solitudine, verùm etiam sapientiâ plenum
multâ lectione præstabat; itaque bibliothecam
habuisse fertur librorum copiâ
refertissimam; nam [c] quum Samij Polycratis,
Pisistrati Atheniensis, Euclidis Atheniensis,
Nicocratis Cyprii, Pergami Regum,
Aristotelis philosophi, Nelei, & Ptolomæi
Philadelphi bibliothecæ a Veteribus
celebrentur, inter has Euripidis bibliotheca
numeratur. Neque verò solùm tragœ-
8 dias composuit; sed etiam epigrammata;
siquidem Athenæus libro secundo dipnosophistarum
recitat Euripidis epigrammata;
quod ille conscripsit, quum in Icario mulierem
cum duabus puellis, duobusque filiis
fungorum esu interemptam vidisset.
Quod autem de Augusto memoriæ proditum
[d] est cum pueris lusitasse nucibus ocellatis,
& de [e] Socrate, & [f] de Agesilao,
quem a quodam familiari deprehensum esse
dicunt cum filiis parvulis in arundine equitantem;
id & [g] Euripides factitavit, qui
inter pueros pocillatoris ministerio functus
esse fertur. Sed hoc ludicrum; illud autem
9 serium, quod quum Ixionem [h] in quadam
tragœdiâ multa impiè in Deos loquentem
induxisset, & jam populus Atheniensis Poëtæ
succenseret; quòd ejus carmina impietatem
redolerent, jussit populum spectare, non
quid loqueretur Ixion, sed quis & unde;
loqui nempe hominem impium, qui Jovis
lectum contaminare conatus esse dicatur;
& loqui e rotâ, cui propter impietatem fuerat
alligatus; impunita autem scelera, non
illa, quæ suppliciis gravissimis afficiuntur
esse mali exempli solere; quibus verbis
& populum placavit, & ostendit, quando
sit poëtis ignoscendum utentibus oratione,
quæ ad mores corrumpendos pertinere
videatur. Vixit annos [i] quinque & se-
10 ptuaginta; Liberos [l] tres omnino procreavit,
Mnesilochum, Mnesarchidem, & Euripidem;
quorum tamen nemo paternam est
gloriam consequutus; itaque memorantur,
quia Euripidis filii fuerunt, non quia ullo
suo præclaro facto, aut arte mereantur. Sed
quàm oscura est Euripidis Liberorum, fama
tam est clara librorum, & quàm parum fortunatus
in filiis procreandis, tam fuit in edendis
ingenii fetibus felix; adeo enim Euripidis
carmina prudentibus placuerunt, ut
singulos ejus versus [m] Cicero singula testimonia
putet; Quintilianus [n] autem Sapientibus
Euripidem pæne parem, quos imitabantur,
existimet; Alexander [o] Ætolus
ipsum dicat orationem melle dulciorem 11
consequutum, & Sirenum cantu suaviorem;
Athenæus [p] verò sapientem vocet; Jon
Homero parem; Philemon de Euripide carmen
[q] hujusmodi composuerit:

Εἰ ταῖς ἀληθείαισιν οἱ τεθνηκότες
Αἴσθησιν εἶχον, ἄνδρες ὥς φασίν τινες,
Ἀπηγξάμην ἂν, ὥστ' ἰδεῖν Εὐριπίδην

Quæ sic vertenda esse duco:

Si verè inesset mortuis sensus, viri
Ut prodiderunt inclyti, ut liceat mihi
Euripidem videre, me suspenderem.

Hunc igitur poëtam adeo suavem, & elegantem
hoc anno exponemus, & ejus virtutes
contemplabimur, quas laudare nemo
dignè potest; sed antequam ad eum explicandum
aggrediar, de tragœdiâ, tragicique
carminis charactere pauca dicam, quæ ab
instituto ejus, qui principem tragicorum
susceperit explicandum, abhorrere non videbuntur.

DISSERTATIO V.

De Tragœdiâ.

Heraclitus actiones omnes hominum lacrimis dignas existimavit; risu verò Democritus. Augustus animam agens Amicis dixit: nunquid videor mimum vitæ commodè transegisse? *Vita hominum similitudinem quidem habet cum tragœdiâ, & comœdiâ; sed potentium similior est tragœdiæ, humiliorum comœdiæ; ideo Socrates dicebat nunquam in tragœdiâ suem se vidisse mactari, sed Reges.* Τραγῳδεῖν *significat* magnificè loqui; *& tam apud Græcos, quàm apud Latinos tragœdiâ pro re mirificâ, & magnâ accipitur.*

Heraclitum [r] accepimus nobilem
cum primis philosophum vitam
existimasse adeo miserabilem, &
luctuosam, ut in publicum nunquam
prodiret, quin animadversis
iis, quæ homines agerent, & paterentur,
1 tur, humanis casibus illacrimaretur; [f] De-

[a] Pausan. in Bœotic. sive libr. 9. & Ælian. Var. Histor. libr. 3. cap. 45. [b] Virgil. Æneid. libr. 6. [c] Athen. libr. 1. cap. 1. [d] Suet. in August. cap. 83. [e] Val. Maxim. libr. 8. cap. 8. [f] Ælian. Var. Histor. libr. 12. cap. 15. [g] Athen. libr. 10. c. 6. [h] Plut. Quomodo oporteat juvenem poëmata audire. [i] Suid. in V. Εὐριπίδης. [l] Suid. ibidem. [m] Cic. Epist. ad Famil. libr. 16. Ep. 8. [n] Quintil. libr. 10. cap. 1. [o] A. Gell. libr. 15. c. 20. [p] Athen. libr. 6. cap. 20. [q] Thomas Magist. in Vitâ Euripidis. [r] Ælian. Var. Histor. libr. 8. cap. 13. & Sen. libr. 2. de Irâ cap. 10. & in libro de Tranquill. cap. 15. [f] Senec. locis laudatis, & Ælian. Var. Histor. libr. 4. cap. 20. & Juven. Sat. X.

mocritum autem ferunt sapientem virum
sic omnia humana, levia, inania, deridenda
censuisse; ut quum hominum curas, gaudia,
spes, cupiditates, actiones contemplaretur,
sibi quin effusè rideret, temperare nunquam
potuerit. Et sanè si vitam ipsi nobiscum
diligenter, attenteque reputemus, facilè no-
bis apparebit utrumque philosophum tam
ridendi justas causas habuisse, quàm flendi;
neque enim humanæ res minùs tristibus,
quàm lætis; asperis, & molestis, quàm ju-
cundis abundant; & quemadmodum mare
modò placidum, & tranquillum lenibus au-
ris aspirantibus ridet; modò ventorum agi-
tatum turbinibus exasperatur, atque intu-
mescit; & quemadmodum Cœlum modò
purissimâ luce splendet, & animos invitat
ad hilaritatem; modò horridum, tætrum,
nubibus obsitum, caligine obductum ter-
ret animos, & tristitiâ contrahit mentes in-
tuentium; sic in hominum vitâ dolorem
voluptates, mærorem lætitia, luctum gau-
dia consequuntur; nullaque in re sincera
delectatio, aut dolor simplex reperitur.
Quo quidem super argumento duo Græca
epigrammata [a] mihi videntur scripta præ-
clarè; quorum alterum nihil esse in vitâ
docet non lacrymabile, & deplorandum;
alterum nihil esse non lætum, non risu
dignum, & cum lætitiâ accipiendum asse-
2 verat. Nec minùs prudenter hæc duo tem-
pora mæroris, & lætitiæ, quæ tam latè pa-
tent, ut totam occupent ferè vitam, ex-
presserunt poëtæ, quum tragœdiam, qua
tristia, & comœdiam, qua læta repræsen-
tantur, invenerunt; atque ut ostenderent,
neque dolorem sine admixtione volupta-
tis, neque voluptatem sine dolore perci-
pi; neque tragœdiam penitus expertem læ-
torum, neque comœdiam tristium esse vo-
luerunt. Hæc autem duo poëmatum ge-
nera tantam habent vitæ similitudinem,
ut & vita Scena diceretur, & ludis thea-
tralibus compararetur; quamobrem poëta
Græcus prudenter [b] cecinit:

Σκήνη πᾶς ὁ βίος

hoc est:

Scena est vita omnis

Et Augustus [c] quum jam animam ageret,
convocatis amicis, supremis vocibus dixit:
nunquid videor mimum vitæ commodè
transegisse? adjecit & clausulam

...... Δότε κρότον,
Καὶ πάντες ὑμεῖς μετὰ χαρᾶς κτυπήσατε

ut quum vita theatrali spectaculo compare-
3 tur, quæri non sine causâ possit; utrum co-
mœdiæ similior sit, an tragœdiæ; tot enim
tristibus, tot lætis vita redundat, ut utra
majorem occupent vitæ partem, dubitari
jure possit. Neque verò nobis necesse est
morem sequi [d] Thracum, ut hanc quæstio-
nem dijudicemus, quos ferunt lætos dies,
tristesque albis, nigrisque calculis numera-
re consuevisse; sed mihi in hominum vi-
tam intuenti a veritate non aberraturus vi-
detur, siquis dicat eorum, qui humili, vel
modicâ fortunâ utuntur, vitam comœdiæ
similiorem esse; eorum autem, qui sunt in
summo dignitatis fastigio collocati tragœ-
diæ propiorem; propterea quod potentium
calamitates sicut frequentiores, ita gravio-
res esse consueverunt; res verò tenujorum,
quum minùs latè pateant, minùs etiam sunt
casibus obnoxiæ. Atque hoc poëtæ vide-
runt, qui Reges, & magnos duces tragœ- 4
diæ, humiles autem homines comœdiæ ma-
teriam esse voluerunt. Qua quidem in re
prudenter Socrates ut demonstraret, magis
esse tristibus obnoxiam Principum vitam,
quàm humiliorum, dicebat nunquam in tra-
gœdiâ suem se vidisse mactari; sed magnum
aliquem Regem, aut famâ celebratum he-
roëm trucidari. Atque hæ duæ præcipuè
res tragœdiam a comœdiâ separant, atque
distinguunt, diversitas nimirum persona-
rum, & lætorum, vel tristium imitatio.
Quocirca sapienter Euripides, quum Ar-
chelaus [e] Macedoniæ Rex rogaret, ut de
se quoque tragœdiam scriberet, dixit: *aver-
tant, o Rex, Dii tantum malum, ut de te quo-
que scribere tragœdiam possim.* Quemadmo- 5
dum autem in tragœdiâ personæ gravissi-
mæ in comœdiâ humiles, & levissimæ in-
ducuntur; sic tragœdiæ convenit elatior
sonus, atque sublimior; humilior comœ-
diæ; quamvis Horatio [f] teste

..... Vocem interdum comœdia tollat,
Iratusque Chremes tumido delitiget ore

Et sanè ille senex, qui apud Cæcilium di-
cit:

Nunc enim demum mihi animus ardet,
Nunc meum cor cumulatur irâ

& ille, qui sic ait

Ego ne quid dicam? ego ne quid velim?
Quæ tu omnia tuis factis facis, ut nequic-
quam velim

& ille apud [g] Terentium

Ita predicant; o ingentem confidentiam!
Num cogitat, quid dicat, num facti piget?
Num ejus color pudoris signum usquam indi-
cat?
Adeon' impotenti esse animo, ut præter ci-
vium
Morem, atque legem, & sui voluntatem pa-
tris,
Tamen hanc habere studeat cum summo pro-
bro?

non comico more, sed pæne tragico lo-
quun-

[a] Anthol. libr. 3. epigr εἰς Φιλοσόφους. [b] Antholog. [c] Suet. in August. cap. 99. [d] Plin. libr. 7. cap. 40. [e] Jul. Cæs. Scalig. Poët. libr. 1. cap. 6. [f] Hor. in Arte. [g] Ter. Andr. Act. 5. Sc 3.

quuntur, & declamant. Nec tamen poëtæ reprehendendi tanquam parum memores
6 comicæ tenuitatis; nam iracundia, qua fenes hi perciti inducuntur, quemadmodum inflat animum, sic tumidiorem efficit orationem; eodem modo & tragici humilius interdum loquuntur, quàm videtur tragœdiæ sublimitas postulare; quocirca bene præcepit [a] Horatius

Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri

Neque tamen id ita accipiendum est, quasi in tragœdiâ aliquid esse debeat leve, atque sordidum; sed quia sæpe inducuntur personæ exulum, & adversâ fortunâ utentium, quibus miserabiliter loqui necesse est; ideo non elata, sed humilis ipsis oratio tribuenda est; nam commiserationem verba magnifica, & sermonis ampullæ commovere non possunt. Ceterùm adeo gravitas illa tragœdiæ propria conservanda est,
7 ut mihi propemodum magis habere locum in comœdiâ tragica dictio, quàm in tragœdiâ comica videatur; ut in ædificio modico minùs oculos offendit splendidum ornamentum, quàm in splendido vulgare, & plebejum. Quapropter ab [b] Antiquis Pomponius Secundus reprehenditur, quòd tragœdiæ jocos admiscuerit; & Æschylus etiam [c] carpitur, quòd Græcos ebrios induxerit, & matulas sibi invicem in caput impingentes; cujus versus recitat Athenæus:

...... ὅδ' ἐστὶν, ὅς ποτ' ἀμφ' ἐμοὶ βέλος
Γελωτόποιον τὴν κάκοσμον οὐράνην
Ἔῤῥιψεν, οὐδ' ἥμαρτε, περὶ δ' ἐμῷ κάρᾳ
Πληγεῖσ' ἐναυάγησεν ὀστρακουμένη.
Χωρὶς μυρηρῶν τευχέων πνέουσ' ἐμοί.

Quem Sophocles imitatur in convivio Græ-
8 corum; sed hi fortasse possunt excusari, quòd ea dramata, in quibus illa scripserunt, non essent omnino tragœdiæ; quemadmodum tragœdia non debet appellari Euripidis Cyclops; sed, ut [d] Plautus vocat, tragico comœdia, cum propter alia multa, tum quòd exitus ejus fabulæ lætus est, quum ad extremum Ulysses, atque socii inducantur liberati; Cyclops autem ille immanis, ille impius, ille Diis invisus, ille hominibus execrandus, qui hospitum interemptorum carnibus saginabatur, & humanum sanguinem avidissimè exorbebat, excæcatus, quod spectatori lætissimum est. Quapropter Euripidi ignosci potest, si ebrios induxit in scenam, si totam fabulam jocis refersit, quod idem dicendum est de Sophoclis, & Æschyli carminibus, quæ ferri possunt; nisi poëtæ propositum erat tragœdiam componere; alioquin exploderetur tanta rerum turpitudo, humilitasque verborum. Est enim tragœdia, quemadmodum Aristoteli [e] placet, imitatrix graviorum, & 9
verba tragœdiæ conveniunt non sordida, non abjecta, non de trivio sumpta; sed electa, sed gravia, atque sonora, & a vulgari consuetudine sermonis abhorrentia. Quapropter Aristoteles [f] translationes frequentes vult esse proprias tragœdiæ, & verborum trajectiones in eo genere poëmatis comprobat; undè & verbum τραγῳδεῖν apud Græcos magnificè, atque elatè loqui significat; Lucianus ἐκεῖνοι μὲν ἂν πρὸς τὴν παραυτίκα χρείαν ἐπιτραγῳδοῦσιν: hoc est: *illi autem ad præsentem usum tragicè, atque elatè loquuntur*; & [g] Theophrastus: ἔτι δὲ οἱ φαρμακοπῶλαι, καὶ οἱ ῥιζότομοι τὰ μὲν ἴσως οἰκείως, τὰ δὲ καὶ ἐπιτραγῳδοῦντες: hoc est: *præterea, & pharmacopolæ, & medicamentarii partim quidem convenienter, partim ad admirationem ciendam rem extollentes*; & apud Lucianum ἀτραγῴδητα, res, quæ ostentatione, & fuco vacant in libello περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων: τὰ μὲν ἡμέτερα ὁποῖα ἐστὶν ἑώρακας ἤδη, καὶ ὡς τῦφος ἐν αὐτοῖς οὐδεὶς, ἀτραγῴδητα δὲ, καὶ πέζα πάντα, καὶ δημοτικά. Et apud Latinos tragœdia accipitur pro re mirificâ, & magnâ; 10
Cicero in oratore: *neque verò istis tuis tragœdiis, Crasse, commoveor*; quod Latini a Græcis acceperunt, quibus τραγῳδία pro eodem sumitur; Polybius: Ἐπεὶ δὲ πᾶν πλῆθός ἐστιν ἐλαφρὸν, καὶ πλῆρες ἐπιθυμιῶν παρανόμων, ὀργῆς ἀλόγου, θυμοῦ βιαίου, λείπεται τοῖς ἀδήλοις φόβοις, καὶ τῇ τοιαύτῃ τραγῳδίᾳ τὰ πλήθη συνέχειν: hoc est *quoniam autem vulgus omne est leve, & plenum cupiditatibus injustis, & iracundiâ stultâ, & furore violento; reliquum est ipsum terroribus obscuris, & talibus tragœdiis continere*, & tragica oratio, quæ summam habet gravitatem, pondus, ornatum; Cicero in libro secundo de Oratore, de oratione Crassi, quam habuit in Brutum, sic ait: *sed hæc tragica, atque divina, faceta autem, & urbana innumerabilia*. Hunc autem spiritum tragicorum [h] Athenæus respiciens 11
Euripidem ἐνθουσιᾶν dixit in libro primo dipnosophistarum: ἀθηναῖοι δὲ, inquit, Ποθεινῷ τῷ Νευροσπάστῃ τὴν σκηνὴν ἔδωκαν, ἀφ' ἧς ἐνεθουσίων οἱ περὶ Εὐριπίδην. Et a [i] Tatiano tragici histriones dicuntur δαιμονᾶν: hoc est *furere, & insanire*. Quocircà, & [l] Propertius cecinit

Tunc me vel tragicæ vexetis Erynnies.

Iidem etiam dicuntur non loqui, sed hiare: Persius [m].

Fabula seu mœsto ponatur hianda tragœdo

& de-

[a] Hor. in Arte Poët. [b] Quintilian. libr. 10. cap. 1. [c] Athen. libr. 10. [d] Plaut. Amphitruon. in prol. [e] Aristotel. in Poëtic. cap. 6. [f] Idem Aristotel. ibid. [g] Theophrast. in nono de Causis. [h] Athenæus libr. 1. cap. 17. [i] Tatian. adversùs Græcos. [l] Propert. Eleg. 20. libr. 2. [m] Persius Satyr. 5. vers. 3.

Tragœdiæ tribuit inventionem oratione decimanonâ; sin autem Platoni, in [a] Atticâ, cui doctissimus [b] Athenæus assentitur; qui etiam addit vindemiæ tempore cepisse celebrari; quocirca quod Athenæus [c] affirmat de comœdiâ trygodiam initio appellatam, id affirmant de tragœdiâ [d] Grammatici, ac dictam volunt τρυγῳδίαν ἀπὸ τῆς τρύγης a vindemiâ scilicet, vel a fæcibus, quibus histriones ora illinebant, quæ τρυγὲς græco sermone dicuntur; sed tragœdiæ [e] nomen ἀπὸ τῦ τράγυ ab hirco, qui [f] præmium in tragico certamine vincentibus dabatur, deductum esse notum est ex illo [g] Horatii versu

Carmine qui tragico vilem certavit ob hircum

Cur autem hirco tragici poëtæ donarentur,
4 ea fuit causa, quòd tragœdia Baccho sacra putabatur; quapropter in Dionysiis celebrabatur certamen tragicorum poëtarum; quemadmodum in Dialogo, qui Anacharsis inscribitur, Lucianus testatur, & Dio Chrysostomus in orationibus. Qua de causâ Æschyli nomen in Bacchi festo, quod appellatur Dionysia, vocabatur; quòd is tragœdiæ plurimum contulisset, ut auctor est libro sexto Philostratus. Sub tutelâ verò Bacchi poëtas esse tragicos vel Aristophanes in ranis ostendit, qui Bacchum inducit ad Inferos descendentem, ut Euripidem suas delicias videret. Baccho verò solitum hircum sacrificari testis est Virgilius illo [h] hemistichio

...... Baccho caper omnibus aris

& illis [i] versibus

Ergo, rite suum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis, lancesque, & liba feremus,
Et ductus cornu stabit sacer hircus ad aram

Quare non mirum si Bacchi poëtis Bacchi victima donabatur, atque inde nomen accepit tragœdia, quæ primò valde rudis fuit; Princeps Thespis scenas pensiles excogita-
5 vit, quas plaustris circumegit, ex iisque poëmata recitavit; quare Horatius [l] ipsum affirmat vexisse plaustris poëmata; neque enim audiendus [m] Acron, qui quia multa scripsit, idcirco dici putat vexisse plaustris poëmata; primus etiam faciem perunxit fæcibus, vel, ut Suidas [n] ait, fuco; Æschylus autem & personam invenit, & ornavit scenam, & choros [o] emendavit; & quod præcipit [p] Horatius

Ne pueros coram populo Medea trucidet

primus instituit, & duobus [q] usus est histrionibus; tribus autem Sophocles, qui etiam quum antea chorus ex duodecim constaret adolescentibus, ex quindecim [r] composuit. Atque his auctoribus tragœdia perfecta dicitur; nam & scena altior ædifica- 6
ta, ut commodiùs populus spectaret, & heroicæ personæ inductæ, & histriones proprio habitu sunt ornati; de quo secundo loco quemadmodum proposui differendum est. Vestem tragicorum fuisse pallam testatur Ovidius hoc [f] disticho

Venit & ingenti violenta tragœdia passu
Fronte comæ torvâ, palla jacebat humi

& [t] Horatius, quum ait

Post hunc personæ, palleque repertor honestæ

& idem rursus [u] Ovidius

Sceptra tamen sumpsi, curaque tragœdia nostrâ
Crevit, & huic operi quamlibet aptus eram.
Risit amor, pallamque meam, pictosque cothurnos,
Sceptraque privatâ tam cito sumpta manu

Atque hæc vestis, quia longior erat, & per 7
humum trahebatur, syrma est appellata ἀπὸ τῦ σύρεσθ Martialis [x]

Musa nec insano Syrmate nostra tumet

Vopiscus in Carino: *pallio aurato, atque purpurato pro Syrmate tragœdus uteretur*; est autem palla propriè muliebre pallium multis rugis artificiosè factis crispum; est alioquin & citharœdorum, & saltatorum vestimentum; ideo ab Ovidio tribuitur Apollini, quum [y] ait

Ipse Deus vatum pallâ spectabilis aurea
Tractat inauratæ consona fila lyræ

De quo etiam Tibullus [z] cecinit

Ima videbatur talis illudere palla,
Namque hæc in nivea corpore vestis erat

Palla verò tragœdorum aureis quibusdam tæniis erat distincta; Lucianus in Anacharsi de tragœdis loquens χρυσαῖς, inquit, ταινίαις τὴν ἐσθῆτα πεποικιλμένοι hoc est: *aureis quibusdam tæniis veste variegatâ*; Utebantur 8
& cothurnis pictis; sunt autem cothurni calciamenta, quædam altiora ad augendam speciem magnitudinis; Lucianus in dialogo, qui de saltatione inscribitur, de tragœdo loquens ait ἐμβάταις ὑψηλοῖς ἐποχούμενος hoc est *calceis altis insidens*, & in Anacharsi inducit Anacharsim mirantem, quòd quum tragœdi tam altos calceos induxissent;

[a] Plato in Minoë in fine. [b] Athen. libr. 2. [c] Idem ibid. cap. 3. [d] Julius Cæsar. Scaliger in Poëtic. libr. 1, cap. 6. [e] Servius ad illum Virgil. locum Eclog. 3. *Tu post carecta latebas*. [f] Acron. & Porphyrion in Horatii poëtic. Donatus in prœludiis in Terent. Diomed. Gramm. libr. 3. Priscianus libr. 4. & Isidorus libr. 8. cap. 7. [g] Horat. in Arte Poët. [h] Virgil. Georgic. libr. 2. [i] Idem Virg. ibid. [l] Plutarch. in Vitâ Solonis, & Hor. in Arte. [m] Acron in Horàt. Poët. [n] Suid. in Thespis. [o] Arist. in Arte Poët. cap. 4. [p] Horat. in Arte. [q] Arist. Poët. cap. 4. [r] Suid. in V. Χορὸς. [f] Ov. Amor. libr. 3. Eleg. 1. [t] Horat. in Arte Poëtic. [u] Ovid. Amor. libr. 2. Eleg. 18. [x] Martial. libr. 4. epigr. 49. ad Flaccum. [y] Ovid. libr. 1. Amor. Eleg. 8. [z] Tibull. libr. 3. Eleg. 4.

sent; tamen securè possent incedere; quo in loco barbarus cothurnos, compedes appellat. Nec [a] longe abit ab Ovidio, qui cothurnum vincla pedum vocat his verbis

Lydius apta pedum vincla cothurnus erat.

Ex quo intelligi potest plura, longeque diversa genera fuisse cothurnorum, quum Virgilius faciat cothurnis utentem venatricem his [b] carminibus

Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureoque altè suras vincire cothurno

Neque enim calcei tantâ altitudine, tanto pondere virgini venatrici convenirent; neque tamen inter cothurnos venatorios, & tragicos aliud discrimen, quàm quod hi altiores, humiliores illi. Ceterum eadem omnibus forma; nam omnes ad medium usque crus religati, omnes aperti, quemadmodum Sidonius in panegyrico carmine de Anthemio declarat his versibus

Perpetuo stat planta solo, sed fascia primos
Sistitur ad digitos, retinacula bina cothurnis
Mittit in adversum vinclo de Fornice Pollex
Quæ stringunt crepidas, & concurrentibus ansis
Vinclorum pandas texant per crura catenas

Omnes [c] denique ad utrumque pedem apti; ideo Theramenes, quòd ad omne genus Reipublicæ accommodatus videretur, cothurnus vocabatur. Ex hoc autem co-
9 thurno tragico multæ sunt ductæ translationes; nam Quintilianus [d] in decimo libro institutionum oratoriarum, cothurnum pro elato dicendi genere accepit, quum dixit: *quod ipsum reprehendunt, quibus gravitas, & cothurnus, & sonus Sophoclis videtur esse sublimior*: eodem etiam significatu utitur Ambrosius: *hæc, quæ simplicibus verbis sacra scriptura exprimit, magno quodam cothurno Aristoteles, & Peripatetici personant*; & Martialis [e] cothurnatum Maronem vocat

Sacra cothurnati non attigit ante Maronis

Dicitur & Ammiano Marcellino cothurnus imperatoriæ auctoritatis; & Cassiodoro cothurnus magnæ potestatis; quæ metaphoræ omnes, & tragici carminis granditatem, & altitudinem respiciunt cothurnorum, quibus tragici utebantur. Neque solùm altitudine cothurnorum speciem magnitudinis tragici histriones augebant; verùm etiam alia machinabantur, quò latiores, altioresque viderentur.

DISSERTATIONIS SEXTÆ
PARS ALTERA.

De Habitu Tragœdorum.

Vetus est opinio homines in dies procreari breviores; & filios ferè semper esse patribus minores. Cadaver Orestis erat sexdecim cubitorum, & quadraginta Orionis, vel Oti; Pallantis autem cadaver mœnia Romæ excedebat. Hiatus, & vocalium concursus addit orationi majestatem; jure itaque Isocrates, & Claudianus reprehenduntur, quòd vocalium concursum nimis vitaverint contra immerito Homeri carmina, tanquam nimis biantia a Scaligero, & Grammaticis reprehenduntur. Hians oratio pro magnificâ accipitur. Reges diadema, & sceptrum gestabant, Regum filii diadema tantùm. Merces histrionum lucar dicebatur; quinque autem denarios fuisse tradit Seneca; Lucianus autem septem, & Julius Capitolinus quinque aureos.

Constans opinio est nonnullorum hominum a doctrinæ studiis non abhorrentium vetustissimis sæculis longè majorem fuisse humanorum corporum modum, quàm nunc esse videamus; & rerum naturam putant, quasi effetam, debilitatamque minores 10
in dies imbecillioresque fetus procreare; quam sententiam [f] Homeri auctoritate confirmant, qui corpora hominum queritur minui quotidie, & debilitari; & Virgilii, qui in Æneidos libro duodecimo hoc ipsum his versibus indicavit.

Vix illud lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.

& Aristotelis, qui filios ferè semper minores esse patribus prodit. Quin & Historicos quosdam testes citant, qui memoriæ 11
prodiderunt in [g] Cretâ terræ motu rupto monte corpus inventum, quod Orionis, aut Oti fuisse perhibent quadraginta cubitorum; & [h] Orestis cadaver oraculi jussu refossum sexdecim cubitorum implesse mensuram. Quæ veteres fabulæ fecerunt locum recentiori, quâ proditum est imperante Henrico tertio cadaver inventum, quod fuisse tradiderunt Pallantis illius, quem singulari certamine congressum Turnus interfecit; tantâ autem altitudine affirmant fuisse erectum, ut altæ mœnia Romæ excederet; in ejus autem pectore vulnus hiasse la-

[a] Ovid. Amor. libr. 3. Eleg. 1. [b] Virgil. Æneid. libr. 1. [c] Suid. in V. Δέξιος, & Pollux libr. 7. cap. 22. [d] Quintil. libr. 10. cap. 1. Inst. Orat. [e] Martial. libr. 7. epigr. 62. [f] Apud Aul. Gell. libr. 3. cap. 10. & apud Plin. libr. 7. cap. 16. [g] Plin. libr. 7. cap. 16, [h] Herodot. libr. 1. cap. 67. & Plinius ibid.

se latissimum, quod quatuor pedes longitudine pateret. Quæ pæne anilium deliramenta fabularum nonnulli etiam eruditi homines crediderunt propter opinionem, qua sibi persusserant, semper humanorum corporum molem decrescere, imbecillioremque reddi naturam, quam & Virgilius aspexit illo [a] carmine

Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulcris

Et ut propiùs ad propositum argumentum
12 accedat oratio; Veteres poetæ sequuti sunt, qui antiquos heroës ampliori fuisse magnitudine opinati histriones, qui personas eorum [b] exprimebant, in scenam induxerunt & cothurnis altissimis insistentes, ut diximus; & alia etiam ad augendam speciem magnitudinis excogitarunt. Nam quibusdam crassioribus, amplioribusque corporis integumentis pectus, ventremque circumdabant, quæ προστερνίδια, & προγαστρίδια Græcis nominantur; & capiti personam inducebant, quæ multum supra verticem attollebatur; quæ omnia illi moliebantur, ut illa species, magnitudoque heroum veterum magnitudines repræsentaret. Atque harum omnium rerum testis est in dialogo de saltatione Lucianus his verbis: πρόσωπον ὑπέρμεγα κεφαλῆς ἀνατεινόμενον ἐπικείμενος, καὶ στόμα πάμμεγα κεχηνὸς, ὡς καταπιόμενος τοὺς θεατὰς, ἐῶ λέγειν προστερνίδια, καὶ προγαστρίδια προσθετὴν, καὶ ἐπιθετὴν παχύτητα προσποιούμενα: hoc est: *personam supra caput extensam gerens, & valde magno ore hians, tanquam spectatores devoraturus: nihil dico de prosternidiis, & progastridiis, quæ ascitam ipsis crassitudinem conciliant*; & in Anacharsi κράνη δ' ἐπικείμενοι παγγέλοια, κεχηνότα παμμέγεθες, αὐτοί τε ἔνδοθεν μεγάλα τε ἐκεκράγεσαν, καὶ ἔβαινον, οὐκ οἶδ' ὅπως ἀσφαλῶς, ἐν τοῖς ὑποδήμασιν: hoc est: *personis planè ridiculis non tam induti, quàm onusti valde hiantibus, & ipsi intus magnum inclamabant, & in illis calciamentis, nescio quo pacto, sine lapsu, atque securè incedebant* Quibus in verbis adnotandum est tragœdos
13 egisse magnâ voce; quapropter [c] Cicero in Oratore vocem desiderat tragœdorum, & Synesius in libro de Providentiâ Dei sic ait: οὐδὲν τὰ ἁλουργῆ διοίσει τῶν ῥακίων πρὸς τὸ μέγα, καὶ καλὸν ἐμβοῆσαι; hoc est: *nihil a pannis differet purpura ad inclamandum voce magnâ, atque concinnâ*; loquitur autem de tragœdis. Illud etiam in Luciani verbis est animadvertendum tragœdis hiatum attribui non solùm propter sublimitatem styli; sed etiam quòd tragœdiæ ingenti habitu oris recitarentur; quamquam etiam propter spiritus magnificentiam tragicorum poëtarum ipsis hiatum attributum consentaneum rationi est; nam hiare significat elato, ne dicam tumido genere orationis uti, quo significatu Horatius [d] usus est, quum cecinit

Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?

& Propertius quum verbo ejusdem significationis idem indicavit hoc [e] versu

Tantum operis nervis hiscere posse meis

Et sanè hiatus, ille concursusque vocalium
frequens addit orationi quoddam pondus, 14
& majestatem; quare Plato, quo nemo est magnificentiùs loquutus, eo utitur frequentissimè; Cicero autem in orationibus, quarum sermo est popularis, parciùs hunc adhibet; in libris de philosophiâ, ubi orationis Platonicæ æmulatur granditatem beniginiùs; quemadmodum Virgilius in Bucolicis, in quibus humilis est sermo, raò; frequentiùs in Georgicis, in Æneide verò divinâ frequentissimè. Quamobrem jure Isocrates inter Græcos, inter Latinos Claudianus reprehenduntur, quòd hunc vocalium concursum anxiè nimis vitaverint, & quasi magnum aliquod vitium reformidarint; qua de causâ habet eorum oratio lævitatem quamdam, & numerum non injucundum; non habet gravitatem, quam frequentes hiatus conciliant orationi. Quocirca garriant li-
cet Grammatici, & rhetorum scholæ, & Sca- 15
liger [f] cum illis, qui Homeri carmina tanquam hiantia reprehendit; mihi hiatus ille frequens videtur orationem decere gravem, & sublimem. Atque hujus meæ sententiæ auctores habeo Demetrium [g] Phalereum, Ciceronem [h], & [i] Quintilianum, aliosque complures præstanti viros judicio; & ideo existimo factum, ut hians decenter oratio pro magnificâ accipiatur; ob eamque causam tragicos poëtas, qui vel magnificentissimè loquuntur, hiare dici puto, non tam propter hiatum personæ, quàm carminis gravitatem. Sed ut ad habitum tragœdorum
revertamur; numerantur a Julio [l] Pollu- 16
ce inter vestes tragicas chlamys auro intertexta purpurea, sagum, tiara, vitta, redimiculum, mitra, reticulum complicatum e funiculis, quod totum corpus retis instar ambiebat, quo [m] Tiresias amiciebatur, & alii vates. Bacchus [n] autem utebatur crocotâ; qui autem erant in adversâ fortunâ constituti pullâ, nigrâ, fuscâ, melinâ veste induebantur; sicut [o] Telephus, & Philoctetes detritâ; quò respicit Synesii locus, quem citavimus, ubi in tragœdiâ nihil ait differre purpuram a pannis. Est & tragœdiæ apparatus nebrides, diphteræ, sed præcipuè

[a] Virgil. Georg. libr. 1. in fine. [b] Lucian. in Dial. de Saltat. [c] Cic. libr. 3. de Oratore. [d] Horat. in Arte. [e] Propert. libr. 3. Eleg. 3. [f] Iul. Cæs. Scalig. Poët. libr. 2. [g] Demetr. Phal. περὶ ἑρμηνείας. [h] Cicer. libr. 3. de Oratore. [i] Quintilian. Instit. Orat. libr. 12. cap. 10. [l] Jul. Pollux Onomast. libr. 4. cap. 18. & Buleng. de Theatro libr. 1. cap. 56. [m] Idem Poll. libr. 4. cap. 18. [n] Idem ibid. [o] Idem eod. loco.

17 cipuè sceptra; quapropter [a] Ovidius cecinit

Læva manus sceptrum latè regale tenebat

Et diademata, quibus ornabantur Reges, Regumque filii; hoc tamen discrimine, quòd Reges diadema, & sceptrum gerebant; Regum filii diadema solum. Omne armorum genus, clavæ, leoninæ pelles, & alia, quæ heroibus, qui inducebantur, conveniret. Formæ verò personarum multæ, variæque ponuntur a Græcis, & nonnullæ admodum ridiculæ, ut convenire tragicæ gravitati haudquaquam videantur, quas cognoscere si quis cupit, consulat [b] Julium Pollucem libro quarto, & Julium [c] Cæsarem Scaligerum libro primo poëticæ. Mer-
18 ces autem, quæ dabatur histrionibus, lucar appellabatur; Cornelius [d] Tacitus libro primo: *de modo lucaris, & adversùs lasciviam fautorum multa decernuntur*; appellatur autem lucar a lucis, qui circa urbem frequentes erant, ex quorum reditibus ludi celebrabantur, ut Plutarchus in causis docet. Hæc autem merces quanta fuerit non ferè inter Auctores constat; Seneca [e] enim quinque denarios fuisse confirmat epistolâ octogesimaprimâ his verbis: *ille, qui in scenâ elatus incedit, & hæc resupinus dicit:*

En impero Argis; sceptra mihi liquit Pelops &c.

servus est; quinque modios accipit, & quinque denarios; Lucianus autem septem denariis operam histriones locasse testatur in Icaromenippo: ἐοικότες μάλιςα τοῖς τραγικοῖς ἐκείνοις ὑποκριταῖς, ὧν ἢν ἀφέλῃς τὰ προσωπεῖα, καὶ τὴν χρυσόπαστον ἐκείνην σολὴν, τὸ καταλειπόμενόν ἐςι γελοῖον ἀνθρώπιον ἑπτὰ δραχμῶν εἰς τὸν ἀγῶνα μεμισθωμένον: quæ sic verti possunt: *maximè tragicis illis histrionibus similes, quibus personam, & auro intertextam stolam si abstuleris, quod relinquitur homuncio est septem*
19 *denariis ad agonem conductus*; Julius [f] Capitolinus autem mercedem scenicorum fuisse tradit aureos quinque; immo longè plures, quando qui mercedem scenicorum recidit, & amputavit, eos, ut minimum, aureos quinque accipere voluit; sic enim loquitur: *temperavit scenicas donationes jubens, ut quinos aureos scenicis acciperent; ita tamen ut nullus editor decem aureos egrederetur*. Mirum autem non est de histrionum mercede tantopere illustres Auctores discrepare, quum fuerit sæpe mutata, Historico teste, qui de Tiberio sic ait: *Ludorum, ac munerum impensas corripuit mercedibus scenicorum recisis*; quamquam Julii Capitolini locus, quem citavimus de principibus histrionum est accipiendus, quos ingentem accepisse mercedem testimonio sunt Æsopi tragœdi opes, fama celebratæ; cujus patina sexcentis [g] sestertiis dicitur constitisse; & filius ejusdem eo luxuriæ processisse fertur, ut ad inanem ostentationem divitiarum margaritas convivis absorbendas apposuerit.

DISSERTATIO VII.

Primi versus Hecubæ illustrantur.

Plato poëtas reprehendit, quòd mortem terroribus Inferorum fecerint horribiliorem, & infirmiores homines ad subeunda pro Patriâ pericula; præcipuè autem Homerus accusatur, quòd Achillem induxerit dicentem se malle cuilibet vivo servire, quàm omnibus apud Inferos imperare. Virgilii versus, quorum sententia ex Platonis Phedone desumpta est. Validius homines voluntate detinentur, quàm vi; & proinde, quum nullus ab Inferis discedat, existimavit Plato animas ibi sponte manere; & idcirco Inferos ᾍδης *dici* ἀπὸ τοῦ ἁδεῖν *hoc est* placere; *a nonnullis tamen quasi* ἀηδὴς *idest* injucundus *dicitur. Hecubam alii Cissei, alii Dymantis, alii Sangaris fluminis filiam fuisse tradunt. Pluto Inferis imperare dicitur, quia exequiarum cæremonias invenerit.*

PLato [h] summus auctor intelligendi, & eum sequuti doctissimi viri poëtas [i] reprehendunt, quòd mortem, quam naturâ omnes reformidant, propositis Inferorum terroribus longè fecerint horribiliorem, hominesque vulgò ad subeunda pro Patriâ pericula, & fati necessitatem fortiter perferendam infirmiores. Qua quidem in re Græ- 1
corum princeps poëtarum vehementissimè accusatur Homerus, cum ob alia multa, quæ pertinent eodem, tum quod Achillem heroum fortissimum induxerit in [l] Odysseæ libro undecimo dicentem, se malle cuivis e plebe homini apud vivos durissimâ conditione servire, quàm omnibus apud Inferos Manibus imperare. Has autem Virgilius veritus doctorum hominum reprehensiones nihil hujusmodi pronunciavit; sed quum in libro sexto Æneidos pœnas impiorum descripsisset; & alios radiis rotarum districtos, alios saxum ingens frustra volventes, alios epulas ab ore fugientes inanissimo labore consectantes, al os imminentem capiti silicem, & jam jam lapsuram hor-

[a] Ovid. Amor. libr. 3. [b] Jul. Poll. Onomast. libr. 4. cap. 18. [c] Jul. Cæsar. Scalig. Poët. libr. 1. cap. 16. [d] Cornel. Tacit. Annal. libr. 1. n. 77. [e] Senec. Epist. 80. in meâ Edit. [f] Jul. Capitolin. in M. Antonini Vitâ. [g] Plin. libr. 10 c. 51. [h] Plato 3. de Rep. [i] Virgil. libr. 6. Æneid. Propert. libr. 2. Eleg. 27. Horat. Od. 7. libr. 4. Ovid. libr. 4. fabul. 13. v. 432. [l] Odyss. λ.

horrentes, alios immortale jecur, fecundaque pœnis viscera præbentes avidó vulturi induxisset, admiratur continuò piorum falicitatem, & lætos locos, & amœna vireta, & fortunata nemora, & sedes Elysiorum beatas, & animas, quæ in illis versantur, felicas appellat; & ut demat omnem pro Patriâ mortem oppetentibus terrorem, sedes eas incoli præcipuè dicit ab iis, qui ob Patriam vitam profuderunt [a]

Hic manus ob Patriam pugnando vulnera passi

Quæ Virgilium sumpsisse ex Phædone Pla-
2 tonis apparet ex illis carminibus [b]

Largior hic campos Æther, & lumine vestit
Purpureo, Solemque suum, sua sidera norunt

Nam quod in Phædone Plato dixit beatissimas illas falicium animarum regiones adeo a nostris esse disjunctas, & in tantam elatas altitudinem, ut Æthere purissimo circumfundantur, & aër sit illis loco maris, id Virgilius elegantissimè significavit hoc versu [c]

Largior hic campos Æther, & lumine vestit
Purpureo......

nequa enim Æthere, & lumine purpureo vestirentur Elysii campi, nisi eo undique circumdarentur, sicut ab aëre nostræ regiones ambiuntur; quod autem suum illis lucere Solem confirmat, quid aliud est, quàm quod ait Plato [d] in eodem Æthere positis astra, & Solem, qualia sunt apparere? Sed & in expri-
3 mendis Inferorum suppliciis Latinorū Homerus philosophorum Homerum est imitatus, ut & poëtico more multa Plato, & philosophico Virgilius pleraque loquutus esse videatur. Quapropter id est consequutus, ut & legentium voluptati serviret, & non negligeret utilitatem; nam, & dum fabulas narrat, delectat, & dum philosophorum scita pertractat, docet; & impios a scelere deterret propositis pœnis, quæ facinorosos homines, & conscelerato manent; & bonos ad amorem honestatis accendit, dum præmia debita virtuti describit, & præcipuè fortes ad occumbendum pro Patriâ cohortatur, quum eos ostendat post mortem beatioram vitam consequuturos, & inter piorum manes principes nominet, tanquàm præcipuus illis honos, & felicitas debeatur; sic enim instituta vitæ quibus ad Elysiorum sedes pervenitur, incipit recensere [e]

Hic manus ob Patriam pugnando vulnera passi,
Quique sacerdotes casti, dum vita manebat,
Quique pii vates, & Phœbo digna loquuti,
Inventas aut qui vitam excoluere per artes

in quibus omnibus Virgilium sic auctoritatem Platonis sequutum esse constat, ut ab auctore suo, ne latum quidem, ut diei solet, unguem discesserit. Sed ut hic divinè; sic Euripides cujus explicamus tra- 4
gœdias cautè, atque moderatè, qui quum in Hecubâ [f] Polydori umbram inducere, & de Inferis loqui cogeretur, non animos auditorum perterruit, atque perterrefecit aliquid horribile proponendo; sed tantummodo Inferos mortuorum latebram, & tenebras appellavit; versus autem elegantissimi, sapientissimique Poëtæ in Hecubæ principio sunt hujusmodi

Η'κω νεκρῶν κευθμῶνα, ϗ σκότου πύλας
Λιπὼν, ἵν᾽ Α'δης χωρὶς ᾤκισαι θεῶν,
Πολύδωρος Ε'κάβης παῖς γεγὼς τῆς Κισσέως,
Πριάμου τε πατρὸς......

sic autem converti non incommodè possunt

Venio relictâ latebrâ, & umbrarum locis.
Quæ separatus a Diis Pluto incolit,
Polydorus Hecubâ natus e Cisseide,
Priamoque patre......

Quæ carmina si cum Poëtæ Latini versibus conferantur, quos in libro primo Tusculanarum Quæstionum Tullius citat, apparebit Euripidem mentibus auditorum pepercisse, neque eas orationis quibusdam terriculis commovere voluisse; quo nomine Cicero Latini poëtæ carmen reprehendit; sic enim in Tusculanis [g] quæstionibus loquitur: *quam eorum opinionem magni errores consequuti sunt, quos auxerunt poëtæ; frequens enim consessus theatri, in quo sunt mulierculæ, & pueri, movetur audiens tam grande carmen*

Adsum, atque advenio Acheronte vix viâ altâ, atque arduâ,
Per speluncas saxis structas asperis pendentibus
Maximis; ubi rigida constat crassa caligo Inferûm

Quos verborum terrores, quum in hac re
a philosophis improbarentur, Euripides 5
consultò vitavit, & quum umbram mortui Polydori ab Inferis venientem induxisset, non fecit narrantem, quæ manes patiantur; non igneos amnes, non lacrimarum flumina, non odiosam Stygis paludem, non Acherontem a [h] dolore dictum fluvium, non tricipitem canem, non Furias memorantem; sed se venisse dicentem dumtaxat, ut sepulcrum [i] consequeretur,

..... *qui solus bonos Acheronte sub imo est*

Nec mirum, fuit enim philosophiæ apprime studiosus, &, ut [l] diximus, non Anaxagoræ solùm, sed etiam Socratis auditor, a quo eadem, quæ Plato, doctus a senten-

[a] Virgil. Æneid. libr. 6. [b] Virg. ibidem. [c] Idem Virg. ibid. [d] Plato in Phædone, vel de Animâ. [e] Virgil. Æneid. libr. 6. [f] Euripid. in Hecubâ in Prolog. [g] Cicer. Tuscul. libr. 1. [h] Diodor. Sicul. libr. 2. Bibliothec. Histor. [i] Virgil Æneid. libr. 11. [l] Dissertat. I. n. 5. Diss. II. n. 5. & Diss. III. n. 4. in Euripid.

tià Platonis in carminibus, quæ proposuimus, fortasse non aberravit; sed de prudentià Poëtæ, quam in his versibus præsetulit satis, ut opinor, dictum est; nunc ad reliqua pergamus. Et de verbis priùs non-
6 nulla differamus, in quibus hæc præcipuè nobis visa sunt adnotanda: σκότος Græcè *tenebræ* dicuntur; unde [a] Ephesius Heraclitus propter obscuritatem sermonis σκοτεινὸς est appellatus; πύλαι Græcis *portæ* nominantur; unde Thermopylæ [b] sunt nuncupatæ ab aquis calidis, quæ ibi manabant; erant autem angustiæ utrinque præruptâ, excelsaque rupe clausæ, ubi trecenti Spartani innumerabilibus [c] Persarum copiis diu restiterunt, & pro Patriâ, communique Græcorum salute fortiter dimicantes ceciderunt; in [d] iis pylis bis concilium celebrabatur, quod Pylæa Synodus [e] dicebatur; legatusque, qui illuc mitti solebat, ab his Pylis Pylagoras est appellatus. Fuerunt [f] & in Ciliciâ Pylæ, & in Amano [g] monte, & Persicæ pylæ, & [h] Caucasiæ, quæ a similitudine portarum sunt dictæ, quòd per ipsas in eas provincias pateret ingressus clausus utrinque præcelsis rupibus. Ἅιδης Deus In-
7 ferorum est appellatus, quòd, ut nonnulli arbitrantur, sit quidam ἀηδὴς *injucundus* Deus; sed id Plato in Cratylo falsum putat, qui, quum duabus homines rebus teneantur vi, & voluntate, validiusque vinculum sit voluntas, quàm vis, nam qui voluntate manet, nunquam discedit, qui vi detinetur, aliquando eâ superatâ se vindicat in libertatem, existimat animas apud Plutonem firmissimo vinculo voluntatis adstrictas manere, quum earum nulla ab Inferis unquam revertatur, ob eamque caussam ἀπὸ τοῦ πᾶσιν ἅδειν *eo quod omnibus placeat*, Ἅιδην nuncupari putat; dicitur etiam per pleonasmum Ἀΐδης [i] Homerus

Πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς Ἄϊδι προΐαψεν
Ἡρώων . . . . . .

& Ἀϊδονεύς: Ausonius [l]

Βάκχος ἐνὶ ζώουσιν, ἐνὶ φθιμένοις Ἀϊδωνεύς.

& [m] Clemens Alexandrinus: Βούλει καὶ τὰ Φερεφάττης ἀνθολόγια διηγήσομαί σοι, καὶ τὸν καλαθὸν, καὶ τὴν ἁρπαγὴν τὴν ὑπ' Ἀϊδωνέως; vocatur & Agesilaus, eo quòd populos agat, quo nomine ab Æschylo dictum notat [n] Athenæus: Χωρὶς
8 οἰκοῦσι θεῶν: θεοὶ, ut auctor est [o] Plato, ἀπὸ τοῦ θεῖν *a currendo* nominati sunt; quum enim Veteres nullos alios Deos agnoscerent, nisi Solem, & astra, quòd ea perpetuo cursu ferri viderent ἀπὸ τοῦ θέειν θεοὺς appellarunt, ex quo constat, cur separatus a Diis Pluto dicatur; nam si Dei sunt Sol, & astra, quàm longè ab ipsis Pluto separatus est, quum habitet in [p] Tartaro, qui

Bis patet in præceps tantum, tenditque sub umbras,
Quantus ad Æthereum Cæli suspectus Olympum?

Ἑκάβης παῖς γεγὼς τῆς Κισσέως: hoc in carmi-
ne adnotandum genus loquendi Græcorum, 9
qui aliquem alicujus esse dicunt, quum significare filium volunt, ut [q] Πλάτων ὁ Ἀρίστωνος: Ἀλέξανδρος ὁ Φιλίππου quemadmodum hic Euripides loquitur, qui Hecubam Cissei filiam Ἑκάβην Κισσέως vocat; est enim Hecuba a Cisseo procreata; sicut apud [r] Servium Ennius, Pacuviusque testantur, Virgilius [s]

. . . . nec face tantùm
Cisseis prægnans ignes enixa jugales

& [t] alio in loco

Cisseis Regina Parin creat . . . . .

Sed Hyginus [u] in fabulis tradit alios putare Dymantis Hecubam fuisse filiam; Apollodorus [x] autem scribit a Sangario flumine, & Merope fuisse procreatam; sed Homerus [y] filiam Dymantis agnoscit. At-
que hæc de verbis quum diximus, op- 10
portunum videtur, ut de rebus ipsis differamus; & quoniam de Inferis poëta loquitur, & Inferorum Deo, quem a ceteris dicit separatum, placet breviter explicare, quis fuerit Pluto Inferorum Deus, & cur dicatur Inferis imperare; & quid nam apud Veteres fuerint Inferi; & an, ut ait [z] Horatius, manes dumtaxat fabulæ haberentur, an res vera. Lactantius [a] igitur Firmianus in libro de falsâ religione Jovem, Neptunum, Plutonem narrat, paternum regnum ita divisisse, ut Jovi quidem pars, quæ vergeret ad Orientem; Plutoni, quæ ad Occidentem spectaret; Neptuno demum imperium maris, insulæque omnes obtingerent; ex quo factum putat, ut Juppiter Cœlo, Neptunus mari, Pluto diceretur Inferis imperare. Sanè Oriens, un-
de initium lucis, Cœlo potest aptissimè 11
comparari; sicut Occidens Inferis, quum ex Occidente nox oriatur, quæ causa fuit, ut ab Ægyptiis Occidens [b] malis geniis, Oriens bonis tribueretur; & Antiqui [c] quum

vota

---

[a] Diogen. Laërt. in Heracl. libr. 9. segm. 6 Clem. Alexandrio libr. 5. Strom. Cicer. de Finib. libr. 2. & Senec. Epist. 12. [b] Strabo libr. 9. [c] Herod. libr. 7. cap. 223. [d] Strab. Geogr. libr. 9. [e] Strabo ibid. [f] Strab. libr. 14. [g] Plin. libr. 5. cap. 27. qui eas vocat portas, sicut etiam portas Ciliciæ. [h] Plin. libr. 6. cap. 11. [i] Homer. Il. α. [l] Auson. epigr. 28. [m] Clem. Alex. in Protrept. [n] Athen. libr. 3. cap. 21. & Lactant. Firmian. de falsâ Rel. libr. 1. cap. 11. [o] Plato in Cratylo. [p] Virg. Æneid. 6. [q] Diog. Laërt. libr. 3 segm. 1. in princ. Vitæ Platonis. [r] Serv. ad hunc Virgilii locum. [s] Virg. Æn. libr. 7. [t] Virg. Æn. libr. 10 [u] Hygin. fab. 91 [x] Apollod. in Biblioth. [y] Homer. Iliad. π. [z] Horat. libr. 1. Od. 3. [a] Lactant. Firmian. de falsâ Rel. libr. 1. cap. 11. [b] V. Lactant. Firmian. de origine erroris cap. 10. [c] Clem. Alexandrin. Stromat. libr. 7.]

vota facerent, ad Orientem sese cooverterent. Quapropter Vitruvius ita præcipit ædificanda [a] templa, ut orantes Orientem spectare cogerentur. Huc autem respexit Virgilius libro undecimo Æneidos, quum cecinit

Illi ad surgentem conversi lumina Solem
3 *Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro*
Summa notant pecudum, paterisque altaria libant;
Tunc pius Æneas stricto sic ense precatur

Et Latinus Pacatus in Panegyricâ ad Theodosium oratione ubi sic ait: *Nam ut divinis rebus operantes, in eam Cæli plagam ora convertimus, a qua lucis exordium est.* Quem morem in precando sese ad Orientem convertendi etiam Christianorum fuisse, Clemens Alexandrinus libro septimo Stromatum testatur, & Tertullianus Apologetico, & Justinus [b] martyr declarat. Quum au-
12 tem Superis Oriens, Inferis Occidens tribueretur, ea res locum fabulæ fecit, quæ tradit Jovem Superis, Plutonem Inferis imperare, quòd alter ortivas, alter occiduas regiones teneret; quamquam Auctores habeo, in quibus est Diodorus [c] Siculus, ideo Plutonem Inferorum Deum fingi, quòd exequiarum cæremonias, & pompas funerum, feralesque ritus princeps invenerit; atque ideirco omnia illi horrenda tribuebant, atque feralia. Siquidem, ut Albricus in libello de Deorum imaginibus testatur, in perpetuâ caligine habitare tradiderunt, ejusque talem proposuerunt imaginem. Erat homo terribili aspectu in solio sulphureo sedentis habitu collocatus; ex eo solio quatuor flumina Lethe, Phlegeton, Acheron, Cocytusque manabant; sub pedibus triceps Cerberus, juxta Furiæ, Harpyjæque, & Parcæ tres, quarum una colum tenebat, nebatque; alia filum volvere fingebatur, tertia volutum rumpere. Assidebat autem Proserpina facie fuscâ, aspectu torvo, atque tristi, & qui Principia tenebrarum conjugi conveniret; ipsum verò immitem, ferum, immanem inexorabilem, implacabilem esse voluerunt. Quæ vi-
13 detur aspexisse [d] Claudianus his versibus

Ipse rudi fultus solio, nigraque verendus
Majestate sedet, squallens immania fœdo,
Sceptra situ, sublime caput mæstissima nubes
Asperat, & diræ riget inclementia formæ;
Terrorem dolor augebat .....

Hoc ille præmium tulit, quòd officio maximè pio, & quod ad omnes Mortales pertinet, functus esset, hominesque defunctos supremis muneribus decorasset, & terram terræ, ut ait apud Ciceronem [e] poëta vetus, reddidisset; ut maximè funestus, impius, durus, efferatus haberetur. Sed hæc, aliaque, quæ dicenda proposuimus, alio die exequemur.

DISSERTATIO VIII.

In Euripidis Hecubam, ubi de Inferis agitur.

Fabulas de Inferis nec etiam vulgus credebat. Theognis dixit optimum fuisse non nasci; natum verò quàm citissimè extingui. Nonnulli existimant animum, quum Deo frueretur, in corpus descendisse; & hac de causâ cupiditatibus plecti; & nihil aliud esse Inferos. Libitinam esse eandem, ac Venerem aliqui tradiderunt. Plutus an sit idem, ac Pluto. Fabula Midæ, qui quum in aurum verteretur, quidquid attingeret, pæne enectus est, significat aurum non esse veras divitias. Terræ semidiameter quot stadia sit. Christiani veteres existimarunt flammas ex aliquibus montibus erumpentes ab Inferis manare.

MAgna priscis illis hominibus veritatis ignaris opinio fuit quamdam esse regionē, quam incolerent vitâ defuncti, ubi piorum manes in summis deliciis jucundissimè viverent, & impii pœnis eorum sceleri debitis afficerentur. Atque hæc tam latè pervagata esse dicitur, & tam firmiter omnium mentibus inhæsisse, ut Sextus Empiricus audeat affirmare non minus esse communem, & pervulgatam Inferorum, quàm divini Numinis notionem; quam verissimam, rectissimamque sententiam adeo poëtæ fabulosis commentis de- 1
pravarunt, ut quum tacito quodam naturæ consensu vehementissimè comprobaretur, nihil eâ stultius, ineptius, inanius prudentibus videretur. Neque enim solus irridet Epicurus, & aniles fabulas appellat vulgatas de Inferis opiniones, qui etiam eo se metu liberavisse hominum vitam gloriatur; sed & alii passim Auctores ab Epicuri philosophandi ratione plurimùm abhorrentes in hac unâ re summopere cum eo consentiunt. Nec philosophi modò, sed etiam vulgus hujusmodi fabulas explosit, & repudiavit; siquidem Cicero testatur nullam fuisse tam deliram aniculam, quæ pertimesceret ea, quæ de Inferis produntur, cui concinit [f] Juvenalis, qui Satyrâ secundâ sic ait

[a] Vitr. libr. 4. cap. 5. [b] Just. in Resp. ad Orthod. Resp. 118. [c] Diod. Sicul. libr. 5. Biblioth. pag. 233. [d] Claudian. de Raptu libr. 1. [e] Euripid. apud Cicer. Tuscul. Disput. libr. 3. [f] Juven. Satyr. 2. v. 150.

Esse aliquos manes, & subterranea regna,
Et contum, & Stygio ranas in gurgite nigras,
Atque unâ transire vadum tot millia cymbâ,
Nec pueri credunt, nisi qui nondum ære lavantur

Et Homerus [a] gravis in primis poëta, &
auctor sapientiæ, ut innueret ea, quæ de
Inferis tradebantur, muliereulis esse digna,
non sapientibus viris, matris umbram,
quum exposuisset ea, dicentem inducit ha-
bere Ulyssem, quod, ubi domum revertis-
set, uxori narraret; quem imitatus Vergi-
2 lius doctissimus poëtarum [b] hoc ipsum in-
dicavit, qui quum pœnas impiorum, &
Elysios campos poëticè descripsisset, Ænе-
am facit ea omnia contemplatum eburneâ
portâ, qua falsa mitti dicuntur insomnia,
ad socios evadentem; quasi non plus fidei
mereantur ea, quæ viderat Æneas, quàm
somniantium visa omnis planè veritatis ex-
pertia; quod in libro secundo de verâ hi-
storiâ sumpsit ab Homero, seu a Virgilio Lu-
cianus. Nec minùs artificiosè alio in loco
idem poëta [c] hoc idem prudentissimè signi-
ficavit; ubi in Orci vestibulo Gorgonas,
& Harpyias, & Geryonem, & Chimæras,
& Somnia, & omnia, quæ fabulosè a poë-
tis exposita sunt collocavit. Verumtamen
quemadmodum nemo sanus unquam cre-
didit Sisyphi [d] laborem, Tantali [e] famem,
Tytii [f] lacerationem, Ixionis [g] rotam, Ti-
tanes [h], Gigantes [i], Furias [l], Cerberum,
Cocytum, Phlegetontem, Stygem; sic doctis-
simi viri confirmare non dubitarunt mor-
tem omnium finem habendam non esse;
& sicut hominum mentes corporis interi-
tu non extinguuntur; ita his locum esse at-
tributum, in quo, ut ait [m] Poëta, suos ma-
nes patiantur, & qui vitiosè traduxerint vi-
tam, severissimè puniantur, & qui sobriè,
castè, piè, temperanter, fortiter, sapienter
egerint præmiis afficiantur, & in perpetuo
gaudio, & felicitate versentur; hunc au-
tem locum, quem esse veteres illi sapien-
tes putaverint, quum noster Auctor, de
eo nonnulla dicat, quærendum esse visum
est. Ac mihi quidem philosophorum sen-
3 tentias reputanti videtur id, de quo dubita-
tum est ab Euripide, ne inter Sapientes qui-
dem constitisse; utrum mors, an vita ea,
qua homines fruuntur, sit appellanda. Nam
alii animas ad Inferos migrare post mor-
tem prodiderunt; alii verò Inferos aliud
esse negaverunt, quàm corpus, & [n] hanc,
quam dicimus vitam; quam esse opinionem
sequutos vetustissimos illos [o] philosophos
Macrobius testatur in commentario, quod
conscripsit in Somnium Scipionis; quod
etiam [p] Philolaus apud Clementem Alexan-
drinum, & apud Platonem [q] Orpheus tra-
dit, qui pœnas eorum, quæ commisit da-
re, & in hoc corpore animam esse dicit
consepultam; quibus & Theognis [r] quo-
dammodo astipulatur, qui optimum fuisse
cofirmat non nasci; natum verò quàm ci-
tissime extingui. Hos videlicet moverunt
mala, quibus homines conflictantur, calami- 4
tatesque, quæ vitam miseram habent, ut exi-
stimarent flammeos amnes, & lacrymarū flu-
mina, & Stygis odiosam paludem, nihil aliud
significare, quàm cupiditates, quibus in-
cendimur, & mærorem, quo contabesci-
mus, & odia, quibus exardescimus; nec
verò nos hisce pœnis sine nostro scelere es-
se affectos; quum enim animus cœlestis, at-
que immortalis, antequam in corpus descen-
deret, cum Diis versaretur, divinumque Nu-
men spectaret, & illâ beatissimâ luce frue-
retur, ad has tenebras respicere haudqua-
quam debebat, & corporis amore captus
cum materiâ conjungi, & terrena cœle-
stibus, humana divinis, umbras veritati,
felicitati miserias anteponere. Jure igitur
plectitur animus, & in perpetuis malis, &
mærore versatur, qui cum Diis agere ævum,
& in lucidissimâ regione esse quum posset,
in mortuorum loca, & in hanc tætram, hor-
rendamque caliginem sua sponte devolu-
tus, & demersus est. Quapropter quid est,
inquiunt, cur non hic Inferos esse dica-
mus, quum & in Universi humillimo loco
siti plectamur, & ob summum scelus ple-
ctamur, divini scilicet Numinis contem-
ptum? Atque horum sententiâ unusquis- 5
que nostrûm suas pœnas, suosque manes,
Inferosque circumfert; quæ non eorum
tantùm est, qui animas post mortem supe-
resse sunt opinati; verùm etiam eorum,
qui cum corpore extingui quoque animum
putaverunt; quum [s] Lucretius cecinerit

Atque ea nimirum quæcunque Acheronte profundo
Prodita sunt esse, in vitâ sunt omnia nobis.

Hanc autem sequutos esse constat eos, qui
Libitinam [t] idem numen, ac Venerem es-
se tradiderunt; nam Venus principiis vi-
tæ præest, Libitina funeribus; unde in ra-
tionem Libitinæ venire dicuntur illi, qui
moriuntur, & vitare [u] Libitinam, qui glo-
riâ

a Hom. in Necyomantiâ. b Virg. Æn. 6. c Virg. libr. 6. Æneid. d De Sisypho V. Hygin. fab. 60. e Hom Odyss. λ. & Fulgent. Myth l. 3. f Homer. ibid. & Strabo libr. 9. g Plutarch. in Agide, & Cleomen. & Fulgent. in Mythol. libr 2. h Orpheus in hymn. in Titan. i Ov. Fast. l. 5. l Virg. libr. 6. Æneid. & Orpheus in hymno in Eumenid.

m Virgil. Æneid. 6. n Cicer. in somn. Scipionis. o Macr. in somn. Scipion. libr. 1. cap. 11. p Philolaus Pythagoreus apud Clem. Alexandr libr. 3. Stromat. q Plato in Gorgia, & alibi. r Theogn. in sentent. s Lucret. libr. 3. t Cæl. Rhodig. libr. 29. cap. 18. u Hor. libr. 3. Od. ult.

tiâ immortales evaserunt. Qui igitur Deam
vitæ præsidem putavit esse Libitinam, hanc
vitam, quam vivimus, veriùs habendam es-
se mortem existimavit; & Inferos credidit
esse corpus, in quo demersus animus in re-
gione versatur mortuorum. Alii tamen In-
6 feros esse locum sub terrâ, & Plutonem es-
se terram tradiderunt, ut Fulgentius Plan-
ciades [a] in Mythologiâ scriptum reliquit.
Quapropter, & [b] Summanum, quem eum-
dem, ac Plutonem Deum esse voluerunt,
terrestre numen habitum accepimus, quo
respexit Angelus [c] Politianus, quum ce-
cinit

Aut telo, Summane, tuo traxere ruinam

telum Summani terræmotum vocat, qui ni-
hil aliud est, quàm terræ concussio. Hunc
autem Deum divitiis præesse, & Plutum di-
ci [d] sunt arbitrati, quòd omnes divitiæ
nascantur e terrâ; quamquam non me fu-
git a Pindaro apud [e] Athenæum Plutum
Cereris filium appellatum tanquam a Plu-
tone diversum, qui Saturno, & Rheâ dici-
tur procreatus. Sed aliò profectò respexit
7 Lyricorum Princeps poëtarum; ideo quip-
pe finxit Cererem frugum Deam matrem
esse Pluti divitiarum Dei, quia veræ divi-
tiæ non auro, gemmisque, sed terræ fructi-
bus continentur, quod [f] Aristoteles in
Ethicis probat; ob eamque caussam a poë-
tis proditum dicit; Midam, quum a Bac-
cho impetrasset, ut quidquid attingeret, in
aurum verteretur, pæne enectum fame, ut
ostenderent in summâ auri copiâ posse ali-
quem inopem esse rerum ad victum neces-
sariarum, ac proinde aurum veras divitias
habendum non esse; quum sit absurdum
aliquem in summis opibus inopem reperi-
ri. Ceterùm sicut aurum plerique omnes
cum [g] Pindaro ceteris divitiis anteponunt;
sic eundem esse Deum Plutum, Plutonem-
que dixerunt, quòd aurum, & opes in ter-
ræ viscera prorsus abstrusæ reperiantur.
Quocirca Poëta [h] Pelignus cecinit,

Quasque recondiderat, Stygiisque admoverat
umbris,
Effodiuntur opes irritamenta malorum

& [i] Statius

.... *ubi Dite viso*
Pallidus fossor redit, erutoque
Concolor auro

8 Inferi quippe credebantur esse in terræ me-
ditullio, unde exemplum fluxit græcæ va-
nitatis; Dionysodorum [l] siquidem geome-
tram ferunt, quum extremâ senectâ deces-
sisset, & honore sepulturæ donatus esset a
suis ab Inferis, epistolam remisisse, quæ in
ejus monumento reperta est; qua scripse-
rat Dionysodorus se tandem pervenisse ad
terræ medium; distare autem terræ medium
ab extremis quadraginta duobus stadiorum
millibus. In quo fugit eum ratio, qui tam
impudens mendacium excogitavit; nam
licet hæc summa cum Hipparchi, & Erato-
sthenis ratione congruat; tamen accuratio-
re Geometrarum solertiâ compertum est,
non tantum esse intervallum ab extremita-
te terreni globi ad medium; quum a centro
ad superficiem Orbis terrarum tricies quin-
quies centena millia passuum esse demon-
stret Ptolemæus, quæ viginti octo millia
stadiorum efficiunt; hodie verò accuratis-
simi Geometræ hoc intervallum ultra tri-
ginta millia stadiorum protendant. Ex hac 9
etiam credulitate manavit opinio, qua sibi
vulgus persuaserat speluncas quasdam, ex
quibus halitus animantibus [m] pestifer emit-
teretur, esse Inferorum spiracula, cujusmo-
di sunt in agro [n] Suessano, & Puteolano,
& Hirpinis Ansancti specus, & [o] Hierapo-
li urbe Asiæ nobili; ideo speluncas illas
Charoneas [p] vulgus a Charone Inferorum
portitore nuncupavit; quare Virgilius de
Ansancti [q] specu sic loquitur

Est locus Italiæ in medio sub montibus altis
Nobilis, & famâ multis memoratus in oris
Ansancti valles; densis hunc frondibus atrum
Urget utrinque latus nemoris, medioque
fragosus
Dat sonitum saxis, & torto vortice torrens:
Hic specus horrendum, & sævi spiracula Ditis
Monstrantur, ruptoque ingens Acheronte vo-
rago
Pestiferas aperit fauces, queis condita Erin-
nys
Invisum numen terras, Cælumque levabat

Et per Avernum specus inducit [r] Æneam
ad Inferos descendentem, ex quo noxius
animantibus universis dicitur spiritus erum-
pere. Similis huic credulitas & veterum
Christianorum mentes occupavit, qui, au- 10
ctore [s] Cedreno, quum Vesuvius ignes, im-
perante Tito, eructasset, interrogati a quo-
dam, unde illæ flammæ erumperent, respon-
derunt ab Inferis, & esse particulas æter-
norum ignium, quibus a Deo scelerum
vindice impiorum animi puniuntur. Quæ
sententia non solùm fuit indoctorum, sed
etiam sapientum, quando Tertullianus de
montibus ardentibus, & ignibus. Infero-
rum sempiternis ita loquitur: *quid illum*
thesaurum ignis æterni æstimamus; quum fu-
ma-

---

[a] Fulgent. Planciad libr. 1. Mytholog. de Plutone. [b] Martian. Capell libr. 2 Nuptiar. [c] Ang. Polit. in Mant. [d] Plato in Cratylo. [e] Athen. libr. 15. cap. 14. [f] Aristot. libr. 1. c. 9. Polit. [g] Olymp. Ode 1. [h] Ovid. Metam. libr. 1. fab 4. [i] Stat. in Sylvar. libr. 4. in Lyrico ad Maximum Junium.

[l] Plin libr. 2. cap. ultim. [m] Lucr. libr 4. & Virgil. libr. 6. Æneid. [n] Plin libr. 2. c. 93. [o] Strab. libr. 12. in fine. [p] Plin. libr. 2. cap. 93. [q] Virg. Æneid. libr 7. [r] Virg. Æneid. libr. 6. [s] Cedren. Compend. Histor. pag. 199. Edit. Basil.

meriola quædam ejus tales flammarum ictus suscitent, ut proximæ urbes aut jam nullæ extent, aut idem sibi de die sperent?

DISSERTATIO IX.

Eodem super Argumento.

Socrates mori maluit, quàm videri legibus non paruisse, & alios exemplo suo ad peccandum invitare; & venenum hausturus de animi immortalitate disputavit; Theramenes pariter venenum bibiturus Critiæ tyranno insultavit dicens se ei propinare. Solon, quum animam ageret, disputantes Amicos audire se velle dixit, & mori discentem aliquid. Voluptatibus dediti nimis mortem exhorruerunt. Ex eo, quod in sepulcris mortuorum umbræ appareant, Xenophon arguit animæ immortalitatem. Domus erat Athenis, in qua spectra quædam cernebantur, & audiebatur catenarum strepitus. Stoici animos e sideribus decerptos, & quidem voluptatibus deditorum etiam post mortem contagione terreni corporis deprimi existimant; & in infimâ aëris regione versari; contra verò Sapientum animos, quum igneâ naturâ constent, aërem perrumpere, & in viciniâ siderum consistere.

INferos Euripides cur mortuorum latebram, & tenebras appellarit, ostendimus in superiore Dissertatione; eam quippe diximus opinionem fuisse Veterum celebrem, & pervulgatam, ut in medio terræ, qui locus maximè reconditus, & tenebrosus est, & a Cælo separatus, Inferos collocarent; quæ causa fuit, ut Euripides in his versibus, quos interpretamur, Plutonem seorsum a Diis dixerit habitare. Sed hactenus ad Euripidem explicandum abusi sumus opinionibus vulgi;
1 nunc autem Sapientum sententiæ sunt persequendæ, & more philosoporum de Inferis differendum est, cujus quidem sermonis auspicatissimum nobis exordium duxerit Virgilius, qui non tam propter carminum pulchritudinem admirandus, quàm propter sapientiæ magnitudinem suspiciendus est. Is autem eam, quam diximus, opi-
1 nionem, qua in medio terræ Inferi statuuntur, comprobare videtur his [a] versibus

Dii, quibus imperium est animarum, umbræque silentum,
Et Chaos, & Phlegeton, loca nocte silentia latè,
Sit mihi fas audita loqui, sit numine vestro
Pandere res altâ terrâ, & caligine mersas.

& in octavo Æneidos libro, quum ait

Non secus, ac si qua penitus vi terra dehiscat,
Infernas reseret sedes, & regna recludat
Pallida Diis invisa, superque immane barathrum
Cernatur, trepidentque immisso lumine manes.

Et Plato in Phædone, qui Tartarum esse censet locum sub terrâ, ex quo omnes amnes erumpant, & quo postremò revertantur; quò, ut hoc obiter notem, aspexit Virgilius, quum libro quarto Georgicorum cecinit

Omnia sub magnâ labentia flumina terrâ
Spectabat diversa locis, Phasimque, Lycumque
Et caput unde altus primùm se erumpit Enipeus

Quatuor autem fluvios magnitudine admirabili confluere in Tartarum fabulatur, quo- 2
rum maximus sit Oceanus, reliqui tres Cocytus, Acheron, & igne æstuans Pyriphlegeton; eos autem, qui modica peccata commiserint, Acheronte devectos, quum in Acherusiam paludem venerint, expiari; qui verò inexpiabili aliquo, & ingenti scelere se se obstrinxerint, qui sacrilegia multa, atque magna, qui cædes injustas fecerint, in Tartarum detrudi nunquam exituros; ac qui magna quidem, & gravia delicta, sed sanabilia perpetrarint, in Pyriphlegetontem conjici; ibi rapido illo, ac ferventi gurgite diu susdeque jactari, illidi, premi, comburi, ac vix tandem aliquando diuturno supplicio liberari. Quæ sententia parum discrepat a commentis poëtarum; nam & hi [b] Acherontem, Cocytum [c], atque Phlegetontem amnes esse tradunt Inferorum; in Oceano verò sedes beatorum locant, quas esse volunt insulas fortunatas, & Cæli clementiâ, & salubritate aëris, & ubertate soli, & amœnitate silvarum, atque camporum, & dulcedine, ac multitudine fructuum beatissimas. Quapropter [d] Pindarus cecinit

..... ἔνθα μακάρων
Νᾶσον ὠκεανίδες
Αὖραι περιπνέοισιν: ἄν-
θεμα δὲ χρυσοῦ φλέγει,
Τὰ μὲν χερσόθεν, ἀπ' ἀ-
γλαῶν δενδρέων,
ὕδωρ δ' ἄλλα φέρβει:
ὅρμοισι τῶν χέρας ἀνα-
πλέκοντι, καὶ στεφάνοις

Idcirco naturali rationi convenientiùs multo loquuntur Stoici, qui [e] tradunt animum, 3
quum igneâ naturâ constet, & levitate præstet, non posse [f] ferri deorsum, & terræ succedere; sed ubi primùm e corporis vinculis

---

[a] Virgil. Æneid. libr. 6. [b] Apollon. libr. 2. & Propert. libr. 3. Eleg. 5. [c] Homer. Odyss. λ & Horat. libr. 2. Od. 14. [d] Pindar. Olympiad. Od. 2.

[e] Varro libr. 4. de l. l. Cic. libr. 3. de Nat Deor. & libr. 1. Tusc. [f] Senec. suasor. 6. & Cic. Tusc. quæst. libr. 1.

nulis evolarit, convenientem sibi regionem
petere. Quocirca Sapientum animos, qui
non se corpori quasi clavis quibusdam vo-
luptatis affixerint, quum nullam secum fe-
rant concretam labem, sed, ut ait Poëta ma-
ximus[a] ..... *purum*

Æthereum sensum, atque aurai simplicis
ignem,

crassum hunc terræ circumfusum aërem per-
rumpere, & quum eo sint longè leviores,
altiùs ferri, nec ante conquiescere, quàm
ad supremam, altissimamque aëris regionem
ferantur, & [b] in viciniâ siderum consistant;
ubi contemplatione rerum cælestium, & u-
niversæ naturæ spectaculo jucundissimo,
quasi cælesti ambrosiâ pascantur. Sed non
eadem conditio est animorum, qui corpo-
ris illecebris irretiti se corrumpendos de-
derint voluptati; nam hi ad supera non
possunt emergere, sed contagione terreni
corporis deprimi eos, & gravari necesse
est, & in aëris infimâ regione versari; ubi,
quum nondum sint pristinis malis liberati,
sed in illis adhuc vigeant corporis affectio-
nes, vehementissimis cupiditatibus tanquam
furiis agitentur, neque unquam possint con-
sistere, & finem præsentium malorum in-
venire; quum corporis, quod reliquerunt,
amore teneantur, cum eoque conjungi,
eique adhærescere frustra concupiscant.
Mira est enim vis in illecebris voluptatum,
& ardore cupiditatum ad animos corpori
alligandos, conglutinandamque tam inter
se discrepantium amicitiam naturarum, ut
vis illa cælestis animi cum hac fæculentâ
materiâ tam firmiter cohærescat, ut divelli
sine quadam tristitiâ, & acerbitate non pos-
sit. Atque id cernere licet in his, qui vi-
tam colunt omni voluptate diffluentem;
4 quàm eorum animus corporis illecebris ine-
scatur, quàm hujus vitæ commoda ample-
ctitur, quam avidè inhiat rebus humanis,
quàm est immemor cælestium, quàm fati
necessitatem perhorrescit? Ubi verò mi-
grandum est ex hac vitâ, ut mærens, ge-
mens, ejulans a corporis societate divelli-
tur! qui verò temperanter, sobriè, castè vi-
tam transegerunt, quanto sunt solutiores,
quanto minùs corpori adhærescunt, quàm
tranquillo animo vitam relinquunt? So-
crates [c] adeo mortem non reformidavit,
ut quum jam damnatus in carcere detine-
retur, possetque nullo negotio summum
supplicium declinare, mori maluit, quàm
videri legibus non paruisse, & alios ad adhi-
bendam fraudem legibus exemplo invita-
re; quum autem mortiferum poculum es-
set hausturus; adeo non est perturbatus, ut
de [d] animorum immortalitate accuratissimè
disputarit: Theramenes [e] venenatam po-
tionem bibiturus Critiæ tyranno insulta- 5
vit, quum se ei diceret propinare: Pho-
cioni, quum [f] ad mortem duceretur, va-
cavit magistratus admonere, ut cujusdam
improbi hominis petulantiam coërcerent,
tantamque constantiam præsetulit, ut etiam
inimicissimi homines viri virtute moveren-
tur. Quàm composito animo excessit e vita
Solon, qui [g] jam moriturus, quum assiden-
tes lectulo amici de re quapiam summissè
disputarent, ne animam agenti molestiam
exhiberent, hortatus est eos, ut clariùs lo-
querentur, se quippe audire velle, & ali-
quid discentem mori? quàm libenter [h] De-
mocritus, qui mortem cunctantem ine-
diâ multorum dierum arcessivit? quàm, ut
aliquem e Romanis nominem, læto ani-
mo Canius [i] ultimum supplicium expecta-
vit, quem ludentem calculis carnifex inve-
nit? Contra quam cupidus vivendi Mæce-
nas ille mollis, ille delicatus, ille volupta- 6
tum studio notissimus; cujus nimiam vitæ
cupiditatem hi turpissimi versus declarant,
qui a Senecâ [l] referuntur

Debilem facito manu,
Debilem pede, coxâ;
Tuber adstrue gibberum,
Lubricos quate dentes;
Vita dum superest, bene est.
Hanc mihi, vel acutâ
Si sedeam cruce, sustine

Quid Nero [m] ille non suis deliciis, & vo-
luptatibus minùs, quàm sævitiâ execran-
dus? quàm turpiter supremum diem ex-
horruit? quàm pudendas latebras quæsi-
vit? quamdiu, quum sibi moriendum vi-
deret, tergiversatus est? quantum vitæ de-
siderium in morte præsetulit? ut ingemuit,
ut ploravit, flevit, ejulavit? Non est ne-
cesse pluribus exemplis uti, quum constet
neminem ex iis, qui ventri, penique dedi-
ti ætatem exegerunt, præter Othonem con-
stantiâ [n] mortis esse laudatum. Qoum igi-
tur studium voluptatis tantum in animis, 7
dum vivimus, amorem corporis gignat;
sobrietas autem vitæ tantum contemptum
creet, minimè mirum est, si & in bonorum
animis post mortem nulla resideat corporis
cupiditas; & in animis improborum affe-
ctio, qua feruntur in corpus, resque cor-
poreas appetunt, tamdiu concreta, tam pe-
nitus insita, tam altè inhærens non pror-

fus

---

a Virgil. Æn. libr. 6. b Plin. in Panegyric. Trajani ~~Lucanus libr. 9. Tertullian. de Animâ~~ libr. 54. & Senec. in Consolat. ad Marciam cap. 25. c Diogen. Laërt. libr. 2. segm. 24. in Vitâ Socratis, & Cicero Tusc. Quæst. libr. 1. d Plato in Phædon. e Cicer. Tuscul. Quæst. libr. 1. f Cornel. Nep. in Phocion. g Valer. Max. libr. 8. cap. 7. h Lucianus, Phlegon de Longævis, & Lucr. lib. 3. i Senec. de Tranquill. animi cap. 14. l Sen. ep. 101. m Suet. in Nerone cap. 49. n Idem in Vitâ Oth. cap. ultim.

sus extinguitur, non subitò exolescit, verissimeque Poeta maximus [a] cecinit

Quin & supremo quum lumine vita reliquit;
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes, penitusque necesse est,
Multa diu concreta modis inolescere miris

Atque hos esse, qui circa monumenta defunctorum volutentur; quod Xenophon socraticus in Pædiâ Cyri confirmat, qui inter cetera, quæ affert, eo quoque argumento immortalitatem probat animorum, quòd constet umbras mortuorum in sepulcris apparere; & Plato in Phædone significat stultorum animas corporibus inhærere, visasque jam multis [1] imagines, quæ *φαντάσματα* Græci vocant; quod &
8 Plinius libro septimo epistolâ vigesimâ septimâ exemplo probavit hujusmodi. Erat Athenis domus capax, & ampla valde, sed in eâ omnes habitare recusabant; quia spectris quibusdam horrendis perterreri dicebantur habitatores, & ex formidine confestim morbo laborare, & miserrimâ peste interire; dominus autem, quum suas ædes locare non posset, proscripserat. Athenodorum philosophum cupido incessit domus illius coëmendæ, percontatusque pretium, quum exiguum esse reperisset, aliquid subesse vitii suspicatus causam vilitatis exquirit; & quum rem omnem accepisset, multo etiam cupidiùs emit; venit in ædes noctu, sibi sterni jubet in primâ ædium parte, poscit lumen, stylum, pugillares, intendit animum ad scribendum, ne vacua mens inanes imagines, metumque fingeret; quum ecce audit strepitum catenarum, stridorem ferri; attollit oculos, ac videt spectrum senili specie, promissâ barbâ, macie, & squallore confectum, vincula, catenasque concutiens, quod quasi innuere, & sequi se jubere videbatur. Hoc ille quum esset sequutus, invenit ossa catenis implicita ævo, terraque putrefacta; quibus humo conditis & honore publicæ sepulturæ decoratis domus illa omnibus terriculis, & spectris liberata est. Atque hæc sententia Inferos,
9 & Plutonem statuit esse infimum, terrisque vicinum aërem, quod Phornutus primo libro de naturâ Deorum tradit. Quapropter & Ἅδην existimat appellatum, quasi ἀειδῆ videlicet *obscurum*, & *tenebrosum*, quum suapte naturâ sit aër obscurus, cernique non possit; ob eamque causam etiam Clymenum dici [c] putant ἀπὸ τῦ κλύειν ab *audiendo*, quòd id, quod auditur, sit vox, & sonus, quæ sunt aëris percussiones. Hanc autem opinionem Virgilius aspicit sexto Æneidos libro, quum ait

...... Sic passim totâ regione vagantur
Aëris in campis latis.......

& Ausonius [d] in Idyllio de Cupidine cruci affixo, ubi sic ait:

Aëris in campis, memorat quos Musa Maronis.

Sicut autem in hac infimâ aëris regione, 10
ubi nubes, imbresque gignuntur, & plurimæ mutationes existunt, sedes malorum Stoici [e] collocant; sic in illâ supremâ, lucidissimâque, quæ vicina sideribus attingit infimum Cælum, statuunt domicilium bonorum, & sapientum; ibi ajunt animos, quum sese altiùs efferendi finem fecerint, nactos cognatam, similemque sui regionem, & paribus ponderibus examinatos in naturali sede consistere; ubi iisdem, quibus astra, & Sol ipse, alimentis nutriantur. Et quum sensu utantur acriore, & mente ad intelligendum vegetiore, & nullis cupiditatibus perturbentur, omnium rerum vim, naturamque perspiciunt, & divina præcipuè intellectu assequuntur, & assiduè contemplantur, qui pastus est jucundissimus animorum. Quæ ne temerè affirmare vi- 11
deamur, præclarorum Auctorum testimoniis sunt confirmanda; Tertullianus [f] igitur affirmat Stoicos animas imprudentium circa terram prosternere; & [g] Lactantius Firmianus libro septimo capite septimo sic ait: *esse Inferos Zeno Stoicus docuit, & sedes piorum ab impiis esse discretas; & illos quietas, ac delectabiles incolere regiones; hos verò luere pœnas in tenebrosis locis, atque in cæni voraginibus horrendis.* De Sapientum autem animis citantur illa testimonia, quæ sedem sub orbe lunæ illos habere declarant; sic Lucanus [h] in plerisque germanus Stoicus Pompeii manes in hanc attollit regionem, quum ait

Quodque patet terras inter, Cælique meatus
Semidei manes habitant, quos ignea virtus
Innocuos vitâ, patientes Ætheris imi
Fecit, & æternos animum collegit in orbes

Ita [i] Plinius Trajanum in vicinâ sideribus regione collocat: *sed & tu, pater, Trajane, si non sidera, proximam tamen sideribus obtines sedem.* Quos ad Stoicorum mentem respexisse Tertullianus indicat in libro de animâ capite quinquagesimo quarto, qui sic ait: *apud Platonem in ætherem sublimantur animæ sapientes, apud Arium in aërem, apud Stoicos sub Lunam.* Quam deinde sententiam facetissimè irridet his verbis; *in æthere*, inquit, *dormitio nostra cum Platone, aut circa*

Lu-

a Virgil. Æneid. 6. b Macrob. in Somn. Scipionis libr. 1. cap. 3. c Cæl. Rhodigin. libr. 10. cap 18. d Ausonius Idyll. 6. v. 1. e V. infra in hac Diss. f Tertullian. de Animâ cap. 54. g Lactant. Firmian. de Divino Præmio cap. 1. h Lucan. Pharsal. libr. 9. i Plin. Panegyr.

Lunam cum Endymionibus Stoicorum. In quo 12 Stoicos miror, quod quum Sapientem propemodum Deo parem statuerint esse, ut affirmat Horatius [a] his verbis

Ad summam Sapiens uno minor est Jove, dives,
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum;

vel etiam, ut Seneca in libro de providentiâ nimis claré dicere audet, quodammodo superiorem, non in Cœlum mentes evexerint Sapientum. Sanè iidem philosophi volunt animos nostros decerptos esse, & delibatos e Cæli, siderumque naturâ; neque enim ex aliâ mente, quàm Stoicorum loquitur Cicero in somnio Scipionis, quum dicit: *hisque animus datus est ex illis sempiternis ignibus, quæ sidera, & stellas vocatis*; neque [b] Plinius, cujus in libro secundo naturalis Historiæ leguntur hæc verba: *Hipparchus, quo nemo magis approbaverit cognationem cum homine siderum, animasque nostras partem esse Cæli*; siquidem hanc esse germanam sententiam Stoicorum apertè declarat [c] Seneca, qui sic ait: *animus, si primam ejus originem inspexeris, non est ex terreno, gravique concreta corpore; ex illo cælesti spiritu descendit*; & alio in loco [d] tradit hominem divini spiritus esse partem, & scintillas quasdam astrorum in terras desiluisse, ideo Manilius [e] animos humanos videtur partes esse Deorum affirmasse

Quis Cælum posset, nisi Cæli munera nosset,
Et reperire Deum, nisi qui pars ipse Deorum est?

& Julius [f] Firmicus qui libro tertio sic ait: *ut divino illi spiritui, qui ad substentationem mortalis corporis ex cælesti mente descendit, licet fragile, simile tamen Mundo pararet hospitium*; & alio in loco Manilius, qui sic ait [g]

An dubium est habitare Deum sub pectore nostro?
In Cælumque redire animas, Cæloque venire?

Quod, & [h] Ovidius innuit, ubi de hominis ortu sic cecinit

Sive recens tellus, seductaque nuper ab alto
Æthere cognati retinebat semina Cæli

Quum autem a stellis, Cœloque nostros animos profectos existimaverint, nihil erat, quod non ad idem Cœlum, eademque sidera post mortem reverti posse considerent, & in altissimâ Mundi parte versari. Sed de hac, & aliis in hac re Stoicorum, aliorumque sententiis, quum satis, ut opinor, in præsentia dixerimus, alio die differemus.

§*.*§

DISSERTATIO X.

De eadem re.

Varro prodit nullum fuisse tam absurdum somniantium visum, quod non aliquis philosophus pro vero affirmarit. Nonnulli Stoicorum putaverunt stellas errantes, quum ad puncta Cancri, & Capricorni pervenerint, retrocedere; quia Oceanus latiùs non diffunderetur, & aliter alimentum habere non possent; quum Stoici existimarent stellas Maris, & fluminum ali vaporibus; & id significare Homerum dicebant, dum tradis Jovem, & alios Deos ad Æthiopum mensas accedere; animas etiam post mortem iisdem ali vaporibus censebant; quin & stultorum animos erudiri ab animis Sapientum. Ignis noster cur pabulo indigeat. Nutritio quomodo fiat. Plato existimavit Justos in Cælum ascendere post mortem; scelestorum verò alios, qui insanabile quid perpetrarunt, sempiternis affici suppliciis; alios autem, qui minora peccaverint, exerceri pœnis aliquando desituris, quibus expientur, & inde ad felicitatem possint pervenire. Leges punire solent, vel ut alios a peccando deterreant, vel ut delinquentes corrigantur. Inferos aliqui putaverunt esse australe Mundi hemisphærium. Non satis percipitur, cur Virgilius Tartari profunditatem duplo majorem altitudine Cæli esse dixerie. Adonidis fabula significat Solis ad biemales partes accessum.

Quod polliciti nuper sumus, Auditores, hodierno die præstabimus, ut reliquas exponamus de sede, statuque animorum corpore gravi, terrenoque tanquam carcere solutorum, veterum Sapientum sententias; & quoniam Stoicorum scita de hac re persequi cœperamus, ab eorumdem philosophorum opinionibus exordiemur. Quâ quidem in re Varronem Romanorum longè doctissimum verissimè pronunciasse comperimus, nullum fuisse tam absurdum somniantium visum, quod non aliquis philosophus pro vero affirmarit, & seriò, constanterque defenderit. Quid enim, quæso, tam leve, tamque abhorrens a veritate, ac planè deridiculum, quàm, quod in hac re Stoici prodiderunt, stultorum animas, quas circa terram versari volunt, a sapientum animis, qui in vicinâ sideribus regione versantur, erudiri? Quæ sententia acutè reprehenditur, & irridetur a Tertulliano, qui sic ait: *ubi erit scholæ regio in tantâ di-*

[a] Horat. libr. 1. Epist. 1. in fine. [b] Plin. libr. 2. c. 26. [c] Senec. ad Helv. [d] Idem de Otio Sapientis cap. 32. [e] Manil. libr. 2. [f] Jul. Firm. Mathes. l. 3. in præfat. [g] Manil. Astron. libr. 4. in fin. [h] Ovid. Metamorph. libr. 1.

versoriorum istantiâ? quâ ratione discipulæ ad magistras conventabunt tanto discrimine invicem abstractæ? quis autem illis postumæ eruditionis usus, ac fructus jam jam conflagratione perituris? Nec illud satis doctè, ac sa-
2 pienter, quòd verentur, ne moriantur animæ, nisi alimentis subinde reficiantur; quapropter ali tradunt eas vaporibus fluminum, & maris, ut Stoicis auctoribus, ne mortui quidem quærendi victus curâ liberemur. Quod ne cui minùs consentaneum veritati videatur, testis est adhibendus Cicero, qui libro primo Tusculanarum quæstionum sic eorum sententiam refert, & exponit: *in quo nulla re egens aletur, & sustentabitur iisdem rebus, quibus astra sustentantur, & aluntur.* Atque hæc sententia Stoicorum quamvis absurda videatur, consonat tamen, consentitque cum reliquis ejus familiæ placitis; non enim mirum Stoicos existimasse animas humore nutriri, quum [a] Cœli, siderumque partes esse dixerunt. Sciendum est enim ejus principes philosophiæ prodidisse stellas vaporibus ali,
3 sustentarique, qui a mari, & fluminibus, & stagnis attollantur. Quod [b] & Plutarchus in libro de placitis philosophorum, & Seneca confirmat his verbis libro [c] secundo naturalium questionum: *ex istâ* [de terrâ loquitur] *alimenta omnibus animalibus, omnibus satis, omnibus stellis dividuntur: hinc quidquid est virium singulis, hinc ipsi Mundo tam multa poscenti subministratur: hinc profertur, quo sustineantur tot sidera, tam exercitata, tam avida per diem, noctemque, ut in opere, ita in pastu.* Et [d] Plinius libro secundo: *tanquam nulla portio ipsi decidatur Oceano, qui toto circumdatus medio &c. ac sidera ipsa tot, ac tantæ magnitudinis pascens*; quò respexit etiam Poëta, qui cecinit

...... *unde æther sidera pascit*

Quin, & nonnulli Stoicorum eam puta-
4 bant esse causam, quòd Sol, & errantes stellæ, quum ad duo puncta Cancri, & Capricorni pervenissent, retrocederent, & obliquitatem signiferi non excederent, quòd aliter alimentum non essent habituræ; non enim latiùs Oceanum diffundi opinabantur, quod falsum esse compertum est. Qui parum attendebant, si pabulum esset defuturum stellis errantibus obliquitatem signiferi excedentibus, inopiâ nutrimenti defecturas inerrantes, quæ sunt pæne infinitæ, & earum pleræque extra signiferum collocatæ. Eodem autem modo Homeri commentum [e] explicabant, quo tradit Jovem, & ceteros Deos ad Æthiopum mensas accedere; nihil aliud autem poëtam significare voluisse censebant, quàm [f] Solem, errantesque stellas humore nutriri, quem ab Æthiopum Oceano attraxerunt. Quam opinionem sequutus Plinius [g] ignium, quæ cadentia sidera appellantur, esse causam arbitratur copiam tracti a stellis humoris, quem illæ, quum redundaverit, reddunt; qui quum ardore stellarum sit accensus, & deorsum feratur, speciem nobis exhibet cadentium siderum. Quin & Ambrosius vir sanctitate insignis, atque doctrinâ Solem 5 ideo madidum, ac rorantem nobis existimat apparere, quòd alimentum sibi aquarum ad temperiem sui sumpserit. Nec verò doctissimi viri id sine summâ ratione affirmare sibi videbantur; quum enim Sol, & astra ex igne constent, quod ipsorum calor, & lux ipsa declarat, non posse censebant conservari, nisi aliquo pabulo vescerentur; quemadmodum noster hic ignis extinguitur, si careat alimento. In quo fugit eos ratio longè aliam esse conditionem hujus, & illius cœlestis ardoris; hic enim, quum ab aëre circumfuso undique comprimatur, & assiduè dissipetur, atque evolare cogatur, indiget nutrimento, quo partes, quæ effluxerunt, subinde reficiantur; at ignis ille cœlestis, quum in suâ sede consistat, neque a graviori corpore dissipetur, extinguaturque, viget ipse per se, neque pabulo eget, quo nutriatur; quum & lux omnis rerum tenuissima, quæ ex illo defluit, in illum revertatur; sicut ex Oceano [h] manat omnis humor, omnisque vaporum copia existit, & in ipsum tandem redit, & origini suæ conjungitur. Quemadmodum ergo non dicimus nutriri fluminibus mare,
6 aut Oceanum, quia cum iis flumina commiscentur; ita si qua lucis copia resolutis vi caloris in sua principia vaporibus, quasi vinculis liberata ad Solem, stellasque suos fontes revertatur, agglutineturque origini suæ, in locumque succedat lucis, quæ perpetuò a Sole, stellisque diffunditur, & partes amissas reparet, & instauret, non dicemus ab ipsâ Solem, stellasque nutriri. Neque enim quod alteri aggregatur, ut grana tritici acervo tritici, ipsius credi debet a- 8
limentum; sed illud, quod e suâ naturâ, migrat, & in ejus, quod nutrit, naturam convertitur; quis enim ferrum a ferro, quod cum eo conflatur, aut aquam ab aquâ, quæ cum eâ confunditur, ali asseveret? Alimur cibis, quia quum cibi diversâ naturâ præditi sint, in nostram naturam transeunt, evaduntque nostri corporis partes; eodem modo si vapores a Sole combiberentur, in Solisque naturam mutarentur

---

a Senec. de Otio Sapient. cap. 32. & de Consolat. ad Helv. Cic. in Somn. Scipion. & libr. 3. de Nat. Deor. & Varro libr. 4. L. L. *b* Plutarch. de Plac. Philosophor. libr. 2. cap. 17. *c* Senec. Natural. Quæst. libr. 2. c. 5. *d* Plin. libr. 2. c. 68. *e* Homer. Odyss. α. *f* Plin. libr. 2. cap. 68. *g* Idem libr. 2. cap. 8. *h* Idem libr. 2. cap. 68.

tur, fierentque Solis partes, jure Solis alimenta possent appellari. Sed quis credat vapores in tantam altitudinem subire, ut a Sole, stellisque combibi possint? gravitas quippe eorum vetat ad tantam sublimitatem ascendere; ad illam arcem, & ut veriùs loquar, divinarum [a] mentium templum, & sacrarium alia omnia corpora, quæ proficiscantur ab hoc terreno globo, præter lucem, tanquam profana, inquinata, impura prohibentur accedere. Quibus probè constitutis convellitur, labefactaturque tota ratio, & sententia Stoicorum, ut etiam si animus constare ponatur e sempiternis illis ignibus, neutiquam tamen alimento indigere videatur. Quamquam illud etiam planè repudiandum, mentem, rationemque, qua nihil majus, nihil admirabilius, nihil verò pulchrius, præstantius, divinius, ex ullo esse corpore constitutam. Quanto igi-
7 tur [b] Plato sapientiùs, qui & animos immortales esse confirmat, & non quemadmodum [c] Stoici longævos, qui mentibus tanquam cornicibus [d] lucis hujus usuram paulisper largiuntur, & quum omnes unam horreant mortem, nobis duas proponunt; nam animos extincto quidem corpore superesse volunt, suo tamen fato morituros; & non stultorum magistros ex immenso intervallo sapientes facit; & qua sublimitate mentis ad perspiciendam animorum immortalitatem evectus est, eadem in Cœlum, & in consortium Deorum mentes attollit humanas, easque [e] suis assignat astris, antequam oriantur, & solutas corporis vinculis, quum sanctè, justeque fuerint in hac vitâ versatæ, iisdem restituit; neque ullo alio pastu vult indigere, quàm contemplationis; hanc esse verum nectar animorum, hanc ambrosiam cœlestem, atque immortalem; neque in aliâ re sitam beatarum mentium felicitatem, quàm in perspiciendâ divinâ pulchritudine, & bonitate, cujus amore captæ, incensæque ardentiùs similes ipsi afficiuntur, & in summi boni possessione feliciter conquiescunt; miseros
8 autem illos, qui se magno aliquo scelere, impiarint, quo non expiato decesserint, in immensum terræ hiatum conjici, & ab igneis Adrasteæ ministris, quam divinam ultionem interpretantur, verberari, raptari, distrahi, excarnificari, & in immane barathrum, horrendumque detrudi; & quia duabus de causis leges punire solent; vel ut supplicii magnitudine alios a peccando deterreant, & exempla constituant severitatis; vel ut acerbitate pœnæ, qui possunt emendari, corrigantur; utroque genere uti animadversionis divinum judicem; nam alios, quibus aliquod insanabile scelus fuerit perpetratum, suppliciis plectere acerbissimis, & sempiternis, ut alii ab immanitate facinorum immanitate pœnarum avocentur; alios autem, qui minora peccaverint, exercere pœnis aliquando desituris, quibus lustrentur, expienturque, labemque deponant, & ad felicitatem possint naturæ congruentem pervenire. Atque utrumque genus complexus est libro sexto Æneidos Virgilius eximius Platonis imitator; nam de alteris loquutus est, quum dixit:

Hìc genus antiquum Terræ Titania pubes
Fulmine dejecti fundo volvuntur in imo:
Hìc & Aloidas geminos immania vidi
Corpora, qui manibus magnum rescindere Cælum
Aggressi, superisque Jovem detrudere regnis

Et cetera, quæ pertinent eodem, in quibus versibus, qui fundo volvuntur in imo, sunt iidem, atque illi, qui apud Platonem in Tartaro versantur; de alteris autem his versibus mentionem fecit:

Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt; aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos; aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
Quisque suos patimur manes; exinde per amplum
Mittimur Elysium, & pauci læta arva tenemus

Atque hæ sunt ferè præstantium philoso-
phorum de Inferis opiniones, qui non cum 9
corporibus animas quoque extingui voluerunt; & eorum, quæ perpetrarunt, daturas esse pœnas, & præmia relaturas censuerunt. Ceterùm non defuere scriptores, qui neque nihil Inferos esse tradiderint, & aliud esse, quàm quod plerique suspicantur; nam quum [f] circulus, quem æquinoctialem vocant, Mundi globum in duas æquales dividat partes, quarum altera ad Arcticum, altera ad oppositum Cœli polum vergat; hanc, quæ pertinet ad verticem borealem, Superos, illam Inferos dici putant, quam sententiam Virgilius [g] tangit illis notissimis versibus:

Hic vertex nobis semper sublimis, at illum
Sub pedibus Styx atra videt, manesque profundi

Quum enim Mundi pars australis Inferi nominentur, meritò dicit Stygem, manesque profundos videre sub pedibus Mundi verticem nobis non apparentem; & [h] Homerus, quum scribit tantam esse Tartari profunditatem, quanta Cœli sit altitudo; siquidem Terra in Universi medio sita, eodem ubique a Cœlo distat intervallo, quum glo-

[a] Macrob. in Somn. Scip. libr. 1. cap. 14. [b] Plato in Phædone. [c] Diogen. Laërt. in Vitâ Zenon. libr. 7. [d] Cicer. Tusculan. Quæst. libr. 1. [e] Plato in Phædone. [f] Macrob. in Somn. Scipion libr. 1. cap. 16. [g] Virg. Georg. libr. 1. [h] Homer. Iliad. 8. v. 16.

bosa figura paribus a medio radiis attingatur. In quo Virgilium miror, quòd Tarta-
10 ri profunditatem duplo majorem fecerit, quum [a] cecinir

...... tùm Tartarus ipse
Bis patet in præceps, tantum tenditque sub umbras,
Quantus ad Æthereum Cæli suspectus Olympum

Quem locum Servius explicans ideo Tartarum dici putat bis in præceps patere, quòd ubi ad alteram partem Sol accesserit, duas quasi Tartarum facere videatur. Quæ explicatio mihi non probatur, tum quia Virgilius non dicit duas partes esse Tartarum; sed duabus partibus a Tartari profunditate altitudinem Cœli superari, quod a veritate videtur abhorrere; quum ea pars, ad quam post æquinoctium Sol accedit, sit æqualis ei, quæ a Sole relinquitur; tum quia, Servium audire si volumus, etiam hæc, quam incolimus, Mundi pars, Tartarus appelletur; sed id absurdum videtur, propterea quod hæc nobis est sublimis; Tartarus autem imus esse locus, & in immensam profunditatem dejectus intelligitur; & ideo opposita solum Mundi pars eo nomine nuncupatur. Quod Macrobius [b] probat Saturnaliorum libro primo, & eò fabulam pertinere
11 arbitratur Adonidis ab apro interempti; Adonem videlicet occisum nihil aliud esse, quàm Solem, quum in hjemalibus signis immoratur, quæ nobis videntur inferna; Venerem autem esse partem superiorem terræ; quemadmodum [c] Physici tradunt; aprum autem pro hieme accipiendum, quòd hoc animal frigore gaudeat, & humidis locis, pruinaque contectis delectetur. Veneris autem luctum, tristitiamque ad tristitiam, squalloremque terræ hjemante Cœlo esse referendos. Verè enim hiberno tempore lugere videtur, & contristari terra; squallent arva, fluvij concreti rigent, horrent montes nive, glacieque, & pruinâ contecti; non silvis manet suus honos, non fontibus jucunditas, non hortis amœnitas, non pratis viriditas; latent in silvis feræ, silent avium in agris musici cantus, clausum ventis hibernis mare violentiùs agitatur, & sævit; Cœlum nubilum, triste, pluvium, caliginosum quodammodo mæret; terra floribus, frugibusque viduata, inamœna, aspectu horrida Cœli tristitiam imitatur. Quapropter Assyrij, & Phœnices [d] Venerem Architidem eximiâ religione venerabantur, & hanc propter Adonis interitum lugentem, lamentãtemque inducebant, eandemque eo reddito, ab Inferisque revocato lætantem; quod nihil aliud significat, quàm terram Sole hiemalia signa peragrante quodammodo tristari; ad lætitiam rursus, hilaritatemque componi, quum illis decursis ad alteram signiferi partem transit.

DISSERTATIO XI.

In Versus Euripidis, qui consequuntur.

Poëtæ omnes Polydorum a Polymnestore interfectum perhibent; sed Hyginus tradit Polymnestorem dolo uxoris filium Deiphilum pro Polydoro interfecisse. Thracia in plerisque locis sterilis; aliquæ tamen illius partes sunt fertiles, & præcipuè Chersonesus; adeo ut Thraciæ multa vina laudata recenseantur. Respublicas felices efficere virorum virtutem, non agrorum ubertatem multorum populorum exemplis confirmatur. Thraces funera læti celebrabant; natales autem fletu. Thracia equitibus abundabat. Quæ ætas militiæ esset apud diversos populos. Strabo militarem ætatem fuisse vigesimum annum apud Persas tradit; & licet aliqui affirment idem etiam tradere Xenophontem; tamen ex eo probatur potiùs fuisse decimum septimum. Alexander sexdecim natus annos dux electus a Philippo hostes profligavit.

Quod celeberrimi Auctores dixerunt [e] nullum esse facinus tam immane, tam barbarum, quod non auri cupiditas homines cogeret perpetrare, id plurimis exemplis cum antiquis, tum recentibus declar. tum est; sed maximè Polydori acerbo, & miserabili casu, & Polymnestoris avaritiâ cum summâ crudelitate conjunctâ, qui quum Polydorum Priami filium accepisset educandum, nihil veritus hospitii jura, nihil misertus ætatem pueri, nihil indole ejus regiâ, nihil genere, formâ, affinitate commotus, accepto a Græcia magno auri pondere, crudeliter e medio tollere cogitavit. Sed obstitit [f] fortuna, vel potiùs divinum Numen inceptis barbari Regis, & maximum scelus in auctoris perniciem convertit; quum enim Polydorum Priami filium se interficere putaret, Deiphilum filium suum, quem ex Ilionâ susceperat, interfecit. Quod consilio evenit uxoris Ilionæ, quæ Polydorum pro Deiphilo filio, filium autem Deiphilum pro Polydoro fratre educarat. Hanc historiam, vel si libet appellare fabulam, Hyginus [g] vir doctus inprimis,

[a] Virgil. lib. 6. Æneid. [b] Macrob. Saturnal. libr. 1. cap. 21. [c] Macrob. ibid. [d] Idem Macr. ibid.

[e] Virgil. Æneid. libr. 3. [f] Hygin. fab. 109. [g] Idem Hygin. ibid.

mis, quemadmodum nos expofuimus, exponit; fed poëtæ ab Hygino longè diffen-
2 tiunt, qui verè occifum tradunt Polydorum a Polymneftore, ut aurum, quod unà cum filio Priamus infelix miferat, poffideret; quam fabulam, utpote magis tragicam fequitur Virgilius libro tertio, Ovidius duodecimo, Propertius his [a] verfibus:

Te fcelus accepto Thracis Polymeftoris auro
Nutrit in hofpitio non, Polydore, pio

quamvis Propertius utroque trahi poffit; & Euripides in Hecubâ tragœdiâ, quam nos explicandam fufcepimus; qui tamen in extremâ parte fabulæ ad hiftoriam ab Hygino expofitam refpicit, quæ tradit impulfum a Græcis Polymneftorem, ut interficeret Polydorum, ne ftirps virilis Priami fupereffet; quod fpectans Euripides inducit Polymneftorem dicentem fe, quidquid feciffet, utilitatis Græcorum causâ feciffe; ut autem Polymneftoris calamitatem indicaret amiffo filio, interfectos ab Hecubâ Polymneftoris Liberos effe tradit. Verfus autem,
3 quibus hanc fabulam inftituit enarrare, ad hunc modum fe [b] habent

...... ὅς μ' ἐπεὶ Φρυγῶν πόλιν
Κίνδυνος ἔσχε δορὶ πεσεῖν ἑλληνικῷ,
Δείσας ὑπεξέπεμψεν Τρωϊκῆς χθονὸς
Πολυμήστορος πρὸς δῶμα Θρηϊκίου ξένου,
Ὅς τὴν ἀρίστην χεῤῥονησίαν πλάκα
Σπείρει φίλιππον λαὸν εὐθύνων δορί:
Πολὺν δὲ σὺν ἐμοὶ χρυσὸν ἐκπέμπει λάθρᾳ
Πατὴρ, ἵν', εἴποτ' Ἰλίου τείχη πέσοι,
Τοῖς ζῶσιν εἴη παισὶ μὴ σπάνις βίου:
Νεώτατος δ' ἦν Πριαμιδῶν: ὃ κ' με γῆς
Ὑπεξέπεμψεν: οὔτε γὰρ φέρειν ὅπλα,
Οὔτ' ἔγχος οἷός ἦν νέῳ βραχίονι

Hæc autem carmina fic latinè converti non abfurdè poffunt

.... regna qui poftquam Ilii
Natare vidit, cautus & timuit fenex,
Ne marte caderet Dorico everfum Ilium,
Ex urbe me clam Dardanâ emifit pater,
Ad tecta Thracis hofpitis Polymeftoris,
Qui Cherronefi rura præftantis colit,
Populos equeftres & ferox haftâ regit,
Nec ille mecum mifit exiguas opes,
Parvum nec auri pondus: ut fi divitis
Trojæ fuperba fortè ruerent Pergama,
Ne victu egerent Liberi fuperftites.
Atque ipfe natu minimus e natis eram
Phrygis Tyranni, caufa quæ patri fuit,
Abeffe patrio vellet ut folum lare;
Neque enim arma poteram ferre, nec validum ferox
Torquere poteram haftile puerili manu

Carminibus autem propofitis elegantiffimi Poëtæ, quædam, quæ animadverfione digna videbantur, animadvertimus. Atque illud inprimis quærendum effe vifum e, qua de 4
causâ Euripides optimam vocet Cherrhonefi Thraciæ regionem, quum geographi neque ubertatem foli, neque urbium magnitudinem, & opulentiam, neque aëris temperiem, & cœli falubritatem, neque divitias, & opes Thraciæ provinciæ valde prædicent, & admirentur. Sanè Thraciam univerfam Pomponius Mela non contemnendus Auctor libro fecundo capite fecundo nec cœlo, nec folo dicit effe lætam; rarò frugiferam arborem ferre, non frequenter vitem, neque ejus fructum ad maturitatem perducere, nifi ubi frigora objectu frondium cultores arceant. Quin & docti viri ad Thraciæ fterilitatem allufiffe [c] Vir- 5
gilium exiftimant illis carminibus:

Terra procul vaftis colitur mavortia campis,
Thraces arant, acri quondam regnata Lycurgo

Quæ fic explicant, ut dicant, ideo Virgilium dixiffe Thraces arant, quia fit opus multâ aratione, & affiduâ foli fubactione Thracibus infecundâ regionem colentibus. Quam interpretationem ut non improbo, fic verifimile duco Virgilium ad Thracum nomen refpexiffe, qui ἀροτῆρες hoc eft *aratores* appellantur; præfertim quum aratores, Plinio [d] tefte, eas incolerent regiones, de quibus Virgilius loquitur, ubi Polydorus eft interfectus. Nec verò movere nos debet, quod ἀροτῆρες Scythæ, non Thraces a [e] Plinio, & Solino [f] nominentur, (Solinus enim ita loquitur: *Polydori tumulum oftendit Æmus in parte, quàm aroteres Scythæ celebrant,*) nam antiquitus, ut princeps hiftoriæ teftatur Herodotus, Thraces [g] omnes dicebantur Scythæ. Quæ fententia fi non abhorret a veritate, etiam Euripides [h] idem Thracum nomen afpexiffe dicendus eft his verbis:

Ὅς τὴν ἀρίστην χεῤῥονησίαν πλάκα
Σπείρει .....

non enim refert, utrum arare dixerit, an feminare. Quum autem Thraciæ regiones 6
ubertate foli neutiquam præftent, cur præftantiffimam appellat Euripides Thraciam Cherfonefum? Sed hæc dubitatio facilè tollitur; nam licet pleræque Thraciæ regiones adeo fint infecundæ, ut nonnulli Thraciæ populi propter inopiam frumenti coacti fuerint panico victitare, & ex re nomen invenerint, & Melinophagi fuerint appellati, quorum Xenophon libro feptimo de expeditione Cyri mentionem facit: licet Thracia tam inclementi Cœlo utatur, ut Xenophon [i] tradat in Græcorum exercitu, qui in Thraciâ verfabatur, fuiffe complures, qui nares, aurefque magnitudine frigoris

[a] Propert. libr. 3. Eleg. 13. [b] Euripid. in Prolog. Hecub. [c] Virgil. Æneid. libr. 3. [d] Plin. libr. 4. cap. 11. [e] Idem Plin. ibid. [f] Solin. Polyhiftor. cap. 16. [g] Herodot. libr. 4. [h] Euripid. in Prologo Hecubæ. [i] Xenophon. libr. 7. de Expeditione Cyri.

goris adustas amiserint; tamen in ipsâ Thraciâ fuerunt loca, quæ tantâ asperitate Cœli non infestarentur. Itaque Athenæus [a] as-
7 firmat quasdam Thraciæ partes non illaudata vina produxisse, & Biblinum, quod Achæus quasi præstantissimum nominat, a Bibliâ Thraciæ regione esse nuncupatum, & [b] Maroncum vinum ab Homero celebratum, de quo [c] Tibullus

Cessit & Ætnææ neptunius incola rupis
Victa Maroneo fœdatus lumina baccho

Thracia producebat; nam Maronea Thraciæ fuit urbs teste [d] Stephano Μαρώνεια πόλις τῆς κικωνίας κατὰ τὴν ἐν Θράκῃ Χεῤῥόνησον, & Lemnum juxta Thraciam insulam sitam vini fuisse feracem Homerus asseverat hoc versu [e]:

Νῆες δ' ἐκ Λήμνοιο παρέστασαν οἶνον ἄγουσαι

& Pomponius Mela [f] Thraciæ maritima loca infecunda non esse prodidit. Cher-
8 sonesus autem Thracia vel feracissima fuisse fertur; nam vetus Interpres Aristophanis de Thraciâ Cherrhoneso [g] sic loquitur; Χεῤῥόνησος τῆς Θράκης χωρίον, καὶ πόλις ὑποτελὴς τῶν Ἀθηναίων, εὔφορος εἰς πυρῶ γεωργίαν, ὅθεν καὶ ἐσιταγώγουν οἱ Ἀθηναῖοι: hoc est, *Chersonesus Thraciæ regio, & civitas Atheniensibus tributaria, frumenti ferax, unde triticum Athenienses convehebant*. Ex quo intelligi potest, quanta fuerit feracitas Cherionesi, quæ quum incolis abundaret, & urbibus esset frequentissima; tamen exteris tritici vim ingentem poterat suppeditare, & Atheniensi populo maximo alimenta præbere; eandem Cherrhonesi fertilitatē & Suidas in voce *Cherrhonesus* ostendit. Quare minimè mirum est, si vel ipsa per se, vel multo magis cum ceteris Thraciæ regionibus comparata ab Euripide præstantissima appelletur. Quamquam quid opus est accuratiùs inquirere, cur Cherrhonesum Euripides o-
9 ptimam dixerit, quum universa Thracia re unâ omnium præstantissimâ abundarit? Profectò si quis rerum naturam indagare sapienter voluerit, neque ubertatem soli, neque amœnitatem regionum, neque situs opportunitatem adeo augere Respublicas, & conservare comperiet, quàm virorum præstantium virtutem, & multitudinem; viri in pace præstant decus, & libertatem: viri in bello securitatem, munimentum, atque victoriam: viris parvæ res crescunt, & imperia ad summam potentiam evehuntur: quod consilia in dubiis feliciter expediuntur, virorum est munus: virorum, quod turbidæ res non temerè administrantur: virorum, quòd prosperæ consilio reguntur, & moderatione: hæc una possessio ceterarum homines compotes: hæc beatas Respublicas, hæc magnos efficit Reges, qui non tam regio insigni, quàm virorum fortitudine coronantur. Ac si magnarum imperia nationum contemplemur, facilè intelligemus non profuisse illis ad potentiam uberes frugibus agros, amœnum solum, omnium rerum copiam, atque affluentiam, quum hæc eadem sæpenumero multis nocuerint; & qui rebus his caruerint, magni tamen evaserint, atque præclari. Quis enim populus infecundiorem coluit regionem, quàm Atheniensis, quæ propter soli tenuitatem, ut auctor est [h] Thucydides, eosdem semper cultores dicitur habuisse? quis autem gloriâ clarior, famâ celebratior, imperio potentior? quibus laudibus Athenæ non aliâ de causâ floruerunt, quàm quòd ibi plurimi semper viri manu strenui, ingenio validi provenerunt. Quid [i] Persæ, nonne asperam, & montanam, & sterilem regionem habuerunt, & propter inopiam Medis, genti [l] longè deteriori paruerunt; sed quia paupertas, quæ jure a [m] magno Poëtâ dicitur fecunda virorum, eorum virtutem aluit, exercuit, corroboravit, Persæ Asiæ imperium potentissimum, atque amplissimum occuparunt; sicuti posteaquam divitiæ, & abundantes voluptates animi robur enervarunt, veteremque disciplinam corruperunt, virtute Majorum partam potentiam brevi tempore amiserunt. Nec verò [n] Ninus, aut Semiramis, qui primi in Asiâ magnum imperium constituisse dicuntur; nec Lacedæmonii, qui in Græciâ reliquis populis præstiterunt, ullâ aliâ re, quàm viris plurimum valuerunt; quorum si tam multitudini, quàm virtuti studuissent, non acceptâ Leuctricâ [o] clade, & mille septingentis Spartanis cæsis imperium Græciæ amisissent. Atque hanc Dionysius Halicarnasseus [p] fuisse causam arbitratur, cur omnes nationes Romani subegerint; Spartani verò ne Græciæ quidem principatum diu potuerint obtinere, quum pati virtute præstarent; quia Spartani fortitudinis duntaxat, Romani non solùm fortitudinis, verùm etiam multitudinis virorum rationem habuerunt. His ergo Campanorum opulentiam, felicitatemque vicerunt; his Carthaginiensium maris, & litorum opportunitates, his Galliæ feracitatem, his divitias Hispaniæ, his Ægypti beatam fecunditatem, his ingentes Asiæ opes, & regnorum magnitudinem superarunt. Quocirca non minùs eleganter, quàm sapienter Ennius [q] dixit

Mori-

[a] Athen. libr. 1. [b] Hom. Odyss. 1. v. 200. [c] Tibull. libr. 4. ad Messall. [d] Stephan. de Urbibus. [e] Homer. Iliad. η. v. 467. [f] Pompon. Mela libr. 2. cap. 2. [g] Eadem Verba transcripsit Suidas in V. Χεῤῥόνησος. [h] Thucydid. libr. 1. [i] Herodot. libr. 1. cap. 71. & libr. 9. in fin. [l] Justin. libr. 2. [m] Lucan. libr. 1. [n] Justin. libr. 1. [o] Plutarch. in Agesil. Vitâ. [p] Dion. Halic. Ant. Rom. libr. 1. in proœm. [q] Enn. apud Cic. libr. 6. de Republ.

Moribus antiquis res stat Romana, virisque

Nec verò solùm Romana res, verùm etiam omnium populorum moribus, & viris, hoc est virtute virorum stetit. Quo probè
12 constituto quis non fateatur Euripidem meritò Chersonesum Thraciæ partem appellasse optimam, quum universa Thracia viris fortissimis abundarit; cujus rei testis est Pomponius [a] Mela, qui de Thraciâ sic scribit: *viros benigniùs alit, non ad speciem tamen; nam & illis asper, atque indecens corporis habitus est; ceterùm ad ferociam, & numerum, ut multi, immitesque sint, maximè ferax*; Et Thucydides [b] affirmat nullam aliam gentem præter Scythicam esse parem Thracibus, si inter se conjunxerint vires, posse. Pausanias in Atticis Thracum multitudinem majorem esse, quàm aliarum nationum exceptâ tamen Celtarum multitudine. Ideo [c] Solinus, & [d] Plinius Thraces inter validissimas Europæ nationes recensent propter virorum multitudinem, & ferociam; & poëtæ, ut Luctatius tradit, Martem è Thraciâ esse fingunt, & in Thraciâ assiduis cædibus pasci, & delectari. Quocirca Statius de Marte cecinit:

. . . . ille furentes
Bistonas, & Geticas populatus cædibus urbes
Turbidus æthereas currus urgebat ad arces

Quæ Thracum fortitudo oriebatur ex eo,
13 quod mortem contemnebant; nam animas aut immortales esse censebant, aut extingui quidem, sed id satiùs esse, quàm vivere in tantis vitæ calamitatibus; unde [e] & funera læti celebrabant, & natales fletu prosequebantur; nec viris modò [f] ea firmitas animorum, sed etiam feminis fuit, quæ se mortoorum virorum rogis injiciebant; quid autem mirum? timidos non esse necesse est, quos, ut ait disertissimè Lucanus

. . . . . . ille timorum
Maximus haud urget lethi metus . . . .

Hanc autem Thracum firmitatem, animo-
14 rumque præstantiam fortasse respiciens Euripides optimam Chersonesum vocat; cui interpretationi ipse Euripides favet, qui ubi ἀρίστην Cherrhonesiam plagam dixit, addit statim:

Φιλίππω λαὸν εὐθύνων δορὶ

hoc est

Studentem equestri prælio populum regens

Quasi non fuerit dicturus optimam, nisi viris ex equo pugnantibus abundaret; in quo adnotandum est Thraces equestri marte valuisse, quod alio in loco Euripides [g] testatur

Ο῞ τ᾽ ἐν φιλίπποις Θρᾳξὶ Πολύδωρος κάσις

hoc est

Polydorus autem frater, Odrysiam plagam
Studiis equorum nobilem qui nunc colit

Et Julianus Imperator oratione septimâ, qui sic ait: εἰ δὲ ὥσπερ ἱππεῖς ἐν Θρᾴκῃ, καὶ Θετταλίᾳ hoc est: *sin verò sicut Equites in Thraciâ, Thessaliaque sunt in pretio*, & Thucydides, qui libro secundo confirmat in exercitu Sitalcæ, qui partem Thraciæ imperio obtinebat, quinquaginta millia equitum fuisse; quum totus exercitus ex centum quinquaginta millibus virorum constaret; ex quo liquet magnam Thracum partem equo meruisse; sed & Arrianus libro secundo de Alexandri expeditione mentionem facit equitatus Thracii; & Homerus libro decimotertio Iliados [h] Thraces Ἱπποπόλους idest ex equo bellantes, vel equites appellat, quum ait

Νόσφιν ἐφ᾽ ἱπποπόλων Θρῃκῶν καθορώμενος αἶαν

Hinc equi Diomedis a poëtis celebrati; hinc [i] Rhesi.

Qui [l] candore nives anteirent, cursibus auras

Nec vacat quod [m] Euripides ait Polymne- 15
storem populos hastâ rexisse; nam antiquitus Reges, ut Cælius [n] Rhodiginus notat, hastâ pro sceptro utebantur; hinc simulacris Deorum hastas additas [o] eruditi notant, quas in templis Deorum [p] aliquando motas fuisse, & habitum prodigii loco, & expiatum Livius memoriæ prodidit. Sequuntur versos, quibus Polydorus affirmat, ideo se bello subductum, quia arma ferre non posset; ad quem locum breviter indicabo, qua ætate viri bello idonei haberentur, quos ἐν ἡλικίᾳ εἶναι Græci dicunt Demosthene teste, qui in Olynthiacâ oratione primâ sic ait τοὺς δ᾽ ἐν ἡλικίᾳ, ἵνα τὴν τῶ πολεμεῖν ἐμπειρίαν ἐν τῇ τῶ Φιλίππω χώρᾳ κτησάμενοι φοβεροὶ φύλακες τῆς οἰκείας ἀκεραίου γένωνται. Persæ igitur aucto- 16
re Strabone [q] maturos bello adolescentes judicabant, quum vigesimum ætatis annum explevissent; id etiam Xenophontem libro primo de institutione Cyri affirmare docti viri tradiderunt; sed Xenophon libro primo nunquam id asseverat, sed tantummodo tradit pueros, quum ad decimum septimum annum pervenissent, inter adolescentes esse censos; quorum fuisse munus accepimus & Regem venantem sequi, & latrones insectari, & in expeditionem duci; ut potiùs eo Auctore militaris ætas apud Persas decimo septimo, quàm vigesimo anno incepisse videatur. Quod si fuerit consonum veritati eodem tempore adolescentuli Persæ, atque Romani militiam inchoa-

[a] Pompon. Mela libr. 2. cap. 2. [b] Thucydid. libr. 2. [c] Solin. cap. 15. [d] Plin. libr. 4. c. 11. [e] Herodot. libr. 5. Valer. Max. libr. 2. cap. 1. & Pompon. Mela libr. 2. [f] Herodot. ibid. Pomponius Mela ibidem, & Solinus cap. 15. [g] Euripides in Hecubâ v. 428. [h] Sic & Iliad. ξ. [i] Euripid. in Rheso. [l] Virgil Æn. 12. [m] Euripid. in Hecub. [n] Cæl. Rhodig. libr. 21. cap. 6. [o] Cæl. Rhodig. ibid. [p] T. Liv. libr. 21. in fin. & libr. 24. [q] Strabo libr. 15. de Persis.

choabant. Nam Servius Tullius [a] auctore Gellio sancivit, ut qui decimum septimum annum attigissent, milites legerentur, & qui nondum quadragesimum sextum exegissent juniores; qui verò eam ætatem transcendissent, seniores haberentur; quod & Gracchus [b] lege sacratâ cavit, ut obviam iret nonnullorum ambitioni, qui quo maturiùs ad honores militiæ pervenirent, quos pedites denis stipendiis confectis, equites quinis consequebantur, citiùs nomina militiæ dabant. Nec apud Græcos seriùs in-
17 cepit ætas militaris; quandoquidem Alexander [c] Macedo sexdecim natus annos ductu suo, patris auspiciis bellum gessit, & hostes profligavit; neque enim verisimile est a Philippo prudentissimo Rege electum ducem, antequam militarem ætatem attigisset. Sed & Acharnanes quinctum decimum annum initium militiæ, Livio teste, esse voluerunt; sed id necessitate coacti, & rebus pæne deploratis. Ceterùm Athenienses, ut Ulpianus Demosthenis interpres testatur, adolescentulos a decimo octavo anno militiam auspicari jusserunt, & finire quadragesimo; Plato autem vigesimum vult esse initium militandi, sexagesimum finem. Ex quibus constat, quàm tenerâ ætate fue-
18 rit Polydorus, quùm missus est ad Polymnestorem, qui arma nondum ferre posset. Quod est ab Euripide artificiosè positum, & ut scelus Polymnestoris augeret, & ut casum Polydori magis miserabilem faceret; nam & Polymnestoris crudelitas major apparet, quòd nihil ætate motus Polydori ipsum trucidarit, & abjecerit insepultum; & Polydori casus est commiseratione dignior, quòd extinctus fuerit ætate adeo acerbâ, nondum vitæ commodis planè degustatis. Solemus enim magis eorum misereri, qui adolescentuli, aut pueri, quàm eorum, qui senes moriuntur; ideo Antiqui oculis acerba funera subtrahebant, & pueros noctu sepeliebant; ut Cornelius Tacitus Annalium libro decimo tertio testatur, quasi nefas esset tantam cladem intueri. Simul & Polydorus purgat sese; ostendit enim se potissimùm Trojâ emissum, subtractumque bello, non quia sibi deesset indoles ad bellandum, sed quia deesset ætas militaris.

DISSERTATIO XII.

In sequentes Euripidis Versus.

Diomedes pugnam cum Glauco hoste detrectavit propter jus hospitis; Crispinus etiam a Badio hoste ad singulare certamen provocatus nonnisi eo hospitium renunciante manum conserere voluit. Jus nunquam violandum; tamen ex gravissimâ causâ fit scelus tolerabilius. Mortem in Mari horrebant Veteres, quia corpus conquiescere non possit; non autem, quia vererentur, ne anima, utpote ignea, extingueretur. Simulacrum Jovis Hercei tribus oculis præditum significabat, tribus Regnis illum imperare. Magnitudo Imperii Priami. Bellum Trojanum neque contemnendum fuit; in quo centum millia Græcorum, & quinquaginta millia Trojanorum decertarunt; neque tantum fuit, quantum prædicant non solùm poëtæ, sed etiam alii Scriptores veritatem professi. Alexander Achilli se comparabat; & qui Pompejum admirabantur, Agamemnonem appellabant; quum tamen nullatenus essent conferendi. Plurimi navium inventores dicuntur. Navis, quæ Argonautas vexit, vix quinquaginta viros capiebat.

FLuxam esse, & cum fortunâ mutabilem fidem improborum, rebusque prosperis favere plerumque Mortales, adversis infestos, atque inimicos Euripides poëtarum doctissimus illustri nos admonet documento; Polymnestorem quippe Thraciæ Regem tradit florente Priami fortunâ, opibusque nondum accisis Trojanorum debitam affinitati, debitam hospitio fidem illibatam servasse; Trojâ captâ, interfectoque Priamo ex amico inimicum, ex hospite paterno crudelissimum hostem esse factum. Siquidem Polydorum Priami filium, qui unus ex Asiæ prin- 1
cipe domo supererat, obtruncavit; & quasi parum se perfidum, inhumanumque censeret, nisi sceleri scelus addidisset interfectum hospitem abjecit insepultum. Hanc historiam Poëta noster his versibus elegantissimè narrat, quos hodierno die suscepimus enarrandos

Ἕως μὲν οὖν γῆς ὄρθ' ἔκειθ' ὁρίσματα,
Πύργοι τ' ἄθραυστοι Τρωϊκῆς ἦσαν χθονὸς,
Ἕκτωρ τ' ἀδελφὸς οὑμὸς ηὐτύχει δορὶ,
Καλῶς παρ' ἀνδρὶ Θρηκὶ πατρῴῳ ξένῳ
Τροφαῖσιν ὥς τις πτόρθος ηὐξόμην τάλας:
Ἐπεὶ δὲ Τροία θ', Ἕκτορός τ' ἀπώλετο
Ψυχὴ, πατρῷά θ' ἑστία κατεσκάφη,
Αὐτὸς δὲ βωμῷ πρὸς θεοδμήτῳ πιτνεῖ

Σφαγεὶς

[a] Aul. Gell. lib. 10. cap. 28. [b] Plutarch. in Vitâ Gracchorum. [c] Idem in Vitâ Alexandri.

Σφαγὰς Ἀχιλλέως παιδὸς ἐκ μιαιφόνου,
Κτείνει με χρυσοῦ τὸν ταλαίπωρον χάριν
Ξένος πατρῷος, καὶ κτανὼν ἐς οἶδμ' ἁλὸς
Μεθῆχ' ....

Nos autem ad hunc potissimùm modum latinè convertimus

Ergo potentis donec Asiæ termini,
Stabantque turres urbis Iliacæ, meus
Et pater Hector bella felici manu
Gerebat, ipse in Regis Odrysii domo
Pulchrè educabar, atque crescebam cibis,
Ut ramus, imber quem sacer nutrit Jovis.
Sed postquam Achillis Hector hastâ concidit,
Et Ilium eversum, & domus Priami senis,
Atque ipse ad aram Priamus Hercei Jovis
A nato Achillis cæsus homicidâ occidit,
Me luce miserum spoliat auri gratiâ
Paternus hospes, & trucidatum in maris
Proiecit undas.....

Quibus versibus multa complectitur Poëta,
2 quæ ad invidiam adversùs Polymnestorem concitandam, & Polydoro miserationem conciliandam pertinent, de quibus disseremus deinde; quoniamque Poëta loquitur de finibus imperii Trojani, deque bello Trojano, de iis etiam nonnulla dicemus; quæ dissertatio cum Hecubam tragœdiam, cum plerasque Euripidis fabulas illustrabit, in quibus rerum Trojanarum mentio reperitur; & ad invidiam quidem in Polymnestorem conflandam quàm multa Poëta congerit? Est odiosum mutare cum fortunâ fidem; mutavit cum fortunâ fidem Polymnestor, qui dum Priami Regnum stabat, ejusque filius Hector multa prosperè gerebat, Polydorum tanquam ex se genitum educabat; posteaquam Europæ succubuit Asia, Græcorum fortunam secutus est; est execrandum facinus amicum non solùm prodere, sed etiam trucidare; non solùm prodidit amicum, sed trucidavit Polymnestor; in hospitio verò violando, & eo hospitio, quod non erat constitutum recens, verùm antiquitus, quod fi ius a patre acceperat, quantum scelus admisit Polymnestor? Certè hospitii jura etiam inter hostes antiquitus habebantur sanctissima; quapropter
3 apud Homerum Diomedes cum Glauco pugnaturus ubi audivit esse Glaucum paternum hospitem, statim pugnam detrectavit, & veterem cum eo amicitiam instauravit; & apud Livium Crispinus [a] a Badio Campano hoste ad singulare certamen provocatus meminit hospitii, quo junctus erat cum Badio; nec nisi eo hospitium renunciante, & probra ingerente compelli potest, ut cum hospite, licet hoste, inimicoque jam facto manum conferat. Quæ jura quum inter hostes inviolata servarentur, multo magis ab amicis violanda non erant; ideo Ovidius [b] inter maxima scelera ferrei sæculi ponit hospitii jus violatum; sic enim loquitur

Vivitur ex rapto, non hospes ab hospite tutus,
Non socer a genero; fratrum quoque gratia rara est,
Imminet exitio vir conjugis, illa mariti,
Lurida terribiles miscent aconita novercæ,
Filius ante diem patrios inquirit in annos

& in Helenæ ad Paridem epistolâ hospitium sacrum esse dicit:

Ausus es hospitii temeratis advena sacris
Legitimam Nuptæ sollicitare fidem

Nec mirum, Jovem auctorem juris hospitalis esse censuerunt; idcirco [c] Virgilius 4
dixit

Juppiter, hospitibus nam te dare jura loquuntur,
Hunc lætum Tyriisque diem, Trojaque profectis
Esse velis........

unde Juppiter [d] Xenios, videlicet *hospitalis*, est appellatus. Magnam igitur Polymnestori conflat invidiam Euripides, quum dicit Polydoro puero, quem vel mutatio fortunæ, vel ætas e tanto fastigio devolutum etiam hostibus miserabilem reddere potuisset, paternum hospitem necem attulisse. Id scelus autem si designasset, ut Regnum suum constabiliret, minùs fuisset invidiosum; nam & si, qui dixit [e]

Εἴπερ γὰρ ἀδικεῖν χρὴ, τυραννίδος πέρι
Κάλλιστον ἀδικεῖν: τ' ἄλλα δ' εὐσεβεῖν χρεών

meritò a sapientibus reprehendatur, nunquam enim jus violandum est; tamen quum gravissima causa sceleris perpetrandi subest, evadit scelus quodammodo tolerabilius. Quapropter [f] Orestes, qui patris ulciscendi 5
causâ matrem interfecit, variatis hominum sententiis Deæ sapientissimæ judicio dicitur absolutus; at in Polymnestore causa sceleris fuit ipso pæne scelere turpior; pecuniæ cupiditate adductus Polydorum obtruncavit. Pecuniæ verò studium etiam sine scelere in privato, nedum in Rege turpissimum est. Siquidem [g] avaritia, Sallustio teste, *quasi venenis malis imbuta corpus, animumque virilem effeminat, semper infinita, insatiabilis est, neque copiâ, neque inopiâ minuitur*. Quare videte quot, & quanta crimina in Polymnestorem conferuntur; conferuntur perfidiæ, crudelitatis, avaritiæ, impietatis in Deum crimina; qui enim hospitem violabat, in

[a] Tit Livius libr. 25. [b] Ovid. Metamorph. libr. 1. [c] Virgil. Æneid. libr. 1. [d] Scholiast. Apollon. Servius ad libr. 1. Æneid. Virg. v. 735. & Suidas in V. *Ξένιος Ζεὺς*. [e] Euripid apud Sueton. in Jul. Cæsar. Vitâ cap. 30. [f] Sophocl. & Euripid. in Electrâ, & Hygin. fabul. 119. [g] Sallustius in Catilin.

Jovem ipsum hoſpitalem impius habebatur. Quod autem addit a Polymneſtore Polydori corpus projectum in mare; nonne crudelitatem, cui nihil addi poſſe videbatur, auget in immenſum? Execrantur [a] poëtæ
6 Creontem Regem Thebanorum, quòd Argivos, qui in obſidione Thebarum fuerant interfecti, ſepulturâ prohibuerit; quam immanitatem Athenienſes bello adverſus Thebanos ſuſcepto acerrimè vindicarunt. Si tantum ſcelus habebatur ſuos hoſtes velle inſepultos; nec id ſine causâ, ſiquidem a Poëtâ præclariſſimè [b] dictum eſt

Nullum cum victis certamen, & æthere caſſis,

quantum ſcelus fuit Polymneſtoris, qui amico Polydoro, quum extinctum in mare projeciſſet, ademit ſpem ſepulturæ? Athenienſes illos [c] ipſos, qui Patriam prodidiſſent, qui templis Deorum ſacrilegas faces injeciſſent, qui delubra ſanctiſſima expilaſſent, etſi in Atticâ honore ſepulturæ affici vetuerunt, non vetuerunt alibi ſepeliri; quin etiam in Atticâ ipſis inanem tumulum conſtitui conceſſerunt, cui tamen *ἰκρίον* imponebatur, quod nomen *furcam*, vel *crucem* ſignificat; adeo iis quoque, qui ſumma ſcelera fuiſſent auſi, non denegandum ſepulcrū cenſuerunt, dum ne eorum corpora Atticam, quam contaminarant, attingerent. At Polymneſtor innocentem Polydorum non ſepulcro ſpoliavit, non abjecit inſepultum, ſed, quod gravius eſt, projecit in mare. Hæc eadem verò, quæ ad ſcelus Polymneſtoris exaggerandum pertinent, pertinent quoque ad miſericordiam Polydori commovendam; nam quo indigniùs eſt occiſus Polydorus, eo eſt etiam miſerabilior. Sed præcipuè
7 verſantis in mari, & poſt mortem fluctibus agitati deplorandus eſt caſus; grave ſiquidem antiquitus putabatur mari mergi, & in illo inſtabili elemento mortuum jactari. Quapropter Ovidius [d] cecinit

Eſt aliquid fatoque ſuo, ferroque cadentem
In ſolitâ moriens ponere corpus humo,
Et mandare ſuis aliqua, & ſperare ſepulcrum,
Et non æquoreis piſcibus eſſe cibum

& Propertius de morte Pæti [e] queritur quod

...... *nova longinquis piſcibus eſca natet*

& Homerus [f] Ajacis caſum miſeratur, quòd eſſet extinctus in mari; ſic enim loquitur

Ὣς ὁ μὲν ἔνθ' ἀπόλωλεν, ἐπεὶ πίεν ἁλμυρὸν ὕδωρ

Et Servius reddit rationem, cur miſerum haberetur extingui in mari his verbis [g] *ingemit non propter mortem, ſed propter mortis genus; grave eſt enim ſecundùm Homerum perire naufragio, quia anima ignea eſt, & extingui videtur in mari*. Sed hæc ratio eſt admodum levis, quum ſciamus eſſe nonnullos ignes, qui aquâ non extinguantur, immo accendantur; quare potiùs crediderim miſerrimum viſum naufragio interire, quia 8
quum mortuos humo condere ſit inſtitutum, quemadmodum ait [h] Poëta,

Sedibus ut ſaltem placidis in morte quieſcant

qui naufragio vitam amiſerunt, deteriore ſunt conditione, quàm alii, qui ſepulcro carent, quum inquietum magis nacti fuerint elementum. Idcirco Romani [i] parricidas, quos horribili aliquo, atque inuſitato ſupplicii genere afficiendos eſſe cenſebant; in culleum cum ſimiâ, & viperâ, & gallo gallinaceo inſutos in mare dejecerunt; ut [l] Cicerone teſte ita fluctibus jactarentur, ut ne ad ſaxa quidem mortui conquieſcerent. Eoſdem autem affectus odii, & miſericordiæ, quos in Polymneſtorem, & Polydorum Poeta commovet, commovet etiam in Pyrrhum, Priamumque, quem a Pyrrho ad aram ædificatam Deo dicit interfectum his [m] verbis;

Αὐτὸς δὲ βωμῷ πρὸς θεοδμήτῳ πίτνει
Σφαγεὶς Ἀχιλλέως παιδὸς ἐκ μιαιφόνου

Quo exemplo Virgilius [n] dixit

Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.

Fuit autem hæc ara in aulâ Priami, quæ Herceo [o] Jovi eſt dedicata, ad quam Pria- 9
mus dicitur trucidatus, ut Dio Chryſoſtomus in Iliacâ oratione teſtatur; & Virgilius [p] his verbis

.... *hæc dicens altaria ad ipſa trementem*
Traxit, & in multo lapſantem ſanguine nati,
Implicuitque comam lævâ, dextraque coruſcum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit enſem

& Ovidius in Ibin, qui ſic ait

Nec tibi ſubſidio præſens ſit Numen, ut illi,
Cui nihil Hercei profuit ara Jovis

In eâ autem arâ ſimulacrum Jovis celebratur tribus oculis præditum, quorum duo in eo loco conſpiciebantur, ubi ſedes eſt oculorum, tertius in fronte; qui tres oculi [q] Pauſania teſte ſignificabant Jovem tribus Regnis, Cælo ſcilicet, mari, & terræ, vel Inferis imperare; dicebatur autem Herceus Juppiter, ut [r] Suidas docet, quòd undique aulæ

[a] Ariſtoph. in Equitibus, & Stat. in Thebaid. Pauſan. in Atticis, ſive libr. 1. [b] Virgil. Æneid. XI. [c] Xenoph. Hiſtor. Græc. libr. 1. & Thocyd. libr. 1. circa finem. [d] Ov. Triſt. libr. 1. El. 2. [e] Propert. libr. 3. Eleg 7. [f] Homer. Odyſs δ. v 511. [g] Serv. in Virg. Æneid. libr. 1. [h] Virgil. Æneid. libr. 6. [i] Auctor ad Herennium libr. 2. Juvenal. Sat. 6. & 13. l. 1. & l. ult. ff. de pœn. & l. 1. Cod. eodem tit. [l] Cicer. Orat. pro Sex. Roſc. Amer. [m] Euripid. in Prolog. Hecub. [n] Virgil. Æneid. libr. 2. [o] Pauſ. in Meſſenicis, ſive libr. 4. [p] Virgil. Æneid. libr. 2. [q] Pauſan. in Corinthiac. ſive libr. 2. [r] Suid. in V. Ἑρκεῖος Ζεύς.

aulæ parietibus esset circumseptus; nam ἕρκος Græcis dicitur septum; Homerus [a]

Τέκνον ἐμὸν, ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων:

vel, ut Eustathius asseverat, eo quòd omnes conservet, qui in ædibus habitant. Quibus explicatis de imperio, belloque Tro-
10 jano, quemadmodum polliciti sumus, disserendum est; ac Priami quidem imperium quàm latè patuerit, ostendit his [b] versibus Homerus

Καί σε, γέρον, τὸ πρὶν μὲν ἀκούομεν ὄλβιον εἶναι,
Ο'σσον Λέσβος ἄνω Μάκαρος ἕδος ἐντὸς ἐέργει,
Καὶ Φρυγίη καθύπερθε, καὶ Ε'λλήσποντος ἀπείρων

Quæ sic possunt latinè converti

Ante quibus fueris opibus subnixus, & armis,
Scimus, & imperio nuper tenuisse potenti
Te quidquid Lesbi pulcherrima regna beatæ,
Et Phrygia, & magnus complectitur Hellespontus

Atque has omnes regiones in novem distributas fuisse principatus animadvertit Strabo in libro decimotertio; quorum imperium tenuerunt Eurypylus, Epistrophus, Mines, Altes, Hector, Æneas, Pandarus, Asius, Meropis filii, qui Trojanis, Lyciis, Dardanis, Lelegibus, Cilicibus imperabant. Quapropter quum Euripides ait

Ergo potentis donec Asiæ termini

hi fuit intelligendi, quos imperio Priami
11 circumdedit Homerus; intra hos omne illud famâ celebratum Trojani belli incendium desæviit; intra hos Achilles viginti tres urbes cepisse dicitur, atque evertisse; duodecim quidem classe, undecim terrestri exercitu, ut Homerus [c] idem testatur. Sed non hi tantùm populi Trojanis auxilium tulerunt, verùm etiam alii complures; nam & Lydi, quos Mæonas [d] Homerus appellat, qui ad Caycum usque fluvium loca tenuerunt; & Pelasgi, qui quantum terrarum Cayco, & Mycale continetur, habuerunt; & Cares quos [e] Homerus Βαρβαροφώνους vocat; & Pæones, & Thraces Priamo suppetias tulisse dicuntur, & [f] Amazones, quæ circa Thermoodontem fluvium regiones incolebant, & [g] Memnon ab Æthiopiâ venisse Trojanos defensurus; qui forsasse missus fuit ab Assyriorum Rege, sicut Diodorus affirmat, & ratio temporum persuadet. Nam eo tempore, quo gestum est bellum Trojanum, magna pars Asiæ, & Phrygia Assyriorum imperio regebatur. Quapropter neque illud bellum contem-
12 nendum, neque tantum fuit, quantum fuisse Poëtæ, aliique scriptores mentiuntur. Hi quippe, quo rem verbis ad Cœlum ferant, sic de bello Trojano loquuntur, tanquam in eo non pars Asiæ cum Europæ non magnâ parte decertarit, sed tanquam Europa omnis cum universâ Asiâ, & barbaris nationibus confluxerit; sic [h] Virgilius ait:

Quanta per Idæos sævis effusa Mycenis
Tempestas ierit campos, quibus actus uterque
Europæ, atque Asiæ fatis concurrerit Orbis,
Audiit, & siquem tellus extrema refuso
Submovet Oceano.....

& libro decimo

...... quæ causa fuit consurgere in arma
Europamque, Asiamque, & fœdera solvere furto

Ut autem Priami, qui bellum cum Græcis gessit, potentiam exaggeret, Priamum Asiæ Regem vocat libro [i] secundo, ubi sic ait.

.... tot populis quondam, terrisque superbum
Regnatorem Asiæ ....

Cui ceteri etiam poëtæ concinunt, nam Paridem, & Menelaum Poëta vetus nuncupat

Ε'υρώπης, Α'σίης τε δορυσθενέας βασιλῆας

& Seneca in Troadibus de Troiâ loquens ait [l]

Ad cujus arma venit, & qui frigidum
Septena Tanain ora pandentem bibit,
Et qui renatum primus excipiens diem
Tepidum rubenti Tigrin immiscet freto

Et ne tantum poëtas citem, etiam alii scriptores veritatem professi res ad Trojam ge- 13
stas pro maximis in Cœlum extulerunt. Ælianus [m] enim in variâ Historiâ hoc argumentum maximum vocat, & Isocrates in Panathenaico Agamemnonem dicit verbo quidem unam duntaxat urbem, re autem verâ omnes Barbaros non solùm Asiam incolentes, verùm etiam alias regiones subegisse. Quorum sententiis, & eloquentiâ factum est, ut res Trojanæ pro maximis celebrarentur, eorumque, qui bellum ad Trojam gesserunt, nomen clarissimum haberetur. Quapropter & Alexander ille Macedo, qui non solùm Achillem, verùm etiam omnes homines, qui unquam fuerant, rebus gestis, gloriaque superaverat, satis prædicare sibi res suas, atque extollere videbatur, si Achilli se, Hephæstionem Patroclo comparasset; & qui [n] Pompejum maximè admirabantur, Agamemnonem appellabant; quum Pompejus plures urbes cepisset, quàm Agamemnon vidisset, plures provincias subegisset, quàm Agamemnon civitates, pluribus populis imperasset, quàm hominibus Agamemnon. Tantum potuit inveterata hominum opinio, & men-

a Homer. Odyss. ψ. v. 70. b Idem Iliad. ω. v. 544. c Hom. in Iliade. d Idem Iliad. κ. e Idem Homer. Il. β. v. 867. f Justin. libr. 2. g Virg. Æn. libr. 1. h Idem Æn. libr. 7. i Idem Æn. libr. 2.

l Senec. in Prolog. Troad. m Ælian. Var. Hist. libr. 14. cap. 21. n Plutarch. in Vitâ Pomp.

daeia poëtarum, ut non Ægypti Reges, non Amazones [a], non Semiramis, & Ninus, qui innumetos populos, innumerabilesque ptovincias in suam potestatem tedegerunt, sed Agamemnon, & Græcotum duces, qui unam dumtaxat urbem expugnaverant, pro
14 magnis haberentut. Quam opinionem vulgi tefellit meritò Thucydides in ptimo Histotiarum libro; ubi bellum, quod Athenienses cum Lacedæmoniis gesserunt, quod Peloponesiacum est appellatum, Trojano bello & magnitudine rerum gestarum, & classium, & exercituum, & diuturnitate temporis anteponit; neque enim aut artem militarem satis exeultam, & perfectam eâ tempestate, neque tes Græciæ satis fuisse validas, & opulentas. Quum enim commetcis intet homines adhuc non satis essent constituta, & potentiores passim tenujorum res diripetent, fertentque, non potuisse confirmat civitates in justam magnitudinem coalescere, ac ptoptetea Græciam omnem minùs opibus valuisse. Atque hanc fuisse causam dicit, quòd ante ea tempora nihil communiter Græci magnum, & præclarum gesserint; quod etiam Plutarchus adnotavit. Et sanè si quantus fuerit Gtæeorum
15 exercitus, & Trojanorum, cogitemus, tenujores fuisse utrorumque res intelligemus, non solùm quàm prædicentur, sed etiam quàm fuerint consequutis temporibus; qui enim res antiquas curiosiùs indagandas putaverunt, in exercitu quidem Gtajo centū hominum millia, in Trojano quinquaginta millia fuisse prodiderunt. Neque enim movere nos debet ingens illa navium multitudo, quibus ad obsidionem Trojæ Græci profecti esse dicuntur; nam si consulamus Homerum, quem utpote poëtam in majus rem auxisse verisimile est, exiguas valde fuisse reperiemus. Nam Bœotiorum singulas [b] naves centum viginti viros vexisse, Philoctetæ [c] verò quinquaginta; qui modus maximarum, minimarumque navium debet censeri. Nec verò mirum est eâ tem-
16 pestate naves fuisse tam parvas; quum inter Trojana tempora, & expeditionem, quam in Colchos Argivi susceperunt, tam exiguum intercesserit intervallum; quo tempore prima navis ædificata dicitur. Quod licet abhorreat a veritate; nam & Tyrii navium sibi vindicant inventionem; unde Tibullus [d] cecinit

Prima ratem ventis credere docta Tyros

& Janus [e] Latinorum Deus navium dicitur inventor fuisse; & Critias testatur apud Athenæum [f] Cares navigia primos excogitasse, & Taurus [g] ille, qui vexit Europam, navis fuisse dicitur; & [h] Aquila, quæ rapuit Ganymedem, & [i] Aries, qui Phryxum; & Danaus ex Egypto in Græciam, & Isis [l] ex Gtæciâ in Ægyptum, & e Cretâ Saturnus in Latium, & Athenis Theseus in Cretam navibus advecti sunt; & Minos, antequam Argivi adversùs Colchos navigarent, classem dicitur habuisse. Li- 17
cet, inquam, a veritate sit alienum, Argo navem primam fuisse; tamen verisimile est illam fuisse primam, quæ artificiosiùs fuerit fabricata, & ampliore fuerit quàm ceteræ magnitudine. Atque ego sic intetpretor Catulli [m] locum, qui, quum Atgo primam navem vocet hoc versu

Illa rudem cursu prima imbuit Amphitriten,

in eodem poëmate fatetur, antequam Argo fabricaretur, Theseum navigasse, quum ait

Namque fluentisono prospectans litore Diæ
Thesea cedentem celeri cum classe tuetur,
Indomitos Ariadna gerens in corde furores.

Primam enim accipio non tempore, sed 18
magnitudine, & præstantiâ, sicut Virgilius, quum de Æneâ dicit [n]

..... *Trojæ qui primus ab oris*
Italiam fato profugus, Lavinaque venit
Litora .....

non intelligit ptimum tempore, sed dignitate; quum alii antea in Italiam venerint, sed Æneæ magnitudini haudquaquam pares. Primum verò pro principe interdum accipi vel illa Vitgilii [o] verba declarant

...... *Et primis unâ tot nocte peremptis*

aut illa [p]

Reginam thalamo cunctantem ad limina primi
Pœnorum expectant ......

Quum autem navis Argo, quæ tanta fuit, 19
cum ceteris comparata, ut aliarum famam obscurarit, vix [q] quinquaginta viros in Colchorum terram navigantes ceperit; reliquas usque ad ea tempora fabricatas exiguas mole, & artificio rudi fuisse consentaneum rationi est; ac proinde non est mirum, si Trojanis temporibus, quæ sexagintanovem annis, quàm Argonautarum expeditio, sunt recentiora, ut Clemens Alexandrinus libro Stromatum primo testatur, nondum ars perfecta fuerit navium ædificandarum.

DIS-

[a] Justin. libr. 1. & 2. [b] Hom. Iliad. β. v. 508. [c] Idem ibid. v. 718. [d] Tibull. libr. 1. Eleg. 7. [e] Athen. libr. 15. cap. 13. [f] Athen. libr. 1. cap. 22. [g] Lactant. de Fals. Rel. c. 11. l. 1. [h] Idem ibid. [i] Palæphat. de Incredib. cap. 31. [l] Lact. Firm. de Fals. Rel. l. 1. c. 11. [m] Catull. in Nupt. Pel. & Thet. [n] Virg. Æn. l. 1. [o] Idem libr. 9. [p] Idem Æn. libr. 4. [q] Hygin. fab. 14.

DISSERTATIO XIII.

De Magnitudine Antiquarum Navium.

Pictores antiquitus suis operibus adscribebant, quid ea essent. Artes omnes rudes initio fuerunt. Multi poetæ extiterunt ante Homerum; quare audiendus non est Vellejus Paterculus, qui tradit Homerum simul inventorem, perfectoremque sui operis extitisse. Homerus nonnulla a Phemonoë heroum carminum inventrice mutuatus est, & ab Helenâ poëtriâ trojani belli argumentum. Poësis, ars dicendi, pictura, & sculptura citissimè perfectionem acceperunt. Græcorum ad Trojam proficiscentium maximæ naves centum viginti dumtaxat viros capiebant. Plinius auctoritate Thucydidis affirmat Aminoclem triremium fuisse inventorem; verùm Thucydides solùm Corinthios primos triremes habuisse prodidit.

Omnium artium, & disciplinarum initia rudia fuisse, atque imperfecta, tam est omnibus apertum, ut longâ disputatione haudquaquam sit nobis comprobandum. Sic illi, qui sculpturam principes invenerunt, adeo in suâ facultate rudes, atque indocti fuerunt, ut manus, & pedes
1 facere nescirent; quos quum statuis Dædalus addidisset, quemadmodum Themistius prodidit, non ampliùs fictos homines e marmore ducere, sed vivos, atque spirantes visus est procreare; quocirca Veteres, ut auctor est Plato [a], Dædali statuas ambulare tradiderunt: sic initio pictura tantum abfuit a rerum similitudine exprimendarum, ut sicut Ælianus [b] affirmat, antiqui pictores operibus suis, quid illa essent, adscribere cogerentur: poësis autem, quæ altera pictura, sed eloquens habetur, adeo
2 caruit omni artificio, ut, quemadmodum Aristoteli [c] credi convenit, a temerè, & extempore fusis carminibus originem duxerit; neque enim Vellejus Paterculus audiendus, qui putat Homerum simul inventorem, perfectoremque sui operis extitisse, quum Æliano [d] teste ante Homerum floruerint Orœbantius, Melisander, Phrygius Dares, & Dictys Cretensis, & si vulgo credimus Orpheus, & Musæus, & Phemonoë inventrix heroicorũ carminum, a qua nonnulla dicitur Homerus mutuatus, &, ut est apud Photium, Helena poëtria, a qua Troici belli sumpsisse idem poëta fertur argumentum. Architectura verò, quæ ad has operum magnificentias, quas admiramur, provecta est, 3
a tam rudibus initiis profecta est, ut auctore Vitruvio [e] Antiqui domos e fronde construxerint, vel e luto, atque virgultis, vel etiam antris usi fuerint pro domibus, quò respexit [f] Ovidius, quum cecinit:

Tunc primùm subiere domos, domus antra fuerunt

Eodem modo ire licet per ceteras artes, omnium origines reperiemus a perfectione operum quàm longissimè absuisse; habent enim omnia suos gradus, neque unquam ad summa, nisi per infima pervenitur. Sed quemadmodum artes universæ non statim perficiuntur; sic ubi seriò, studioseque excoluntur, non ita multis ætatibus ad summum fastigium perducuntur; neque verò deest exemplorum copia, quibus id ostendi quam facillimè possit. Poëticam Romani setiùs attigerunt; sed ubi ea facultas in 4
pretio haberi cœpit, excolique vehementiùs, tantum brevi profecit, ut mirum videatur inter arma tantùm Latinas [g] Musas adolevisse.

Punico bello secundo, inquit Porcius Licinius, *Musa pennato gradu*
Intulit sese bellicosam in Romuli gentem feram

A Punico verò bello secundo ad ætatem Virgilii, cujus carminibus nihil statuo esse perfectius, nihilque divinius, vix duo sæcula numerantur: eodem ferè tempore dicendi vis, & facultas Catonis ingenio primùm culta est; sed quemadmodum inventa seriùs, quàm poëtica est, ita a Cicerone perfecta celeriùs. Quid enim de picturâ loquar, qua nullam citiùs artem consummatam 5
Plinius [h] libro trigesimo quincto naturalis Historiæ confirmat? quæ quum Trojanis temporibus, eodem [i] teste, nondum esset inventa, multis ante urbem conditam annis etiam in Italiâ dicitur absoluta. Quid autem de sculpturâ dicam? quæ quum circa originem olympiadum cœpisset, Olympiade octogesima tertiâ [l] florente Phidiâ (quamquam Phidias multa signa ex ære, pauca e marmore fecisse dicitur) vel certè Olympiade centesimaquartâ Praxitelis ingenio adeo perfecta est, & perpolita, ut ipsam propemodum naturam operum excellentiâ [m] superare quodammodo videretur. Quod si artes omnes, quemadmodum his, quæ protulimus, exemplis declaratur, rudes initio fuerunt; postquam verò coli studiosiùs, celebrarique cœperunt, miris incrementis auctæ eò pervenerunt, quo summo studio homines, ac summis ingeniis præditi eas promovere potuerunt; multò magis idem statu-

[a] Plato in Menone in fine. [b] Ælian. Var. Histor. l. 10 cap. 10. [c] Aristot. in Poëtic. [d] Ælian. Var. Histor. libr. 11. cap. 2. [e] Vitruv. libr. 2. cap. 1. [f] Ovid. Metam. libr. 1. v. 121. [g] Porcius Licin. apud Aul. Gell. libr. 17. cap. ult [h] Plin. libr. 35. cap. 3. [i] Plin. ibid [l] Idem libr. 36. cap. 5. [m] Idem libr. 34. cap. 8.

statuendum est de arte navium ædificandarum, quæ neque tam recondita est, quàm illæ, quas modò recensebam; neque tantum artificii, aut temporis ad perficiendum
6 desiderat. Et sanè si principia ejus repetamus, talia fuisse, qualia artium ceterarum liquebit; siquidem [a] Plinius tradit Erythram Regem, a quo maris Erythræi nomen, rates principem invenisse, trabibus nimirum inter se junctis, & alligatis eo tempore homines vitam fluctibus committebant, & tempestatibus; & quod nimis audacter hac tempestate fieri putatur tantâ mole, tam firmiter compactis navibus, tantâ Cœli, siderumque scientiâ, tantâ navium solertiâ regendarum; id illi facere audebant tam fragili navigio, & haudquaquam sibi cohærente, ignoto mari, Cœloque, nullis armamentis instructi, omni prorsus artificio destituti. Nec defuerunt, qui arboribus in hunc usum cavatis ignota flumina, & profundos aquarum vortices tentarent, ut Virgilius testatur hoc [b] versu

Tunc alnos primùm fluvii sensere cavatas

7 Sed quoniam commercia non admodum frequentabantur, neque bella mari gerebantur (siquidem [c] Minos primus eorum, quos fando audivimus, classe dicitur valuisse) per multa sæcula naves parvâ mole, & minùs artificiosè ædificabantur. Primus [d] Jason, Plinio teste, longam navim est fabricatus, quam adeo suspexit antiquitas, ut ejus inventionem [e] Minervæ sapientissimæ Deæ tribuerit. Sed neque hujus magnitudo digna Minervæ numine, quum quinquaginta dumtaxat viros ceperit; neque illud iter famâ celebratum fuisset alio tempore Diis auctoribus, & heroum virtute præstantissimâ decorandum, atque extollendum. Neque Græci, qui ad Trojam profecti sunt admodum magnis navibus usi dicuntur, quum earum maximas centum
8 viginti dumtaxat viri conscenderint; quadringentis autem annis post bellum Trojicum [f] Aminocles Corinthius quatuor Samiis triremes ædificavit, quem nescio cur Plinius triremium dicat inventorem, quum Thucydides [g], quo auctore Plinius nititur, non id affirmet, sed Corinthios tantummodo primos triremes habuisse, & mari plurimum valuisse. Sed neque tunc, aut consequutis deinde temporibus naves justâ magnitudine, neque summo artificio construebantur; nam & Jones, qui [h] multum classe potuerunt, & [i] Polycrates ille, cujus diuturna felicitas celebratur, & Phocenses, qui [l] Massiliam condiderunt, & bellum gessere cum Carthaginiensibus, naves piraticis similes habuerunt. Atque id eo eveniebat, quòd non admodum frequenter classibus confligebatur, quum omnes magis terrestribus prœliis, & cum finitimis contenderent. Itaque quum res
tum maximè proficiant, quum studiosè celebrantur, & excoluntur, ut initio dicebamus, non poterat res nautica perfici, quum plerumque negligeretur. Negligi autem solitam vel illud declarat, quod qui Continentem habitabant nauticæ peritiâ destituebantur; quapropter non aliâ de causâ potentissimus ille Rex Lydorum Crœsus irrisus esse [m] dicitur, quum insulis inferre bellum cogitaret. Sed ubi crebrescere bella, resque mari frequentius geri cœperunt; & [n] Siciliæ tyranni classem maximam compararunt; & [o] Xerxes Persarum Rex in Græciam trajecit exercitum, & apud Salamina [p] Græci cum Persis navali prœlio dimicarunt; & Xerxe devicto Græci modò cum Persis, modò inter se decertarunt, & [q] Peloponesiacum bellum exarsit, & omnia illa, quæ a [r] Xenophonte narrantur; quibus res Macedonum successerunt, ac deinde Romanorum cum Carthaginiensibus pugnæ [s] navales; tunc accidit, ut naves majores efficerentur, & absolutiores, classesque cum numero navium, tum magnitudine memorabiles adornarentur. Quapropter [t] Poly-
10 bius gravis inprimis Auctor, neque quod ad multitudinem, neque quod ad magnitudinem attinet, Antigoni, ac Demetrii naves cum Romanorum, & Carthaginiensium navibus comparandas existimat. Ex quibus intelligi potest non minores antiquitus naves ædificari solitas, quàm nunc ædificentur; nam si Trojanis temporibus navigia maxima centum viginti [u] vectores capiebant, & ut [x] Thucydides indicat, qui illorum parvitatem contemnit; & ante Xerxis expeditionem mirificè est aucta Græcarum navium magnitudo, siquidem Xerxis naves, ut auctor est [y] Herodotus, ducentos triginta viros bellatores vehebant, & post Xerxis expeditionem apud Græcos majore mole cepta sunt naves fabricari; quarum tamen magnitudo cum navium Romanarum magnitudine non fuit ullo modo comparanda; consentaneum rationi est tantas fuisse navium moles, quantas hoc tempore admiramur, quod pluribus alio die ostendemus.

DIS-

[a] Plin. libr. 7. cap. 56. [b] Virg. Georg. l. 1. [c] Plin. libr. 7. cap. 56. in fine. [d] Idem libr. 7. cap. 56. [e] Hygin. fab. 277 [f] Plin. libr. 7. c. 56. [g] Thucydid. libr. 1. [h] Thucydid. ibid. [i] Idem eodem libro. [l] Strabo libr. 4. [m] Herodot. libr. 1. c. 27. [n] Diodor. Sicul. libr. 14. Biblioth. [o] Herodot. libr. 7. cap. 55. [p] Plutarch. in Vitâ Themistocl. [q] Thucyd. in Histor. libr. 1. &c. [r] Xenoph. Histor. Græcar. [s] V. T. Liv. libr. 21. & 27. [t] Polyb. libr. 1. Histor. [u] Thucyd. libr. 1. [x] Thuc. ibid. [y] Herodot. libr. 7.

DISSERTATIO XIV.

De Navium Antiquarum Magnitudine.

Antiquæ naves minores nostris haudquaquam erant; quod recensendis vectoribus patet; hinc de Ptolemæi Thalamego agitur, qua per Nilum vehebatur, & de aliâ navi, quam ad navigandum per Mare fabricaverat; agitur etiam de Hieronis navi, quam solus Archimedes in Mare deduxit; de navibus Demetrii, quæ quindecim, aut sexdecim remorum ordinibus agebantur; de eâ, quæ Obeliscum Romam advexit; & de Myriagogo, qua decem millia hominum vehebantur. Romani trium mensium spatio ducentas viginti quinqueremes ædificarunt. Vocem Βρεττανίαν *Delecampius interpretatur Britanniam, sed rectiùs Salmasius pro* Brutiâ *usurpari docet.* Sacer *significat* magnum. *Legio quot milites contineret.*

Quonism Regum, magnarumque nationum vires non modò terrestribus, verùm etiam navalibus copiis continentur, nemo gentis alicujus, aut Regis potentiam satis prudenti judicio metiatur, nisi quantas possit comparare classes, & adornare cognorit. Neque verò classium ipsarum magnitudinem quis habeat cognitam, & exploratam, nisi non modò navium numerum, sed etiam magnitudinem tenuerit;
1 idcirco duximus necessarium ad antiquitatis cognitionem, scire navium antiquarum modum. Nam quo pacto bellorum, quæ a Veteribus gesta mari memorantur, justi æstimatores esse possimus, si quanta fuerit navium moles, quibus ea bella gesta sunt, ignoremus? itaque quum Euripdem explicaremus, & classis illius, quam adversùs Trojanos Græci compararunt, mentio incidisset, digrediendum esse visum est, quærendumque quanta esset antiquarum navium magnitudo; ac Trojanis quidem temporibus, & consequutis ætatibus naves exiguas valde fabricari solitas affirmavimus; postea verò auctâ scientiâ rei navalis, maritimorumque usu prœliorum tantâ mole navigia diximus ædificata, ut his haudquaquam cederent, quæ nunc fabricantur, & quorum magnitudinem admirarnur; quod, ne minùs esse consentaneum veritati videatur, hodierno die fusiùs ostendemus. Atque hoc facilè consequemur, si navium antiquarum magnitudines proponamus, & priùs de nonnullis dicamus, quæ a Veteribus celebrantur; deinde etiam de navigiis, quibus vulgò Reges, & civitates ad bellum gerendum utebantur. Non fuisse autem Antiquis ignotas ingentis molis naves, hæc, quæ subjicìemus, exempla declarant. Ptolomæum Ægypti Regem, quem Philopato- 2
rem cognomento vocant, ædificasse navem ferunt, quam thalamegum appellavit, cujus meminit in Cæsaris vitâ [a] Suetonius; sic autem illam nuncupavit, quòd in eâ tanquam in thalamo per Nilum veheretur. Hujus [b] magnificentiam navis nihil attinet dicendo persequi: nihil opus est vestibula recensere ex pretiosissimâ materiâ fabrefacta, cenacula e cedro, & cupressu, Milesia capitula columnarum auro, atque ebore exornata, columnas ex Indicis lapillis constantes, simulacra e gemmâ Lychnitide, vela navis ex bysso funibus alligata purpureis, nihil hæc, inquam, ad id, quod suscepimus ostendendum, pertinent; navis magnitudo pertinet, quæ trecentorum pedum spatium longitudine, latitudine triginta cubitorum, quadraginta verò altitudine occupabat. Atque hæc navis tantum vincebatur ab eâ, quam idem ad navigandum mari construxit, quantum propemodum Nilo præstat mare; siquidem quatuor millibus remigum agebatur, mediastinos, & administras operas quadringentas habebat, militum tria millia, ingentem præterea hominum turbam. Quid autem de illâ dicam,
quam Hiero [c] Siciliæ tyrannus ædificavit, 3
& frumento onustam Ægypti Regi dono misit, quum Ægyptii penuriâ frumenti laborarent, quam [d] Archimelus poëta meritò cum Ætnæ monte comparavit, & gigantæum opus in epigrammate, quod super eo argumento composuit, appellavit; nam ad eam ædificandam materia sexaginta triremium absumpta est; primus autem malus in Britanniâ a quodam bubulco difficillimè repertus est, quum in Italiâ, Siciliaque propter magnitudinem, quæ desiderabatur, inveniri nullo modo potuisset; Britanniam enim interpretatur Delecampius vocem βρεττανίαν, quâ utitur Athenæus; sed fallitur, nam ea vox usurpatur pro Brutiâ, ut docet [e] Salmasius; & sanè Britannia ejus ætatis hominibus incognita habebatur. Quæ navis quum in mare deduci nullis machinamentis, nullis viribus posset, Archimedis [f] ingenio deducta est, qui machinam, quæ dicitur helix, excogitavit. Nec verò
prætereundæ sunt liburnæ, quas insano 4
sumptu Caligula fabricavit ex cedro, gemmatis puppibus, versicoloribus velis, quas ingentes fuisse declarat Suetonius in Caligulæ vitâ, capite trigesimoseptimo, quum ait: *fabricavit & de cedris Liburnicas, gemmatis*

a Sueton. in Vitâ Cæsaris cap. 52. b Athen libr. 5. cap. 9. c Athen. libr. 5. cap. 11. d Archimelus apud Athen. ibid. c. 12. e Salmas. in exercitat. Plin. ad cap. 27. Solin. f Athen. libr. 5.

tis puppibus, versicoloribus velis, magnâ ther-
marum, & porticuum, & tricliniorum laxita-
te, magnaque etiam vitium, & pomiferarum ar-
borum varietate. Sed hæ ad nullum prope-
modum usum, sed rantummodo ad inanem,
& barbaram opum ostenrarionem confectæ
sunr; illæ veto Demetrii Regis ad bellum
getendum compatatæ, quæ quindecim; aut
sexdecim remorum ordin.bus agebantur,
& illa, quam Antigonus [a] appellavit *sacram*,
videlicet *magnam*; nam ἱερὸν Græcis *magnum*
5 sonat; unde & glossographi ἱερὸν ἰχθὺν. *ma-*
gnum piscem interpterantur, & [b] Suidas
adverbium ἱερῶς ad hunc explicat modum;
& sacra anchota apud Lucianum nihil a-
liud fortasse significat; sicut apud [c] Maro-
nem auri sacra fames. Eadem igitur signi-
ficatione Antigonus navem magnam ἱερὰν
nuncupavit. Atque hac tantum ille valuit,
ur auctore [d] Athenæo hac potissimum Pto-
lomæi duces profligarit; cujus magnitudi-
nem licer elever Athenæus, ingentem fuis-
se declarat, quum dicat tribus partibus a
Syracusanâ Hieronis nave supetaram. Nec
6 ullius navis magnitudini concesserit ea,
quæ [e] maximum obeliscum Romam adve-
xit, in qua præter illam immanem mo-
lem, infinita frumenti vis, aliarumque
mercium, & remigum, vectotumque mul-
ta millia fuisse dicuntur. Mentionem [f] fa-
cit, & Julius Pollux in dictionario navis,
qua decem millia hominum vehebantur,
quam Myriagogon a quibusdam tradit ap-
pellatam. Meminit & Philostratus navis
Ægyptiæ, cujus ingens fuit magnitudo,
quam Ægypti Reges ædificarunt, multa-
rum navium usum præbentem, quum ve-
tusto fœdere cautum esset, ut unâ dum-
taxat onerariâ navi tubrum mare naviga-
rent. Sed hæc navigia fuerunt inusitatæ
magnitudinis ad ostentandam Regum po-
tentiam, vel ad aliquem insolitum usum
constructæ; & ramen ostendunt non de-
fuisse Antiquis artem quantumlibet magna-
rum navium condendarum, aut rationem
in mare deducendarum, regendarumque
solertiam; venio nunc ad alteram partem,
quæ est ptopria hujus quæstionis. Quæsi-
tum est enim, an vulgò navibus uterentur
Antiqui, quæ magnitudinem earum, qui-
bus nunc utimur, adæquarent, quod cen-
suimus affirmandum; ut enim id credere-
mus, multis Auctotum locis adducti sumus,
sed in præsentiâ paucis erimus contenti.
In septimo igitur libto de bello Punico le-
7 gimus Quinctum Maximum duas legiones
triginta quinqueremibus imposuisse; con-
tinebat autem eo tempore unaquæque [g] le-
gio peditum quina millia, trecentos au-
tem equites. Quamquam non me fugit,
Scipionem [h] superiorem duas Cannensis e-
xercitus legiones ita supplevisse, ut singu-
læ sena millia, & ducentos pedites, sexcen-
tos equites continerent; & Plutarchi [i] non
est nobis ignota sententia, qui putat post
Sabinos in civitatem receptos legiones ex
senis millibus peditum, sexcentis equitibus
fieri cœpisse. Huic autem legionariorum
numero per se magno si navales socios ad-
damus, addamus ceteram nauticam tur-
bam, addamus alios milites, quos consen-
taneum est in his fuisse navibus, ut expo-
sitis legionariis naves tuerentur, quinque-
remes illas, quæ rantam veherent homi-
num vim, ingentes fuisse intelligemus.
Quid in nono libro de eodem bello? non 8
ne proditum est sex millia peditum, se-
ptingentos equires, septem elephantos vi-
gintiquinque navibus longis Carthagine in
Italiam transportata? in octavo autem tri-
ginta navibus longis, quarum viginti quin-
queremes. decem quadritemes, septē millia
militum imposita comperimus; in nono ve-
ro triginta quinque rostratis navibus decem
millia peditum, mille equires in Græciam
trajecisse dicuntur. Polybius [l] verò gravis
inptimis Auctor in Carthaginiensium classe,
quæ ex trecentis quinquaginta navibus con-
stabat, militum centum quinquaginta millia
fuisse perhibet; in Romanâ verò, quæ tre-
centas triginta quadriremes continebat, mi-
litum centum quadraginta millia. Quod si
tantus bellatorum numerus in quadriremi-
bus fuit, quantum in his, quæ sex, aut
septem, aut pluribus remorum ordinibus
agebantut, fuisse dicemus? Quam navium
magnitudinem reputanti subit admirari po-
tentiam Romanorum, qui quum tantum ter-
restribus copiis valetent, tot exercitus alerēt,
tantam etiam navium multitudinem habue-
runt; siquidem bello Punico primo classem
ex trecentis sexaginta quatuor constantem 9
quinquetemibus amisetunt; quibus amissis
intra spatium trium mensium ducentas vi-
ginti ædificarunt, atmatunt, in mare dedu-
xerunt; in toto verò bello septingentas na-
ves magnitudine ingentes partim naufra-
giis, partim prœliis navalibus perdidetunt.
Nam quid de bello dicam, quod adversùs
piratas Cnæi Pompeii ductu, auspiciisque
gestum est? in quo tanta fuit [m] Romana
classis, ut universum mediterraneum mare
prorsus obsederit, & ptopemodum occu-
parit, & piraras innumeris navigiis ma-
ria infestantes, quadringentis urbibus po-
titos deleverit, & Otbem tetrarum ingen-
ti, ac

[a] Athen. libr. 5. c. 13. [b] Suid. in V. Ἱερῶς. [c] Virg. Æneid libr. 3. [d] Athen. libr. 5. cap. 13. [e] Plin. libr. 16. cap. 40. [f] Jul. Pollux libr. 1. Onomast. cap 9. [g] T. Liv. libt. 3. Decad. 5. de Bello Macedon [h] Idem libr. 9. Decad. 3. [i] Plutarch. in Vitâ Romuli. [l] Polyb. libr. 1. [m] Luc. Flor. libr. 3. cap. 6.

ti, ac diuturno malo liberarit; atque id non longo temporis intervallo, sed quadraginta dierum fuerit consequuta; quod nemo quemquam plurimorum annorum spatio potuisse consequi credidisset.

DISSERTATIO XV.

De Bello Trojano.

Quot bella mulierum causâ extiterint. Homo licet cupiat aliis imperare, pulchritudini tamen libentissimè servit; ideo Æthiopes pulcherrimos creabant Reges; nihilominus verisimile est, bellum Trojanum gestum fuisse non propter Helenæ raptum, sed propter ingentes divitias, quas Paris rapuerat, quæ vehementiùs, quàm pulchritudo, homines alliciunt.

QUod Plato in Timæo affirmavit omnes Græcos pueros esse semper, propterea quod monumenta vetustatis haberent nulla, quibus cognoscendis, præteritis præsentia comparando, ea possent utiliter, prudenterque moderari; id in historiâ
1 maximè cernitur belli, quod Græci Trojanis intulerunt. Quum enim a temporibus Trojanis ad Platonis ætatem anni vix octingenti numerentur; adeo carebant eâ tempestate incorruptis rerum ad Trojam gestarum monimentis, ut illæ, si tempora spectares, non admodum antiquæ; sin obscuritatem earum, ignorationemque hominum, dici possent vetustissimæ. Neque enim de eventu belli constat inter Auctores; quum non desint, qui [a] tradiderint Græcos ad Trojam victos, Trojanos extitisse victores; neque de causis, quibus tantum bellum conflatum est, neque de ratione, qua gestum; quæ omnia adeo sunt implicata, & permixta fabulis cuncta in majus extollentium poëtarum, ut difficillimum sit in eis non ipsam veritatem, sed verisimilitudinem quandam invenire. Nam causæ eæ afferuntur, quæ partim perspicuè falsæ, partim minùs probabiles, partim & si probabiles videantur, conjecturâ potiùs, quàm ullis certis argumentis, aut veteris alicujus historiæ auctoritate nitantur. Quid e-
2 nim ineptius, quàm quod nonnulli prodiderunt, causam belli Troici fuisse preces Terræ, quæ quum hominum scelera, & multitudinem gravaretur, a Jove precata sit, ut aliquando eâ molestiâ liberaretur; Jovemque, ut precantis vota exaudiret, Trojanum bellum excitasse, quo vis innumerabilis hominum interiret; quò respexisse putant Homerum, quum cecinit [b]

...... Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή.

aut quid fabulosius, quàm quod de aureo pomo [c] narrant, & contentione Dearum, & judicio Paradis? Qui verò propius ad
veritatem volunt accedere, neque ipsi verisimilia proferunt, qui tradunt Alexandrum Priami filium in Græciam navigasse, & [d] quum a Menelao Spartæ Rege hospitio esset exceptus perhumaniter, Helenam ejus uxorem rapuisse, & Trojam secum advexisse; quum autem Græci id molestiùs tulissent, neque hospitii sanctitatem, neque matronarum pudicitiam sanctam, illibatamque servari, confundi jura gentium, connubia ferarum ritu promiscua haberi; vel ut morem gererent Agamemnoni, & Menelao; vel ut fidem jurejurando obstrictam servarent, bellum Trojanis intulisse. Ferunt enim Tyndarum, quum [e] Helenam esset in matrimonium collocaturus, multique eam peterent principes Græcorum, quum videret ob excellentem puellæ formam futurum aliquem, qui quoquo modo posset, eâ potiri concupisceret, Græcorum Proceres jurejurando adegisse adversùs illum bellum gesturos, qui Helenam rapuisset, quod flagitium quum Trojanus Paris admisisset, bello Græcos injuriam ultum isse, neque ab obsidione Ilii, priusquam urbem caperent, abscessisse. Qua quidem in re Barbari de Græcis querebantur, quemadmodum tradit Herodotus [f] Halicarnasseus, quòd Spartanæ mulieris causâ, quæ nunquam rapta fuisset, nisi voluisset rapi, bellum multo maximum concitassent, quod ante a nullâ gente factum prædicabant. Nam & Phœ- 4
nices [g] Ino rapuisse, & in Ægyptum avexisse; & Cretenses Tyriam Europam, & Grajos Medeam invito patre in Græciam asportasse; ita semper feminas impunè esse raptas, neque unquam eam injuriam bello vindicatam. In quo Barbari fallebantur, si Græcos propter Helenam suâ sponte bellum suscepisse credebant; neque enim, ut ait [h] Thucydides, ut Agamemnoni gratificarentur, vel, ut jusjurandum servarent, sed potentiâ Atridarum coacti ad Troicam sunt expeditionem profecti. Nam quo pacto verisimile possit videri, Agamemnonem tantum gratiâ valuisse, ut Græciam commoverit universam, aut Helenam pulchritudine, ut omnes Græciæ Principes, qui, ut ex [i] Homero facilè potest intelligi, longè plurimi fuerunt, ad suas petendas nuptias inflammarit; adeoque Trojanos ceperit, ut [l] quum sæpe per legatos repetere-

Iii tur

[a] Dio Chrysost. in Trojan. [b] Hom. Il α. [c] Eur. in Troad. Hyg. fab. 92. & German. in Arati Phæn. de Cygno. [d] Herod. libr. 2. cap. 12. & Hygin. fab. 92. [e] Hyg. fab. 81. [f] Herod. l. 1. in princ. [g] Herod. ibid. [h] Thucyd. l. 1. [i] Hom. in Iliad. [l] Herod. libr. 2. cap. 114.

tur a Græcia, videre maluerint Patriam ob-
sessam, quàm Helenam non videre? Equi-
5 dem non ignoro multa bella propter mu-
lieres exarsisse; sic bellum inter Phocen-
ses, & Thebanos, quod [a] sacrum est ap-
pellatum, ex feminæ Thebanæ raptu du-
xisse fertur originem, quæ Theano voca-
batur, quod bellum quemadmodum Troja-
num fuisse dicitur decennale: sic & illud,
quod [b] Crisaicom est appellatum, eadem
causâ est excitatum, quod Cyrrhæi Megi-
sto Pelagontis Phocensis filiam rapuissent:
sic & Romani [c] cum Sabinis acerrimè di-
micarunt propter injuriam raptarum Sabi-
narum: sic & Bœotii Hippotarum muni-
tissimom vicum exeiderunt, quod adole-
scentes triginta, qui vim inferre voluerant
puellæ Phoci filiæ, recepissent, eosque de-
dere ad supplicium recusassent. Sed [d] &
Cambyses Rex Persarum bellum graviſſi-
mum gessit adversùs Ægyptios a Nitetide vel
uxore, vel pellice irritatus; & Pelopone-
siacum [e] bellum propter Aspasiæ Periclis
amicæ illatam injuriam, raptasque ejus an-
cillas nonnulli Auctores tradunt excitile.
Nec mirum; habet enim pulchritudo suas
6 vires, & quidem validissimas, quibus non
corporum, sed, quod est majus, impe-
rium obtinet animorum; huic homo su-
perbissimum animal, & ad imperandum
ceteris procreatum suâ sponte submittit fa-
sces, & quum molestissimè omnium servi-
tutem ferat, & flagrantissimè cupiat aliis
imperare, pulchritudini servit libentius,
quàm in cetera dominatur; tanquam pul-
chritudini solùm legitimum imperium ho-
minum natura detulerit. Quamobrem non
sine causâ Æthiopes eos Reges creabant,
qui formâ ceteris antecellerent; non illi
quidem omnino sapienter, sed tamen erat,
quod sequerentur, rectiùs imperaturum pu-
tabant, qui id facere quàm facillimè po-
tuisset, faciliùs autem regnaturum, cui ho-
mines sponte parerent; hanc autem solius
esse polchritudinis vim arbitrabantur, quam
imperio natam non modò Barbari, sed e-
tiam Græci putaverunt; quod ni ita esset,
quomodo theatro assentiente dixisset Eu-
ripides

Τὸ μὲν γὰρ εἶδος ἄξιον τυραννίδος;

Habet nimirum forma nescio quid flexa-
7 nimum, excelsum, regale, divinom, quod
& superbè imperet, & alliciat blandè, &
arctissimè devinciat; & animi quidem au-
gusta illa, atque immortalis pulchritudo
neutiquam cerni potest; quæ utinam su-
bjiceretur oculis! mirabiles amores sui in
hominum pectoribus excitaret, sed ali-
quando ubi nacta est idoneum corpus, ex
illo emicat, & similitudinem, atque imagi-
nem sui quandam ostendit oculis intoen-
tium. Quare quid mirum pulcritudinem
humanis affectibus imperare, quum sit ani-
mi divini fetus quidam, splendorque di-
vinus? Quemadmodum enim in coloribus
quod allicit, quod oblectat, quod tenet
oculos, est ipsa lux, quamvis rebus ob-
scuris insusa delitescat; ita in corporibus,
quod animos admiratione percellit, quod
mentibus dominatur, est animi ipsa di-
vinitas, quæ latet quodammodo, & ap-
paret. Hanc autem divinitatem in Helenâ
cernebant Trojani senes, quos [f] Homerus
inducit dicentes, succensendum non esse
Græcos, Trojanosque pro muliere tam e-
ximiæ pulchritudinis gravissimos labores,
diuturnosque perferre. Sed tamen, ut eò,
unde digressa est, revertatur oratio, que- 8
madmodum illi homerici senes, quum illa
quasi Helenam admirantes dixissent, adde-
bant hæc verba

*Sed tamen hinc abeat, quamvis pulcherri-
ma formâ,*

*Ne nos, & natos certissima damna sequan-
tur*

ita etiam Priamus, & Priami filiî Helenam
reddidissent, nisi aliæ belli causæ graviores
fuissent. Neque verò devastatos agros, ne-
que abactas avarè prædas, neque socias ur-
bes crudeliter direptas, neque Patriam cap-
tam, virgines violatas, profanata Deorum
templa, fumantes Trojæ ruinas aspicere ma-
luissent. Neque enim nos illa bella, quæ
mulierum causâ diximus excitisse, movere
debent, ut etiam bellum Trojanum Helenæ
causâ dumtaxat gestum arbitremur; neque
enim par est eorum, & belli Trojani ra-
tio; illa enim redditis feminis, quia sube-
rant aliæ causæ graviores, non finieban-
tur. Trojanum bellum, si Helenam Tro-
jani reddere voluissent, fuisse tradunt desi-
turum; bellum autem Romanorum, Sabi-
norumque Sabinis redditis tollebatur; sed
erant causæ gravissimæ, cur non redderen-
tur; quòd feminas, ex quibus Liberos pro-
crearent, non habebant Romani; Trojanis
verò cur Helenam retinere vellent, causa
non erat. Quare verisimilius dueo, quod
ait auctor libri, qui [g] Dictys Cretensis no-
mine circumfertur, & Homerus [h] indi- 9
cat sæpe, non Helenæ pulchritudinem, sed
opes, quas Alexander e Græciâ raptas Tro-
jam secum advexerat, tam diuturni belli
causas excitisse. Neque enim Paris, quod
ait [i] Statius,

...... *blandè populatus Amyclas*

sed

[a] Athen. libr. 13. cap. 1. [b] Athen libr. 13. cap. 1. [c] Tit. Liv. libr. 1. [d] Herodot. libr. 3. in princip. [e] Plutarch. in Vitâ Periclis. [f] Homer. Iliad. 3. [g] Dictys Cretens. libr. 1. de Bello Trojan. [h] Homer. in Iliade. [i] Statius Achilleidos libr. primo in princip.

sed avarè, atque hostiliter; neque illud iter Paridis peregrinatio [a] fuit, sed bellum, quod Trojani Græcis intulerunt. Neque Helenæ pulchritudo obcæcabat animos Trojanorum, sed raptæ Spartani Regis divitiæ, quas cæcas esse jure poëtæ tradiderunt. Hæ certè ad excitanda bella sunt longè validiores, quàm pulchritudo; nam licet hæc admirabilior, diviniorque quodammodo videatur, divitiæ propter vitæ commoda, quæ pariunt, magis excitant hominum cupiditates. Quapropter auctor Scolii, qui divitiis pulchritudinem anteponit, ab Athenæo [b] meritò irridetur; convenientiusque avaritiæ Mortalium loquutus esse fertur, qui dixit

Ω' χρυσὲ, δεξίωμα κάλλιστον βροτοῖς,
Ο'ν ὅτε μητὴρ ἡδονὰς τοίας δ' ἔχει,
Οὐ παῖδες ἐν δομοῖσιν, ὧ φίλος πατὴρ,
Οἵας σὺ, χ' οἱ σὲ δώμασιν κεκτημένοι
Εἰ δ' ἡ Κύπρις τοιοῦτον ὀφθαλμοῖς ὁρᾷ,
Οὐ θαῦμ' ἔρωτας μυρίους αὐτὴν ἔχειν

Quæ carmina Latinè sic exponuntur

Aurum beatum, nulla quo jucunditas,
Decusque nullum pulchrius Mortalibus,
Non chara mater has voluptates habet,
Domive dulces Liberi, & amicus pater;
Quas tuque, quique in ædibus te possident;
Quod si Dione tale fulget lumine,
Non mirum amores illam habere plurimos

DISSERTATIO XVI.

De Helenâ, belloque Trojano.

Vulgò traditur Helenam natam esse ex Ledâ, & Jove in cycnum converso; sed Apollodorus tradit ex Nemesi in anserem conversâ, quæ quum ovum peperisset, & Mercurius Ledæ tulisset, ex eo Helenam exclusam pro suâ Leda aluerit; nec dissentit Cypriorum Auctor carminum, nisi quod Jovem non in cycnum, sed in piscem mutatum esse prodit; Lactantius autem Ledam post mortem Nemesin vocatam dicit; Isocrates tamen Ledam a Nemesi distinguit; Hyginus verò Helenam ex Pyrrhe, & Jove natam scripsit; alii autem ferunt ovum, ex quo illa edita fuit, e Lunâ cecidisse. Nata autem ex ovo Helena dicitur; quia in illis ædium partibus educata fuerit, quæ ὠὰ Veteres nuncupabant; quæ vox etiam ova *significat; nisi fortè poëtæ hoc commento innuere voluerint, omnes homines ex ovis nasci. Herodotus tradit Paridem cum Helenâ in Ægyptum tempestate delatum, & a Proteo Rege coactum eam dimittere; Stesichorus autem Helenæ simulacrum Paridem Trojam advexisse; quod significat voluptatibus deditos umbram voluptatis, non ipsam voluptatem consequi. Thucydides, & Plutarchus tradunt decem annos Græcos Trojam obsedisse; Heraclides autem Ponticus novem annos consumpsisse in capiendis urbibus, quæ Trojanis parebant; & decimo demum anno regiam urbem oppugnasse, & expugnasse. Equus Trojanus fuit machina quatiendis mœnibus apta Dio Chrysostomus tradit Tyndareum Paridi Helenam in matrimonium collocasse; quum universâ Asiâ usque ad Indos potiretur; non autem raptam fuisse; quod vix fieri poterat; Agamemnonem autem, qui verebatur, ne Paris Peloponesum occuparet, bellum Trojanis intulisse, in quo victores Trojanos extitisse; quæ omnia multis argumentis nihil prope dubii relinquentibus confirmat.*

QUemadmodum poëtæ ferunt Jovem [c], quum sævire in hominum genus vellet, & ulsciscі Promethei facinus, qui sacrum, e Cœlo ignem subduxerat, non fulmen, aut terræ motum, aut perniciosam corporibus aëris intemperiem, non bellum, sed excellentem feminæ pulchritudinem esse machinatum, quam Pandoram [d] nominarunt; quòd omnes in illam Dei munus aliquod contulissent; sic 1

 Hele-

[a] Dares Phrygius de Excidio Trojæ. [b] Athenæus libr. 4. [c] Hesiodus in Operib. & Diebus, & Horat. libr. 1. Od. 3. [d] Hesiod. in Oper. & Dieb.

Helenam dicunt procreasse præstantem
formâ, non ut aliquid commodi, sed ut
pestem multò maximam hominibus afferret;
de qua, quia belli Trojani præcipua
causa fuisse dicitur, & ad Euripidis tragœdias
illustrandas, in quibus frequens Helenæ
mentio reperitur, ea pertinent, quæ de
ipsâ produntur a scriptoribus; de hac etiam
hodierno die mihi putavi disserendum,
tum, quæ restant de bello Trojano, persequenda.
Et ut adversus Venusini [a] Poë-
2 tæ præceptum Trojanum bellum ab ovo
ordiamur, vulgatior fama est Jovem amore
captum [b] Ledæ in cycnum se se convertisse,
& puellam compressisse, quæ, ubi tempus
pariendi venit, duo peperit ova, alterum
ex Jove, ex quo Pollux, & Helena;
alterum ex Tyndaro, ex quo Castor, &
Clytæmnestra procreati; unde Lucianus in
dialogis Deorum inter insignia Castoris,
& Pollucis dimidiatum ovum recenset. Atque
hic amor Jovis octavus numeratur a
Nonno in Dionysiacis; sequuntur hanc
opinionem Hyginus [c] in fabulis, & Clemens
Alexandrinus in Parænesi ad gentes,
& Ovidius, qui cecinit [d]

Orabat Superos Leda, suumque Jovem

Huc autem respexit Virgilius, qui Hermionem
Helenæ filiam Ledæam appellavit [e]

...... *sequutus*, inquit,
Ledæam Hermionen, Lacedæmoniosque hymenæos

Hanc autem Ledam Lactantius [f] Firmia-
3 nus post mortem Nemesim vocatam esse
dicit, quòd tam Nemesis, quàm Leda Helenam
peperisse tradatur. Isocrates [g] autem
Nemesim a Ledâ separat, atque distinguit,
quum ait: *κύκνος δὲ γενόμενος εἰς τὰς Νεμέσεως κόλπους κατέφυγε, ταύτῃ δὲ πάλιν ὁμοιωθεὶς Λήδαν ἐνύμφευσεν*: hoc est: *cycnus verò factus in sinum Nemesis confugit; hujus autem rursus indutâ specie cum Ledâ se commiscuit*. Apollodorus [h] autem in Bibliothecâ Ledam non
fuisse tradit Helenæ matrem, sed Nemesim,
quam quum Juppiter deperiret, &
puella a concubitu abhorreret, Veneri imperavit,
ut in aquilam se converteret; &
ipse in cycnum mutatus aquilâ persequente
in gremium Nemesis convolavit, & altissimo
sopore devinctam vitiavit, quemadmodum
tradit Euripides in Helenâ; quamvis
Apollodorus [i] dicat Nemesin in anserem
fuisse conversam, ex eoque concubitu
ovum edidisse, quod quum opilio quidam,
vel, ut aliis [l] placet, Mercurius Ledæ
tulisset, ex eo exclusam Helenam, quam
Leda pro suâ aluerit, atque educarit, ex quo
Ausonius poeta [m] cecinit

Hoc genus Nemesis, sed Leda puerpera fovit

Quibus auctor [n] Cypriorum carminum a-
stipulatur, nisi quod Jovem non in cyc- 4
num, sed in piscem mutatum esse prodit;
nec mirum, quum Nemesis Oceani filia
esse [o] dicatur, eam cum pisce concubuisse;
sed ab his dissentit Hyginus [p] in fabulis,
qui Helenam ex Pyrrhe, & Jove natam
scriptum reliquit; ac multo magis illi,
qui ovum, ex quo Helena edita fuerit,
e Lunâ cecidisse memoriæ prodiderunt.
Nam quum in Lunâ habitari etiam doctissimis
philosophorum placuerit, ut Plutarchus
in libello de facie in orbe Lunæ docet,
ea sententia occasionem dedit commentis
poetarum, qui etiam Nemeæum
leonem e Lunâ decidisse finxerunt; &
Neocles [q] Crotoniates lunares feminas ova
parere tradit, ex quibus qui gignantur homines,
quindecuplo sint majores terrestribus.
Quas fabulas ita interpretantur, ut
dicant Helenam [r] educatam fuisse in illis 5
ædium partibus, quæ Græcis hypeροa, Latinis
cenacula nominantur, quum autem
hæc ὤα veteri vocabulo dicerentur, quod
etiam ovα significat, ideo famam divulgatam
volunt Helenam ex ovo editam; nisi
verò poëtæ innuere voluerunt, quod est
ab harum rerum studiosis observatum, ex
ovis omnes homines nasci; ut illa, quæ
de primo avium ortu Lucretius protulit [f]

Ova relinquebant exclusæ tempore verno,
Folliculos ut nunc teretes æstate cicadæ

de hominum ortu proferre potuerit; neque
ei fuerit opus uteros illos comminisci,
de quibus ita canit [t]

Crescebant uteri terræ radicibus apti,
Quos ubi tempore maturo patefecerat ætas,
Infantum fugens humorem, aurasque petissent,
Convertebat ibi natura foramina terræ,
Et succum venis cogebat fundere apertis
Consimilem lactis......

Sed ut ad Helenam revertamur, hæc qua- 6
cumque matre genita, & quocumque modo,
ubi primùm adolevit, tam eximiâ, &
admirabili pulchritudine, tantis illecebris
amoris, & voluptatis præstitit, tam venustâ
oratione, tam blandâ, tantâ corporis concinnitate,
& oris dignitate, & gratiâ animos

[a] Hor. in Poët. [b] Apollon. libr. 3. Ovid. in Epist. Helenæ, & Manilius libr. 1 Astronom. [c] Hygin. fab. 77. [d] Ovid. in Epist. Hermion. [e] Virgil. Æn. 3. [f] De Fals. Rel. libr. 1. cap. 21. [g] Isocr. in Helen. Encom. [h] Apollod. libr. 3. & Hygin. Poët. Astron. libr. 2. de Olore. [i] Apollod. ibid. [l] Hygin. Poët. Astr. libr. 2. de Olore. [m] Auson. epigr. 55. [n] Cæl. Rhodig. l. 11. cap. 19. [o] Pausan. in Attic. sive libr. 1. & in Achaic. sive libr. 7. [p] Hygin. fab. 155. [q] Athen. libr. 2. cap. 16. & Cæl. Rhodig. libr. 27. cap. 17. [r] Athen. libr. 2. cap. 12. [f] Lucret. libr. 5. [t] Lucret. ibid.

mos illiciebat; ut multorum cupiditates non solùm ad concessas legibus nuptias, verùm etiam ad inconcessas voluptates excitaret; & quamvis acerbâ ætate, necdum [a] nubilis a Theseo rapta est, viro præstanti virtute prædito; qui tamen, quum a Castore, & Polluce bello Athenienses premerentur propter Helenæ raptum, nec eorum vim ferre possent, coactus est eam reddere inviolatam. Sed non & Alexander Priami filius quum eamdem Menelao nuptam rapuisset, Helenæ cognatorum potentiâ deterritus, intactam suis restituit; sed navi raptim impositam secum avexit. Duplex extat
7 de fama est; nam Herodotus [b] negat Helenam Trojam pervenisse, aut a Paride violatam; tradit enim Alexandrum, quum Helenâ raptâ domum navigaret, in Ægyptum tempestate delatum, & a Proteo, qui rum imperio ea tenebat loca, & quantum flagitium in hospitem Paris admisisset, ex ipsius Alexandri famulis dominum redarguentibus resciverat, ipsum comprehensum, & coactum Helenam in Ægypto relinquere, & intra trium dierum spatium Regni finibus excedere; non esse itaque mirum si Helenam Trojani, quum diutino bello urgerentur, non reddiderunt, quum ea in ipsorum potestate non esset. Stesi-
8 chorus autem poëta, qui quum Helenæ maledixisset, dicitur [c] excæcatus, Paridem tradit non Helenam, sed Helenæ simulacrum Trojam advexisse, bellumque Trojanum simulacri causâ esse gestum, quem sequitur elegantissimus Euripides in tragœdiâ, quam inscripsit Helenam, qui simulacrum illud a Junone fictum confirmat; fuit autem Juno perita talium rerum, quum Ixionis [d] etiam cupiditatem eodem modo delusisse dicatur. Qui nihil aliud profectò significare voluerunt, quàm eos, qui nimiùm voluptatibus addicti sunt, & cupiditatibus famulantur, non ipsam voluptatem, sed umbram consequi voluptatis; pro qua innumerabiles molestias, & labores proferunt intolerabiles; sicut Paris, & Trojani homines voluptarii pro Helenâ fictâ pertulerunt; veram quippe voluptatem non in explendis immoderatis cupiditatibus, sed in animi tranquillitate sitam esse, & in vitâ, quæ convenienter naturæ ducitur. Itaque Epicurus ipse [e] auctor, assertorque voluptatis in vacuitate doloris felicitatem
9 summam, voluptatemque reposuit. Alii verò existimant Alexandrum Helenam verò rapuisse, & [f] in Insulâ, quæ postea Helena est appellata, cum eâ primum concubuisse, ac pro eâ retinendâ bellum illud perdiuturnum, memorandumque gessisse, de quo ipso dubitatur, an decem annos in illâ obsidione Græci consumpserint, an diripiendis urbibus Priami ditioni subjectis, & circumferendis armis bellum protraxerint. Nam Plutarchus in Homeri vitâ Agamemnonem tradit cum exercitu Græcorum decem annos ad Trojam assedisse, misso interea Achille cum parte copiarum, qui circumjectas urbes expugnaret; & [g] Thucydides reddit rationem, cur tantum temporis Græci triverint in unius urbis oppugnatione, quòd quum commeatus nulli e Græciâ adveherentur, nondum excogitatâ belli rectè gerendi ratione, & ex hostili terrâ necessaria usibus militum quærere cogerentur, a belli curis avocarentur. Sed mihi Ponticus Heraclides val-
de probatur, qui novem annos Græcos 10
existimat consumpsisse in capiendis, diripiendisque urbibus, quæ parebant imperio Trojanorum, decimo demum anno ipsam regiam urbem oppugnasse, & expugnasse. Neque enim credibile est Græcos oppidum munitissimum statim aggressos, quum tot urbes hostium circa manerent incolumes, quæ non mediocres inferre clades Græcorum copiis possent, & omnia circum Græcis essent infesta facturæ. Neque etiam verisimile est, Trojanos tam fortiter extremo anno belli fuisse rem gesturos, quàm gessisse tradit [h] Homerus, quum ante recentibus copiis, viribusque semper inclusi mœnibus eruptionem nunquam tentavissent, si diuturnâ obsidione fessi, & bello tam gravi attriti fuissent. Illud etiam quæri solet, proditione capta sit Troja, an
dolo, an vi; & Servius [i] Æneam Trojæ 11
scribit fuisse proditorem, eoque putat pertinere Virgilii carmen [l]

Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis.

In quo, ut utar verbis Terentii [m], Servius facit intelligendo, ut nihil intelligat; non enim Æneæ, quem maximè pium semper fuisse confirmat, nefariam Patriæ proditionem Virgilius notat, sed fortitudinem laudat, hostium antesignanis permixti, & inter Græcorum tela versantis: neque [n] Livius, quem Servius citat, adjuvat hanc opinionem, quum Livius dicat Æneâ, Antenoreque omne jus belli Achivos abstinuisse; pro-

[a] Hygin. fab. 79. & Strabo libr. 9. & Pausan. in Laconic. libr. 3. & Eliacor. prim. sive libr. 5. [b] Herodot. libr. 2. cap. 112. [c] Plato in Phædr. Isocr. Encom. Hel. [d] Hygin. fab. 62. Plutarch. in Agide, & Cleomene, & Fulgent. Mythol. libr. 2. & Diodor. Sic. libr. 4. Bibl. Hist. [e] Diogen. Laërt. libr. 10. Cic. de Finib. libr. 1. & Plutarch. in Libello, quod non potest suaviter vivi secundùm Epicurum. [f] Homer. in Iliad. γ. v. 444. & Strab. libr. 9. [g] Thucyd. libr. 1. [h] Hom. in Il. [i] Serv. ad libr. 1. Æneid. Virg. Dares Phrygius, & Dyct. Cretensis l. 4. & 5. Dionys. Halic. libr. 1. [l] Virg. Æneid. libr. 1. [m] Terentius in Andriâ. [n] Livius libr. 1.

propterea quod pacis, reddendæque Hele-
næ semper auctores fuissent, quod erat non
Patriam prodentis, sed Patriæ bono con-
sulentis; sed neque dolo Troja capta est,
12 quum [a] equus ille famâ celebratus, non
insidias Græcorum occultaverit, sed fuerit
belli machina, qua Trojæ mœnia concus-
sa, atque eversa ceciderunt, quemadmo-
dum præclarissimi Auctores prodiderunt.
Neque tamen omittendum Dionem Chry-
sostomum [b] affirmare, neque proditione,
neque dolo, neque vi captam esse Trojam;
neque Græcos unquam victores extitisse,
qui omnia hæc a poëtis Homero auctore fi-
cta asseverat. Paridem enim tradit in Græ-
ciam venisse, non ut Helenam raperet nu-
ptam Menelao; sed ut innuptam justis nu-
ptiis sibi copularet; quum autem ceteris
procis, & formâ, & opibus, utpote qui
universæ Asiæ usque ad Indos imperaret,
antecelleret, facilè Tyndareo persuasisse,
ut se ceteris anteponeret; acceptâ autem
Helenâ domum cum suorum lætitiâ, gau-
dioque esse reversum. Id autem eo probat
13 argumento, quod absurdum videatur Pari-
dem amore captum Helenæ, quam nun-
quam viderat; & captum adeo vehemen-
ter, ut nihil pensi, nihil sancti haberet;
non Patriæ periculo, non excidio paterni
Regni, quod imminere posse videbatur,
moveretur: nec esse credibile asseverat
Priamum jam senem, artesque regnandi
jam a puero edoctum non obstitisse filii
cupiditati, non obstitisse tam temerario in-
cepto Hectorem, & Helenum, & Anteno-
rem, & Æneam; quorum prudentia a scri-
ptoribus, ipsoque Homero [c] celebratur.
Helenam verò ab Alexandro rapi non po-
tuisse, quum Lacedæmon esset a mari remo-
ta, & concursuri fuerint omnes ad pro-
hibendam vim advenæ, qui Tyndarei im-
perio parebant; præcipuè verò eam inju-
riam fuisse vindicaturos Castorem, & Pol-
lucem fratres Helenæ, quorum præcipuus
in [d] hac re dolor, qui Theseum eadem
ausum acerrimo bello fuerant persequuti;
nec ante ab oppugnandis Athenis destite-
rant, quàm Helenam recepissent, & Æ-
thram Thesei [e] matrem captivam abduxis-
14 sent. Sed fingamus, inquit, [f] Paridem nul-
lo impediente ad mare pervenisse, & He-
lenam navi imposuisse; erant tamen Lace-
dæmoniis navales copiæ, quibus eum inse-
qui possent, quibus prædam malè partam
extorquere. Quod si hæc omnia pericula
Paris devitasset, & incolumis Ilium rever-
tisset, quomodo Priamus, & tot prudentis-
simi senes, ut unius adolescentis impru-
dentis, & temerarii cupiditati morem gere-
rent, sustinuissent videre obsessam Patriam,
Asiamque tantis circumventam periculis,
& non Helenam exitiabilis belli causam,
quum per legatos repeteretur a Græcis, red-
didissent? aut si Paridis vel auctoritas, vel
gratia tam salubri consilio obstitisset, eo
certè mortuo, redditâ Helenâ saluti suæ con-
suluissent, & non eandem Deiphobo in ma-
trimonium collocassent. Non igitur Paris
Helenam rapuit, sed a patre sibi nuptum
datam jure habuit, ob eamque causam bel-
lum diuturnum pertulit, quia grave inpri-
mis, & dedecoris plenum videbatur jun-
ctam sibi legitimis nuptiis uxorem propter
terrorem, qui intentabatur a Græcis, di-
mittere, & Græciæ minis majorem Asiæ
partem succumbere. Cur ergo Grajorum 15
proceres bellum Trojanis intulerunt, si
nullam a Paride injuriam Menelaus acce-
perat? quia quum Agamemnon videret eâ
affinitate contractâ Tyndarei Regnum ad
Paridem pertinere, veritus est, ne quemad-
modum [g] Pelops ex Asiâ profectus longè
minore potentiâ, opibusque subnixus Pe-
loponesi Regnum occcuparat; ita Paris a-
liquando non solùm Spartâ, quæ ipsi prop-
ter has nuptias debebatur, & magnâ Pelo-
ponesi parte, sed Græciâ totâ potiretur.
Itaque Græcorum Principibus convocatis
persuasit, ut adversùs Trojanos bellum su-
sciperent; idque facillimè est consequutus,
quòd & potentiâ ceteris antecellebat, &
quòd Græciæ principes infensi erant Paridi,
quòd propter ipsum Helenæ nuptiis, quas
magno ambitu petiverant, excidissent, &
prælatum sibi advenam ægrè ferebant. Ini- 16
to verò bello Trojanos, qui superiores e-
rant causâ, superiores & bello fuisse censet;
nunquam Græcos potuisse nedum Trojam
obsidere, sed ne parte quidem Troadis po-
tiri; neque enim Græci Chersonesum
coluissent, quod inter omnes constat Au-
ctores, ut ex eâ culturâ copias alerent, ne-
que ex insulâ Lemno vinum advexissent,
si Troadem feracissimam regionem, atque
omnibus bonis affluentem possedissent. Sed
nihil, inquit, ex [h] animi sententiâ Græci
gesserunt; incensæ sunt ab Hectore naves,
quod & Homerus, qui tantum mendacio-
rum ad augendam gloriam Græcorum in-
venit, fatetur; qui obsessuri Trojam vene-
rant, obsessi, eorum principes obtruncati,
Achilles ipse ab Hectore interfectus, cæ-
sa ingens Græcorum multitudo, & ad ex-
tremum coactus Agamemnon accipere pa-
cis conditiones Trojanis gloriosas, Græcis
indecoras. Atque ita rem esse gestam mul-
tis argumentis putat declarari; nam si, in- 17
quit, Græci Trojam cepissent, & Priami
Re-

[a] Serv. ad Virg. Æneid. libr. 2. & Pausan. in Attic. [b] Dio Chrysost. in Trojanâ. [c] Homer. in Iliad. [d] Pausan. in Eliacor. princ. sive libr. 5. [e] Ælian, Var. Histor. libr. 4. cap. 5. [f] Dio Chrys. in Trojanâ. [g] Hyg. fab. 84. [h] Dio Chrys. in Trojan.

Regnum evertissent, nulla res eos coëgisset hiberno tempore, procelloso mari ex Asiâ proficisci, sed opportunum ad navigandum tempus expectassent; atque interea dum Cœlum deseviret, & melior tempestas arrideret, in captâ terrâ victoriæ fructu jucundissimo fruerentur. Quin etiam consentaneum est Græcos aliquem e Principibus Græcorum in Asiâ relicturos, qui tantis rebus gestis fundatum imperium obtineret; neque incassum recidere tot labores, tantamque victoriam fuisse passuros, & plerosque Græcorum Asiæ opulentiam Græciæ paupertati antelaturos. Atqui constat omnes nemine relicto asperrimâ hieme domum rensvigasse, ob eamque causam multos naufragio periisse, multos diu, multumque mari esse jactatos, & a Græciâ longiùs aberrasse; non igitur sponte, sed coacti, non victores, sed victi, ex Asiâ discesserunt. Præterea si Trojam maximam, opulentissi-
18 mamque Asiæ urbem, si latissimum Priami imperium subegisset Agamemnon; ipsum tantâ laude partâ, tam insigni trophæo constituto, tanti decoris auctorem, quantum nemo unquam Græcorum pepererat, omnes Græciæ proceres tamquam aliquem Deum Cœlo delapsum suspexissent, omnes ejus dicto fuissent audientes, & ab ejus auctoritate ne latum quidem unguem discessissent; cur ergo in Græciam, quò omnes tendebant, redeuntem non sunt prosequuti? cur ab eo dissenserunt, cur seditionem inter se agitarunt, cur pæne omnes, & in his frater Menelaus, clarissimum ducem reliquerunt? nonne hi solent esse exitus infelicium bellorum, ut & summus imperator deseratur, & ceteri duces inter se dissentiant, & nihil communi consilio gerant? Quid quod ea, quæ sunt consequuta, videntur apertè declarare rem aliter multò evenisse, quàm fuerit a poëtis proditum. Solent enim populi suos Reges debellatis hostibus domum redeuntes honoribus cumulare, majore obsequio, quàm antea, prosequi, majore studio, benevolentiaque complecti; & non contemnere, non expellere, non crudeliter trucidare, quo pacto Græciæ populi suos reges ab expeditione Trojanâ revertentes tractarunt. Si-
19 quidem Agamemnon regno, vitaque spoliatus est, Diomedes exulavit, obtruncatus est Pyrrhus, Ulyssis domus, & Regnum sunt a Penelopæ procis occupata, Teucer Salamine pulsus, Idomeneus ejectus e Cretâ, cui ante bellum Trojanum imperarat; adeo verò attritæ sunt opes Atridarum, ut Herculis Posteri, qui ad id tempus Atridarum potentiâ oppressi, humili fortunâ usi fuerant, emergerent, & Peloponesi imperio potirentur. Contra verò Trojani duces, quum, ut fieri solebat post res prospere gestas, missi fuissent ad colonias deducendas, ubique terrarum regnarunt; Helenus [a] in Epiro, Acestes [b] in Siciliâ, Æneas in Latio imperium [c] fundavit, quod consequutis temporibus totum Orbem terrarum occupavit; quis ergo non fatebitur eos, qui post bellum Trojanum gloriâ, & opibus, & imperio floruerunt, victores extitisse, quorum verò accisæ sunt opes, eversa regna, afflicta fortuna, victos fuisse?

DISSERTATIO XVII.

De Sacrificio Polyxenæ.

Execrabilis est mos Diis, & mortuorum umbris immolandi humanas hostias, qui non solùm apud Barbaros, sed etiam apud Græcos, Latinos, & Romanos invaluit; nec minùs execrabilis habendus est mos exhibendi gladiatores in funeribus; tamen quum ad hunc morem Virgilius respexerit, immerito reprehenditur a Lactantio.

Græciam antiquam nondum mansuefactis moribus persimilem fuisse regionibus Barbarorum, Thucyd des gravis inprimis Auctor primo historiarum libro docet, qui Græcos veteres, neque validas mœnibus urbes habitasse, neque commerciis frequenter usos esse prodit, adeo verò in perpetuo metu vixisse, ut semper in armis esse cogerentur. Sed nec homines moribus cul- 1
tiores, compositioresque fuisse illud declarat, quod literis, & omni liberali doctrinâ carebant; siquidem verè [d] Clemens Alexandrinus, aliique scriptores prodiderunt eos universam sapientiam a Barbaris accepisse, sed omnium maximè Græcorum inhumanitatem demonstrant ea, quæ traduntur a poëtis. Nam hostiis humanis usos ad iram Deorum placandam cum ceteri, tum Poëta noster ostendit; qui Achillis umbram a Græcis fingit postulasse, ut sibi Polyxena Priami Regis filia mactaretur, quâ illi revera, sive religione aliquâ objectâ, sive aliâ de causâ crudelissimè immolarunt. Versus autem Euripidis, quibus hanc exponit historiam, sunt hujusmodi

Ὁ Πηλέως γὰρ παῖς ὑπὲρ τύμβου φανεὶς
Κατέσχ᾽ Ἀχιλλεὺς πᾶν στράτευμ᾽ ἑλληνικὸν
Πρὸς οἶκον εὐθύνοντας ἐναλίαν πλάτην,
Αἰτεῖ δ᾽ Ἀδελφὴν τὴν ἐμὴν Πολυξένην
Τύμβῳ φίλον πρόσφαγμα, καὶ γέρας λαβεῖν

Sic

[a] Virg. Æneid. libr. 3. [b] Idem libr. 5. Æn. [c] Idem Æneid. libr. 12. & Tit. Livius libr. 1. [d] Clemens Alexandr. libr. 5. Stromat.

Sic autem Latinè redduntur

Nam ferus Achilles, qui super tumulum suum
Ostendit umbram, tenuit omnem exercitum
Achiva regna classe repetentem citâ;
Accipere verò præmium certaminum,
Trojæ sub altis mœnibus quæ pertulit,
Dulcem & sepulcro victimam sævo dari
Meam sororem postulat Polyxenam

Quibus illustrandis carminibus ostendam
vetustissimum cum Græcorum, tum Barba-
rorum fuisse morem, quo non modò mor-
tuorum manes, verùm etiam Deorum nu-
mina humanis hostiis placarentur. Sed an-
tequam de eâ re dicam, fabula est expo-
nenda, qua [a], cur Achillis umbram dica-
tur Polyxenam potissimùm postulasse, in-
telligi possit. Sciendum est autem memo-
2 riæ proditum Achillem amore captum
Polyxenæ, quum ejus nuptias peteret, de-
que iis cum Priami legatis colloquuturus
in templum Apollinis Thymbræi venisset,
a Paride, qui locum insidiis quærebat, in-
terfectum; qua de causâ dicitur Achilles
Polyxenam tanquam sibi desponsam, & o-
bligatam post mortem repetivisse; ut cum
eâ nuptias apud Inferos celebraret, quam
fabulam respexit Euripides in hac tragœdiâ,
quum Polyxenam sponsam non sponsam,
& virginem non virginem appellavit hoc
versu

Νύμφην τ' ἄνυμφον, παρθένον τ' ἀπάρθενον

& Seneca in Troadibus, ubi Achillis um-
bram loquentem [b] sic inducit

...... non parvo luet
Iras Achillis Græcia, at magno luet
Desponsa nostris cineribus Polyxena

& paulò post tritones mortis Polyxenæ præ-
sagus Hymenæum dicit [c] cecinisse:

Tritonium ab alto cecinit Hymenæum chorus

sed & Clemens [d] Alexandrinus, ne testi-
moniis dumtaxat utar poëtarum, sacrifi-
cium, quo Græci Polyxenam Achilli ma-
ctarunt, nuptias vocat, quum libro Stroma-
tum secundo ita de Polyxenâ loquitur; *ἦν δὲ
κἀκείνῃ γάμος ἡ συμφορά* hoc est: *etiam illi cala-
mitas erant nuptiæ*. Nec verò non id est fami-
3 liare, ac solemne poëtis, ut nuptias quo-
que fingant mortuorum; sic Heben [e] Her-
culi nupsisse post mortē, sic Achilli Medeam
in Elysiis campis nupsisse tradunt; unde
Lycophron in Cassandrâ Achillem futurum
conjugem Medeæ dicit hoc carmine.

Τὸν μελλόνυμφον εὐνέτην κυταϊκῆς

hoc est

Virum futurum Ponticæ viraginis

Atque hoc ad contegendam barbaram Græ-
corum immanitatem est a poëtis excogita-
tum mendacium, ut non crudeliter inter-
fecta videretur, quæ tanto viro desponsa
viventi, ejus mortui nuptias morte non in-
felici consequeretur. Ceterùm fuisse Græ-
cis immanem consuetudinem hominum im- 4
molandorum Veterum monumenta decla-
rant; nam & Menelaum testatur Herodo-
tus [f], quum in Ægypto ventis non aspi-
rantibus invitus moraretur, ad impetran-
dos ventos duos Ægyptios pueros immo-
lasse immemorem accepti a Proteo benefi-
cii, qui Helenam Paridi eripuerat, & in-
violatam Menelao restituerat; & Monimus
apud [g] Alexandrinum Clementem scribit
Pellæ in urbe Thessalicâ Peleo, & Chironi
hominem solitum sacrificari; & Phocenses
Dianam [h] humanâ hostiâ placavisse dicun-
tur, & Lyctii [i] Cretæ populus Jovem; &
Erechtheus [l] Atheniensis filias dicitur im-
molasse, & Athenienses Lari filias ad Atti-
cam liberandā peste mactasse; et [m] Aristome-
nes Messenius Ithomatæ Jovi trecentos ho-
mines jugulasse, inter quos Lacedæmonio-
rum Rex Theopompus victima eo miserabi-
lior, quo nobilior; ut nequiquam mirum
fit, quum Græci, qui se omnis humanita- 5
tis auctores ferunt, tam immanibus sacris
uterentur, etiam Barbaros usos, & Tau-
ros [n] Dianæ, Mercurio [o] Germanos, Car-
thaginienses [p] Saturno, Gallos [q] Teutatæ,
& Næso, Cyprios Jovi humanis hostiis
rem fecisse divinam. Ipsi Latini, qui for-
tunatæ gentes vocabantur, adeo miseri,
atque infelices fuerunt, ut quotannis vi-
rorum capitibus placare [r] Saturnum, Di-
temque Patrem cogerentur; quem sacro-
rum morem [s] Herculem, quum in Italiam
venisset, dicitur sustulisse. Quum enim
has Latini victimas aris admovere jube-
rentur hoc versu [t]

Καὶ κεφαλὰς Ἅδῃ, καὶ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα

ipse interpretatus oraculum jussit pro capi-
tibus humanis oscilla in hominum effigiem
e cretâ facta Diti dedicare, & in honorem
Saturni lumina accendere, quia *φῶς* voca-
bulum tam *virum* significat, quàm *lumen*. Sed 6
& Romani, qui sibi nocentium quoque pœ-
nas

[a] Hyg. fab. 110. [b] Senec in Troad. Act. 2. [c] Se-
nec. ibid. [d] Clem Alexandrin. libr. 2. Stromat.
in fin. [e] Hom. libr 11. Odyss. & in hymn. [f] He-
rodot. libr. 2. cap. 119. [g] Monimus in collectio-
ne rerum mirabil. apud Clem. Alexandr. in Protr.
[h] Clem. Alexandr. ibid. [i] Idem eod. loc. [l] Idem
ibid. [m] Pausan. libr. 4 in Messen. Clem. Alex. in
Protrept. Euseb. de præparat. Evang. & Cyrillus
contra Julian. [n] Lactant. Firmian. de falsâ Relig.
libr. 1 cap. 21. Paulus Orosius in præfat. libr. 5. &
Servius ad illud Virg. Æneid. libr. 7. *Placabilis ara
Dianæ*. [o] Corn. Tac de Mor. Germ [p] Plato in
Minoë, Dion. Halic. libr. 1. Diod. Sic. l. 20 Plu-
tarch. in Apopht. de Gelon Silius Italic. ad finem
libr 4. Tertull. in Apolog. c. 9 Lact. Firm. libr.
1. cap. 21. de falsâ Rel Justin. libr. 19. Paul. Or.
libr. 4. cap. 6. & Euseb de præpar. Evang. libr. 4.
[q] Lucan. libr. 1. & Lactant libr. 1. de falsâ Relig.
cap. 21. [r] Lact. Firm. ibid. [s] Idem ibid. [t] Ovid.
Fast. libr. 5. v. 630. [u] Macrob. Saturnal libr. 1.
cap. 7. & Lact. libr. 1. cap. 21. ex Varrone.

nas placuisse quàm mitissimas gloriantur, innocentium suppliciis aliquando se Deorum iras propitiaturos crediderunt; quapropter, quemadmodum Romana testatur historia [a], Græcum, & Græcam vivos defoderunt; & Marius [b] Deis, quos averruncos Latini, Græci ἀποτροπαίους vocant, filiam sacrificavit. Præterea Decii, & [c] Curtii, qui se pro salute exercituum, Patriæque devoverunt, vitamque profuderunt, nihil aliud fuere, quàm victimæ infelices Deorum iræ placandæ; sed præcipuè mortuorum umbris hominea immolabant; quapropter & uxores [d] Thracum accepimus, in ardentes rogos maritorum se conjecisse; quam consuetudinem fuisse, & Indorum [e] feminis comperimus; & Homerus Achillem duodecim juvenes mactantem Patroclo inducit; & Cæsar Augustus bello Perusino vi-
7 ctor trecentos captivos Julii Cæsaris [f] ultioni, & Manibus immolavit. Cujus ut factum probare se Virgilius ostendat, Æneam facit eodem hostiæ genere Pallantis Manibus parentantem, quum [g] ait:

Vinxerat & post terga manus, quos mitteret umbris

Inferias cæso sparsuros sanguine flammas.

Quem locum Virgilii Servius explicans ait; hunc Antiquorum fuisse morem, ut sepulcra captivorum sanguine colerentur; ex quo potest intelligi immerito Virgilium a Lactantio [h] Firmiano reprehendi, quòd Æneæ pietatem tam impio sacrificii genere contaminarit; nam Poëtam defendit Veterum consuetudo, & opinio inveterata Antiquorum, qua id pium ducebatur. Spectat enim Poëta frequenter non tam rerum veritatem, quàm hominum opinionem; alioquin non minùs esset Virgilius accusandus, quòd falsis Diis, non vero Deo omnium conditori inducat Æneam sacrificantem, quàm quòd mortuis humanas hostias immolantem. Quapropter ignosci
8 Virgilio potest Veterum consuetudinem, moresque respicienti, Antiquorum immanitati ignosci non potest. Quid enim sævius, aut inhumanius, aut execrabilius, quàm vivos mortuorum causâ jugulare, & cineres non sentientes, & brutam terram hominum sentientium, spirantiumque suppliciis, & cruciatibus mactare? neque horrere furias tam crudeliter interfectorum; neque vereri communem omnium parentem naturam, quæ tam diro sacrificii genere offendebatur; humanam autem societatem tam habere despectui, ut homo hominem trucidare mallet, quàm pecudem? Anthropophagis [i] ultimæ Scythiæ incolis tam immanem, efferatamque naturam fuisse miramur, ut humanis carnibus vescerentur; barbara planè consuetudo miserorum cæde nutriri, & execrandis epulis saginari, hominumque supplicia in suam voluptatem convertere; sed quantulum aberant Veteres ab illorum immanitate? illi mensas, hi sepulcra cædibus funestabant: illi thoros, hi rogos interemptorum sanguine persundebant: illi vivis, hi mortuis homines occidebant, justiore fortasse illorum titulo, qui alicujus voluptatis, utilitatisve suæ gratiâ sæviebant, quàm horum, qui ad inane solatium, & ad nullum prorsus usum cædibus abutebantur. Senserunt hoc po-
steriora sæcula; quapropter ut veterem consuetudinem emendarent, gladiatores [l] in 9
cognatorum funeribus commiserunt, parvo planè discrimine; quid enim refert occidat quis hominem, an cogat occidere? Fruerentur sanè vivi gladiatorum spectaculo, & mutuis cædibus infelicium otiosorum oculi pascerentur; quoniam barbara consuetudo tam efferatum invexerat morem, ut vulnera hominum in deliciis haberentur, & supplicia miserorum in publicas cederent voluptates; quid autem attinebat funera ipsa tam nefandis spectaculis funestare, & injustè morientium furiis mortuorum manes exagitare; & quibus expediebat innocentes in vitâ fuisse, & a cædibus abstinuisse, eorum quoque mortem insontium cædibus facere nocentiorem? Enimvero satis expedire non possum, utrum crudeliores Antiqui sint appellandi, quòd inter epulas, & pocula gladiatores [m] decertantes spectarent, oculosque tam inhumanâ voluptate pascerent, an quòd in cognatorum funeribus; illa enim Centaurorum, Lapitharumque convivia, vel etiam Læstrigonum, & Cyclopum possumus appellare; hanc autem immanitatem ne quo nomine quidem nuncupem, reperio.

a T. Liv. libr. 2. Decad. 3. & Plin. libr. 28. cap. 2. b Clem. Alexandrin. in Protrept. c Valer. Max. libr. 5. cap. 6. d Herodot. libr. 5. Pompon. Mel. libr. 2. cap. 2 & Solinus cap. 15. vel 16. e Cicer. libr. 5. Tusc. Val. Max. libr. 2. cap. 1. Strab. libr. 15. Solin. cap. 55. & Philo Judæus in libr. de Abr. f Sueton. in Vitâ Augusti cap. 15. g Virgil. Æn. XI. h Lactant. Firm. libr. 5. de Justitiâ cap. 10. i Pomp. Mel. libr. 2. cap. 1. & Solin. cap. 20. & 33. l Ludovic. Viv. ex Varron. in D. August. de Civit. Dei libr. 8. cap. 26. T. Liv. libr. 8. Decad. 3. Suet. in Vitâ Tiberii cap. 7. Æl. Spart. in Adr. Jul. Capitol. in Antonin. Philosopho, Val. Max. libr. 2. c. 1. & Auson. Gryph. Edyll. 11. m T. Livius libr. 9 Strabo libr. 5. Silius Ital. libr. 11. Punic. Capitolinus in Vitâ Veri, & Lamprid. in Vitâ Antonini.

DISSERTATIO XVIII.

Nemesis, seu Adrastea non patitur homines insolentiùs efferri.

Veteres pro diversis Dei operibus, diversa etiam Deorum nomina excogitarunt. Paulus Æmylius Perse devicto Deos orasse dicitur, ut, si cui Deorum sua felicitas nimia videretur, is ipsum defungi suâ potiùs, quàm Reipublicæ clade pateretur. Philippus tribus eodem die lætissimis nunciis acceptis Deos precatus esse fertur, ut tantis bonis aliquid mali immiscerent. Polycrates de consilio Amasis amici sui, qui Polycratis nimiam felicitatem suspectam habebat, gemmam pretiosissimam in Mare projecit; quum autem in pisce Polycrati donato ea reperta esset, Amasis missis legatis ejus amicitiam renunciavit; & mox Polycrates Regno spoliatus cruci est affixus. Nemesin, quum sit divina providentia, Nocte procreatam Hyginus prodit; quòd Dei consilia nullus possit comprehendere; sic & alii Necessitatis filiam esse tradiderunt, quia fato inevitabili Stoicis auctoribus omnia administrentur; fatum autem sit Dei providentia. Agoracritus de sculpturâ cum Alcamene contendens, & iniquis Atheniensium sententiis victus statuam suam vendidit eâ lege, ne Athenis esset. Perperam Statius, & Politianus Nemesin maleficum numen inducunt Græci Persis devictis e marmore, quod illi, ut trophæum statuerent, attulerant, Nemesis simulacrum effinxerunt.

Quem proprium fuisse Romanorum morem Virgilius [a] dixit, ut subjectis parcerent, superbos debellarent; hunc veriùs Augustinus [b] in libro de Civitate Dei primo firmat Deo optimo maximo
1 tribuendum Summus ille nimirum naturæ Conditor, & omnium Rector ex altissimo divinæ majestatis fastigio cuncta disponens non finit altiùs efferri insolescentem superbiam. Quapropter elatos deprimit, humiles extollit, & illustrat obscuros, & obscurat illustres; ut, quum homines animadvertant, nihil esse perpetuum, stabile, firmum in rebus humanis, momentoque pæne temporis summa infimis misceri; illum verè magnum, verè potentem, verè excelsum, verè admirabilem esse intelligant. Hinc existunt vicissitudines rerum, mutationesque regnorum, quæ quum maximè videntur ad summam evecta potentiam subvertuntur. Idcirco timendum omnibus, cavendumque iis præcipuè, qui prosperâ fortunâ, rebusque prolixis utuntur, ne suâ magnitudine insolescant; non enim infimos percellit, sed summos evertit Deus, & insenus humanæ arrogantiæ frangit superborum cervices. Atque hoc non modò nostri sapientes, divinæque lit- 2
teræ, sed etiam poetæ, profanique scriptores tradiderunt. Hinc Horatius [c] cecinit

...... valet ima summis
Mutare, & insignem attenuat Deus
Obscura promens.....

hinc [d] Hesiodus:

Ῥεῖα μὲν γὰρ βριάει, ῥέα δὲ βριάοντα χαλέπτει,
Ῥεῖα δ' ἀρίζηλον μινύθει, καὶ ἄδηλον ἀέξει,
Ῥεῖα δ' ἰθύνει σκολιὸν, καὶ ἀγήνορα κάρφει
Ζεὺς ὑψιβρεμέτης.....

Nec aliò pertinet [e] Æsopi sententia, qui interrogatus, quid agerent Dii, respondit Deos alia struere, alia destruere; struunt videlicet humilia, & abjecta, demoliuntur excelsa, & admiranda; sed & Euripides hanc Dei naturam superborum felicitatem pari calamitate pensantis eleganter expressit his carminibus, quæ [f] nos illustranda suscepimus

Ὦ μῆτερ, ἥτις ἐκ τυραννικῶν δόμων
Δούλειον ἦμαρ εἶδες, ὡς πράσσεις κακῶς,
Ὅσον περ εὖ ποτ', ἀντισηκώσας δέ σε
Φθείρει θεῶν τις τῆς πάροιθ' εὐπραξίας

Sic autem non inconcinnè converti possunt

O mater, alto Regiæ e fastigio
Quæ devoluta dignitatis, nobili
Cervice perfers vile servitii jugum,
Olim beata quàm fuisti, nunc agis
Tam miserè, & aliquis te malis pensans bona
Felicitatem ob pristinam perdit Deus

Quibus in carminibus indicat Euripides fuisse quoddam Numen, quod malis ingentibus felicitatem Hecubæ pristinam compensarit, quod nam autem illud fuerit, non indicat, quod nos, ut hunc Euripidis locum illustremus, hodierno die faciemus. Vete-
3 res igitur quum animadverterent hunc esse, ut initio dicebamus, illius Providentiæ divinæ morem, ut secundis rebus elatos perverteret, & divinum Numen, ut [g] Plinii verbis utar, in partes digererent, *ut portionibus quisque coleret, quo maximè indigeret*; hanc etiam Dei vim superbos deprimentem, & humiles attollentem proprio nomine appellarunt, proprioque cultu, propriisque templis coluerunt; nam ille quandam finxerunt Deam felicium inimicam prosperitati, miserorumque fautricem, quam Nemesin, vel Adrasteam vocaverunt, quam libro primo de Nuptiis Philologiæ Martianus Capella describit. Hæc autem in illis deorum generibus, quæ septem numerat [h] Clemens 4
Ale-

[a] Virgil. Æneid. libr. 6. [b] D. August. libr. 1. c. 1. [c] Horat. libr. 2. Od. 34. [d] Hesiod de Operib. & Dieb. v. 5. [e] Jo: Stobæus serm. 103. [f] Eurip. in Hecubæ Prol. [g] Plin. libr. 2. cap. 7. [h] Clem. Alexandrin. in Protrept.

Alexandrinus, non collocatur; qui vel a-
stra, vel terræ fructus, vel pœnas, & cala-
mitates Deos habitos esse censet, quos *πα-
λαμναίους*, vel *ἀποτροπαίους* Græci; averruncos
Latini vocant; vel res ipsas, quæ ex ho-
minum naturâ proficiscuntur [a].

Ut colitur Pax, atque Fides, Victoria, Virtus,
Quæque salutato crepitat Concordia nido;

vel duodecim Deos, quibus erant Athenis
duodecim aræ dedicatæ; vel hominum af-
fectiones, ut Pallorem, & Pavorem, qui-
bus Tullus [b] Hostilius fana consecravit;
vel Dei beneficia. Neque enim inter eos,
quos *παλαμναίους* Græci vocant, est reponen-
da; neque eam Antiqui, ut averterent,
&, ut vetere verbo utar, averruncarent,
venerabantur, sed interdum bona ab ipsâ
petebant. Nam quemadmodum Paulus Æ-
5 mylius Perse Macedonum Rege devicto Ne-
mesin est veritus, & deprecatus; qui Deos
orasse dicitur, ut, si cui Deorum sua felicitas
nimia videretur, is ipsum defungi suâ po-
tiùs, quàm Reipublicæ clade pateretur; &
Philippus [c] Alexandri Magni pater, qui tri-
bus eodem die lætissimis nunciis allatis Deos
precatus esse fertur, ut tantis bonis aliquid
mali immiscerent; sic & miseri ab eadem
felicitatem precabantur, quum esset ex eo
genere Deorum, quos [d] Homerus *δωτῆ-
ρας ἐάων bonorum datores* vocat. Siquidem
Ammianus Marcellinus de eâ sic loquitur:
*eademque necessitatis insolubili retinaculo mor-
talitatis vinciens fastus tumentes incassum, &
incrementorum, detrimentorumque momenta
versans, nunc erectas mentium cervices oppri-
mit, & enervat, nunc bonos ab imo suscitans
ad bene vivendum extollit*. Ex quibus verbis
6 intelligi potest Nemesin non modò pœnis
præesse, verùm etiam beneficiis. Qua-
propter poëta Græcus [e] in Anthologiâ il-
lam tanquam numen beneficum, & salu-
tare precatur

Α᾽δράστειά τε δῖα, καὶ ἰχναίη σε φυλάσσοι
Παρθένος......

Quum [f] autem Democrito placeat duos es-
se tantùm Deos, pœnam, & beneficium,
apparet Antiquos hoc nomine universam
Dei providentiam esse complexos. Unde
Plato in Phædro Adrasteam pro divinâ pro-
videntiâ accipit, & in quincto de Republi-
câ libro eandem invocat leges conditurus,
tanquam primam, supremamque legem om-
nium Mortalium, ut ait Pindarus, & im-
mortalium Reginam. Neque [g] Aristoteles
a Platone dissentit, qui Adrastæam dictam
putat quasi, *ἀναπόδραστον αἰτίαν οὖσαν κατὰ φύ-
σιν inevitabilem causam existentem secundùm
naturam*, quem sequitur Phornutus in li-
bro de naturâ Deorum, quid enim aliud
inevitabilis causa rerum, nisi lex illa supre-
ma, quam providentiam solemus appellare,
qua quum omnia regantur, nihil ejus vim,
potestatemque effugit? quocirca Marcelli-
nus hanc Adrasteam causarum vocat Regi-
nam, & arbitram rerum, ac disceptatricem.
Hanc autem felicibus esse infestam credi- 7
derunt, quia mos illius divinæ providen-
tiæ esse videatur, non pati cujusquam feli-
citatem esse perpetuam, ac sempiternam.
Quapropter [h] Amasis, quum hospitio Poly-
cratis Tyranni Samiorum, & amicitiâ ute-
retur, audiretque nihil illi improsperum
unquam accidisse, sed omnia ex animi
sententiâ fluxisse, nunquam restante for-
tunâ ejus inceptis, hominis nimiam felicita-
tem exhorruit, & rerum cursum tam inof-
fensum hæsurum ingenti aliquâ clade sus-
picatus, admonuit Polycratem, ut ejus,
quod carissimum possideret, jacturâ sese
redimeret a periculo suis rebus imminente;
solere quippe res nimiùm lætas in maximas
incurrere calamitates. Habebat Polycrates
anulo, quem quotidie gestabat, inclusum
smaragdum pulcherrimum, & eximiæ ma-
gnitudinis, vel ut [i] Plinio placet, sardony-
chen; ejus gemmæ pretium superabat ars
Theodori, a quo egregio opere scalpta fue-
rat. Hanc navigio provectus in altum Po-
lycrates mersit, eo damno invidiam fortu-
næ deprecaturus; quæ tam levi pœnâ de-
fungi non est passa Polycratem, & id pia-
culum felicitatis recusavit; nam quum pi-
scator eximiæ magnitudinis piscem Poly-
crati attulisset, in ejus ventre gemma, quam
ille in mare sponte projecerat, reperta est.
Quod quum Amasis rescivisset, missis lega-
tis Polycrati amicitiam, & hospitium re-
nunciavit, quum diceret se nolle eo ami-
co uti, cui sciret ingens aliquod malum
impendere, ne frustra angi amici calamitate
cogeretur. Nec vanus fuit vates; paulo
post ab Oronte Magni Regis præfecto Re-
gno spoliatus Polycrates, & libertate, affi-
xusque cruci pœnas diuturnæ felicitatis a-
cerbissimas dedit. Quum autem Nemesis a
divinâ providentiâ diversa non videretur, 8
non sine causâ Veteres Nocte [l] procrea-
tam esse voluerunt, quod est ab Hygino
proditum, quod consilia mentis illius æter-
næ, quum nullius possint ingenio compre-
hendi, quodammodo in obscurissimâ nocte
latere videantur. Nec minùs doctè alii Ne-
cessitatis filiam esse tradiderunt, quum om-
nia fato inevitabili Stoicis auctoribus ad-
ministrentur; unde laudatur carmen illud

Ducunt volentem fata, nolentem trahunt.

Fatum autem nihil aliud sit, quàm Dei vo-
luntas, & providentia; siquidem fatum est,
Kkk 3 Var-

[a] Juven. Sat. 1. v 113. [b] T.Liv. l. 1. [c] Plutarch. in Vitâ Alex. [d] Hom. Odyss. Θ. v. 325. [e] Diod. in Anthol. l. 1. ep. 226. εἰς εὐχήν. [f] Clem. Alex. in Protr. [g] Aristot. de Mundo. [h] Herodot. l. 3. [i] Plin. l. 37. c. 1. [l] Hesiod. Theogon.

Varrone teste, quod Dii fantur; quò Statius respexit, quum de Jovis oratione dixit [a]

...... grave, & immutabile sanctis
Pondus adest verbis, & vocem fata sequuntur

9 Licet autem hæc Dei voluntas regentis omnia, & administrantis, pœnasque superbis infligentis, & extollentis abjectos, immutabile sit quiddam, & constans, firmumque, & haudquaquam fortunæ obnoxium; tamen propter varios Mortalium casus, humanasque vicissitudines Veteres Adrasteam [b] varium, & mutabile numen esse tradiderunt; non quia sit inconstans, vaga, volubilisque, quemadmodum fortuna; sed quia res hominum sæpe mutet, convertat, misceat; confundat; hinc & alas ipsi affinxerunt; ut Angelus Politianus [c] testatur his carminibus

Est Dea, quæ vacuo sublimis in aëre pendens
It nimbo succincta latus, sed candida pallam,
Sed radiata comam, ac stridentibus insonat alis

& pedibus ejus rotam [d] subjecerunt, sicut Nonnus testatur hoc versu

Καὶ τρόχος αὐτοκύλιστος ἑὴν παρὰ ποσσὶν ἀνάσσης

hoc est

Sub pedibus Divæ rota sponte voluta jacebat;

& Lunari globo præesse dixerunt, ut Ammianus Marcellinus libro decimo quarto indicavit, quòd sub Lunâ orbis ille crescentium, & decrescentium rerum versetur. Hæc autem Rhamnunte pago [e] Atti-
10 cæ colebatur; quocirca Lucanus cecinit,

Et tumidis infesta colit quæ numina Rhamnus

Unde Rhamnusia dicebatur; Catullus [f]

Nil mihi tam valde placeat Rhamnusia Virgo;

Colebatur [g] & in Phrygiâ in templo, quod Adrastus, qui fuit, nisi fallor, Midæ filius Herodoto [h] dictus, ipsi condidit; quocirca Stephanus [i] Adrasteam potat appellatam; & Epigramma, quod Strabo [l] citat, idem testatur. Atque hæc omnia nomina Græca sunt; negat autem Plinius [m] habere latinum nomen, licet in capitolio Nemesis adoraretur; neque enim si latinè dixeris Indignationem, Græci verbi vim expresseris. Est quippe Nemesis animi affectio, qua malis bona evenire indignamur; quæ ab Aristotele inter virtutes meritò collocatur.

Quare non propriè Agoracritus [n] signum suum Nemesin appellavit, quum de sculpturæ artis præstantiâ cum Alcamene contendisset, & iniquis Atheniensium sententiis civi suo faventium victus esset, signumque vendidisset eâ lege, ne Athenis esset; neque enim si Agoracritus indignabatur, ideo, quòd bona malis evenirent, indignabatur; & minùs etiam propriè Angelus Politianus in Elegiâ de morte Albieræ Nemesin maleficum Numen inducit; & [o] Statius, quem Politianus est imitatus, in Epicedio Pileti Ursi. Melius omnino 12
Græci, qui Persis devictis e marmore, quod illi, ut trophæum statuerent, attulerant, Nemesis fecere simulacrum, & ei Deæ posuerunt, de quo Ausonius hoc epigramma composuit [p]

Me lapidem quondam Persæ advexere, trophæum
Ut fierem bello, nunc ego sum Nemesis;
At sicut Græcis victoribus asto trophæum,
Punio sic Persas vaniloquos Nemesis

Persæ quippe insolescentes rebus prosperis, vitiisque corrupti Adrasteæ pœnas meruerant; quod idem Trojanis acciderat malè usis fortunâ suâ; unde non minùs rectè a Nemesi punitos indicat Euripides in versibus, quos explicamus. Est enim 13
profectò, est vis illa divina, quæ improbos ulciscitur; neque exultare diu, & bonis insultare permittit: hæc regnum Crœsi [q] nimis insolescentis, & optimo Regi Persarum Cyro bellum inferentis evertit: hæc Dionysium [r] Siculæ tyrannum e tanto fastigio dejectum coegit Corinthi litteras profiteri: hæc [s] Syllam verè crudelem, falsò felicem atrocissimo morbi genere extinxit: hæc [t] Marii longo tempore impuniti miseriis tot interfectorum Manibus parentavit: hæc Sybaritas [u] nimium luxu diffluentes delevit [x]: hæc Scythas [y] barbarâ immanitate in victos sævientes maximis [z] cladibus affecit: hæc Tarentinos [a] Carbinatium feminis per summum scelus illudentes fulmine interfecit: hæc [b] Spartanos principatu Græciæ potitos, & fortunæ donis abutentes Leuctricâ clade profligavit: hæc Ætolorum finitimas regiones, urbesque diripientium exosa [c] avaritiam, crudelitatemque Romanis [d] domitos magnâ

clade

[a] Statius libr. 1. Thebaid. [b] Ammianus Marcellin. libr. 14. & Cæl. Rhodig. libr. 11. cap. 19. [c] Angelus Politian. in Mant. in princip. [d] Nonnus in Dionysiac. [e] Pausan. in Atticis. [f] Catull. epigr. 69. ad Manlium. [g] Strabo libr. 13. [h] Herodot. libr. 1. c. 35. [i] Stephanus de Urbibus. [l] Strabo libr. 13. [m] Plin. libr. 28. cap. 2. [n] Plin. libr. 36. cap. 5. [o] Stat. Sylv. libr. 2. [p] Auson. epigr. 20. [q] Herod. libr. 1. & Justin. libr. 1. [r] Cic. libr. 9. Epistol. ad Familiar. Epist. 18. & Justin. libr. 21. [s] Plutarch. in Vitâ Syllæ. Plin. de Vir. Illustr. c. 75. Appian. libr. 1. de Bell. civil. [t] Plutarch. in Vitâ Marii. Plin. de Vir. Illustrib. cap. 88. [u] Ælian. Var. Histor. libr. 1. cap. 29 [x] Plin. libr. 7. cap. 22. & Ælian. Var. Histor. libr. 3. capit 43. [y] Herodot. libr. 4. cap. 62. [z] Idem libr. 1. & 2. [a] Athen. libr. 12. cap. 5. [b] Plutarch. in Vitâ Pelop. & Agesilai, & Ælian. Var. Hist. libr. 7. cap. 14. [c] Polyb. libr. 2. Histor. & libr. 4. & Tit. Liv. libr. 34. [d] Plin. libr. 36.

clade subjecit: hæc denique vestigia sem-
per insequens facinorosorum eos tandem
deprehendit, ex [a] quo *ἰχναία ἀπὸ τῶν ἴχνων*
a vestigiis est appellata; qua de causâ ab Ho-
ratio [b] verè, sapienterque dictum est:

Rarò antecedentem scelestum
Deseruit pede pœna claudo.

DISSERTATIO XIX.

De Somniis.

Philosophi ferè omnes, etiam qui reliqua divinandi genera sustulerunt, divinationem, quæ contingit in somniis, comprobarunt; & quibus rationibus moverentur. Somniorum quinque genera sunt, & qui Dii ea mittere putarentur. Interpretatio illorum inventa est a Telmissensibus, & spectabat ad vates, eique præerat Dea Brizo. Expiatio somniorum quomodo, & quibus rebus fieret. Pythagoreos a fabis nonnulli abstinuisse dixerunt, quia inflationem efficiant; alii tamen putaverunt ipsos hoc pacto præcipere temperantiam; alii verò ambitionem prohibere. Cæsari somnium, quo sibi visus est cum matre corpus miscere, Imperium Orbis terrarum portendit; alii thesaurum indicavit ovum e fasciâ lecti suspensum. Interpretatio cujusdam loci Persii allata a Cælio Rhodigino rejicitur, & approbatur Casaubonus.

SEquuntur [c] Euripidis Anapæsti, qui-
bus inducit Hecubam e tanto for-
tunæ fastigio dejectam, & misera-
bili casu afflictam, lugentemque, &
non tam præteritis malis, atque præ-
sentibus mæstam, quàm imminentium præ-
sagam, & ideo sollicitam, ac lamentantem.
Quos ego versus hodierno die breviter ex-
plicabo, ac ne singulis locis illustrandis diu-
tiùs immorer, plures unâ dissertatione com-
plectar. Atque ut de eo primùm dicam,
1 qui primus occurrit; convenienter Hecu-
bæ personæ fingit Poëta vidisse in somnis
cervam, quam abstractam a suis genibus lu-
pus immanis super Achillis tumulum tru-
cidaret; quo somnio de futurâ Polyxenæ
filiæ morte admonebatur, quam Pyrrhus cru-
deliter patris Manibus immolavit. Nam He-
cubam fuisse ex eo genere hominum, qui-
bus futura solent in somnis demonstrari,
poëtæ memoriæ prodiderunt; siquidem in-
cendium Trojæ [d] per ambages tanto ante
prævidit, quum Alexandrum paritura sibi
visa est parere ardentem facem; meritò e-
tiam somnio perterritam inducit, quæ ma-
gno suo, Patriæque malo somniis fidem ha-
bendam esse didicisset; &, ut ait [e] Sene-
ca, non vana vates ante Cassandram fuisset.
Quanquam si non Hecubæ ea evenissent,
quibus aliquando futura somniis significa- 2
ri declararetur, tamen ea fuit Antiquorum
superstitio, tantumque somniantium visis
Veteres crediderunt, ut non sine causâ He-
cuba perturbari videretur; neque enim vul-
gus modò, & superstitiosæ aniculæ somniis
movebantur, verùm etiam [f] Sapientes. Ita-
que constat Stoicos omnes vetere Acade-
miâ, & [g] Peripateticis consentientibus di-
vinationem, quæ contingit in somniis,
comprobare. Quinetiam illi ipsi, qui reli-
qua divinandi genera sustulerunt, huic uni
fidem habendam esse censuerunt; in qui-
bus fuisse dicuntur Cratippus, & Dicæar-
chus nobiles Peripatetici. Animum quip-
pe existimabant haustum, & delibatum e
mente divinâ, quum somno corpus preme-
retur, liberum ejus regendi curâ, quum
neque a sensibus, neque ab ullâ aliâ re ex-
ternâ avocaretur, & in consortium veniat
animorum divinorum, quibus omnia ple-
na esse censebant, posse futura prænosce-
re; quum & sit ipse per se divinus, et a di-
vinis animis extrinsecùs afficiatur, & mo-
veatur. Itaque Plato [h] summus auctor in- 3
telligendi nos jubet ita affecto corpore ad
somnum proficisci, ut neque nimio potu,
neque cibo simus gravati; tunc enim ani-
mi pars illa, in qua cupiditates resident,
vehementiùs mota mentem, rationemque
perturbat; neque frui permittit spectaculo
rerum, quo alioquin frueretur; ex quo som-
nia existunt tætra, perturbata, temeraria.
Qua de causâ Pythagoreos [i] nonnulli a fa-
bis abstinuisse dixerunt, quòd magnam ef-
ficiant inflationem, animumque perturbent;
quamquam alii rem aliò pertinere tra-
diderunt, qui [l] Empedoclem hoc versu

Δειλοὶ, πάνδειλοι, κυάμων ἄπο χεῖρας ἔχεσθαι

præcipere hominibus temperantiam a re-
bus venereis putaverunt, *κυάμους* enim *ἀπὸ*
τοῦ κύειν a concipiendo nominari; alii [m] hoc
versu abstinendum ab ambitione censent
significari, quia magistratuum suffragia fabis
ferri solerent. His autem philosophorum
sententiis mira somniis accessit auctoritas; 4
nam quum Telmissenses barbari somnio-
rum interpretationem invenerint, ut Cle-
mens [n] Alexandrinus testatur, non modò
omnes nationes, verùm etiam Græcorum
doctissimi, Romanorumque, somniantium
visis plurimum tribuerunt. Quapropter &
de iis

[a] Strab. libr. 9. de Thessal. [b] Horat. libr. 3. Od. 2. [c] Euripid. in Hecubâ. [d] Hygin. fab. 91. & Poëta vetus apud Cicer. de Divinat. libr. 1. [e] Senec. in Troad. Prolog. [f] Cicer. de Divinat. libr. 1. in princip. [g] Cicer. ibid. [h] Plato libr. 9. de Republic. [i] Plutarch. in Sympos. libr. 9. quæst. 10. & Diogen. Laërt. libr. 8. segm. 34. [l] A. Gell. libr. 4. cap. 11. [m] Diogen. Laërt. libr. 8. segm. 34. [n] Clem. Alexandr. Strom. libr. 1.

de iis commentati sunt subtiliùs, & ea in quinque genera diviserunt. Nam alia esse quæ [a] *ἐνύπνια* græcè, latinè insomnia appellentur, quum animus visis temerè moveatur ideo Virgilius [b] ea falsa dixit

Sed falsa ad Cælum mittunt insomnia manes;

alia, quæ phantasmata [c] Græci dicunt, Cicero [d] visa, quum initio somni nobis adhuc vigilare credentibus quædam imagines cernuntur; alia autem [e] *ὁράματα* hoc est *visiones*,
quum futura præmonstrantur in somnis,
5 cujusmodi fuit somnium, quod Dinolochi
mater vidisse narratur; cui quum dormienti esset obversata species filii coronati, eundem vigilans excepit Olympiæ victorem, & complexa est insignem clarissimâ coronâ olympici certaminis; alia oracula græcè *χρηματισμὸς*, quum sacerdos, aut alia persona gravis apertè aliquid eventurum, aut faciendum, non faciendumque denunciat. Hujus exemplum est apud Virgilium libro secundo Æneidos, ubi Hector in somnis apparet Æneæ, præcipitque, ut ereptis ex incendio Trojæ penatibus fugâ sibi consulat; & urbis condendæ locum quærat; sic enim loquitur:

Heu fuge, nate Deâ, teque his, ait, eripe flammis;
Hostis habet muros, ruit alto a culmine Troja:
Sat Patriæ, Priamoque datum, si pergama dextrâ
Defendi possent, etiam hac defensa fuissent.
Sacra, suosque tibi commendat Troja penates;
Hos cape fatorum comites, his mœnia quære,
Magna pererrato statues quæ denique ponto

6 Alia denique somnia, Græci [f] *ὀνείρους* appel-
lant, quum ambagibus quibusdam, & figuris veritas occultatur; cujusmodi fuit somnium [g] Cæsaris, qui, quum sibi visus esset in somnis cum matre corpus miscere, conjectores ipsi dixerunt terrarum Orbis imperio potiturum; quia communis omnium mater tellus habeatur; & [h] somnium illius, qui quum vidisset in somnis ovum e fasciâ lecti suspensum, retulit ad artis peritum somnium, qui pronunciavit latere thesaurum sub lecto; quum autem, qui somnium viderat, invenisset circumdatum aurum argento, & argenti quantulum visum esset, conjectori misisset; tum ille nihil ne, inquit, de vitello? & illud servi cujusdam, quod Artemidorus [i] narrat, qui quum sibi visus esset domino cenam apponere, paucis post diebus herum defunctum extulit; quo somnio mors est domini significata, quòd in funeribus ferale epulum dari soleret, quod *νεκύσιον* Artemidorus [l] appellat. Atque
hoc in genere somnium Hecubæ est col- 7
locandum, quod ab Euripide his verbis describitur; omnia siquidem figuris involuta sunt, cervæ specie Polyxena significatur, Pyrrhus lupi; cervæ autem ipsius cæde sacrificium, quo Polyxena Achillis Manibus est immolata; quibus adeo perspicuè eventus rei demonstratur, ut Hecuba vehementer moveatur, & somnium ad filiam intelligat pertinere; quod ut in melius Deus vertat, his Jovem, & Noctem, & Terram invocat verbis:

Ὦ στεροπὰ Διὸς, ὦ σκοτία νύξ,
Τί ποτ' αἴρομαι ἔννυχος οὕτω
Δείμασι φάσμασιν; ὦ πότνια χθὼν
Μελανοπτερύγων μᾶτερ ὀνείρων
Ἀποπέμπομαι ἔννυχον ὄψιν..

Qui versus ita explicantur

Jovis o fulgur, tenebrosaque nox,
Quid sic visis excitor atris,
Noctu & quatior trepidante metu?
O quæ tellus veneranda creas
Somnia nigris prædita pennis,
Procul a nobis, precor, avertas
Tristes diræ noctis imagines

Et meritò Jovis, & Terræ, & Noctis nu- 8
mina invocavit; nam aliqua somnia a Jove mitti Veteres crediderunt, unde illud maximi Græcorum [m] poëtarum

..... καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστι

hoc est:

..... *nam & somnium a Jove est*

Quæ [n] Eustathius in Homerum vocat *Διοπεμπτα*, & *Διὸς ὀμφὰς* quasi *Jovis voces* dicit appellari, & Homerus in secundo Iliados libro Jovis nuntios nuncupavit; matrem autem somniorum esse Noctem vel Hesiodus nos docuit in Theogoniâ, & Hyginus; qui somnia è Nocte, Ereboque nata confirmat; sed & ex Terrâ somnia prodire [o] Virgilius testatur hoc versu

Sed falsa ad Cælum mittunt insomnia manes,

Ideo [p] Nasamones, ut auctor est Herodotus, somnia in sepulcris captabant, & quæcumque illic in somnis vidissent, sibi putabant eventura. Ex his autem intelligi potest his
carminibus Euripidem omnes Deos esse 9
complexum, qui parentes, & procreatores censebantur somniorum; nam [q] Brizo Dea somniorum, cui Athenæo teste, scaphœ omnibus refertæ præterquam piscibus offerebantur, non auctor somniorum, sed eorum interpretationis [r] habebatur; dicta est autem Brizo *ἀπὸ τοῦ βρίζειν*, quod est *dormire*. Quod autem Euripides alata somnia

esse

---

[a] Macrob. in Somn. Scipion. libr. 1. cap. 3. [b] Virgil. Æn. 6. [c] Macrob. in Somn. Scip. libr. 1. cap. 3. [d] Cic. Academ. Quæst. libr. 1. & de Divinat. libr. 1. [e] Macrob. in Somn. Scip libr 1. cap. 3. [f] Macrob. ibid. [g] Sueton. in Vitâ Cæsar. cap. 7. [h] Cicer. de Divinat. libr. 2. [i] Artemidorus libr. 4. cap. 83. [l] Idem Artem. ibid. [m] Hom. Iliad. β. [n] Eustath. ad hunc Homeri loc. [o] Virg Æn. 6. [p] Herodot. libr. 4. cap. 172. [q] Athen. libr. 8. cap. 3. [r] Cæl. Rhodig. libr. 27. cap. 10.

esse dixit, id Eustathius ab Homero censet esse mutuatum, qui de somnio Agamemnonis ita [a] est loquutus

. ..... ὣς ὁ μὲν ἀπὼν
Ω'χετ' ἀποπτάμενος.....

Illud etiam inprimis adnotandum esse vi-
10 sum est, solitos Antiquos ea, quæ vidissent in somnis Cœlo narrare, vel Soli, quod hic Hecuba facit; non enim Trojanis pedissequis narrat somnium, sed Diis cœlestibus, atque terrestribus; cujus moris testis est locupletissimus in Electrâ Sophocles, qui de Clytemnestrâ nocturnis visis perterritâ sic loquitur

Καὶ πάντα τῦ πάροντος, ἡνίχ' Ηλίῳ
Δείκνυσι τὄναρ, ἔκλυον ἐξηγυμένυ

hoc est

Mihi hæc ab illo audita, qui præsens fuit,
Nocturna Soli visa dum ostendit parens

Quem Sophoclis locum vetustus Interpres explicans, in more positum apud Antiquos fuisse confirmat, ut qui somnis viderant, ea expiantes, & quasi avertentes narrarent Soli; nec Soli tantùm, sed etiam Cœlo, & Terræ; Poëta vetus apud [b] Ciceronem

Libido nunc me cepit miseram proloqui
Cœlo, atque Terræ Medeæ miserias

Quibus Poëtæ versibus locus Gregorii Nazianzeni illustratur, qui sic ait

Et Cœlo verbum fari medicina dolorum est

11 Quæ loca licet non sint de somniis accipienda, ad eundem tamen morem referuntur; quem Euripides tangit, ubi Hecuba Noctem, Jovem, & Terram alloquitur, qua oratione perfectâ se convertit ad Trojanas, & illas interrogat, ubi sit Cassandra, & Helenus; quibus omnium consensu summa vaticinandi peritia tribuebatur. Nec verò mirari debemus, quum Cassandra esset ex eo genere vatum, qui furore, afflatuque divino futura prædicunt, eam potissimùm consuli, quum interpretatio somnii requiratur; nec Helenus quidem satis idoneus interpres esse videatur somniorum, quum aliis futura cognoscendi generibus uteretur, & oracula ederet, & astrorum motibus observandis, & auguriis divinandi scientiam profiteretur, ut [c] Virgilius auctor est his versibus

Trojugena interpres Divûm, qui numina Phœbi
Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis,
Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ

Hæc, inquam, nos commovere non de-
12 bent; nam antiquitus interpretatio somniorum, & auguria, & haruspicina, ut Pausanias [d] ostendit, ad vates pertinebant, ut iidem essent, & somniorum conjectores, & augures, & haruspices. Sed & Theophrastus in characteribus testatur augures, & vates interpretatos esse somnia; ita enim loquitur: κὴ ὅταν ἐνύπνιον ἴδῃ, πορέυεσθαι πρὸς τὺς μάντεις, κὴ ὀρνιθοσκόπυς ἐρωτήσων τίνι Θεῷ, ἢ Θεᾷ προσεύχεσθαι χρὴ hoc est: *& quum somnium viderit, ad vates, & augures proficisci, ut interroget, cui Deo, Deæve vota facere oporteat.* Requirit autem Hecuba Cassandrã, Helenumque vates, ut somnium sibi interpretentur, quod κρίνειν ὀνείρυς [e] dicit; unde ὀνειροκριτικὴ ars interpres somniorum. Quamquam non eo
solùm Antiqui vates consulebant, ut si quid 13
somniis portenderetur, cognoscerent; sed etiam, ut si quid mali significaretur, id divinis rebus procuratis averterent; quapropter apud [f] Sophoclem Clytemnestra quum Agememnonem vidisset in somnis, hujusmodi visum expiatura mittit libamina defuncti monumento; & apud Poëtam veterem [g] Priamus

..... cursis sumptis suspirantibus
Exacrificabat hostiis balantibus,
Tum conjectorem postulat pacem petens,
Ut se edoceret obsecrans Apollinem,
Quò sese vertant tantæ sortes somniûm.

& apud [h] Plutarchum Pausanias Byzantinus puellâ, quam vitiarat, occisâ, quum ea dormientem terriculis exagitaret, animam puellæ incantamentis evocavit. Ad has autem
somniorum expiationes respicit [i] Tibullus 14
his verbis

At natum in curas hominum genus omnia noctis
Farre pio placant, & saliente sale

quod nihil aliud est, quàm molâ salsâ. Idem elegiâ quintâ libri primi.

Ipse procuravi, ne possent sæva nocere
Somnia ter salsâ deveneranda molâ

& [l] Martialis hoc epigrammate

Semper mane mihi de me mera somnia narras,
Quæ moveant animum, sollicitentque meum.
Jam prior ad fæcem, sed & hæc vindemia venit,
Exorat noctes dum mihi saga tuas;
Consumpsi salsasque molas, & thuris acervos.
Decrevere greges, dum cadit agna frequens,
Non porcus, non cortis aves, non ova supersunt;
Aut vigila, aut dormi, Nasidiane, tibi

& [m] Petronius Arbiter, qui sic ait: *ceterùm ut Lycas Tryphænæ somnium expiavit.*
Quibus autem rebus ad somnia avertenda 15
uterentur, nihil attinet dicere; quum epigrammate Martialis, quod citavimus, ea comprehenduntur; qui tamen non meminit

[a] Homer. Iliad β. v. 71. [b] Ennius apud Ciceron. Tuscul. Quæst. libr. 3. [c] Virgil. Æn. 3. [d] Paus. in Atticis, sive libr. 1. [e] V. Cæl. Rhod. libr. 27. cap. 14. [f] Sophocles in Electrâ. [g] Poët. Vetus apud Cicer. de Divin. libr. 1. [h] Plutarch. de his, qui serò a Numine puniuntur. [i] Tibull. l. 3. El. 4. [l] Martial. libr. 7. ep. 53. [m] Petron. in Satyr.

nit aquæ, qua solitos lustrari, qui somnia viderant, constat ex Aristophane, cujus in Ranis leguntur hæc verba

> Α'λλά μοι, ἀμφίπολοι, λύχνον ἅψατε
> Καλπίσιτ' ἐκ ποταμῶν δρόσον ἄρατε,
> Θέρμετε δ' ὕδωρ
> Ω῾ς ἂν θεῖον ὄνειρον ἀποκλύσω

quæ elegiaco carmine ita reddidi

> *Sed mihi festinâ, famuli, succendite dextrâ*
> *Lychnum, & vicini sumite fontis aquam,*
> *Imposito flammis calefiat lympha lebete,*
> *Quæ vidi, ut puro somnia fonte piem*

Cælius [a] Rhodiginus autem eodem putat Persii versus pertinere, qui Satyrâ secundâ sic loquitur

> *Hæc sanctè ut poscas, Tiberino in gurgite mergis*
> *Mane caput bis, terque, & noctem flumine purgas*

Sed accedo sententiæ [b] Casauboni, qui de eo loqui Persium putat, qui non somnium expiet, sed Diis vota facturus abluat se se, &, si quam venereâ voluptate contraxit labem, fluvio purget. Et sanè in eo loco Persii nulla mentio est somniorum, sed verba facit Poëta de his, qui scelestissima vota nuncupant; & quum animo sint inquinato, dant operam, ut corpore quàm purissimo accedant ad Deos Illud etiam ad-
16 dendum, quoniam de Diis, qui somnia mitterent, diximus, præcipuè somnia proficisci ab Apolline, & Æsculapio; sed ab [c] Iside, atque Osiride, & Sarapide quædam somnia immitti putabantur; ideo Poëta Græcus in Anthologiâ de Sarapide sic ait

> Α'νδροφόνῳ σαθρὸν παρὰ τοιχίον ὑπνώοντι
> Νυκτὸς ἐπιστῆσαι φασὶ Σάραπιν ὄναρ.

Ac præterea Romæ superstitio invaluit, qua Ægypti filii quinquaginta, quorum ex ære statuæ visebantur, habere jus per somnia hominibus futura aperiendi credebantur; de quibus [d] Persius loquitur his verbis

> ...... *nam fratres inter abenos,*
> *Somnia pituitâ qui purgatissima mittunt*
> *Præcipui sunto, sitque illis aurea barba*

Quibus in versibus Poëta Satyricus non si-
17 ne causâ in somnia, quibus respondet eventus, & consonat veritas, pituitâ dicit esse purgatissima; nam qui pituitâ abundant hebetes, tardique censentur, non solùm ad futura, sed etiam ad præsentia pervidenda; etenim ad acumen ingenii, & scientiam futurorum opus est non humidâ, sed ficciore naturâ; quum Heraclitus [e] dixerit: lux ficca anima sapientissima; ideo Aristoteles [f] melancholicos & ingenio præstare confirmat, & idoneos esse ad futura cognoscenda.

DISSERTATIO XX.

Rerumpublicarum pernicies est, si Malis Boni melioris non sint conditionis.

Ad civitatum felicitatem necesse est virtute præstantes viros præmiis affici. Pauci admodum virtutem ipsius amore consectantur; & si qui sint, nullus illorum fructus habetur, nisi in administratione Reipublicæ præferantur aliis. Cicero leges annales improbat; quæ minorem quadraginta tribus annis Consulem creari vetabant; reliquos verò magistratus non multo junioribus demandabant. Alexander decem annis junior ætate consulari decessit. Romani diversos honores omnibus, & cuique singillatim, qui Reipublicæ profuissent, statuerunt. Uni post homines natos Ciceroni togato supplicatio decreta est. Scipio Africanus primus a domitis nationibus nomen traxit, seu potiùs Marcius Coriolanus. Consul unicus creatus est Pompejus. Senatus Neroni propter interfectam matrem inusitatos honores decrevit. Apud Romanos, qui virtutem majoribus præmiis, & honoribus affecerunt, major etiam præstantium virorum copia extitit, quàm apud Græcos, qui parcissimi fuerunt in honoribus tribuendis; & si quæ præmia tribuerunt fortissimis viris, aut doctissimis; tamen ea non sunt comparanda cum pœnis, quas inflixerunt. Miltiadi, qui infinitas Persarum copias deleverat, concessum est, ut in Porticu Pœcile pingeretur; Themistoclem verò oleaginâ coronâ donaverunt. Græci splendidè milites, duces verò parcè honorabant. Cimon eodem die & classem, & copias terrestres delevit. Alcibiades secum victoriam circumferre visus est. Athenienses sub Regibus, aut tyrannis non excelluerunt; postea verò floruerunt quidem litteris, & belli studiis, sed brevi. Orbem terrarum dicebant Soles duos ferre posse; non posse Græciam duos Alcibiades. Aristoteles respondit se urbe excedere, ne iterum in philosophiam delinquerent Athenienses. Accusatores Socratis partim exilio, partim morte mulctarunt Athenienses. Lycurgum Spartani lapidibus sæpe sunt insectati, & quispiam oculum illi effodit. Ephesii nullum utilem in Republicâ civem esse voluerunt.

URbium felicitas civium virtute continetur, Auditores, nec tam aut ubertate soli, aut opportunitate Maris, & fluminum, & facili navium appulsu, aut copiâ metallorum, aut Cœli salubritate, atque

---

[a] Cæl. Rhodig. libr. 27. cap. 16. [b] Casaubonus in Persium ad hunc locum. [c] Sueton. in Vespasian. cap. 7. & Strabo libr. 17. [d] Pers. Satyr. 2. v. 56. [e] Jo: Stob. serm. 17. [f] Arist. in Probl. sect. 30.

que temperie, quàm incolarum justitiâ, temperantiâ, animi magnitudine, prudentiâ, amore Patriæ augescunt, & beatæ fiunt civitates. Idcirco Reipublicæ rectoribus
1 convenit augere opibus, extollere honoribus, præmiis excitare virtutem, nec quidquam magis officit publicæ felicitati, quàm eodem loco bonos, & malos habere, quod summam esse perniciem, summum dedecus civitatum [a] Homerus declarat hoc versu.

Ε'ν δ' ἰῇ τιμῇ ἠ μὲν κακὸς, ἠδὲ καὶ ἐσθλός

quem sequitur Euripides, qui in Hecubâ id esse maximum civitatum malum, eam pestem Rerumpublicarum, quum præstantes virtute cives negliguntur, quum industria jacet, nec boni deterioribus anteponuntur; his autem verbis Euripides utitur:

Ε'ν τῷδε γὰρ κάμνουσιν αἱ πολλαὶ πόλεις,
Ο'ταν τις ἐσθλὸς, καὶ πρόθυμος ὢν ἀνὴρ
Μηδὲν φέρ[illegible]ν κακιόνων πλέον

Quæ verba [illegible]atino sermone reddimus, Auditores,

Namque hoc laborant civitates plurimæ,
Quum nulla merces digna virtutem manet,
Nec antecellunt præmiis pravos boni

De quibus Euripidis verbis hodierno die differemus; ubi Poëta morbum hunc esse civitatum plurimarum asseverat, invidere virtuti, nec bonis artibus ullum præmium velle constitutum, & fortes juxta, & ignavos; stultos, & sapientes pati in eadem turbâ versari. Et sanè non solùm morbus est, sed extrema pernicies civitatum contemptus virtutis; nam ubi virtus non colitur, ibi nullam esse necesse est, aut si aliqua sit, non posse prodesse Reipublicæ. Utinam ita
2 esset naturâ comparatum, ut plerique Mortalium ad præclara facinora ipsius virtutis specie, & pulchritudine excitarentur, a vitiis autem pravitatis ipsius turpitudine deterrerentur, præclarius sese res humanæ haberent. Sed pauci virtutem virtutis amore consectantur.

..... *quis enim*, inquit [b] Juvenalis, *virtutem amplectitur ipsam*
Præmia si tollas?......

quod adeo verum est, ut magnificentiùs, quàm veriùs loquutus esse videatur [c] Poëta, qui dixit:

Ipsa quidem virtus pretium sibi, solaque latè
Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur, plausuque petit clarescere vulgi;
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Divitiis animosa suis, immotaque cunctis
Casibus, ex altâ mortalia despicit arce,

Nam quamquam per se expetenda virtus, tamen vulgus hominum cæcatum cupiditatibus, voluptatibus irretitum, pravis opinionibus deceptum, summum bonum, quod est in virtute collocatum, aut non videt, aut non sequitur. Sed si quis existat eâ præstantiâ mentis, eo robore animi, ut rebus externis non moveatur, nec populares plausus aucupetur, nec honores, nec dignitatem, nec opes, nec gloriam concupiscat, & fit, ut ait [d] Horatius,

..... *in seipso totus teres, atque rotundus*,

qui nihil extra se positum desideret, & præmium rectè factorum ipsa facta arbitretur; tamen nisi ejus virtus, tanquam pictoris excellentis tabula, in bono lumine collocetur, non apparebit, nec poterit juvare Mortales, quia [e]

Paulum sepultæ distat inertiæ
Celata virtus......

Epaminondas [f] illud magnum Græciæ lu-
men, quo florente floruit, & occidente oc- 3
cidit gloria, & potentia Thebanorum, quadraginta annos latuit, nec attigit Rempublicam; eo temporis intervallo tam diuturno nihilo plus Reipublicæ profuit Epaminondas, quam quilibet delicatus, & inertiæ deditus civis. Si virum omni virtute Græciæ principem Thebani honoribus non extulissent, magnum quidem inter Epaminondam, & ceteros discrimen intercessisset, sed fructum nihilo majorem ex Epaminondæ virtute, quàm ex cujusvis despicatissimi hominis ignaviâ Respublica percepisset; qui simulatque creatus est Thebanorum imperator Græciæ principatum Patriæ vindicavit. Ideo Cicero Philippicâ quintâ leges annales non omnino probat, quæ minorem annis quadraginta tribus Consulem fieri quenquam non permittebant; alios autem magistratus non multo junioribus demandabant; quòd plerumque civitas non uti virtute summorum virorum cogeretur; quum eam ætatem ab administrandâ Republicâ probiberet, qua præstantissimi duces rerum a se gestarum gloriâ Orbem ter-
rarum complessent. Et sanè [g] Magnus A- 4
lexander decem annis junior ætate consulari decessit, quum Orientem universum in suam ditionem redegisset, & Indiam primus, vel inprimis victoriis peragrasset; & [h] Pompejus, qui cognomine, sicut rerum gestarum magnitudine, Alexandrum æquavit, admodum adolescens præclarissimos egit triumphos, & tres Orbis terrarum partes victoriâ conjunxit; nec in [i] Africano Scipione expectata est ætas consularis, quam si expectassent Romani, nunquam ille Pœnos ex Hispaniis expulisset: nunquam Hannibalem in Italiæ visceribus decimum sextum annum hærentem, in Africam retraxisset;

[a] Homer. Iliad. libr. 9. v. 319. [b] Juvenal. Sat. 10. v. 140. [c] Claudianus de Cons. Mall. Theod. in princ. [d] Horat. libr. 2. Sat. 7. [e] Hor. l. 4. Od. 9. ad Lollium. [f] Corn. Nep. in Epam. [g] Cic. Philipp. 5. & Plutarch. in Vitâ Alexandr. [h] Plut. in Vitâ Pompeii, & Plin. libr. 7. cap. 26. [i] Plin. de Viris Illustr. cap. 49. Cic. Philipp. 5. Valer. Max. libr. 8. cap. 16.

xiſſet; nunquam viciſſet invictum imperatorem, nunquam Carthaginem Romanis parere coëgiſſet. Quocirca Romani veteres
5 nemini, in quo virtutis indoles eximia cerneretur, ætatem obſtare voluerunt, quominus perſpecta virtus Reipublicæ gubernaculis admoveretur. Sic [a] Rulli, Decii, Corvini, Flaminii, quum florentes ætatibus magnos exercitus ductarent, ingentibus rebus geſtis & ſe ipſos, & Patriam gloriâ honeſtarunt. Sed leges annales adoleſcentiæ temeritatem pertimeſcebant; ideo cives carere virtute florentiſſimorum juvenum, quàm ſæpe cujuſquam audacibus conſiliis affligi Rempublicam maluerunt. Ea verò civitas, quæ confuſo diſcrimine recti, pravique, non magis honores mandat ſtrenuis, quàm ignavis; induſtriis, quàm inertibus; ſapientibus, quàm ſtultis; prudentibus, quàm ſtolidè ferocibus, nullo modo digna veniâ eſt; nullam rationem reddere poteſt tantæ pravitatis; quippe jaceat, nec virtute magnorum virorum fruatur, quam contemnit, neceſſe eſt; quando enim ea præſtantibus viris committetur, quum etiam in his urbibus, in quibus virtuti præmium conſtitutum eſt, bonorum tanta ſit paucitas, tanta autem malorum multitudo? Idcirco bene temperatæ civitates eam primam curam habuerunt, ut fortibus, & ſapientibus, & moderatis viris pateret facilis ad honores, ad Rempublicam aditus, omneſque præmiis incenderentur ad virtutem. Hinc in re mili-
6 tari tot inventa decora præſtantium bellatorum, [b] armillæ, torques, phaleræ, haſtæ puræ, coronæ civicæ [c] ob ſervatum civem, obſidionales ob exercitum obſidione liberatum, murales ob conſcenſos hoſtium muros, vallares ob captum vallum, navales roſtratæ ob claſſem hoſtium profligatam; aucta [d] ſtipendia, conceſſa fortibus viris militiæ, & publicorum munerum vacatio, agri aſſignati, donata cærulea, vel pura vexilla, corniculæ, aureæ coronæ, boves ad immolandum, aureæ pateræ magni ponderis ad ſacrificandum, decretumque, ut victores inirent Urbem ovantes, vel triumphantes, qui ſummus honorum habebatur; neque enim triumpho pompa ulla ſpecioſior, quo duces devictarum gentium ſpolia præ ſe agentes, victoſque duces, captoſque Reges trahentes ſuper ora vulgi ferebantur, curruque ſublimes in urbem invehebantur.

Eodem, & decretæ Diis victoriæ ergo ſupplicationes [e] pertinebant, quibus templa victorum nomine reſerabantur; qui honos magnis rebus bello geſtis tribuebatur, & triumpho præludebat; ſiquidem uni poſt homines natos Ciceroni [f] togato ſupplicatio decreta eſt, quum Catilinæ conjurationem detexiſſet, oppreſſiſſet, & paucorum conjuratorum nece Patriam ingenti periculo liberaſſet; & Catilinam ex occultis inſidiis in manifeſtum latrocinium conjeciſſet; ſtatuæ [g] quoque triumphales magnis ducibus publico decreto ponebantur. Hi verò
honores communes omnium, qui bello 7
auxiſſent Rempublicam; qui verò ſingillatim tribuebantur, eos quis poſſit recenſere? Duillio, [h] qui primo Punico bello primus omnium Romanorum hoſtes navali prœlio profligavit, datum eſt, ut noctu prælucente funali, præcinentibus tibiis domum reverteretur. Cnæo Petrejo [i] Atinati Centurioni, quòd per caſtra hoſtium circumſidentium eruperat; legionemque ſuam ſervaverat, conceſſum eſt, ut foculo poſito ad tibicinem prætextatus immolaret. Pompejo Magno Mithridate, & Tigrane potentiſſimis Regibus debellatis, & ſubactâ Aſiâ, ut in omnibus publicis ludis lauream coronam geſtaret, & prætextâ uteretur; equeſtres verò ludos in triumphali veſte ſpectaret; quos tamen honores Pom-
pejus in vitâ ſemel uſurpavit. Huc parti- 8
nent indita victoribus nomina domitarum a ſe nationum; Publius [l] Cornelius Scipio primus omnium (vel potius [m] Marcius, qui Coriolis oppido ejus unius virtute capto, Corioloni nomen accepit) id decus eſt conſequutus, & ab Africâ, quam devicerat, nomen traxit, & ſuperior Africanus eſt appellatus; ejus autem frater, qui [n] Antiocho magno Rege ſuperato ab aliâ terrarum parte nomen quæſivit, Aſiaticus. Metellus [o] quoque a Jugurthâ Rege Numidarum, quem magnis cladibus afflixerat, Numidici cognomen accepit; & ſimilem gloriam [p] Metellus alius adeptus, qui quòd Cretam in ditionem, poteſtatemque populi Romani redegerat, Creticus nominatus eſt; & [q] Fabius Maximus, qui Allobrogum gentem bello contuderat, Allobrogici nomen meruit; ideo Juvenalis [r] dixit:

Cur Allobrogicis, & magnâ gaudeat arâ
Natus in Herculeo Fabius lare, ſi cupidus, ſi
Vanus,

---

[a] Cic. Philipp 5. [b] A. Gell. libr. 2. c. 11. [c] Idem libr. 5. cap. 6 & Plin. libr. 16. cap. 4. [d] V Jul. Cæſ. Bulenger. de Triumph. cap. 12. [e] Cæſ. libr. 2. Belli Gallici, Plutarch. in Vitâ Cæſaris, & Appian. Bell Civil. libr. 3. [f] Cic. in Catilin. Orat. 3. & in Piſonem. [g] Plin. libr. 33. cap. 9. & libr. 34. cap. 5. [h] Cic. de Oratore ad Brutum, & in Catone majore, Val. Max. libr. 3. cap. 6. Plin de Vir. Illuſtribus cap. 38 & Silius Italic. libr. 6. [i] Plin. libr. 22. cap. 6. [l] Tit. Livius libr. 21. & Plin. de Viris Illuſtr cap. 49. [m] Liv. libr. 2. & Plin. de Vir. Ill. cap. 18. [n] Tit. Liv. libr. 37. & Val Maxim. libr. 5. cap. 3. & Plin. de Vir. Illuſtr. cap. 53. [o] Salluſt. de Bello Jugurth. Plutarch. in Vit. Marii, Plin. de Vir. Illuſtr. cap. 63. [p] L. Flor. libr. 3. cap. 7. & Martial. libr. 2. epigr. 2. [q] Aſc Pædianus in 2. in Verr. Act. & Senec. de Benef. libr. 4. [r] Juven. Satyr. 8.

Vanus; & Euganeâ quamtumvis mollior agnâ; & Scipio junjor, qui duos imperii Romani terrores Carthaginem, Numantiamque delevit, dictus [a] est Africanus, & Numantinus: Mummius [b] excisâ Corintho Achaicus; nam titulos, & honores, quibus Romani Cæsares affecerunt, supervacuum est recensere; nam eos adulatio, non vera virtus plerumque pariebat. Ad honores quo-
9 que, quibus viri fortes, & optimè de Republicâ meriti vulgo eximebantur, meritò referuntur [c] Valerii Corvini sex, Marii septem [d] consulatus, quinque Furii [e] Camilli dictaturæ, & quum semper duo Consules creari solerent, uni [f] Pompejo mandatus consulatus; imago superioris Africani in Jovis cellâ collocata, unde promebatur, quotiescumque erat Corneliæ genti funus celebrandum; qui honos amplissimo viro tamdiu mansit, quamdiù mansit [g] *Capitoli immobile saxum*. Pompejo [h] Magni, Syllæ Felicis [i], Metello [l] Pii; Valerio [m] Publicolæ ob conciliatam Patribus plebem, Fabio [n] ob plebem urbanam in quatuor tribus distributam Maximi cognomen attributum. Sed omnium titulos, omnium dignitatem, omnium triumphos Scipio Nasica, & Camillus, Ciceroque vicerunt, ex quibus ille [o] optimus a Senatu est judicatus; hi verò urbis [p] conditores, & Patriæ patres sunt nuncupati. Quid enim præclarius,
10 quàm optimi appellatio? ceteræ enim unam aliquam virtutem, hæc sola omnes complectitur, ceteræ in eos etiam possunt convenire, qui non omnes numeros virtutis impleverunt; hæc sola perfectam significat, & omnibus numeris absolutam virtutem. Cujus cognominis quanta vis esset, vel illud argumento est, quod quum Senatus, populusque Romanus novos, & inusitatos honores excogitarent, quibus Cæsares cumularent, & non contenti humanis divinos ipsis tribuerent, & Deos appellarent; uni dumtaxat Trajano [q] optimi cognomen detulerunt, quod ipse Trajanus quamvis omni virtute preditus, nisi Augustus fuisset, forsitan non esset consequutus. Nec minùs venerandum Patris Patriæ nomen; quid enim præstantius, quàm Patriam, cui debemus omnia, ita beneficiis obligare, ut ejus pater esse videaris? quod sanctissimæ necessitudinis nomen omnia in se merita, & beneficia complectitur. Contaminarunt, fateor, id nomen consequuta Reipublicæ tempora, quum servientibus animis non virtuti, sed potentiæ honos habebatur; & qui rerum potiebantur, quamvis timidi, fortissimi; quamvis immanes, clementissimi; quamvis scelestissimi, pii; quamvis infortunati, felices; quamvis omni diritate infra belluas essent, divini vocabantur. Quapropter Patris Patriæ nomen Senatus assentatio, & blandiendi necessitas tribuit Imperatoribus, quos eversores Reipublicæ, imperii clades, humani generis odium, verius appellasset parricidas; sed magnum est intervallum inter honores, qui a liberis, & eos, qui a servis, & necessitate coactis, aut spe aliquâ adductis hominibus deferuntur; quod Juvenalis [r] non tacuit, quum dixit.

...... sed Roma parentem
Roma Patrem Patriæ Ciceronem libera dixit.

In eo, quod liberam appellavit, sunt omnia; nam is verus honos haberi debet, qui a liberis ultro habetur. Siquidem Senatus 11
Romanus, quum serviebat [s] Neroni, propter interfectam nefario scelere matrem, decrevit inusitatos honores; & [t] Commodum gladiatorem, non Cæsarem tanquam Herculē adoravit. Sed ut eò, unde aberravit oratio, revertatur, mihi videntur Romani pluribus, atque amplioribus præmiis, & honoribus bellicam, civilemque virtutem affecisse, quàm Græci; ideo major copia Romanis fortium, & in Republicâ administrandâ præstantium virorum; quod ipsum argumento est verè ab Euripide esse dictum, in eo laborare plurimas civitates, quum boni, & fortes viri dignum suâ virtute præmium non consequuntur. Nam Græci haudquaquam magnis honoribus virtutem clarorum virorum af- 12
fecerunt; Milciadi [u], qui Marathonio prœlio infinitas Persarum copias deleverat, & libertatem civium defenderat, & urbem ex flammâ, atque ferro, & ex faucibus fati ereptam conservarat, id honoris Athenienses tribuerunt, ut in Porticu pœcile, quam Panænus Phidiæ frater pinxit, primus inter alios Prætores Athenien-

[a] Plin. de Vir. Illustr. c. 58. & Eutrop. libr. 4. cap. 3. [b] Plin. libr. 35. cap. 4. & de Vir. Ill. cap 60. Plutarch. in Vitâ Marii. [c] Plutarchus in Vitâ C. Marii. [d] Plutarch. ibid. & L. Florus libr. 3. cap. 3. & Plin. libr. 21. cap. 45. [e] Plutarch. in Vitâ Camilli. [f] Valer. Maxim. libr. 8. cap. 16. & Plutarch. in Vitâ Pompeii, & Caton. & Appian Bell. Civil. libr. 2. [g] Virg. Æneid. libr. 9. [h] Plutarch. in Vitâ Pompeii. [i] Idem in Apophth. Rom. Plinius libr. 7. cap. 34. & 43. & de Vir. Illustr. cap. 75. Appian. libr. 1 Bell. Civil. [l] Plutarch in Apophth. Roman. & Cæl. Rhodig. libr. 24. cap. 6. [m] Valer. Max. libr. 4. cap. 1. Plin. de Vir. Illustr. cap. 15. Plutarch. in Vitâ Publicolæ. [n] T. Liv. libr. 9. Plutarch. in Fabio Maximo aliam causam adducit. [o] Plin. de Vir. Illustr. cap. 44. [p] Plutarch. in Vitâ Camilli in princip. & in Vitâ Cicer. [q] Plin. in Panegyr. [r] Juvenal. Satyr. 8. v. 243. [s] Corn. Tacit. Ann. libr. 14. n. 11. [t] Æl. Lamprid. in Vitâ Commodi, Athen. libr. 12. cap. 8. & Herodian. libr. 1. [u] Corn. Nep. in Vitâ Milciadis.

fium specie milites ad prœlium adhortantis, pugnamque cientis pingeretur: Themistoclem, quum haud dubiè non solùm Patriam, sed etiam Græciam [a] universam Barbarorum jugo liberasset, & Athenas Græciæ principes triumpho Salaminio constituisset, oleaginâ coronâ donaverunt. Honoris quidem magnitudo non pretio præmiorum, sed animo honorantis, sed causâ metienda est; tamen virum immortalitate dignissimum vellem honestamento speciosiore, & ad memoriam nominis propagandam firmiore decoratum. Demetrio [b] Phalereo trecentas sexaginta brevi statuas posuerunt, quas eo expulso omnes eodem temporis momento dejecerunt; sed non virtuti tributus est honos, sed potentiæ, quam vir ille in Republicâ obtinebat; sed quod in Demetrio colendo potuit adulatio, vellem in Themistocle virtutis admiratio potuisset. Quæ enim marmora, quæ æra, quæ litteræ, quæ monumenta tantam rei militaris solertiam, tantam in consiliis capiendis prudentiam, tantam animi altitudinem, tantam felicitatem, & victoriæ magnitudinem satis Posteris commendassent? Libe-
13 raliùs planè Athenienses Harmodium, Aristogitonemque honoribus affecerunt, quibus [c] ob interfectum Hipparchum Hippiæ Tyranni fratrem ex ære statuam posuerunt: Aristidem publico sumptu mortuum extulerunt; & duas filias datis pro dote duodenis millibus in matrimonium collocarunt; & Lysimacho filio centum argenti minas, & totidem jugera agri culti, & quaternas quotidie drachmas decreverunt. Iis autem, qui pro Patriâ pugnantes ceciderant, publico sumptu sepulcrum statuerunt, & unum e principibus civitatis, qui de laudibus eorum diceret, elegerunt. Quapropter, & apud [d] Thucydidem Periclis legimus funebrem orationem, & apud Demosthenem extat oratio, & apud [e] Platonem, quâ illi viri miris laudibus efferuntur; & eorum filiis, usque ad pubertatem, & parentibus senectute confectis alimenta decreverunt. Quo magis mirum est, qui milites tam splendidè honorabant, tam parcè ducibus honores tribuisse; quum imperatorum virtus plus Reipublicæ prosit interdum, quàm multæ legiones fortiter prœliantium bellatorum. Tyrannorum inter-
14 fectoribus Græci plurimum tribuerunt; nam & vivos omni genere honorum cumularunt, & mortuos tanquam heroës, aut Deos coluerunt; philosophos quoque, & doctissimos viros plurimum honorarunt: Hippocratem [f], & [g] Homerum penè divinis honoribus consecrarunt; Beroso [h] ob divinas prædictiones Athenienses inauratâ linguâ statuam posuerunt; Zenoni [i] Cittyeo statuam æream, aureamque coronam Senatusconsulto decreverunt; tantumque homini advenæ fidei habuerunt, ut apud eum claves portarum urbis deponerent; Platoni [l] vittatam navem Siciliæ Tyrannus obviam misit. Ad honores quoque philosophorum pertinet, quod de Xenocrate memoratur, [m] quem ferunt, quum testimonium dixisset, & ad aram de more juraturus accederet, a judicibus jurare vetitum, ne potiùs hominis jurejurando, quàm dicto moveri viderentur: Epimenidi [n] Cretensi, qui Athenas a Cylonio scelere expiavit, & omne genus honorum, & magna præmia Athenienses detulerunt, quæ tamen Epimenides omnia recusavit contentus oleæ sacræ ramo, quæ moria dicebatur, quam a Minervâ in arce primam omnium satam Veteres tradiderunt. Hi tamen honores, hæc præmia,
quæ fortissimis, aut sapientissimis viris Athenienses tribuerunt, cum damnis, cum exi- 15
liis, cum ignominiis, cum suppliciis, quibus optimè de Republicâ meritos cives affecerunt, comparari nullo modo possunt. Quapropter Demosthenes populum Atheniensem belluam nuncupavit, quum questus est Minervam sapientissimam Deorum tribus gaudere bestiis, neutiquam dignis, quæ amarentur; noctuâ, dracone, & populo; quo dicto populum, ut ingratum, ut malevolum, ut detestabilem notavit, quem cum noctuâ, & dracone comparavit. Et sanè fuerunt Athenienses, & plerique Græciæ populi animo potiùs fero, & inhumano; quàm grato, & propenso ad benefaciendum. Si-
quidem [o] Athenienses Theseum, qui verè 16
potest Athenarum conditor nuncupari, post urbem sævis imperiis liberatam, post devictos hostes, post domita monstra, & homines feros, immanesque sublatos, & populum, qui pagatim habitabat, in unam urbem congregatum, & jacta futuræ magnitudinis fundamenta in exilium ejecerunt; & Scyros insula, non Athenæ, quas extruxerat, exuli sepulcrum excitavit. Solonem [p] quo-

que

[a] Herod. l. 8. & Plutarch. in Vit. Themist. [b] Plin. l. 34. c. 6. [c] Herod. libr. 5. & Athen. l. 15. c. 15. Thucyd. libr. 6. Val. Maxim. libr. 2. c. 5. [d] Thucydid. libr. 2. [e] Plato Epitaphio. [f] Plin. libr. 7. cap. 37. [g] Ælian. libr. 13. cap. 22. [h] Plin. libr. 7. cap. 37. [i] Diogen. Laërt. libr. 7. segm. 6. in Vitâ Zenonis. [l] Plin. libr. 7. cap. 30. [m] Diogen. Laërt. libr. 4. segm. 7. Cic. ad Attic. libr. 1. Epist. 13. & Valer. Maxim. libr. 2. c. 5. [n] Idem Diog. Laërt. libr. 1. segm. 110. in Epimenid. Plutarch. in Vitâ Solonis, & de Reip. gerendæ præceptis. [o] Plutarch. in Theseo, & Isocrates in Encomio Helenæ, Valer. Maxim. libr. 5. cap. 3. in Extern. num. 3. [p] Plutarch. in Vitâ Solonis, & Val. Maxim. ibid.

que eadem civitas alterum conditorem (si-
quidem non minùs legibus, quàm mœni-
bus fundantur urbes) post Salamina Patriæ
restitutam, post extinctam ejus hortatu Pi-
sistrati Tyrannidem, & recuperatam liber-
tatem coëgit [a] in Insulâ Cypro senem exu-
lare, & in externâ regione summâ sene-
ctute confectum mori. Quid [b] dicam de
Milciade, quem trecentis Persarum mil-
libus fusis, fugatisque, & Marathonio tro-
pæo constituto, quo nihil ad gloriam præ-
clarius proferre possunt, Athenienses con-
demnarunt, & in carcerem conjecerunt,
& mortuum humari non sunt passi, nisi Ci-
mon maximi ducis filius, futurus & ipse
clarissimus imperator iisdem vinculis, qui-
bus [c] patris cadaver exemerat, sese constrin-
xisset? Quid autem [d] Themistoclem re-
17 censeam quem mille ducentisque Persarum
longis navibus partim captis, partim de-
pressis, partim fugatis, ejectoque e Græ-
ciâ Xerxe, & Græciæ libertate defensâ, &
Mardonio superato, & Patriæ mœnibus re-
stitutis, elusisque Spartanorum consiliis cla-
rum, Patriâ, quam servarat, carere, & o-
pem Regis Parsarum Artaxerxis, cujus
patrem fuderat, fugaveratque, implorare
coëgerunt. Qua quidem in re tanto fuit
Rex barbarus mitior, quàm Athenienses,
qui se omnis humanitatis cultores prædi-
cabant, ut Athenienses civem Græciæ li-
beratorem, Patriæ decus, & servatorem, &
patrem extorrem egerint; Rex autem virum
Persarum pestem admiratione virtutis ex-
ceperit, & [e] tribus urbibus Magnesiâ, Lam-
psaco, & Myunte donaverit, ex quibus Ma-
gnesia panem præberet, quæ quinquaginta
quotannis talenta reddebat, Lampsacus vi-
18 num, Myus opsonium ministraret [f]. Non hic
ego referam Athenis excedere jussum [g] Ari-
stidem Themistocli inimico consiliorum in
Græciâ liberandâ socium, quem [h] quum *Ju-
sti* cognomine Athenienses decorabant, se i-
njustos esse, qui talem civem Patriâ expelle-
rent, declararunt: non Phocionem, qui pro-
pter insignem probitatem boni [i] cognomen
est omnium consensu assequutus; qui Athe-
niensium Rempublicam jam ruentem consi-
lio sustentarit, non pulsum in exilium, sed
capitali supplicio affectũ, sed extra fines At-
ticæ abjectum quasi teterrimum parricidam
insepultum: non Cimonem [l] testularum
suffragiis pulsum, cui contigit uni, ut &
classem hostium ducentis navibus constan-
tem, & ingentes terrestres copias eodem
die deleverit: non Alcibiadem [m] bis Pa-
triâ extorrem, quem virum si retinuissent
Athenienses, Græciæ imperium non ami-
sissent; quanta enim vis in eo fuit, qui ad
quoscumque se detulit, hi victores extite-
runt, & secum visus est victoriam circum-
ferre? Sed hic ingentes virtutes cum non
mediocribus vitiis miscuit, potuitque pro-
pter ingenium imperii cupidum, & appe-
tens rerum maximarum videri gravis esse
publicæ libertati. Quid autem Timotheus
meruerat [n] civis egregius, qui tot urbes,
tot insulas, tot socios imperio Athenien- 19
sium adjunxit, qui maria principatum Pa-
triæ vindicavit, cives opulentissimâ prædâ
auxit, hostes ubique vel fugavit, vel dele-
vit? cur proditionis insimulatum, & ini-
quo judicio circumventum condemnavit?
quæ lis centum talentis æstimata est, quam
pecuniæ summam quum solvere non pos-
set Timotheus, Chalcidem se contulit, ibi-
que supremum diem explevit. Sed hos li-
cet populus injustè pœnâ affecerit, tamen
aliquâ, etsi non rectâ ratione motus pecu-
niâ, carcere, exilio mulctavit; timebat
eorum potentiam, ne tanta auctoritas Rei-
publicæ statum convelleret, verebatur.
Nam [o] si de Alcibiade non absurdè vide-
tur dictum, Orbem terrarum Soles duos,
nec Græciam duos Alcibiades ferre potuis-
se, quomodo una civitas Atheniensium tot
viros tantâ rerum gestarum gloriâ, tanto in-
genio, tantis opibus pertulisset? Itaque
testularum suffragium, quod [p] ὀστρακισμὸν ap-
pellabant, quo potentissimus quisque ex
urbe pellebatur, inventum est; non ut ci-
vium delicta punirentur, sed ut eorum
potentia decem annorum exilio compri-
meretur. In [q] Socrate verò puniendo,
quem veneno necaverunt, quid sequuti
sunt Athenienses? num illi nimias ejus
opes reformidabant? num rerum novarum 20
cupidam, dominationis appetentem, in-
quietam, turbidam mentem? num poten-
tiam continentibus magistratibus auctam,
rebusque præclarissimè gestis corroboratam
pertimescebant? nihil in Socrate fuit, qui
in summâ paupertate vixit, qui in perpe-
tuâ tranquillitate consenuit, qui honores
nunquam appetivit, nunquam gessit magi-
stratus, ad Rempublicam nunquam acces-
sit,

[a] Diog. Laërt. l. 1. in Vitâ Solon. Val. Max. l. 5. c. 3. in Extern. n. 3. [b] Corn. Nep. in Vitâ Milciad. Val. Max. ibid. [c] Corn. Nep. in Vitâ Cicer. cap. 1. Valer. Max. ibid. [d] Cornel. Nepos, & Plutarch. in Vitâ Themist. Valer. Max. ibid. [e] Cornel. Nep. in Themist. [f] Cyzicen. Neanthes, & Phanias apud Plutarch. in Vitâ Themistocl. addunt Percoten, & Palescepsin ad stragula, & vestes. [g] Corn. Nep. in Aristid. Val. Max. ibid. [h] Corn. Nep. in Aristid. [i] Idem in Vitâ Phocion. & Plutarch. in ejusd. Vit. [l] Plutarch. & Corn. Nep. in Vitâ Cimonis. [m] Corn. Nep. in Alcib. Plutarch. in Vitâ ejusdem. [n] Corn. Nep. in Vitâ Timothei cap. 2. [o] Ælian. Var. Hist. libr. 11. cap. 7. Plutarch. in Vitâ Alcib. [p] Plutarch. in Vitâ Aristid. [q] Diog. Laërt. libr. 2. segm. 42. in Vitâ Socrat.

sit, maluit mori, quàm videri Patriæ legibus non obtemperare. Profectò quum Socratem Athenienses condemnarunt, virtutem odio habuerunt, ingenii magnitudinem sunt insectati, philosophiæ inviderunt; ideo [a] Aristoteles quum Athenienfium urbe excessisset, (offenderat enim Athenienses Philosophus) interrogatus cur urbem reliquisset, respondit; ne iterum in philosophiam Athenienses delinquerent. Quod enim in Socrate peccaverunt, nulla alia causa fuit, quàm amor sapientiæ, quo Socrates exarserat; nam crimina, quæ Socrati accusatores objecerunt, vera non fuisse, & ipse [b] populus judicavit, qui extinctum desideravit; & ejus accusatores, & inimicos partim exilio, partim morte mulctavit.

21 Nec solùm Athenienses erga benemeritos de Republicâ cives ingrati, sed etiam pleræque Græciæ civitates; nam [c] Lacedæmonii Lycurgum, quo viro nihil habuit Sparta præclarius, qui leges condidit eas, quibus ex ignavissimis fortissimi, ex luxuriosissimis temperantissimi, ex victis victores evaserunt, sæpe lapidibus sunt insectati, & inventus est, qui homini oculum virgâ effodit, & ad extremum Patriâ cedere coëgerunt. Apud Thebanos [d] quoque Epaminondam, cujus consilio Spartanorum opes Leuctricâ clade conciderunt, & Thebani Græciæ principatum sunt consequuti, in judicium, crimenque malevoli vocaverunt, quod quatuor mensibus diutiùs, quàm per leges liceret, summum magistratum tenuisset; ac nisi recens beneficium Epaminondæ profuisset, & Leuctrici campi adhuc Laeonum cruore spumantes, virum egregium severi nimis judicii procella perculisset; qui quamquam periculo liberatus, tamen, quòd auditi sunt accusatores id ipsum factum criminantes, quo Epaminondas Spartanorum jugum a Thebanorum cervicibus dejecerat, & Spartam, quæ se invictam gloriabatur, vicerat, ac tantùm non suis civibus subjecerat; mihi videntur Thebani prope piaculum suscepisse. Sed quid
22 exempla commemorem eorum, qui sunt
periclitati, quum tanta sit eorum multitudo, qui miserrimâ peste perierunt, vel ingratorum civium contumelias acerbissimas pertulerunt? Dio [e] Syracusanus quum Syracusas gravissimo Dionysii dominatu liberasset, conspiratione civium in liberatorem suum sævientium trucidatus est. Timoleon [f], qui fratri non pepercerat, quò tyranni jugum teterrimum dejiceret a cervium cervicibus, Corinthi diu vixit in summo mærore; nec solùm perinde, ac merebatur, affectus non est honoribus, qui Patriam suis necessitudinibus prætulisset; verùm etiam velut ignominiâ notatus in tenebris, luctuque jacuit, donec fortuna, tanquam viri fortem miseraretur, ad Siciliæ statum componendum vocavit. Lon-
gum est ire per singulas Græciæ civitates; 23
ubique enim populus optimè de Republicâ meritis civibus ingratus; ubique virtus invisa reperitur. Heraclitus queritur Ephesios [g] nullum utilem in Republicâ civem esse voluisse; non solùm Ephesii, sed omnes populi oderunt, exterminaruntque virtutem; sed inprimis Athenienses, de quibus fortasse queritur Euripides, licet aliud agere videatur; nam & ipse [h] coactus est excedere urbe, quum malevolorum dicteria ferre non posset; monet igitur suos cives Poëta hunc esse pessimum morbum civitatum, hoc malo Respublicas laborare, quum boni viri, qui parati sunt pro Patriâ vitam profundere, nullum præmium virtutis consequuntur. Quod si tam pernicio-
sum est pati carere virtutem præmiis, qui- 24
bus excitetur, quanto perniciosius est exilio, vinculis, morte mulctari? Quod iis Atheniensibus accidit, qui Reipublicæ prospexerunt; ideo civitas Atheniensium, etsi præstantissimorum virorum magnum proventum tulit, non diu tamen excellenti virtute civibus abundavit. Nam quamdiu Regum, aut Tyrannorum imperio regebatur, nemo ferè extitit Atheniensium, qui belli, vel pacis artibus excelleret; posteaquam autem Pisistratidarum jugum Athenienses excusserunt, incredibile dictu est, quàm brevi quot duces, quot insignes viros Athenæ procrearint, sed non diuturna fuit hæc virtutis ubertas. Nam a Miltiade, qui primus omnium ducum Patriam ingentibus rebus gestis decoravit, ad Timotheum, quem Cornelius [i] Nepos ultimum Atheniensium imperatorum fuisse testatur, paucissimæ numerantur ætates; intra hoc spatium floruit quidquid imperatorum Athenæ extulerunt; extinctâ verò Atheniensium gloriâ militari non diu litteræ viguerunt. Quapropter Cicero testatur jam pridem Atheniensium laudem litterariam exolevisse, & Athenas non esse, quemadmodum antea, parentes omnium disciplinarum. Ex quo factum est, ut vetusto decore, gloriaque spoliatæ nihil ex pristino splendore retinerent, & ipsas antiqua fama, nomen-

que

[a] Origenes libr. 1. contra Celsum. [b] Themistius Orat. 2. Plutarch. de Invidiâ, & Odio, Orig. libr. 1. contra Celsum, D. August. de Civitat. Dei libr. 8. cap. 3. & Tertull. in Apologetic. [c] Plutarch. in Vitâ Lycurg. [d] Cornel. Nep. in Vitâ Epamin. cap. 8. [e] Cornel. Nep. & Plutarch. in Vitâ Dion.

[f] Cornel. Nepos, & Plutarch. in Vitâ Timoleontis. [g] Diogen. Laërt. libr. 9. segm. 15. in Vitâ Heracliti. [h] Thomas Magister in Vitâ Euripid. [i] Cornel. Nep. in Vitâ Timothei.

que dumtaxat tueretur; quod quidam Romanorum dixit, quum Athenienses delicti veniam peterent; nam affirmavit ipsos defendi non suis, sed meritis mortuorum. Quàm igitur verum est, quod Euripides asseverat, maximè civitates laborare, quum viri fortes, & aliquâ laude clari ignavis, & obscuris non anteponuntur; quum enim Atheniensium civitas virtutem minimè coleret, desiit virtute præstantes cives procreare; quum autem desiisset viris illustribus abundare, desiit potens esse, desiit beata, desiit inter ceteras urbes eminere.

DISSERTATIO XXI.

De Cernendi sensu.

Lux pro vitâ accipitur, & cernere pro vivere. Siculus quidam e Lilybæo Siciliæ promontorio exeuntem e portu classem Carthaginiensium pervidebat. Quidam Homeri Iliadem in membranâ a se descriptam conclusit in nuce. Myrmecides quadrigas ex ebore fecit adeo exiguas, ut alâ muscæ operirentur. Qui ad Nili catadupa habitant, horrendum Nili fragorem non audiunt. Pythagoras existimavit cœlestium orbium concentum non percipi propter assuetudinem. Oculos ante mortem claudebant Antiqui. Turpe est Amicos defunctos negligere. Multorum canum, & equorum fides erga dominos fuit insignis. Hominum amicitia etiam post mortem ad longum intervallum durat, secus ceterarum animantium; quin etiam quorundam amicitia in Posteros derivata est. Antinoum Hadrianus inter astra retulit. De Mausoleo. Artemisia mariti defuncti cineres absorbuit. Persæ homines naso adunco diligebant, quia talis fuisse Cyrus ferebatur; Ægyptii autem propter Osiridis memoriam nigris homines capillis probabant; rufos irridebant, quòd rufus fuisset Typhon Osiridis inimicus.

Omnium, quibus homines utuntur, carissimum esse nobis cernendi sensum, quòd ad cognitionem rerum, perspicientiamque veri sit maximè necessarius, Aristoteles [a] præclarus inprimis Auctor
1 confirmavit. Ego verò, & si nihil esse dulcius, nihil pulchrius, aut admirabilius rerum cognitione, & scientiâ; tamen non ob hanc tantummodo causam oculorum sensum nobis arbitror a naturâ maximè commendari; non enim cognoscendæ tantùm studio veritatis oculos diligimus; verùm etiam, quòd his detractis nulla vitæ jucunditas esse videatur. Nam quemadmodum in Mundo si Sol, & sidera extinguantur, incredibilis hic ordo rerum, hæc admirabilis pulchritudo, concentusque naturæ, quibus omnia summus Artifex composuit, instruxit, exornavit, funditus interitent; sic in homine lumine oculorum extincto extinguitur omnis pulchritudo, vitæque jucunditas, ut vita ipsa longa mors potiùs debeat nominari. Quæ quùm ita se habeant, subit admirari Græci sermonis in quibusdam verbis elegantiam, qui βλέπειν, & δέρκεσθαι, quæ verba *videre* significant, pro eo quod *vivere* proprio vocabulo dicitur, acceperunt; quasi vita non in motu, quo ciemur interno, sed in acie consistat oculorum; qua & lucis hujus usurâ jucundissimè fruimur, quaque & Universi pulchritudinem, & Cœli, siderumque magnificam speciem, admirandamque magnitudinem contemplamur, quæ propriè animantis ratione præditi vita est. Ideo [b] Anaxagoras 2
ad Solem, Cœlumque spectandum se genitum arbitrabatur; & Ovidius hominem a mutis animantibus hac potissimùm re differre existimat; sic enim [c] loquitur

Pronaque quum spectent animalia cetera terram,
Os homini sublime dedit, Cœlumque tueri
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus

De hoc autem loquendi genere, quoniam eo utpote elegantissimo elegantissimus Euripides utitur frequentissimè, liber hodierno die nonnulla dicere; occasionem autem nobis præbuit Euripidis locus in Hecubâ, qui ad hunc modum se habet:

Οὐκοῦν σόδ' αἰσχρὸν, εἰ βλέποντι μὲν φίλῳ
Χρώμεσθ', ἐπεὶ δ' ὄλωλε μὴ χρώμεσθ' ἔτι.

Quos versus ita latinè possumus interpretari:

Turpe ergo amico fuerit uti, dum videt,
Vivitque, postquam periit, haud uti ampliùs.

Quo in loco βλέπων φίλος accipitur pro amico vivente, qua translatione frequenter u- 3
sus est Poëta; nam in Alceftide sic ait

Καὶ πῶς ἂν ὤυτος κατθάνοιτε, ϗ βλέπει

hoc est si verbum e verbo expresseris

Et quomodo idem cernat, & sit mortuus

& alio in loco lucem pro vitâ sumit

Τὸ φάως γὰρ ἡδὺ, μαίνεται δ', ὅςις θανεῖν
Ἐρᾷ......

hoc est

Jucunda lux est; qui mori exoptat, furit.

& in Iphigeniâ

...... ἡδὺ γὰρ τὸ φῶς βλέπειν:
Τάδ' ὑπὸ γῆς μή μ' ἰδεῖν ἀναγκάσῃς

hoc est

...... dulce lucem cernere,
Ne me videre regna cogas Inferûm.

& a-

[a] Aristot. Metaph. libr. 1. cap. 1. in princ. [b] Laërt. in Anax. libr. 2. [c] Ovid. Met. libr. 1.

& aliis in locis sexcentis eodem modo loquitur, quos fortasse putidum fuerit recensere; sed & Homerus non minùs hoc loquendi genus adamavit; hinc illa [a] fluxerunt

ὅτις ἐμεῦ ζῶντος, καὶ ἐπὶ χθονὶ δερκομένοιο

hoc est

Me vivo nemo, & terram super aspicientem

&

..... *ζώει, καὶ ὁρᾷ φάος ἠελίοιο*

hoc est

..... *vivitque, & Solis lumina cernis*

Latini verò poëtæ quamquam verecundiùs
4 translatis utuntur; tamen, quatenus licuit, Græcos imitati sunt; itaque sæpe vitam lucem vocaverunt; Virgilius sexto Æneidos libro

..... *quæ lucis miseris tam dira cupido?*

Ennius [b]

Postquam lumina sis oculis bonus Ancu' reliquit

quem versum imitatus est Virgilius, quum dixit [c]

Quò magis inceptum peragat, lucemque relinquat

Sed & Cicero in oratione pro Milone Græcos imitatus *intueri lucem* dixit pro eo, quod *vivere* dicimus: *negant intueri lucem fas esse ei, qui a se hominem occisum fateatur.* Quæ translationes poëtarum licet ex eo
5 ductæ possint videri, quod Heraclides Ponticus [d] animam nihil aliud esse, quàm lucem putavit; quemadmodum quòd [e] Hipparchus, & Stoici [f] animam ex igneâ naturâ constare prodiderunt, ab igne ad vitam frequentissimæ translationes ductæ reperiuntur, ut Muretus [g] in variis lectionibus adnotavit; verisimiliùs tamen arbitror, ideo lucem pro vitâ, & *cernere* pro eo, quod *vivere* propriè dicimus, interdum accipi; quòd quum vita in usu sensuum cernatur, longè omnium nobilissimus, & præstantissimus sit sensus oculorum; quocirca cæcitatem eleganter Statius longam mortem vocat in illis [h] carminibus

Impia jam meritâ scrutatus lumina dextrâ
Merserat æternâ damnatum nocte pudorem
Oedipodes, longaque animam sub morte trahebat

Quasi non viveret ille, qui carebat oculis, quæ pars una corporis omnes utilitates vitæ, jucunditatesque complectitur; & Plinius libro undecimo capite trigesimo septimo oculos dicit lucis usu vitam a morte
6 distinguere. Et sanè meritò; quæ enim vita sine his, aut qui sensus jucunditatis, aut quis omnino sensus? Si enim reliquæ sentiendi facultates cum hac unâ oculorum comparentur, imbecillæ penitus, ac propemodum nullæ esse videantur; tactu, gustuque non nisi admota corpori sentiuntur: ad intervallum sanè exiguum valet odoratus: sonores quamquam e longinquo percipiuntur, non tamen auditus est cum cernendi vi ullo modo conferendus; non de visu quorumdam præstantissimo loquor; non de Siculi [i] illius acie admirabili, qui e Lilybæo Siciliæ promontorio exeuntem e portu classem Carthaginiensium pervideret; aut [l] de eo, qui in membranâ a se descriptam Iliada Homeri carmen conclusit in nuce; aut [m] de Myrmecide, qui quadrigas ex ebore fecit adeo exiguas, ut alâ muscæ totæ operirentur; de vulgari loquor
oculorum sensu, quàm multa, quàm lon- 7
gè distantia, quàm acutè, enucleatèque cernimus? maria, montes, valles, flumina intuemur, quum interea parva non effugiant aciem oculorum, & exiguos frutices, & lapillos, & volantes aviculas, & alia minora dictu perspiciamus; neque multitudo rerum infinita, neque magnitudo videndi obruit facultatem; & quum in unâ, eademque exiguâ oculorum parte simulacra concurrant innumerabilium rerum, non miscentur, non confunduntur; neque longa assuetudo eadem videndi, cernendi hebetat facultatem; quum & multitudine sonores confundantur, & major minorem obruat sonus, & magnitudo sonitus, & assuetudo eadem audiendi sic infirmet auditum, ut qui ad Nili [n] catadupa habitant horrendum Nili ruentis fragorem negentur audire. Qua de causâ Pythagoras cœ-
lestium orbium concentum, & incredibi- 8
lem divinæ illius musicæ suavitatem a nobis percipi non existimavit. Jam verò quid admirabilius, quòd Cœlum, & sidera intuemur, quæ infinito propemodum a terrâ distant intervallo? quòd oculorum beneficio cœlestis nobis admoventur, & in consortium divinorum venimus? quid quod ceteris sensibus aut levitas, asperitasque corporum, aut sapor, aut odor, sonitusve percipitur; oculis & pulchritudinem, & colorem cernimus, & magnitudinem, & motum, & intervalla, & levitatem, asperitatemque conjectamus; neque tantùm superficiem, sed etiam in his, quæ *διαφανῆ* Græcis, Latinis perspicua nominantur, eodem temporis puncto interiora perspicimus. Denique tantum in corpore visus ceteris sensibus præstat, quantum in animo mens reliquis partibus antecellit; ut

sicu-

[a] Hom. Iliad. α. [b] Ennius libr. 3. Ann. apud Fest. [c] Virgil. libr. 4. Æn. [d] Diog. Laërt. libr. 5. in Vitâ Heraclid. & Macrob libr. 1. in Somn. Scip. cap. 14. [e] Macrob. ibid. [f] Cicer. Tusc. Quæst. libr. 1. & de Natur. Deor. libr. 3. [g] Muret. Var. Lect. libr. 7. cap. 6. [h] Statius libr. 1. Thebaidos. [i] Strabo libr. 6. Ælian. Var. Hist. libr. 11. cap. 13. Plin. l. 7. c. 21. & Val. Max. l. 1. c. 8. [l] Plin. libr. 2. c. 21. [m] Ælian. l. 1. c. 17. Var. Histor. & Plin. l. 36. c. 5. [n] Cic. in Somn. Scipion.

ſicuti mens animi oculus appellatur, ita oculus mens corporis dici poſſit; habitat enim, ut [a] Plinio placet, animus totus in oculis; his mæror, & luctus, his gaudium, & voluptas, his amor, odium, ira, cupiditas, miſericordia ſignificatur; his denique omnes animi affectiones, intentio, perturbatio, tranquillitas mentis, animi mores indicantur. Quapropter ut animum quodammodo attingerent, hos potiſſimùm Veteres oſculabantur; quod Plinius [b] teſtatur his verbis; *hos quum oſculamur, animum ipſum videmur attingere*, qua Plinii ſententiâ Catulli [c] locus illuſtratur, qui ſic ait

Mellitos oculos tuos, Juventi,
Si quis me ſinat uſque baſiare

& alius ejuſdem [d] Auctoris

Jucundum os, oculoſque ſuaviabor

& [e] Ciceronis ad Tyronem: *ego vos ad tertium Kalendas videbo, tuoſque oculos, etiamſi veniens in medio foro videro, diſſuaviabor*. Et meritò in amoris argumentum oculos oſ-
10 culabantur, quum amor in oculis potiſſimùm habitare dicatur; unde Sophocles Hippodamiam de Pelope loquentem inducens dicit habere in oculis amoris vim venatricem; & [f] Pindarus de pulchritudine ſic cecinit

O forma, blandæ quæ Veneris comes
Jucunda, amorum nuncia dulcium,
Sedes puellarum decentum, &
In nitidis puerorum ocellis

Quocirca eleganter Licymnius [g] apud Athenæum ait, quum ſomnus Endymionem amaret, eumque ſopiviſſet, oculos claudere Endymionis noluiſſe, ut ſemper ſpectandi voluptate frueretur; & [h] Cytherius Philoxenus meritò accuſatur, & cæcam laudationem, & Cyclopi, quem loquentem facit, convenientem compoſuiſſe dicitur, quòd in laudandâ Galateæ pulchritudine mentionem non fecerit oculorum, qui, ut ait [i] Poëta nobilis

..... ſunt in amore duces

Neque verò ob hanc ipſam cauſam aliquis
11 oculos cenſeat damnandos, quòd viæ ſint quædam amoris, quòd faces cupiditatum, quòd alimenta libidinis; nos enim in culpâ ſumus, qui parte nobiliſſimâ, pulcherrimaque noſtri corporis abutimur ad appetitum turpiſſimarum voluptatum excitandum. Dederat oculos nobis Deus, ut pulchritudine rerum caducarum contemplandâ ad amorem excitaremur pulchritudinis illius æternæ, & beatiſſimæ; nos autem non contenti a contemplatione ſummi boni defluxiſſe, in oculorum voluptate, & humanâ pulchritudine ſpectandâ non conſiſtimus, ſed ad turpitudinem vitiorum deſcendimus, & oculi, qui nobis eſſe deberent inſtrumenta ſapientiæ, furoris, & inſaniæ ſunt irritamenta. Ceterùm tantum abeſt, ut oculi ſint accuſandi; ut eorum voluptates laudabiles habeantur; quas & [l] Plato non improbat, & Ariſtoteles in problematis laudat, quum proprias eſſe dicat animantis ratione utentis, & intelligentiâ; ut quemadmodum hominis animus animas ceterorum animantium mente vincit, atque ratione; ita hominis corpus animantium corpora voluptate ſuperet oculorum. At-
que ob hanc mentis, oculorumque cogna- 12
tionem, & ſimilitudinem Antiqui oculos rem eximiam, & ſacram arbitrabantur, & propter eam fortaſſe cauſam ſolos oculos morientes ab homine aſpici nefas exiſtimabant; & ideo ante mortem oculos morientium claudebant, cujus moris [m] Ovidius teſtis eſt hoc verſu

Hîc certè manibus fugientes preſſit ocellos
Mater, & in cineres ultima dona tulit

& Virgilius, qui ſic [n] cecinit

..... nec te, tua funera mater
Produxi, preſſive oculos, aut vulnera lavi

& [o] Plinius his verbis: *morienſibus illos operire, rurſuſque in rogo patefacere, Quiritium magno ritu ſacrum eſt*. Quibus Auctorum locis locus Euripidis explicatur in hac Tragœdiâ, qui ſic ait:

Ζῇ, καὶ θανόντος ὄμμα συγκλείσει τὸ σὸν

hoc eſt

Vivitque, & oculos morienti tibi
Claudet .....

Neque omittenda ſententia, qua in his
verſibus Poëta utitur, qua confirmat turpe 13
eſſe Amicos colere viventes, vitâ verò defunctos nullis officiis proſequi, nec habere loco Amicorum. Et ſanè ſi naturas animantium omnium contemplemur, in ceteris quoque animantibus amicitiæ quandam imaginem eſſe deprehendemus; in homine ſolo poſt Amici mortem vigere amicitiæ memoriam ſempiternam. Nam licet & canum, & equorum erga mortuos dominos inſignis fides prædicetur; tamen in eorum nullo amicitiæ ſignificatio perpetua poſt eorum, quos diligebant, mortem dicitur extitiſſe. Memoratur [p] canis, qui quum diu cum latronibus, ut dominum defenderet, pugnaviſſet, eſſetque dominus tandem trucidatus, & ipſe confectus plagis, non receſſit a corpore, quem volucres, feraſque abigentem, qui illac iter faciebant, invenerunt: nec minùs eſt a [q] ſcriptoribus celebratus Jaſonis Lycii canis, quem ob domini necem tantâ triſtitiâ affectum eſſe con-

Mmm ſtat,

[a] Plin. l. 11. cap. 37. [b] Idem ibid. [c] Catull. epigr. 40. ad Juventium. [d] Idem epigr. 9. ad Verann. [e] Cicer. Epiſt. 27. & ultim. libr. 16. ad Tyronem. [f] Pind. in Nem. Od. 8. v. 1. [g] Athen. libr. 13.

[h] Athen. ibid. [i] Propert. l. 2. El. 15. [l] Plato in Timæo. [m] Ovid. Amor. l. 3. El. 8. [n] Virg. Æn. libr. 9. [o] Plin. libr. 11. cap. 37. [p] Idem libr. 8. cap. 40. [q] Idem eodem loco.

ſtat, ut cibum capere pertinaciſſimè recu-
ſarit, & inediâ vitam finiverit: claraque
eſt inprimis in herum defunctum caritas
canis, qui appellabatur Hircanus, qui Ly-
ſimachi Regis [a] accenſo rogo ſe dicitur in-
jeciſſe; quod & de cane Hieronis [b] me-
moriæ proditum eſt. Sed & illud traditum,
quum in Titum [c] Sabinum, ejuſque ſer-
vitia eſſet animadverſum, unius ex his ca-
nem ab heri mortui corpore nunquam ab-
ſceſſiſſe, mæſtos edentem ululatus, proje-
ctumque in Tiberim cadaver eſſe ſequutum,
& id ſuſtentare conatum, ne flumine mer-
geretur. Sed & equorum fides erga mor-
14 tuos laudatur, ſiquidem quum Nicomedes
Rex [d] eſſet interemptus, ejus equus ine-
diâ ſibi mortem dicitur attuliſſe, & equus
Antiochi [e] mortem domini fertur cum
ſuæ vitæ diſpendio vindicaſſe; nam Cen-
taretus interfector Antiochi, quum ip-
ſum, quaſi ovans, conſcendiſſet, equus ef-
frenato curſu in abrupta contendit, ſeſe-
que, & ſeſſorem in præceps dedit; quin
etiam ferunt equos dominorum funeribus
illacrymari, quò reſpexit [f] Virgilius, qui
in Pallantis funere equum inducit lacry-
mantem; ſic enim loquitur:

It lacrymans, guttiſque humectat grandibus ora.

Veruntamen horum animalium officia ſta-
15 tim poſt eorum mortem, quos diligebant,
præſtita nullam declarant his ineſſe perpe-
tuam memoriam mortuorum; nullum e mu-
tis animalibus traditur longo intervallo be-
nevolentiam erga defunctos conſervaſſe.
At homo non patitur extingui Amici mor-
te caritatem, ſed hæret animis infixus a-
mor, nec aboleri ullâ ratione poteſt, niſi
interitu diligentis. Quin etiam interdum
ad Poſteros propagatur, & eſt immortalis;
hinc extitit illa cura defunctorum nomen
monumentis æternandi; hinc imagines eo-
rum, quos viventes dileximus, coloribus,
vel ære, vel marmore exprimuntur: hinc
ſpectacula ad memoriam mortuorum pro-
dendam inſtituta; & nihil relictum Deo-
rum immortalium honori, quod non ad ho-
mines non modò mortales, verùm etiam
mortuos ornandos transferretur. Siquidem
16 inter aſtra relatos viros fortes, & formo-
ſos pueros accepimus; quem honorem, ut
vetuſtiora prætermittam, Antinoo [g] defun-
cto habuit Hadrianus Imperator; & illi ce-
leberrimi ludi, quos Græci Sacros appella-
bant, ut Clemens [h] Alexandrinus docet,
defunctorum inferiæ fuerunt; quin etiam
templa nihil aliud initio fuiſſe, quàm ſepul-
cra ex eodem [i] Auctore cognoſcimus. Nec
verò mirari debemus tantâ magnificentiâ
ſepulcra Veteres extruxiſſe, ut templa vi-
deri poſſent, quum e ſeptem operibus,
quæ ſplendidiſſima in toto Orbe terrarum
dicuntur extitiſſe, duo fuerint haud dubiè
ſepulturæ. Nam & Pyramidas fuiſſe Regum
ſepulcra teſtatur [l] Strabo; & [m] Mauſoleum
Mauſoli Cariæ Reguli fuit monumentum,
quod Artemiſia ejus uxor condidit, tanto
ſumptu, tantaque magnitudine, atque ope-
ris excellentiâ, ut neque Babylonii [n] mu-
ri, neque horti [o] penſiles, neque templum E-
pheſiæ Dianæ, neque Cyri domus, neque Py-
ramides huic anteponantur. Quæ una mu-
lier vel maximè videtur oſtendere, quàm
minimè in his, qui verè amant, etiam poſt
eorum obitum amor exoleſcat. Siquidem
ea non contenta tam inſigni monumento
Mauſoli memoriam coluiſſe, ejus [p] cineres
potione, lacrymiſque permixtos hauſit;
hanc quis arbitretur obliviſci viri potuiſſe,
cujus fieri voluit ſepulcrum? Sed hujus a-
morem quamvis eximium cum eâ eſſe ex- 17
tinctum neceſſe eſt; multorum verò tra-
ducta benevolentia etiam ad Poſteros; ut
Cyri, qui quamdiu Perſarum ſtetit impe-
rium, a Barbaris formâ pulcherrimus, di-
ſcendi cupidiſſimus, gloriæ ſtudioſiſſimus
canebatur, dicebaturque non Rex Perſarum,
ſed amantiſſimus pater; & ejus amor tam
altè in viſceribus, ac medullis hæſit popu-
larium, ut in aliis quoque oris lineamenta,
quæ Cyri fuerant, adamarent; itaque adun-
co homines naſo Perſas accepimus dilexiſ-
ſe, quia talis Cyrus fuiſſe ferebatur. Quod
& de Ægyptiis proditum, qui propter O-
ſiridis memoriam nigris homines capillis
probabant, rufos irridebant, & propemo-
dum execrabantur; quod [q] Typhon Oſiri-
dis inimicus fuiſſet rufus, qui tantum Oſiri-
dis interitu dolorem hauſerunt, ut poſt in-
numerabilem annorum ſeriem diem, quo
fuerat interfectus, publico luctu, planctuque,
& triſtitiâ celebrarent; unde *κοπλίτας* [r] po-
pulus Ægypti quidam eſt appellatus. Quum
autem mortuos gratâ memoriâ colere, & 18
eorum amorem in longum ævum extendere
ſit hominis proprium, non eſt mirandum,
ſi id laudandum videtur, & præſeferen-
dum; nam eo, quo homines ceteris ani-
man-

[a] Plin. libr 8. cap 40. Plutarch. in Politic. & in libro de Solertiâ Animal. Solinus cap. 25. & Ælian. de Animalib. libr. 6 cap. 25. [b] Plin. libr. 8. cap. 40. [c] Idem ibid. [d] Idem libr. 8. c. 42. [e] Plutarchus apud Plin. ibid sed Solin. cap. 46. vel 47. & Lucian. in Zeuxide, ſeu Antiocho aliter hanc refert hiſtoriam. [f] Virg. Æneid. 11. [g] Dion Caſſ. Hiſt. Rom. libr. 69. & Cæl. Rhodig. libr. 11. c. 5.

[h] Clem. Alexandrin. in Protrept. [i] Idem eodem loco. [l] Strabo libr. 17. [m] Strabo libr. 14. Plin. libr. 36. cap. 5. & Vitruv. libr. 2. cap. 8. [n] Herodot. libr. 1. & Strabo libr. 16. [o] Plin. libr. 36. cap. 14. [p] Valer. Maxim. libr. 4. cap. 5. [q] Plutarch. de Iſide, & Oſiride. [r] Rhamnuſius in Itinerario.

mantibus antecellunt, reliquis hominibus præstare præclarum est; ideo Seneca nonagesimanonâ epistolâ Amico præcipit, ut de filio defuncto frequenter loquatur, & ejus memoriam, quantum potest, celebret; & Cajus Cæsar apud Gellium libro quincto capite decimo tertio sic ait: *nam neque hominum morte memoria deleri debet, quin a proximis retineatur;* & Plinius libro primo Epistolâ decima septimâ: *est adhuc curæ hominibus fides, & officium, sunt qui defunctorum quoque Amicos agant;* & Claudianus hoc in Stiliconis [a] laudibus ponit.

Nec vivis adnexus amor meminisse sepultos
Desinit, in prolem transcurrit gratia patrum,
Hac tu Theodosium, tenuit dum sceptra, colebas,
Hac etiam post fata colis......

Et Symmachus libro nono epistolâ trigesima primâ: *nec quidquam sanctius habet reverentia superstitum, quàm ut amissos venerabiliter recordetur.* Jure igitur Euripides affirmat turpe esse Amicis uti, dum vivunt, mortuos Amicos non putare; est enim inhumanum, & vivos parum diligentis, more mutarum animantium oblivisci statim defunctorum.

DISSERTATIO XXII.

De supplicum sanctitate, & variis apud Antiquos ritibus supplicandi.

Crœsus Adrasto, qui filium ei interfecerat, supplicanti pepercit. Dextera pro fide accipitur. Verbum γουνοῦμαι, *&* γουνάζομαι *significat* supplicare. *Syllam, quòd Aristionem in templo Minervæ interfecisset, Pausanias tradit pediculari morbo esse consumptum. Hicesium, & Xenium Jovem eundem esse putat Eustathius; distinguit autem Apollonius.*

Esse nobis a naturâ insitum, ut supplicum preces haudquaquam negligamus, & pudore suffundi homines, quotiescunque aliquid honestum, æquum, debitum petentibus denegarent, quum Veteres animadverterent; esse quemdam mitem, placidumque, supplicum Deum prodiderunt, qui repudiatas eorum preces ulcisceretur. Quod illi sapientissimè invenerunt, ut esset miseris in calamitate perfugium, in luctu solatium, in adversis præsidium, hominesque potentes, & in alto dignitatis gradu a fortunâ collocati erubescerent humilium vota contemnere, & pro nihilo putare. Atque hæc religio tantum apud nonnullos valuit, 1
ut Admetus [b] Rex Molossorum Themistoclem, quicum ei veteres inimicitiæ intercedebant, supplicem receperit; & quum videret in suo regno sine periculo non posse versari, nec se virium satis habere ad hominem defendendum, præsidio tutum dimiserit; & Achilles [c] Priamo hosti supplici, & ad ejus genua advoluto filii cadaver ad sepulturam concesserit; & [d] Theseus Argivorum precibus motus, quorum cognatos in bello cæsos humari vetuerat Creon, bellum Thebanis indixerit; & Crœsus [e] Adrasto, qui filium ipsius Atyn interfecerat, supplicanti pepercerit. Neque id immerito sanè; quemadmodum e- 2
nim [f] He aclitus etiam in humili casâ Deos esse existimavit; sic & Antiqui humiliorum quoque fortunæ Deos adesse vindices putabant insolentiæ superborum. Quapropter neminem contemnendum, nullius justas preces aspernandas esse censebant; non enim Deos plebejos, & ut ita dicam, proletarios, sed Jovem ipsum optimum, maximum tueri supplices, & ulcisci acceperant, quem [g] ex re Græci Ἱκέσιον appellabant. Atque hujus Jovis mentio est cum apud multos, tum apud Poëtam nostrum in his carminibus, quæ nos hodierno die suscepimus [h] illustranda

Ὁρῶ σ', Ὀδυσσεῦ, δεξιὰν ὑφ' εἵματος
Κρύπτοντα χεῖρα, καὶ πρόσωπον τοὔμπαλιν
Στρέφοντα. μή σου προσθίγω γενειάδος,
Θάρσει: πέφευγας τὸν ἐμὸν ἱκέσιον Δία

sic autem Græci versus Latinè redduntur

Video te, Ulysses, dexteram sub vestibus
Manum tenentem, & ora vertentem retro,
Ne misera barbam supplice attingam manu;
Animo bono sis, Hicesium meum Jovem
Fugisti......

Quibus in carminibus duo sunt adnotanda, 3
mos nimirum tangendi mentum, & dexteram in supplicando, & religio Veterum, qua unicuique supplicanti adesse Jovem arbitrabantur, quem Hicesium nominabamus; de quibus mihi fusiùs hodie disserendum, & nonnulla, quæ pertinent eodem, afferenda. Et quod ad priorem quidem partem meæ dissertationis attinet; non semel apud Euripidem mentio est hujus moris, quem diximus. Nam in Iphigeniâ sic Iphigeniam inducit patri supplicantem

Ναὶ πρὸς γενείου σ' ἀντόμεσθα δύο φίλω

hoc est

Per barbam Amici deprecamur te duo

& in eadem tragœdiâ sic eadem loquitur

 Οὐμὸς

[a] Claud. in primo Consul. Stiliconis v. 50. [b] Plutarch in Vitâ Themistoclis. [c] Homer. Iliad. ω. [d] Isocrates in Encom. Helen. [e] Herodot. libr. 1. cap 45. [f] A. Gell. libr. 20. cap. 11. [g] Cæl. Rhodigin. libr. 15. cap. 18. [h] Euripid. in Hecubâ v. 341.

Οὐμὸς δ' ὅδ' ἦν ἂν περὶ σὸν ἐξαρτωμένης
Γένειον, ὃ νῦν ἀντιλάζομαι χερὶ

hoc est

Meus hic tuâ pendentis a barbâ fuit
Sermo, manu prehendo quam nunc supplice

Et alio in loco Clytemnestra Achillem precatur πρὸς γενειάδος, quo nomine *mentum*, vel *barba* significatur; sed & in Hecubâ sæpe alludit ad hunc morem, ut quum ait

Α'λλ', ὦ φίλον γένειον, αἰδέσθητί με
Sed, amica barba, me verere supplicem

Et Homerus Iliados libro septimo de Thetide supplicante sic loquitur

Η' οἱ γούνατ' ἔκυσσε, καὶ ἔλλαβε χειρὶ γενείου

quæ converti sic possunt

Quæ complexa genu, barbamque prehendit inhærens

Quibus in locis *γένειον* aptiùs vertitur *barba*,
4 quàm *mentum*; nam licet ea vox utrumque significet, præcipua tamen religio fuit in barbâ [a]. Itaque feminis quum supplicabant, non mentum, sed genas attingebant, Euripide teste, qui Ulyssem inducit Hecubæ genas tangentem in precando. Nec de dexterâ potest esse dubium, quin eam orantes attingerent, quum apud Virgilium Venulus [b] dicat

Contigimusque manum, quâ concidit Ilia tellus

Et meritò, qui fidem implorabat, dexteram attingebat, quæ [c] Fidei sacra habebatur, quemadmodum Livius libro primo testatur; idcirco dicitur Numa [d] instituisse, ut sacerdotes Fidei sacrum facerent dexterâ usque ad digitos involutâ, ut significarent fidem tutandam; & Persæ [e] dexteram inter se miscentes fidem sanciebant; idque fœderis genus omnium sanctissimum habebatur, ut Josephus [f] est auctor; unde Cornelius Tacitus libro decimo quinto annaliû notat Tyridatem, Corbulonemque con-
5 gressos dexteras miscuisse. Qua quidem in re celebrat morem Scytharum Lucianus, qui [g] cæsis digitis sanguinem inde profluentem in calicem infundebant, & quum in eo gladii mucronem mersissent, sanguinem hauriebant. Atque id amicitiæ fœdus non violabile putabatur, quo inito totius vitæ societas inibatur; tantaque in eo vis esse credebatur, ut nemo durissima quæque perpeti, nemo pro Amico mortem oppetere dubitaret. Cui similem morem fuisse Regum Orientis Cornelius Tacitus memoriæ [h] prodidit; qui dextras implicabant, & pollices inter se vinciebant, hisque nodo constrictis, quum sanguis in artus extremos sese effudisset, levi ictu cruorem eliciebant, invicemque lambebant, quod arcanum fœdus censebatur, utpote partis ejus, quæ maximè fidem continet, sanguine consecratum. Atque adeo ea opi-
nio increbuit, ut dextra pro fide interdum 6
accipiatur, sic in historiarum libro primo Cornelius [i] Tacitus dixit dextras mittere: *miserat*, inquit, *civitas Lingonum vetere instituto dona legionibus, dextras hospitii insigne*; & libro [l] secundo Annalium: *miserat amicitiam, ac fœdus memoraturos, & cupere renovari dextras*. Quo genere sermonis etiam Græcos usos animadverto, apud quos *δεξιὰς πέμπειν* est *absenti fidem dare*. In multis autem humani corporis partibus inesse quandam religionem arbitrabantur, & præcipuè quod attinet ad supplicandum; nam præter dextram, & genas, & mentum, de quibus jam satis diximus, pectus etiam supplicantes tangebant; cujus moris meminit Sidonius Apollinaris libro primo Epistolâ undecimâ, ubi sic ait; *quum mihi Consul ad pectus, præfectorii ad manus cadere; ille ipse meus amicus crebrò, & abjectè miserantibus cunctis humiliari; ita ut timerem, ne mihi invidiam supplicando moveret, quam criminando non concitaverat*. Sed & genua amplecte-
bantur; sic apud Livium libro trigesimo 7
Sophonisba supplex advolvitur genibus Masinissæ victoris; sic apud Tacitum [m] Haterius quum deprecandi causâ Tiberii, ejus genua amplecteretur, Tiberiusque concidisset ejus complexu impeditus, pæne est a militibus interfectus; sic apud Apollonium Rhodium Medea ad genua Jasonis accidit

Αἶψα δέ μιν περὶ γούνατα πεπτηυῖαν
Η'κ' ἀνειρόμενος προσπτύξατο, φώνησέν τε

quæ sic latinè convertuntur

Atque illam genua amplexam, genibusque volutam
Attollens placidè blandis circumdedit ulnis,
Atque est affatus.....

Homerus autem de Thetide Jovi supplicante sic cecinit [n]

Η'ερίη γὰρ σοίγε παρέζετο, καὶ λάβε γούνων

& [o] de Priamo

Χερσὶν Α'χιλλῆος λάβε γούνατα, καὶ κύσε χεῖρας

& Sidonius Apollinaris de se ipso: *quid multa capti hospitis genua amplector?* Ex quo factum est, ut *γουνοῦμαι*, & *γουνάζομαι* pro eo quod est *supplicare* Græci dicerent; Homerus

Γουνοῦμαί σε, θεὰ γλαυκῶπι τριτογένεια,

Videtur autem non sine causâ factum, ut quo

[a] Plin. libr. 11. cap. 45 [b] Virgil. Æneid. libr. 11. [c] Virgilios Æneid. libr. 3. 4. & 8. Cicer. Philipp. 2. & Plin. libr. 11. cap. 45. [d] Tit. Liv. libr. 1. [e] Diodorus Siculus libr. 16. & Cornel. Nepos in Vitâ Datamis. [f] Joseph. Hæbr. libr. 18. cap. 12. [g] Lucian. Toxar. [h] Cornel. Tacit. Annal. libr. 12. n. 47. [i] Cornel. Tacit. Histor. libr. 1. n. 54. [l] Idem Cornel. Tacit. libr. 2. Annal. n. 58. [m] Idem libr. 1. Annal. n. 13. [n] Homer. Iliad. α. v. 557. [o] Homer. Iliad. ω. v. 478.

quo maximè in tot, ac tam variis vitæ ca-
8 sibus Mortales indigerent, id multis modis facere liceat, ut quum innumerabiles quotidie incidant causæ, innumera sint genera supplicandi. Nam & apud singulas nationes multi ritus adhibendi preces, & apud diversas diversi, ac multiplices extiterunt. Nam apud [a] Lacedæmonios cruda exta in manus tradidisse religiosissimum supplicationis genus habebatur; & apud [b] Scythas in bovis corio a se immolati sedere, manibus post tergum reductis, appositis bovis elixis carnibus, quas qui degustarant, maximo tenebantur sacramento; & quod quisque poterat ad opem ferendam supplici conferebat; utebantur autem eâ supplicatione, qui potentiorum vi opprimebantur; & apud Moloſ-
9 sos manu tenere ejus filium, cui quis supplicaret, & in foco jacere, quo Themistoclem usum, quum Admetum Regem deprecaretur, Thucydides [c] narrat; & apud Græcos oleæ ramum lanâ involutum prætendere, quæ velamenta supplicum libro vigesimonono [d] Livius vocat. Jam supplicantes in cinere sedere solitos quis nescit, quum [e] Homerus celeberrimus poëtarum de Ulysse cecinerit

Ὥς εἰπὼν κατ' ἄρ' ἕζετο ἐπ' ἐσχάρῃ ἐν κονίῃσι

jam [f] aras tangere supplicantium fuisse ritum omnibus notum est, quum [g] Virgilius dicat

Talibus orantem dictis, arasque tenentem
Audiit omnipotens......

& Ovidius [h]

Tange manu mensam, tangunt quo more precantes

unde Varro [i] notat aras antiquitus ansas
10 appellatas, quod a precantibus apprehendi solerent. Atque ego hinc puto fluxisse religionem, qua eos, qui ad templa Deorum confugissent, violare impium ducebatur; quum enim injuriam inferre supplici alicujus, ad ejus, cujus lædebatur supplex, injuriam pertineret; qui confugientes ad Deorum templa violabant, ipsos Deos violare videbantur; hi quippe Deorum supplices habebantur. Quod ostendi multis exemplis potest; Sylla captis Athenis Aristionem, qui quum in templum Minervæ se contulisset, Deæ religione se tuebatur, interfecit; Pausanias [l] affirmat Syllam eo facto Jovem supplicum vindicem irritasse, ob eamque causam pediculari morbo esse consumptum. Cleomenes [m] quum Argivos magnâ pugnâ profligasset, Argivorum quina millia, qui in lucum confugerant Argo Niobæ filio sacrum, incenso luco vivos concremavit; propterea quod supplicibus non pepercisset, dicitur objecto divinitus furore sua membra gladio miserrimè concidisse. Sed & Pausanias in Phocicis Phocen-
ses, qui confugerunt in Apollinis Abæi de- 11
lubrum supplices Apollinis vocat; & in Achaicis eos, qui se receperant in fanum Heliconii Neptuni, appellat ejus Dei supplices; & Thucydides historiarum libro secundo Argilium, qui ut Pausaniam vitaret, in templo Tænarei Neptuni sedebat, supplicem Dei dicit; quod & Cornelius Nepos in vitâ Pausaniæ facit, & Sophocles in Oedipo Coloneo, Oedipodem in Eumenidum luco considentem Dearum supplicem nominat his verbis

Ἀλλ' Ἵλεῳ μὲν τόνδ' ἱκέτην δεξαίατο

hoc est

Ast hunc benignæ supplicem excipiant Deæ

Ex quibus intelligi potest supplicandi genus esse in templis versari, arasque complecti; quo qui utebantur, id plerumque coronati faciebant, unde Sophocles ait

Ἱκετηρίοις κλάδοισιν ἐξεστεμμένοι

Jam humi procumbere, jam [n] verrere solum
crinibus, barbam promittere, veste obsoletâ 12
uti, ingenii sunt humani ad ciendam miserationem reperta, jure in hoc laborantis, quod animadverteret, naturam hujus rei magnam habuisse rationem; quæ vocem nobis dedit, quæ ad flebilem sonum, humilesque preces mirè inflectitur; & vultum, qui dolorem miserorum etiam tacentium, voluntatemque declarat; & oculos testes animi, quorum præcipua vis est in supplicando. Nec aliud sibi vult ille ad quidlibet impetrandum efficax, ille tam promptus, ac tam uber ex oculis profluens humor, nisi mollire pectora etiam immanium hominum, & efferatorum, & mentes quantumlibet duras inflectere, ac mitigare, & ad veniam, vel tutelam supplicum commovere. Ideo, quibus imbecillior sexus, aut ætas, lacrymæ datæ faciliores, ut qui maximè aliorum ope, & patrocinio indigerent, maximè essent instructi ad supplicandum. In quo naturæ providentiam mirari subit, quòd hominem per se infirmum, & multis casibus, ac periculis non minùs obnoxium, quàm se offerentem, tot instrumenta habere voluerit auxilii implorandi; ut qui suâ vi defendere se non posset, alieno præsidio tutior

---

[a] Herodotus in libr. 1. [b] Suidas. [c] Thucydid. libr. 1. Bell. Peloponnesiaci, & Plutarch. in Vitâ Themistocl. [d] T. Liv. libr. 24. 45. & Virg. libr. 7. Æneid. & libr. 8. & 11. Lucan. libr. 3. Stat. libr. 12. Thebaid Dionys. Halicarn. libr. 1. & Diodorus Siculus libr. 16. [e] Homer. Odyss. libr. 7. [f] Plautus in Rudente, Apulejus libr. 6. Metam. & Macrob. libr. 3. Saturnal. cap. 2. [g] Virg. Æn. 4. [h] Ovid. Amor. libr. 1. El. 4. [i] Varro Rerum Divinarum libr. 5. apud Macrobium libr. 3 cap. 2. [l] Pausan. in Atticis, sive libr. 1. [m] Herodot. libr. 6. cap. 76. [n] Apulejus libr. 6. Metam. Tit. Liv. l. 3. & 26. Sil. Italic. libr. 13. & Claudian. in laudem Serenæ circa finem.

tior redderetur. Quam naturæ curam quum
13 Veteres animadverterent, Jovem Hicesium supplicibus præesse voluerunt; de quo, quoniam ejus Euripides his versibus mentionem facit, nonnulla sunt dicenda. Hicesii nomen contractum putat Eustathius ex Hicetesio, quod Homerus Odysseæ libro decimotertio declarat his verbis

Ζεὺς σφέας τίσαιτο ἱκετήσιος, ὅστε καὶ ἄλλους
Ἀνθρώπους ἐφορᾷ, καὶ τίνυται, ὅστις ἁμάρτοι

Videtur autem Eustathius Hicesium Jovem eumdem putare, ac Xenium videlicet hospitalem; sic enim loquitur: *διὰ δὲ τὴν θεόθεν ἐφορείαν ταύτην τῶν ἱκετῶν, καὶ ὁ ἱκέσιος ἐῤῥέθη, καὶ ὁ ξένιος θεός* hoc est: *propter hanc autem providentiam, qua supplices divinitus tuetur, & Hicesius, & Xenius Deus est appellatus*. Nec sine causâ quando *ἱκέτης* eodem auctore dictus est quasi *ἱκέσης*, quo vocabulo significatur is, qui alicujus domum venit, ut omnes hospites quodammodo supplices videantur. Nec alius [a] fuerit Jup-
14 piter *φύξιος*, qui apud Thessalos colebatur; siquidem teste Apollonii Interprete sic est nuncupatus, quòd ad eum Phryxus confugerit. Apollonius tamen Jovem Hicesium ab hospitali distinguit his verbis

Ἀλλ' ἱκέτας ξείνους Διὸς εἵνεκεν αἰδέσσασθε
Ξεινίου, ἱκεσίου τε, Διὸς δ' ἄμφω, ἱκέται τε,
Καὶ ξεῖνοι......

Hic autem Juppiter sequi supplices putabatur, & eos ab injuriâ vindicare; quapropter Homerus [b] cecinit

.... ἵνα καὶ Διὶ τερπικεραύνῳ
Σπείσομεν, ὅστ' ἱκέτῃσιν ἅμ' αἰδοίοισιν ὀπηδεῖ.

Ex quo intelligi potest, cur in his versi-
15 bus, quos illustramus, Euripides Polyxenam inducat dicentem: *fugisti meum Hicesium Jovem*, eum videlicet, qui me sequeretur, si supplicarem, eum, qui mihi opem ferret, qui me defenderet, & ulcisceretur. Nec sine causâ bono animo jubet esse; magnâ siquidem molestiâ liberabatur Ulysses Polyxenâ precibus abstinente; quum enim supplicationes ejus repudiare cogeretur, nec facilè posset ea, quibus Polyxenam mactandam Græcis persuaserat, retractare, cogebatur Hicesii Jovis numen irritare; verendumque erat ipsi, ne non levi pœnâ defungeretur, qui adeo justas preces esset aspernatus. Nam cujusvis criminis veniam posse faciliùs a Diis impetrari Veteres arbitrabantur, quàm ejus, quod in supplicem quis admitteret; ideo Pausanias Hicesii Jovis iram affirmat esse inexorabilem; ob eam quippe [c] Lacedæmonem terræmotu esse eversam, quòd supplicibus, qui in Asylum Tænari confugissent, Spartani non pepercissent.

DISSERTATIO XXIII.

Miseremur virtute præstantium virorum, & præcipuè eorum, qui dum gravia patiuntur, magno animo perferunt.

Multas finxerunt Antiqui Mortuorum nuptias. Misericordiæ definitio juxta Aristotelem. Phocion, quum ad mortem duceretur, filium monuit, ut oblivisceretur injuriarum; & magistratum pariter admonuit, ut coërceret cujusdam petulantiam, qui in ipsius faciem inspuerat. Auctores Phocionis cædis Athenienses exilio, aut morte mulctarunt.

Contemplabimur hodierno die, Auditores, Euripidis artificium, quo spectatorum misericordiam erga Polyxenam commovet, sed priùs, quæ de Polyxenâ a poëtis, & a mythologis tradita sunt exponemus. Polyxenam [d] ferunt Priami filiam fuisse formâ 1
pulcherrimam; ejusamore incensum Achillem regiæ puellæ nuptias petivisse, nec dedignatum (ea vis est amoris, ut cujuslibet quantumlibet elati rerum gestarum gloriâ, & fortunæ magnitudine spiritus domet) acerbissimis hostibus, quibus innumeras clades intulerat, supplicare; fratres autem Polyxenæ Paridem, & Deiphobum opportunum insidiis Achillem ratos constituisse tempus, & locum, ubi cum eo ad colloquendum de connubio sororis convenirent; quò quum venisset Achilles, inermem, & nihil tale opinantem a duobus fratribus ex insidiis esse interfectum; eapropter Trojâ captâ Achillis umbram Græcis jam proficiscentibus in Patriam, ejusque sepulcrum prætereuntibus apparuisse, & repetisse tanquam sibi despońsam, & debitâ virginem ad suum bustum immolandam; Grajos autem suadente Ulysse placandos Achillis manes, & fortissimum virum eâ, qua vellet, victimâ honorandum; Polyxenam ad sepulcrum Achillis, Agamemnone repugnante, jugulasse. Id sacrificium Seneca [e] nuptias vocat, & ab Achille petitam Polyxenam affirmat, ut secum in Elysiis campis jungeretur, sic enim loquitur:

Polyxena miseranda, quam tradi sibi,
Cineremque Achilles ante mactari suum,
Campo maritus ut sit Elysio, jubet.

perinde ac si Achilles, quam vivus concupiverat, mortuus connubio sibi jungi postula-

---

[a] Pausan. in Corinthiac. sive libr. 2. & in Laconicis, sive libr. 3. [b] Homer. Odyss. H v. 164 [c] Pausan. in Messenic. sive libr. 4. [d] Euripid. in Hecubâ, Catull. de Nuptiis Pelei, & Thetid. Hygin. fabul. 110. Ovid. Metamorph. libr. 13. fab. 2. & Senec. in Troadib. [e] Senec. in Troad. Act. 4. Sc. 1.

stularit, & apud Inferos cum eâ nuptias celebrarit. Nec id apud poëtas inauditum;
2 siquidem idem Achilles dicitur Medeam uxorem in Elysiis campis habere; idcirco Lycophron Cassandrâ Achillem vocat τὸν μελλόνυμφον ἐυνέτην κυταιϊκῆς hoc est: *virum futurum candidæ Cyteidos*. Quid Hebe? non fertur Herculi [a] post mortem in matrimonium collocata? quid Ilia Romuli mater? nonne Tiberino flumini nupsisse narratur, quum in eo submersa, vel in terram defossa occidisset? Euripides tamen has nuptias, ut ita dicam, mortuales non agnoscit, & aliis relinquit has nugas poëtarum; sed tradit, quum Patriam repetituri Græci dedissent vela, & sepulcrum Achillis præterveherentur, extitisse e tumulo Achillis umbram, & magnâ voce clamantem continuisse jam proficiscentes, quum postularet, ut sui quoque ratio haberetur; alios, quicunque duces in eo bello fuissent, aliquâ insigni captivâ esse donatos, sibi quoque, qui plurimum laboravisset, plurimum ad victoriam contulisset, darent aliquod insigne munus, quo se non immemores exhaustorum ad Trojam ab Achille laborum ostenderent; darent Polyxenam Priami filiam, quæ sibi jam dum viveret, deberetur; Grajos autem prodigio attonitos Achillis voluntati obsequendum, & Polyxenam quamvis multis dissentientibus, ipsoque inprimis Regum Rege Agamemnone, ad herois fortissimi sepulcrum mactandam censuisse, eique sacrificio Pyr-
3 rhum Achillis filium præfecisse. Hanc Polyxenæ cædem per se mirabilem Euripides facit miserabiliorem; quum enim eorum maximè soleamus misereri, qui quum propter excellentiam virtutis digni sint bonis, gravia patiuntur; Euripides maximè miserandam Polyxenam facit, quum Polyxenæ morem describit indignum tantâ calamitate. Siquidem misericordia, auctore [b] Aristotele, tristitia quædam est suscepta propter malum, quod perniciale videtur, ac molestum, quo afficitur indignus, quoque nos affici posse, aut aliquem ex nostris judicamus. Λύπη τις ἐπὶ φαινομένῳ κακῷ φθαρτικῷ, καὶ λυπηρῷ τοῦ ἀναξίου τυγχάνειν, ὃ κἂν αὐτὸς προσδοκήσειεν ἂν παθεῖν, ἢ τῶν αὐτοῦ τινά. Et sanè magnam vim habet virtus ejus, qui incidit in calamitatem, ad misericordiam commovendam; quis enim Titi Cæsaris mortem non miseratur, quamvis ea non acciderit præter naturam, præterque fatum? quia nimirum Titus [c] Augustus propter excellentem virtutem, & propensam ad benefaciendum omnibus voluntatem immortalitate dignissimus videbatur. Quis non commovetur,
quum [d] immaturam Germanici mortem le- 4
git? quis non dolet clarissimum imperatorem magno animi, magno corporis robore in cursu rerum maximarum, florentibus annis extinctum; quem hostes ipsi, quibus cum bellum gesserat, immortalem, si fieri potuisset, esse voluissent; quo nemo principum verioribus affectibus desideratus, veriore luctu defletus est? At contra quis Caligulam, quis Neronem, quis Domitianum, quis Heliogabalum miseratur? quis non eorum interitu, quamvis nihil ad nos pertineat, lætatur; quum tamen horum mors per se spectata miserabilior sit, quàm superiorum? Nam [e] illi in lectulo positi, assidentibus amicis, fato concesserunt; hi crudelissimo [f] mortis genere interfecti, ab omnibus deserti, omnium diris execrati, nullis post mortem honoribus affecti, immo notati infamiâ sempiternâ sepulcrum vix invenerunt; Heliogabalus [g] autem tractus per sordidissima urbis loca, & in Tiberim projectus caruit honore sepulturæ. Nec alia causa est tanti discriminis, quàm diversitas morum; illorum quippe virtus erepta fato immaturo contristari nos cogit; horum autem nequitia, & scelera misericordiæ lo-
cum non reliquerunt. Sed maximè eorum 5
afflictam fortunam miseramur, qui, quum maximè asperrima quæque patiuntur, ostendunt virtutem singularem; vereque dixit Aristoteles καὶ μάλιςα τὸ σπουδαίους εἶναι ἐν τοῖς καιροῖς, ὄντως ἐλεεινὸν & *maximè virtute uti, quum hujusmodi tempora inciderunt, misericordiam movet; quem enim*, inquit [h] Cicero, *nostrûm ille moriens apud Mantineam Epaminondas non cum quadam miseratione delectat, qui tum denique sibi avelli jubet spiculum, posteaquam ei percontanti dictum est, clypeum esse salvum, ut etiam in vulneris dolore*
æquo animo cum laude moreretur? Phocionis 6
verò [i] mortem legentes vix a lacrymis temperamus; quis enim tam duro est animo, ut viri virtute non moveatur? qui quum furorem populi in se concitati animadverteret, majorem curam adhibuit, ut amicos suos, quàm ut se præsenti exitio liberaret; qui quum jam damnatus ad capitale supplicium duceretur, eodem vultu, eadem animi præsentiâ incessit ad mortem, quo ad rem gerendam electus imperator proficisci solebat; ille amicos, qui secum ducebantur, consolatus est, ille ad mortem magno animo perferendam cohortatus; ille filium monuit, ut oblivisceretur injuriarum, & ignosceret Atheniensi populo sui

patris

[a] Homer. libr. 11. Odyss. & in hymn. in Herculem Leonini animi, Euripid. in Hecub. [b] Aristot. libr. 2. Rhetoric. cap. 8. [c] Suetonius in Vitâ Titi cap. 8. [d] Cornel. Tacit. Annal. 2. n. 73. [e] Suet. in Tito cap. 10. & Cornel. Tacitus libr. 2. Annal. [f] Sueton. in Caligul. cap. 58. in Nerone cap 49. & in Domitiano cap. 17. [g] Lamprid. in Heliogabal. [h] Cicer. de Finibus libr. 2. [i] Corn. Nepos, & Plutarch. in Vitâ Phocionis.

patris interfectori, & quum quidam e turbâ impudentiâ homo singulari in ejus faciem inspuisset, nihil est eâ contumeliâ commotus, sed conversus ad magistratum, qui ponè sequebatur, levissimis verbis rogavit, ut inposterum hominis petulantiam coërceret. Quid ergo mirum, si tanta animi magnitudo omnium, quicunque non livore & odio laborabant, aut turbulentis concionibus concitati unâ cum populo insaniebant, fletum excitavit; si omnes boni a supplicio tanti viri oculos averterunt; si populum ipsum paulo post pænituit sui furoris, & sibi visus est orbatus optimo parente, & acerrimo vindice libertatis, & cædis auctores exilio, aut morte mulctavit, & mortuum contra instituta Majorum in Patriâ sepelivit, & statuâ æreâ donavit; quum nos post tot sæcula ejus injustum supplicium deploremus? Tantum valet animi magnitudo, ut eos maximè nostrâ misericordiâ dignos judicemus, quorum calamitas propter virtutem minimè est miserabilis, & hos potissimùm lugeamus, qui suam mortem lugendam non censuerunt. Atque id
7 etiam in ludo gladiatorio cerni potuit; qui enim ferrum non timidè jugulo recipiebant, facilè misericordiâ populum commovebant, ut [a] Cicero, & Seneca scriptum reliquerunt; qui verò mortem reformidabant, iracundiam populi irritabant, & mori jubebantur, quia mortem refugiebant. Ideo [b] Seneca dixit*; occide, ure, verbera* (populi sunt irati voces) *quare tam timidè incurrit in ferrum? quare parum audacter occidit? quare parum libenter moritur? plagis aguntur in vulnera, & mutuos ictus nudis, & obviis pectoribus excipiunt.* Ex quo intelligi potest Euripidis artificium, qui Polyxenam inducit accepto suæ mortis nuncio non preces parantem, non hostibus supplicantem, non lacrymis, quæ feminis interdum injussæ fluunt, animum victoris mollire conantem, sed non invitam euntem obviam morti, & magno animo calcantem fortunæ injurias. Quid enim generosius oratione, qua utitur Polyxena? vetat Ulyssem vereri, ne sibi negotium facessat mortem deprecando: ait se libenter morituram, rationem reddit, cur sibi mors jucunda videatur e tanto fastigio devolutæ, & in extremum calamitatis adductæ: rogat Ulyssem, ne matri succenseat, siquid asperiùs magnitudine malorum victa dixerit, aut fecerit: rogat matrē, ne cum potentioribus pugnet, ne sibi impedimento sit morituræ: duci se jubet, & ubi venit ad locum sacrificii, habet orationem maximè accommodatam tempori: vetat se se a quoquam attingi, & non cunctanter, nec timide præbet collum, pectusque gladio interfectoris. Alius poëta fecisset lugentem, ejulantem, ad humiles preces decurrentem, ora, crinesque lacerantem, nec quid regiæ Virgini conveniat, aspexisset, & dum miseram facit, minùs miserandam fecisset; nam miseramur indignos calamitate; indigni verò sunt magis, qui ferunt casus constanter adversos, quàm qui molliter, effeminateque se gerunt, & se malo dignos ostendunt; quia mala, quum ad ea perferenda sint nati, nesciunt tolerare.

DISSERTATIO XXIV.

Mærentes, & morituri caput obtegebant.

Cæsar desperatâ salute, ut auctor est Suetonius, togam capiti circumdedit, quidquid Plutarchus tradat ipsum caput operuisse, ne Brutum sibi necem inferentem videret. Antigonum ferunt execratum Alcyoneum filium, qui Pyrrhi hostis caput, tanquam jucundissimum spectaculum, sibi attulisset.

Sicut in homine pars nulla est, quæ possit vel dignitate, vel usu, vel præstantiâ cum capite [c] comparari; quum in eo mens, & ratio sit quasi in suo domicilio, & sede collocata; quum ex eo sentiendi vis omnis proficiscatur; sine eo vitæ officium ullum extare non possit, & sine eo momento temporis vita extinguatur; ita in capite Antiqui religionem magnam sibi constituuntam putaverunt. Nam & sternutamenta, quia proficiscuntur a capite, omen habere certissimum voluerunt, & ea tanquam Deos adoraverunt, ut Xenophon libro III. de expeditione Cyri testatur, & quum [d] sacrificabant Diis albano ritu caput velabant; & quum honorem habebant magnis [e] viris, caput aperiebant; & [f] per caput jurabant; & in nuptiis flammeo [g] novæ nuptæ caput obnubebant, ex quo [h] nuptiæ sunt appellatæ; & qui aliquem occiderant, in capite interfecti, gladii cruentas maculas abstergebant; ut labem, quam animo contraxerant, averterent, ut Sophoclis Interpres in Electram scriptum reli-

[a] Cicer. Tuscul. disput. libr. 2. [b] Seneca epist. 7. [c] Plato in Timæo, & Cæl. Rhodig. libr. 20. cap. 12. [d] Tit. Livius libr. 1. [e] Plin. libr. 28. cap. 6. & Plutarch. in Quæst. Roman. [f] Hom. Iliad. 15. Virgil. Æneid. libr. 9. Ovid. libr. 3. de Ponto El. 5. vers. 68. & in Ep. Briseid. ad Achillem, Apul. Metam. libr. 3. & Juven. Satyr. 6. [g] Fest. Pomp. libr. 6. & 13. Lucan. libr. 2. & Martial. libr. 11. epigr. 79. & libr. 12. epigr. 42. [h] Varr. libr. 4. de L. L. & Vossius in Etymolog. in V. *Nupta*.

reliquit. Sed inter cetera, quæ ad capitis
2 religionem pertinent, illud observarunt, ut quotiescumque aliquid funestum pati cogebantur, quotiescumque quippiam fœdum, triste, abominandum occurreret, veste caput [a] involverent. Hujus moris mentionem facit Euripides in Hecubâ, ubi Polyxena jam moriendi certa, mortemque non degeneri animo latura, libenterque Pyrrhi gladio, ut ad Achillis bustum immoletur, pectus præbitura, Ulyssem adhortatur, ut se ducat ad locum, ubi crudele sacrum peragendum est; his autem utitur [b] verbis:

Κόμιζ', Ὀδυσσεῦ, μ' ἀμφιθεὶς κάρα πέπλοις
Ὡς πρὶν σφαγῆναί γ' ἐκτέτηκα καρδίαν
Θρήνοισι μητρὸς, τήνδ' ἔτ' ἐκτήκω γόοις

quos versus ita in latinum sermonem verto.

Me duc, Ulysse, veste circumdans caput,
Quoniam priusquam juguler infelix piis
Caræ parentis lacrymis extabui,
Et hæc vicissim solvitur luctu meo.

Ex quibus verbis constat Polyxenam, quum ad mortem duceretur, præcepisse, ut sibi veste caput obnuberetur, quod non ex ingenio Poëtam comminisci, sed fuisse translatitium ostendemus. Ita Cæsar, quum
3 sibi jam moriendum videret, undique plagas inferentibus conjuratis, togâ caput fertur involvisse; nam licet [c] Plutarchus affirmet, tum denique Cæsarem caput operuisse, quum Brutum sibi vulnus infligentem aspexisset; ne scilicet videret eum, quem plurimum diligebat, sibi necem inferre conantem; Suetonius [d] tamen diligentissimus Auctor tradit ipsum desperatâ salute togam capiti circumdedisse, sic enim loquitur: *utque animadvertit undique se strictis pugionibus peti, togâ caput obvolvit, simul sinistrâ manu sinum ad ima crura deduxit, quò honestiùs caderet, etiam inferiore corporis parte velatâ.* Ita & Pompejus quum a Septimio, Salvio, & Achilla ad cædem raperetur, & gladii jam a percussoribus educerentur, utraque manu appræhensâ togâ faciem contexit, quod [e] Plutarchus testatur his verbis: *Σεπτίμιος ὄπισθεν τῷ ξίφει διελαύνει πρῶτον, εἶτα Σάλβιος μεθ' ἐκεῖνον, εἶτα Ἀχιλλᾶς ἐσπάσαντο τὰς μαχαίρας, ὁ δὲ ταῖς χερσὶν ἀμφοτέραις τὴν τήβεννον ἐφελκυσάμενος κατὰ τοῦ προσώπου, μηδὲν εἰπὼν ἀνάξιον ἑαυτοῦ, μηδὲ ποιήσας, ἀλλὰ στενάξας μόνον, ἐνεκαρτέρησε ταῖς πληγαῖς.* Ita Demosthenes [f] quum venenum sumpsisset,
4 ne ab Archia ad Antipatrum duceretur, daturus pœnas eorum, quæ contra Macedones dixerat, & in Republicâ gesserat, & jam venis venenum concepisset, caput dicitur operuisse; & Cicero [g] quum Antonii satellites expectaret sibi necem allaturos, jacuit in lectulo capite obvoluto; donec a servis, qui molestè ferebant sibi innitissimum herum eripi a crudelissimis Inimicis trucidatum, lecticâ tolleretur. Mitto alia exempla, quæ plurima possent afferri, ne vobis injucunda copia similium exemplorum accidat, Auditores, & potius ad indagandam causam, rationemque hujusce moris accedo. Crediderim autem ideo prætendisse oculis vestem, & caput obtexisse violentâ morte perituros, ne funesto, & abominando spectaculo oculi morientium contaminarentur; solebant enim Veteres aspectum rerum, quas execrabantur, aversari. Antigonum mitissimum Regem [h] ferunt, quum Alcyoneus ejus filius 5
Pyrrhi fortissimi Regis caput attulisset, & patri tanquam jucundissimum spectaculum obtulisset (quippe tum bellum gerebat Antigonus cum Pyrrho) execratum esse filii factum, & impium, & barbarum appellasse, & obvoluto capite ubertim humanis casibus illacrymasse; & quum Phocion in carcerem duceretur cicutam bibiturus, præstantissimus quisque civium, ne tale spectaculum videret, faciem veste contexisse dicitur, & ingemuisse tanti viri calamitatem, qui improborum, & consceleratorum hominum conspiratione oppressus ultimo supplicio afficiebatur, quum nulla possent inveniri præmia, nulli honores excogitari, qui rebus ejus gestis, animi magnitudine, excellentibus in Rempublicam meritis, bonitate, justitiâ singulari digni viderentur. Hujus autem viri exitus, cujus virtus, &
mors fuit simillima Socraticæ, me admonet 6
Socratis; qui quum illud mortiferum poculum hausisset, ut est in Phædone Platonis, & ipse se veste texit, & ejus Amici morientem spectare noluerunt, sed opposito pallio triste spectaculum ab oculis removerunt; qui profectò nefas arbitrabantur aspicere mortem senis immortalitate dignissimi, quicum & arctissimâ amicitiæ necessitudine, & studiis communibus, & amore philosophiæ conjungebantur; necem quippe aliquâ necessitate conjunctorum spectare piaculum crediderunt. Ideo Priamus apud Virgilium libro secundo Æneidos tantopere de Neoptolemo queritur, quòd se vidente filium suum Politen trucidarit, sic enim loquitur

At tibi pro scelere exclamat, pro talibus ausis
Dii, siqua est Cœlo pietas, quæ talia curet,
Persolvant grates dignas, & præmia reddant
Debita, qui nati coram me cernere lethum
Fecisti, & patrios fœdasti funere vultus.

Nec aliâ de causâ apud Euripidem Amphi-
Nnn tryo

[a] Plato in Phædro. [b] Euripid. in Hecubâ v. 432. [c] Plutarch in Vitâ Cæsaris. [d] Suet. in ejusdem Vitâ c. 82. [e] Plutarch. in Vitâ Pompeii. [f] Idem in Vitâ Demosthen. circa finem. [g] Idem in Vitâ Ciceronis. [h] Idem Plutarch. in Vitâ Pyrrhi in fine.

7 tryo [a] Lycum tyrannum orat, ut se, Megaramque priùs interficiat, quàm Herculis filios; ne ipse nepotum, Megara verò filiorum crudelissimam necem videre cogatur; sic enim ait:

Μίαν δὲ νῦν δὸς χάριν, ἄναξ, ἱκνούμεθα,
Κτεῖνον με, καὶ τήνδ' ἀθλίαν, παίδων πάρος,
Ὡς μὴ τέκν' εἰσίδωμεν, ἀνόσιον θέαν,
Ψυχορραγοῦντα, καὶ καλοῦντα μητέρα,
Πατρός τε πατέρα ......

qui versus ita redduntur

Rex magne, nobis unicum munus dato,
Ambo precamur; antequam pueros neces,
Me perde ferro, perde miserandam nurum;
Ne abominandum, atque impium spectaculum
Videre cogas Liberos miserâ in nece,
Avumque, matremque invocantes nomine.

Quum autem cognatorum cædem spectare nefas arbitrarentur, multo magis haud convenire existimabant quemquam suæ necis esse spectatorem; idcirco perituri velabant faciem. Crediderim etiam id fecisse, quò la-
8 crymas obtegerent, quò tristitiam vultus occultarent; sic Ulysses apud Homerum, ut fletum abscondat, qui manabat ex oculis audienti historiam belli Trojani; rerumque a se gestarum, circumdedit capiti vestem, ne convivæ suas lacrymas possent [b] intueri.

..... αὐτὰρ Ὀδυσσεὺς
Πορφύρεον μέγα φᾶρος ἑλὼν χερσὶ στιβαρῇσι
Κὰκ κεφαλῆς εἴρυσσε, κάλυψε δὲ καλὰ πρόσωπα,
Αἴδετο γὰρ Φαίηκας ὑπ' ὀφρύσι δάκρυα λείβων

quæ verba sic vertimus:

Sed Laërtiades infectam murice pallam
Injecit capiti, faciemque, & lumina texit,
Quippe verebatur Phæaces, cogère: ingens
Quum dolor invitum perfundere fletibus ora,

Eadem de causâ Telemachus caput involvit, ut liberiùs flere possit; & [c] Plutarchus refert Crassum lugentem filii crudelissimam necem, & exercitus cladem, & imminens exitium; injectâ capiti veste jacuisse. Quum autem mærentibus caput, faciemque conveniat operire; convenit & violentâ morte perituris, qui in maximo luctu, & mærore versantur.

DISSERTATIO XXV.

De Minervæ, aliisque Peplis.

Nonnulli existimant apud Virgilium legendum;

.... tuque o, cui prima frementem
Fudit aquam tellus magno percussa tridente

quum Varro, & Pausanias tradant Neptunum, quum tridente percussit terram, produxisse aquam; sed nihil immutandum, quidquid enim sit in certamine Neptuni cum Minervâ, in aliâ certè occasione terra a Neptuno percussa equum produxit. Mythologi Titanes a Gigantibus distinguunt, secus poëtæ. Aristoteles libellum, quo heroum tumulos epigrammatis decorabat, Peplum inscripsit; quem nonnulli negant fuisse Aristotelem Stagiritam; Peplus etiam inter opera Orphei circumfertur; sed Brontini fuisse Clemens Alexandrinus asseverat. Purpura, & Coccus parum differunt; idcirco vestem, qua Judæi Dominum nostrum induerunt, alii purpuream, alii coccineam fuisse tradunt. Salmasius fallitur, qui Chalcanthum dictum putat ἀπὸ τῆς κάλχης, quæ est purpuræ genus; quare Plinium immerito reprehendit, quòd cognationem quandam inter æs, & Chalcanthum dixerit intercedere. Ἄνθος idest flos significat colorem, *&* ἄνθηρος *idest* floridus coloratum. *Ruber color verus color propter excellentiam dicitur. Vocabulum* Pannus *unde deducatur: Græcorum decem millia trecenta millia Persarum deleverunt. Tam Græci, quàm Latini* variatum *pro* picto *accipiunt. Vestes pictæ Diis tantùm conveniebant; Romani tamen eas etiam triumphantibus tribuerunt, qui Diis æquabantur.*

Est in Euripidis Hecubâ chorus Troadum, Auditores, ubi Troades inducuntur de fortunâ suâ querentes, quæ Patriam flammis absumpserit; quòd se se domo extorres ejecerit; Asiam Europæ famulam relicturas; illud etiam in malis numerantes inducuntur, quod nondum sortitæ dominos nesciant, quò sibi sit demigrandum, ubi terrarum serviendum; quærentésque in Peloponesum sit navigandum, an in Thessaliam, an in insulam Delum, an demum Athenas. Et cetera quidem in hoc choro non sunt admodum obscura, nec indigent interprete; hi tamen versus mihi sunt explicandi, quia res cognitione dignas [a] complectuntur

... Ἠ Παλλάδος ἐν πόλει

Τᾶς καλ-

[a] Euripid. in Hercule Furente v. 321. [b] Homer. Odyss. Θ. v. 83. [c] Plutarch. in Crasso. [d] Eurip. in Hecubâ v. 466.

Τᾶς καλλιδίφρου Ἀθα-
ναίας, ἐν κροκέῳ πέπλῳ
Ζεύξομαι ἅρματι πώλους,
Ἐν δαιδαλέαισι ποικίλ-
λουσ' ἀνθοκρόκοισι πήναις,
Ἢ Τιτάνων γενεὰν,
Τὰν Ζεὺς ἀμφιπύρῳ κοιμίζει
Φλογμῷ Κρονίδας.

1 Quorum carminum sententiam sic elegiacis versibus exprimo

Vel pullos ego, qua surgunt Tritonidos arces,
Curribus adjungam, docta Minerva, tuis
In croceo peplo saturatam murice telam
Pingens, Dædaleâ quæ variatur acu;
Vel prolem antiquam terræ, quam Juppiter igne
Fulmineo ad Stygias victor adegit aquas.

Ad quos versus illustrandos non dicam Athenas ab Euripide jure Palladis urbem appellari, quum id sit admodum pervulgatum; nomen ipsum Athenarum declarat ejus urbis tutelam ad Minervam pertinere; eodem quippe nomine Dea, & urbs nuncupatur; Ἀθήνη Dea, Ἀθῆναι urbs dicitur. Plato in Atlantico refert, quum Dii Orbem terrarum inter se dividerent, Miner-
2 væ, & Vulcano Atticam sorte obtigisse; in Timæo tradit Minervam a Vulcano semina accepisse, quibus Atticæ incolæ procrearentur; & [a] poëtæ memoriæ prodiderunt Minervam, & Neptunum inter se contendisse, uter Atticam deberet obtinere; quum autem Dii judices consedissent, decrevisse ei esse adjudicandam, qui rem incolis utiliorem produxisset; percussisse Minervam hastâ terram, & e terrâ oleam extitisse; percussisse Neptunum, & equum esse natum; quum verò Dii equo oleam prætulissent, quòd altera pacis indicium, alter est belli, vicisse Minervam, & urbi dedisse nomen, & inposterum decreto Deorum Atticæ præfuisse. Hanc fabulam videtur respexisse Virgilius, quum [b] dixit:

..... tuque o, cui prima frementem
Fudit equum magna tellus percussa tridente,
Neptune.....

Sed Varro doctissimus Romanorum tradit, quum tridente Neptunus terram percussisset, non equum, sed aquam e terrâ extitisse, cui Pausanias in Atticis assentitur, qui sic ait: Πεφήνασι δὲ καὶ τὸ φυτὸν τῆς ἐλαίας Ἀθηνᾶ, καὶ κῦμα ἀναφαίνων Ποσειδῶν: hoc est: *effecta Minerva olivam creans, & fluctum maris Neptunus.* Idemque confirmat Athenis fuisse [c] puteum aquâ marinâ plenum, qui spirante Noto sonitum edat maris fluctuantis;
& ait eum puteum esse monimentum cer- 3
taminis, quod Minerva, Neptunusque pro obtinendâ regione, & urbe certarunt, quæ moverunt nonnullos, ut crederent in Virgilii carminibus legendum esse:

..... tuque o, cui prima frementem
Fudit aquam ....

Sed nemo prudens affirmarit in hoc carmine Virgilium voluisse facere mentionem certaminis, quo Neptunus victus est; hoc enim pacto Neptuno calamitatem exprobrasset, & non opem ejus implorasset, sed iram irritasset. Non igitur certamen respexit Palladis, & Neptuni Virgilius, verum aliud Neptuni factum, quo equum tam pulchrum, tam generosum, tam utile, & bello, & paci animans procreavit. Ne-
ptunus enim quum tridente percussisset ter- 4
ram, equum effudit; sed non eo tempore, quo cum Minervâ certavit, neque etiam in eo loco. Nam si credimus Probo grammatico, campi sunt in Thessaliâ, qui Petræi nuncupantur, in quibus locus est Petra appellatus, qui tridentis ictu equum dicitur, qui Scyphius vocatus est, edidisse; ideo nobilissimi equi a Neptuno originem deducere putabantur, quò pertinet Virgilii locus, ubi [d] poëta sic ait

Neptunique ipsâ deducit origine gentem.

Et [e] Neptuno ludi equestres dicabantur; & in [f] Illyrico, ut Festus est Auctor, in honorem Neptuni quatuor equos nono quoque anno jaciebant in mare; & [g] Neptunus Hippios idest *equestris* dicebatur; Aristophanes in nebulis

Νὴ τὸν Ποσειδῶ τουτονὶ τὸν ἵππιον

quia fuit equorum Neptunus procreator, ut apud Pausaniam [h] Pamphos vetustissimus poëta declarat hoc versu, quo Neptunum appellat Ἵππων τε δωτῆρα, νεῶν τ' ἰθυκρηδέμνων non igitur mutanda lectio virgiliani carminis, verùm ea retinenda, quam omnes habent libri. Quum autem, ut eò, unde digres-
sa est, revertatur oratio, Athenæ clarissima 5
urbs Minervæ esset a Diis adjudicata, vel, ut alii tradunt, ab Amphictyone Rege dedicata, Athenienses præcipuos honores Minervæ habuerunt, & [i] festum, quod panathenæa vocabatur, instituerunt, quod, ut in lexico tradit Harpocration, duplex fuit; nam & magna panathenæa, & parva celebrabantur; magna quincto quoque anno recurrebant; parva quotannis agebantur; in eo festo solemne fuit donum Minervæ con-

[a] Ovid. Metamorph. libr. 6. fab. 2. Stat. Thebaid. libr. 12. & Aristid. in Panathenaic. & Plutarch. in Vitâ Themist. [b] Virgil. Georg. libr. 1. in princ. & Servius in hunc locum. [c] Pausan. in Atticis, sive libr. 1. [d] Virgil. Georgic. libr. 3. [e] Tit. Livius libr. 1. & Dionys. Halicarn. libr. 2. & Plutarch. in Vitâ Romul. [f] Fest. Pomp. libr. 8. [g] Pausan. in Achaicis, sive libr. 7. & in Arcadicis, sive libr. 8. [h] Idem Pausan. in Achaicis, sive libr. 7. [i] Isocrates in Panathen. Aristophan. in Nebulis. Plutarch. in Theseo, & Pericle, Pausan. libr. 8. & Suid. in V. Παναθήναια.

ſecrare, quod donum Poëta noſter his verbis reſpicit:

Τᾶς καλλιδίφρου Ἀθα-
νάιας ἐν κροκέῳ πέπλῳ
Ζεύξομαι ἅρματι πώλους

Id donum fuit Peplum, quod magnis Panathenæis Minervæ dicabatur; eſt autem Peplum muliebre indumentum, ſic enim ab [a] Heſychio deſcribitur ἱμάτιον, ἢ ἔνδυμα γυναικεῖον, & a Suida ἐςὶ δὲ πέπλος γυναικεῖον ἔνδυμα. Peplum tamen, quod magnis Panathenæis Minervæ ferebatur, Suidas [b] affir-
6 mat fuiſſe velum panathenaicæ Navis ἄρμενον τῆς παναθηναϊκῆς νεώς: in eo Phrygio opere bellum pingebatur, quod Minerva cum Gigantibus geſſit; ideo [c] ille ait

Ergo Palladiæ texuntur in ordine pugnæ,
Magna giganteis ornantur pepla tropbæis,
Horrida ſanguineo pinguntur prælia ſucco,
Additur auratâ dejectus cuſpide Typbo,
Qui priùs Oſseis conſternens ætbera ſaxis
Æmatbia celſum duplicabat vertice Olympum:

nam Minerva in bello adversùs Titanes, vel Gigantes præcipuam gloriam conſequuta; quocirca [d] Horatius dixit.

Sed quid Typbæus, & validus Mimas,
Aut quid minaci Porphyrion ſtatu,
Quid Rbæchus, evulſiſque truncis
Enceladus jaculator audax
Contra ſonantem Palladis Ægida
Poſent ruentes?.....

& [e] Suidas teſtatur Enceladum ſuperatum eſſe, proſtratumque, & ſolitum intexi Peplo. Euripides tamen hoc loco, quem ex-
7 plicamus, non Gigantes, verùm Titanas in Peplo, qui Minervæ dicabatur, acu pingi ſolitos aſſeverat, ſic enim ait ἢ Τιτάνων γενεὰν *vel Titanum genus*. Verumtamen id parum refert, nam licet apud [f] Mythologos Titanes a Gigantibus diſtinguantur, tamen a poëtis confunduntur; ſic Horatius quum dixiſſet [g]

..... ſcimus, ut impios
Titanas, immanemque turbam
Fulmine ſuſtuleris caduca;

addidit:

Fratreſque tendentes opaco
Pelion impoſuiſſe Olympo,

quod [h] fuit Gigantum proprium, non Titanum, nam Gigantes dicuntur, ut in Cœlum aſcenderent, montes [i] congeſſiſſe:

Affectaſse ferunt regnum caleſte gigantes,
Altaque congeſtos ſtruxiſse ad ſidera montes,

& [l] Propertius ait:

Non ego Titanas canerem, non Oſſam Olympo
Impoſitum, ut Cœli Pelion eſſet iter,

& [m] Virgilius dixit:

...... tum partu Terra nefando
Cœumque, Japetumque creat, ſævumque Typhœa,
Et conjuratos Cœlum reſcindere fratres

ubi, qui nominantur, partim ſunt Titanes, partim Gigantes, nam [n] Cœus, & Japetus Titanes; Typhœus [o] gigas, & conjurati Cœlum reſcindere fratres. Quum autem 8
victi Gigantes in peplo pingerentur, pingebatur & victrix Minerva ſublimis curru, quæ junctis pullis triumphans exprimebatur; pingebatur in eo quoque Juppiter, ut ex Plutarchi Demetrio conſtat. Illud etiam conſtat fortiſſimorum virorum res geſtas intextas peplo Minervæ templo inferri conſueviſſe; ideo [p] Virgilius Meſſalam ſuum peplo vult intexere, ſic quippe loquitur:

Sed magno intexens, ſi fas eſt dicere, Peplo,
Qualis Erechtheis olim portatur Athenis,
Debita quum caſtæ ſolvuntur dona Minervæ,

& Ariſtophanes Equitibus:

Εὐλογῆσαι βουλόμεϑα τοὺς πατέρας ἡμῶν, ὅτι
Ἄνδρες ἦσαν τῆσδε τῆς γῆς, ἄξιοι καὶ τοῦ πέπλου

quam ſententiam Jambicis ſic expreſſi

Efferre noſtros laudibus volumus patres,
Quòd hac fuere Patriâ digni, & Peplo;

quòd in Peplo res heroum geſtæ pingebantur. Inter [q] ceteros autem, qui Peplo intexebantur fuerunt Harmodius, & Ariſtogiton [r] interfectores tyranni. Idcirco Ariſtoteles [ſ] libellum, quo heroum tumulos epigrammatis decorabat, Peplum inſcripſit; quem tamen [t] quidam negant fuiſſe Ariſtotelem Stagiritam, nec is titulus inventus ab Ariſtotele, ſed Peplus inter Orphei opera circumferebatur, quem non fuiſſe Orphei, ſed [u] Brontini vetuſtiſſimi poëtæ Clemens Alexandrinus aſſeverat. Peplum verò magnis Panathenæis inferri ſolitum, & 9
id eo feſto fuiſſe clariſſimum ſpectaculum Plautus [x] Mercatore teſtatur his verbis:

Neque niſi quinto anno quoque poſse ſum viſere
Urbem; atque extemplo inde, ut ſpectaviſſes peplum,
Rus rurſum confeſtim exigi ſolitum a patre;

& Plau-

[a] Heſych. in Lexic. [b] Suid. in V. Πέπλος. [c] Virgil. in Cyri. [d] Horat. libr. 3. Od. 4. [e] Suid. in V. Πέπλος. [f] Servius in illud Virgil. Æn. libr. 6. *Hic genus antiquum terra, Titania pubes*, Apollodor. libr. 1. & Diodor. Sicul. libr. 5. [g] Horat. libr. 3. Od 4. [h] Homer. Odyſſ λ. Hygin. fab. 28. Apollodor. libr. 1. [i] Ovid. Metamorph. libr. 1. fab. 5. v. 152. [l] Propert. libr. 2. Eleg. 1. [m] Virg. Georg. libr. 1. [n] Diodor. Sicul. libr. 5. Bibliothec. pag. 231. [o] Pindar. Od. 1. Pyth. Hom. in hymn. in Apollinem, Heſiod. in Theogon. Strab. libr. 5. & libr. 16. Pompon. Mela libr. 1. cap. 13. & Hygin. fab. 196. [p] Virg. in Cyri. [q] Diodor. Sicul. libr. 20. pag. 757. [r] Æl. Var. Hiſt. l. 11. cap. 8. Ariſt. Rhetor. l. 2. c 24. & Plin. l. 7. c. 23. Vid. Plutarch. in Demetr. Diod. Sic. l. 20. [ſ] Porphyr. apud Cæl. Rhod. l. 14. c. 18. & apud Euſtathium in Hom. [t] Tzetzes in Heſiodi Opera, & Dies. [u] Clem. Alex. Strom. l. 1. [x] Plaut. in Mercator. Prolog. v. 66.

& Plautus citatus a [a] Servio, qui sic ait:

Nunquam in urbem venio nisi, quum infertur peplum;

ubi loquitur Poëta de eo, qui rusticam vitam colit, & in urbem non migrat intentus operi rustico, nisi quum magna caussa subest urbem invisendi; nimirum quum magna panathenæa celebrantur. Ex quo discas, & celebritatem Panathenæorum [quæ sola possent mentes eorum sollicitare, qui abdicatâ curâ rerum urbanarum in rustico dumtaxat opere assiduè versarentur, ut in urbem venirent] & Pepli spectaculum in eâ pompâ fuisse deceotissimum, quum eo tota celebritas declaretur. Magnâ quippe
10 cæremoniâ Peplum inferebatur, ut Harpocration est auctor; quatuor enim virgines generis claritate conspicuæ publicè decernebantur; ex quibus duæ eligebantur, quæ texendo Peplo præessent. Etymologici scriptor affirmat eas virgines, neque juniores fuisse septem, neque undecim annis grandiores, dictæque sunt Arrhephori, quòd auream vestem gestarent, nimirum peplum; nam ἀρρηφορεῖν, ut idem auctor docet, significat *auream vestem gestare*, quòd non de veste, qua illæ induebantur, sed de Peplo Minervæ accipiendum est; nam ipsæ candidâ veste utebantur, ut testatur Harpocration; quin etiam siquid aori attulissent, id referre domum non licebat, sed Minervæ sacrum habebatur. Nec Atheniensium fuit inventum Minervæ Peplum dedicare; nam [b] Homerus poeta vetustissimus inducit Hectorem Hecubæ præcipientem, ut Peplum, qui maximus, & artificiosissimè pictus videretur, Minervæ consecraret, ut eo dono Minerva delinita Trojanis opem ferret in acie laborantibus, ad quem Homeri locum Virgilius Æneidos libro primo respexit his verbis

Interea ad templum non æquæ Palladis ibant
Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant
Suppliciter tristes, & tunsæ pectora palmis.

11 Nec Minervæ modò Peplum dicabatur, sed aliis etiam Deabus; quapropter Pausanias testatur [c] ab Eliensibus Junoni Peplum dicari, quod a sexdecim mulieribus texebatur, sic enim loquitur: πεποίηται δὲ καὶ ταῖς γυναιξὶν ἐν τῇ ἀγορᾷ οἴκημα ταῖς ἑκκαίδεκα καλουμέναις, ἔνθα τὸν πέπλον ὑφαίνουσι τῇ Ἥρᾳ: hoc est: *constructum est ædificium in foro mulieribus, quæ sexdecim appellantur, ubi Peplum Junoni texunt*; quod Peplum quinto quoque anno perficiebatur, ut tradit [d] idem: διὰ πέμπτου δὲ ὑφαίνουσιν ἔτους τῇ Ἥρᾳ πέπλον αἱ ἓξ καὶ δέκα γυναῖκες hoc est: *quinto quoque anno texunt Junoni peplum sexdecim mulieres*. Interpres autem Æschyli aliis omnibus Peplos dicari tradit, omnium simulacra indui Peplo: παρετίθεσαν γὰρ πέπλους, καὶ ἐνέδυον τὰ ἀγάλματα *apposuerunt enim peplos, & simulacra induerunt*. Quomodo autem Peplus indueretur, & quæ fuerit ejus forma, describit Eustathius in librum decimononum Odysseæ. Quamquam Peplum, qui Minervæ inferebatur, non arbitror fuisse genus vestis; moveor autem auctoritate [e] Julii Pollucis, qui duo fuisse Peplorum genera asseverat; alterum, quod induebant, alterum, quod insternebant; & ex hoc genere fuisse dicit Peplos Minervæ: καὶ ὅτι μὲν ἐπίβλημά ἐστι τεκμήραιτ᾽ ἄν τις ἐκ τῶν τῆς Ἀθηνᾶς πέπλων: verba sunt [f] Julii Pollucis; moveor etiam [g] Suidæ testimonio, qui Peplum fuisse confirmat Panathenaicæ navis. Color autem Pepli purpureus [h] Pausania teste, qui sic ait: κεῖται δὲ καὶ στέφανος 12
χρυσοῦς, καὶ πέπλος πορφύρεος: Νέρωνος ταῦτα ἀναθήματα; hoc est: *posita est & corona ex auro, & peplus purpureus, hæc autem Neronis donaria*. Sed Pausanias de Peplo loquitur Argivæ Junoni dedicato; nec Isidorus quidem, qui libro decimonono capite vigesimoquinto Peplum esse tradidit pallium matronarum purpurâ signatum, satis probat Peplum, quod magnis Panathenæis Minervæ dicabatur, fuisse purpureũ; quocirca meliùs id Virgilii [i] testimonio confirmatur, qui de hoc ipso Minervæ Peplo loquens ait:

Horrida sanguineo pinguntur prælia succo.

Quo constituto intelligi potest, cur [l] Poëta noster dixerit:

Ἐν δαιδαλέαισι, ποικίλ-
λουσ᾽ ἀνθοκρόκοισι πήναις;
In telâ croceo colore pingens,

Croceus enim color parum distat a purpureo; nam licet purpura, & coccus inter se discrepent, nam coccus ex [m] grano Ilicis 13
aquifoliæ, purpura autem [n] e succo, qui in conchylii faucibus invenitur, conficitur; tamen non adeo dissimilis coccus purpuræ, ideo Plinius de buccino, quo purpureo colore vestes inficiuntur [o] dixit. *Pelagio admodum alligatur, nimiæque ejus nigritiæ dat austeritatem illam, nitoremque, qui quæritur, cocci*: en in purpurâ desiderabatur austeritas, & nitor cocci. Præcipuè verò galaticus coccus, qui præstantissimus, ad purpureum colorem dicitur proximè accessisse; quapropter ob similitudinem cocci, & purpuræ coccus pro purpurâ interdum usurpatur; itaque non mirum, est, si vestem, qua Judæi per ludibrium Dominum nostrum indue-

[a] Serv. in Æneid. libr. 1. ad illud: *Crinibus Iliades passis, peplumque ferebant*. [b] Homer. Il. ζ. v. 271. [c] Pausan. Eliacor. 2. sive libr. 6. [d] Idem Pausan. Eliac. 1. sive libr. 5. [e] Jul. Poll. libr. 7. cap. 13. [f] Idem Jul. Poll. ibid. [g] Suid. in Voce Πέπλος.

[h] Pausanias in Corinthiacis, sive libr. 2. [i] Virg. in Cyri. [l] Euripid. in Hecubâ v. 470. [m] Plin. libr. 16. cap. 8. [n] Plin. libr. 9. cap. 36. [o] Idem l. 9. cap. 38.

induerunt, alii coccineam, alii purpuream fuisse tradiderunt. Purpureum autem Peplum Minervæ extitisse, vel ex hoc [a] Euripidis loco colligi potest. Euripides id Ἀνθόκροκον vocat his verbis:

..... ἀνθοκρόκοισι πήναις.

14 Ἄνθος, quod vocabulum *florem* signat, interdum sumitur pro *colore*. Citatur a Salmasio hujus rei testis Democritus, non ille philosophus nobilissimus, sed auctor quidam, qui de tingenda purpurâ scripsit, qui vocem Ἄνθος pro *colore* usurpavit his verbis. Ἔστι δὲ τῆς Γαλατίας σκώληξ, καὶ τὸ τῆς Ἀχαΐας ἄνθος, ὃ καλοῦσι λάκχαν, καὶ τὸ τῆς Συρίας, ὃ καλοῦσι ῥίζιον· hoc est: *est autem & Galatiæ vermis, & Achajæ flos* (idest color) *quem laccham vocant, & Syriacus, quem radiculam nuncupant*; ubi *flos Achajæ* est *color Achaicus*, videlicet *Anchusa*; quin etiam Chalcanthum Salmasius dictum putat ἀπὸ τῆς κάλχης quæ est purpuræ genus colore cæruleo, & ἀπὸ τοῦ ἄνθους *a flore*, quasi color τῆς κάλχης quia Chalcanthum est cæruleum. Quamquam in hac re fortasse fallitur Salmasius, veriusque Plinius a cognatione æris existimat appellatum, quasi *florem æris*; quum ex Chalcantho Cyprio vehementissimo calore liquefacto, & excocto existat æs purissimum, pulcherrimumque; quod Salmasius ignoravit, & ideo Plinium [b] reprehendit, quod cognationem quamdam inter æs, & Chalcanthum dixerit intercedere. Illud aper-
15 tius probat Ἄνθος Græcis interdum *colorem* appellari Ἀνθηρὸν significat *floridum*; Hesychius doctissimus grammaticorum ἀνθηρὸν tradit Sandaracham dici; credo, quia Sandarachæ ruber est color; ruber autem color propter excellentiam verus color nuncupatur, Hesychio teste, qui in voce Cinnabari dixit. Κιννάβαρι· εἶδος χρώματος ἀληθινοῦ hoc est, *Cinnabari genus veri coloris*, nimirum rubri; Sandarachæ igitur nomen Ἀνθηροῦ putavit convenire, quia Sandarachæ verus est color, quum sit idem Ἀνθηρὸν idest *floridum*, & *coloratum*. Sed clariùs idem Auctor declarat Ἀνθηρὸν pro colorato interdum usurpari, ubi sic ait Ἀνθινὸν, Ἀνθηρὸν, Βάπτον *floridum, tinctum, & coloratum*; & ubi sic loquitur. Ἄνθη τὰ χρώματα hoc est *colores flores* appellantur; & Plinius, qui de pretioso illo, quo purpuræ expetebantur, colore sic [c] ait; *sed purpuræ florem illum tingendis expetitum vestibus in mediis habent faucibus*. Et meritò sanè colores florum ap-
16 pellatione donantur; nusquam enim in universâ naturâ major colorum luxuria, quàm in floribus, non in herbis, non in plantis non in animalibus, non in gemmis; non in nubibus, quum a Sole colorantur, non in ipsâ [d] Iride, quæ

Mille trahit varios adverso Sole colores: idest ea species, ea varietas, ea colorum pulchritudo, quæ in floribus cernitur; quum nec ars ulla æmulari, nec ullius ingenium mirari satis, nec eloquium numero queat comprehendere. Quum igitur Ἄνθος idest *flos* colorem significet, & purpureus color inter omnes obtineat principatum, quid enim pretiosius, quàm succus ille, ut [e] ait Plinius, *nigrantis rosæ colore sublucent*, qui tanto ceteris præstitit, ut reliqui privatorum vestibus, hic solus Regum dicaretur; meritò floris nomine purpura intelligitur: Nam si ruber verus color, & Sandaracha; quia rubra est, flos dicitur, ut jam probavimus, quanto magis floris nomine purpura indicabitur, quæ in hoc genere coloris præstat? Ἀνθόκροκον igitur Euripidi Minervæ Peplum appellatur, & hoc nomine purpureum signatur. Πήνη autem, qua in hoc
loco voce Euripides utitur, significat tex- 17
tum, Hesychio [f] teste, qui sic ait. Πῆνος ὕφασμα idest Πῆνος *textum*, a qua voce derivari pannum [g] putant, nam Πῆνος doricâ dialecto Πᾶνος dicitur, & ex eâ voce *pannus* deducitur; etiam coma textilis, quæ latinè dicitur capillamentum, Πήνη nuncupatur, & omnis coma. Quapropter Thebis legitur hoc epigramma:

Πῆνος μὲν γενετῆρες, ἐπεὶ γέρας ἐστὶ θανόντων,
Κείραντες κλαίεσκον ἀναισθήτῳ ἐπὶ τύμβῳ

hoc est:

In tumulo flentes, quod honos hîc luce carentum est,
Et pater, & genitrix deposuere comam.

Propiè autem Euripides de Minervæ Peplo texendo loquens utitur verbo Ποικίλλειν quod est *Variare*; nam quum Peplum esset acu pictum, vel texturâ, meritò Ποικίλλεσθαι dicitur, quum Hesychio [h] teste quidquid est ornatum, Πεποικιλμένον dici possit; sic enim loquitur Πεποικιλμένα τὰ κεκαλλωπισμένα, & Etymologicum magnum asseveret Ποικίλον significare id, quod est artificiosè elaboratum, sed præcipuè quæ picturâ decorabantur, Ποικίλα sunt dicta. Quapropter porticus 18
Pœcile, cujus apud Auctores mentio est frequentissima, quæ Athenis visebatur, non aliâ de [i] causâ est ita appellata, quàm quia in eâ pictum esset quidquid ferè memorabile gessissent Athenienses usque ad [l] pugnam Marathoniam, qua a decem Atheniensium millibus trecenta Persarum millia fusa, fugataque sunt, & propemodum occi-

[a] Euripid. in Hecubâ v. 471. [b] Plin. libr. 34. cap. 12. [c] Plin libr. 9. cap. 36. [d] Virgil. Æneid. libr. 5. [e] Plin. libr. 9. cap. 36. [f] Hesych. in Lex. [g] Varro libr. 4. de L. L. [h] Hesychius in Lexico.

[i] Pausan. in Atticis, sive libr. 1. [l] Val. Maxim. libr 5. cap 3. in externis n. 3. licet Cornel. Nep. in Vitâ Milciad. tradat centum millia peditum, & equitum decem millia fuisse in exercitu Persarum

occidione delere, quod Atheniensium facinus ultimum fuit eorum, quibus Pœcile, porticus erat variata. Sed & aliæ porticus, quæ picturis erant insignitæ, Pœcilæ dicebantur; docet [a] Pausanias in Eliacis prope lucum Altim fuisse porticum, quæ Pœcile vocaretur, quia antiquitus picturis decorabatur; quæ postea longinquitate temporis exoleverunt; ex quibus constat Porticum Ποικίλην idest variam nihil aliud signare, quàm pictam. Imitantur & Latini id loquendi genus; quapropter Catullus elegantissimus poëtarum de veste, in qua heroum res gestæ intextæ miro artificio visebantur sic [b] loquitur:

Hæc vestis priscis hominum variata figuris
Heroum mirâ virtutes indicat arte.

variatam dixit pictam, Græci πεποικιλμένην di-
19cerent. Fuit autem Peplorum proprium πεποικίλθαι idest variari, pingi; ideo Philostratus libro primo de Vitâ Apollonii dixit τὰ τῶν πέπλων ποικίλματα; sic enim loquitur τὰ δὲ ποικίλματα τῶν πέπλων ἐκ τῶν ἑλληνικῶν σφισιν ἥκει λόγων Ἀνδρομέδας, καὶ Ἀμυμώνης: *picturæ verò peplorum ex græcis fabulis ipsis venerunt Andromeda, & Amymone;* & Plato in Euthyphrone. Καὶ δὴ καὶ τοῖς μεγάλοις Παναθηναίοις ὁ πέπλος μεστὸς τῶν τοιούτων ποικιλμάτων ἀνάγεται εἰς τὴν ἀκρόπολιν hoc est: *quapropter & magnis Panathenæis Peplus plenus hujusmodi picturis in arcem adducitur*, ideo [c] Homerus ait

Ἔνθ' ἔσαν οἱ πέπλοι παμποίκιλοι ἔργα γυναικῶν
Femineæ labor artis, ubi depicta fuerunt
Pepla.....

& libro quinto Iliados Pallas arma sumptura pictum peplum [d] deponit

Αὐτὰρ Ἀθηναίη κούρη Διὸς Αἰγιόχοιο
Πέπλον μὲν κατέχευεν ἑανὸν πατρὸς ἐπ' οὔδει
Ποικίλον, ὅν ῥ' αὐτὴ ποιήσατο, καὶ κάμε χερσίν,
Ἡ δὲ χιτῶν' ἐνδῦσα Διὸς νεφεληγερέταο
Τεύχεσιν ἐς πόλεμον θωρήσσετο δακρυόεντα

quos versus ita vertimus.

Filia magna Jovis, qui concutit Ægida, Pallas
Pictum molle peplum posuit genitoris in æde,
Ipsa suis manibus mirâ quod fecerat arte,
Sævaque nubiferi sumpto thorace parentis
Ad pugnam sese, lacrymandaque bella parabat;

Et apud Nonnum libro quadragesimo primo Harmonie texit Minervæ peplum, in quo mirabili arte & terram in medio pendentem aëre, & elementa circumplexum Cœlum astris distinctum, & illuminatum, & mare quod sese in terræ sinus infundit, & fluvios, qui undique alluunt ipsam, atque fecundant, Oceanum cunctos terrarum tractus ambientem. Omnino autem viden-
20tur vestes pictæ, & præcipuè Pepli Deabus, & maximè omnium Minervæ convenire. Quapropter [e] Demetrio, qui ab excidio urbium Poliorcetes est appellatus, vitio verterunt [f] Antiqui, quod chlamydem sibi texendam curaverat, in qua mirabili artificio Mundus universus cum sideribus, & elementis exprimebatur; quod opus multorum annorum vertente Demetrii fortunâ relictũ est imperfectum; tantæque superbiæ visum est hujusmodi vestem gestare, ut nemo ex Macedoniæ Regibus, quamvis multi extiterint suapte naturâ superbissimi, & rerum gestarum gloriâ, & potentiâ tumidi, sit ausus eo artificio pictam vestem gestare; quia magis Deo, Deæve, quàm homini convenire videbatur; Romani tamen pictas vestes etiam hominibus tribuebant, sed triumphantibus, quo tempore victores Diis æquabantur.

DISSERTATIO XXVI.

Misericordia excitatur pulchritudine; & quum quis bonis omnino caruit, vel magnâ felicitate spoliatus est.

Fletus magis est hominis proprius, quàm risus. Ridens natus est Zoroaster. Multi perpetuò fletu contabuerunt. Omnis mulierum felicitas in nuptiis posita est. Valerianum Imperatorem captum a Persarum Rege Sapore filius redimere neglexit. In os mortui Crassi liquefactum aurum Parthi infuderunt avaritiam exprobrantes. Pompejus ab Ægypti Rege, cujus tutelam gerebat, obtruncatus est. Hyperides Phrynen defendens, quum parum proficeret, nudavit illius pectus, quo judices moti eam absolverunt. Maximini interfecti pulchritudo populum Romanum ad misericordiam commovit.

NEscio qua de causâ fieri dicam, Auditores, ut sit quædam nobis flendi voluptas, & dulcedo lacrymarum; nec tam, ut Homerus affirmat, celeriter nos fletus, quàm risus capiat satias, credo, quia nascimur ad fletum, quum flentes nascamur; risus [g] autem est adventitius, quum post natalem quadragesimo demum die contingat, certè plures reperiuntur, qui nunquam lugendi finem fecerint, quàm qui totâ vitâ riserint; nam si credere [h] li- 1
bet Democritum risisse semper, quum de rebus

[a] Pausan. Eliacor. 1. sive libr. 5. [b] Catull. in Nupt. Pelei, & Thetid. [c] Homer. Iliad. ζ. v. 289. [d] Idem Homer. Iliad. ε. v. 733. [e] Diodor. Siculus libr. 20. p. 780. [f] Plutarch. in Demetr. [g] Plin. libr. 7. in procem. [h] Seneca libr. 2. de Irâ c. 10. & de Tranquillitate cap. 15. Ælian. Var. Histor. libr. 4. cap. 10. & Juvenal. Sat. 10.

rebus humanis cogitaret, huic opponemus Heraclitum, qui [a] nunquam fletu dicitur destitiſſe. Nemo præterea memoratur, qui nunquam ridere deſierit; nec ille [b] quidem Zoroaſter, qui ſimul atque eſt in lucem editus, riſit; at quàm multi dicuntur perpetuis lacrymis contabuiſſe? Nioben poëtæ [c] ferunt ſeptem amiſſis filiis, totidemque filiabus in ſempiternum luctum incidiſſe, ac ne quidem mutatam in lapidem lacrymis temperaſſe: Ægeriam, quum [d] ingentem vim lacrymarum profudiſſet, in fontem eſſe converſam: Biblidem ex perpetuo luctu aquam fluentem eſſe factam: Cyanen eadem de cauſâ in ſtagnum ſui nominis eſſe tenuatam: ſorores [e] Phaëtontis, quum fratrem fulmine interemptum lugerent, nec fletibus modum ponerent, miſeratione Deorum in arborum migraſſe naturam, quæ pro lacry-
2 mis electrum profundant. Quibus fabulis nihil aliud poëtæ notare voluerunt, quàm harum inconſolabilem dolorem, & fletum nunquam deſinentem; & ideo feminas, non viros in fontes, & ſtagna transfiguratas eſſe tradiderunt; quia feminæ ſunt ad fletum propenſiores, quàm viri. Sed quid opus eſt a fabulis poëtarum exempla petere perpetuo fletu contabeſcentium, quum eadem ab hiſtoriâ ſuppeditentur? Octavia Augusti [f] ſoror, quum Marcellum filium eximiæ ſpei adoleſcentem, & regendo Orbis terrarum imperio deſtinatum amiſiſſet, nunquam ceſſavit a fletu, nullas conſolantium voces admiſit, iacuit in ſqualore, ſemper ſolitudine, & tenebris delectata eſt. Verumtamen minùs mirandum eſt dolorem eſſe tam contumacem, & diuturniorem voluptate, quum vita hominum referta ſit miſeriis, & Mortales Homerus ærumnoſos appellet; illud mirandum dolori ineſſe præcipuam voluptatem. Miſericordia [g] eſt dolor quidam ex alienâ calamitate ſuſceptus; quantâ autem voluptate perfundamur, quum miſericordiâ commovemur, ſcena declarat; neque enim minùs tragœdiâ, quàm comœdiâ delectamur; quum comœdia lætitiâ redundet, & riſu ſcateat; tragœdia verò triſtes heroum caſus referendo miſeratione ſpectatorum animos compleat; idcirco præcipua virtus tragicorum poëtarum videtur eſſe appoſitè dicere ad miſericordiam concitandam. Quam virtutem [h] Euripidem inprimis eſſe aſſequutum in Polyxenæ ſacrificio deſcribendo, ſermone, quem nuperrimè habuimus, probabamus, & in præſentiâ maximè probabimus. Et heſterno quidem die diximus Polyxenæ

morem, qui ab Euripide generoſus, ingenuus, plenus indolis regiæ, dignus priore 3
fortunâ, indignus præſenti calamitate inducitur, ad movendam miſericordiam maximè pertinere; quum ita ſit naturâ comparatum, ut propter miſerias virtute præditorum, non vitiis, miſericordiâ afficiamur; hodierno die & reliqua, quæ ſpectant eodem, notabimus. Miſerandum eſt igitur vel bonis omnino caruiſſe, vel ſpoliatum eſſe magnâ felicitate; ideo Ariſtoteles Rhetoricorum libro ſecundo capite octavo dixit eſſe miſerabile: ἢ μηδὲν γεγενῆσθαι ἀγαθὸν, ἢ γενομένων μὴ εἶναι ἀπόλαυσιν: *vel nihil boni contigiſſe, vel his, quæ contigerunt, frui non potuiſſe*. Hæc autem utraque apud Euripidem Polyxena deflet; deflet enim ſe bonis caruiſſe, quum queritur ſibi nuptias non [i] contigiſſe

Ἄνυμφος, ἀνυμέναιος, ὧν μ' ἐχρῆν τυχεῖν

hoc eſt:

Experſque ſponſi, experſque conjugii occidam,
Quæ me decebat conſequi . . . .

queritur bonum ſibi defuiſſe, quo alia omnia bona feminarum videntur contineri. Siquidem Euripides verè dixit:

Ἀλλ' ἐς τοσοῦτον ἥκεθ' ὥστ' ὀρθουμένης
Εὐνῆς γυναῖκες πάντ' ἔχειν νομίζετε.

hoc eſt:

Sed eo venitis, ut maritalis thori
Feliciter fluente fortunâ omnia
Habere vos putetis . . . . .

Nimirum mulieri, cui fortunatæ nuptiæ contigerunt, omnia videntur contigiſſe, 4
quaſi in nuptiis omnis mulierum felicitas comprehendatur; eadem querela eſt apud Sophoclem Electræ, quæ ſic ait

. . . . . . ἅν γ' ἐγὼ ἀκάματα
προσμένουσ' ἄτεκνος
τάλαιν' ἀνύμφευτος αἰὲν οἰχνῶ

quam ſententiam Jambicis utcumque repræſentavi

Quem miſera non defeſſa dum maneo, viri,
Et dulcium expers Liberûm ſemper vagor;

& in eadem tragœdiâ Sophocles inducit Electram dicentem Chryſothemidi ſorori; debere eam vivo Ægiſtho, & Clytemneſtrâ matre ſpem omnem abjicere fortunæ melioris; quum nunquam ſperare poſſit, ut Ægiſtho, & matre ſalvis nuptias conſequatur; perinde, ac ſi femina ſine nuptiis fortunata eſſe non poſſit; & in Oedipo Tyranno Oedipum facit miſerantem ſortem filiarum, quòd nemo propter patris infamiam ſit eas ducturus uxores; neceſſe autem ſit ipſas perire ſine prole, & expertes nuptiarum χέρσους φθαρῆναι, κἀγάμους ὑμᾶς χρεών

[a] Senec. de Irâ libr. 2. cap. 10. & de Tranquill. cap. 15 [b] Plin libr. 4. cap. 16. [c] Propert. libr. 2. El. 20. Ovid. Metam. libr. 6. fab. 4. Cicer. Tuſcul. Quæſt. libr. 3. & Hygin. fab. 9. [d] Ovid. Faſtor. libr. 3. & Metamorph. libr. 15. v. 546. [e] Ovid. Metam libr. 2. fab. 3. [f] Sen de Conſol. ad Marciam cap. 2. [g] Ariſtot. Rhetoric. libr. 2. cap. 8. [h] Eurip. in Hecubâ. [i] Idem ibid. v. 416.

χέρσων; ubi feminas, quæ nuptiis caruerunt, appellat χέρσους, quo nomine significatur tellus, quæ nec arboribus consita est, nec aratro proscinditur, nec ligonibus foditur, sed longo intervallo culturâ destituta squallet: nam sicut ea nulli rei est, ita puella expers nuptiarum prorsus inutilis, prorsus nullius pretii esse censetur. Quum autem tantum feminis bonum, conjugium habeatur, maximè spectat ad misericordiam conciliandam oratio Polyxenæ se caruisse conjugii bonis affirmantis; quum longè levioribus bonis caruisse miserandum videatur. Apud Virgilium mater Euryali, filii

5 miseretur, quod ipsa non potuerit filio adesse morienti, non potuerit mortui [a] funus procurare:

.... nec te, tua funera mater
Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi
Veste tegens....

& [b] Propertius Pæti casum miserabilem putat, quod

.... mater non justa piæ dare debita terræ,
Nec pote cognatos inter humare rogos;

& [c] Tibullus magis existimat suam mortem deplorandam, quòd abest a suis quàm longissimè:

.... non hic mihi mater,
Quæ legat in mæstos ossa perusta sinus
Non soror, assyrios cineri quæ dedat odores,
Et fleat effusis ante sepulcra comis.

Quanto igitur majus bonum conjugium, quàm sepultura, quàm longè bona, quibus viventes perfruuntur, iis, quæ post mortem contingunt, antecellunt, tanto Polyxenæ, quàm aliorum miserabilior oratio est. Neque verò solùm se se affirmat Polyxena magnis bonis caruisse, sed etiam magnâ felicitate spoliatam esse; qui locus est alter, quo, auctore [d] Aristotele, misericordia commovetur. Affirmat enim se fuisse filiam Regis, qui Phrygibus imperarit, a multis Regibus expetitam, qui beati sibi viderentur, si ejus nuptias consequi potuissent; fuisse dominam Trojanorum, suspiciendam virginibus, & mulieribus, & a Diis immortalibus non felicitate, sed immortalitate superatam; nunc eo miseriarum esse redactam, ut servire servitutem cogeretur; quo quid dici miserabilius potest? Nam quanto est altius fastigium, ex quo devoluti sumus, quanto est humilior, sordidiorque fortuna, in quam recidimus, tanto sumus miserabiliores; nihil autem sublimius regali fortunâ, nihil humilius, abjectiusque conditione servili; nihil igitur miserabilius Polyxenâ, quæ Regum fastigium cum miserrimâ servitute commutavit. Et

sanè [e] cui non excutit lacrymas Valeriani Augusti casus, qui Orbis terrarum imperio potitus, adversùs Persas lacrymabili bello suscepto, acceptâ magnâ clade a superbissimo Rege Persarum Sapore captus in vinculis ætatem exegit, in durissimâ servitute consenuit, a qua sola illum mors vindicavit; quum filius Romæ relictus Imperii successor per summam socordiam, atque ignaviam Imperii opibus illuderet; nec ulciscendi patris, nec Romanæ majestatis asserendæ ullam susciperet cogitationem. 6

Tot Romani cum Imperatore Valeriano capti sunt, & apud eundem hostem servierunt; nullius miseriâ tantum, quantum Valeriani calamitate commovemur; quia ex altissimo fortunæ culmine dejectus est Valerianus. Idem dici potest da Crasso, & de Magno Pompejo, quorum alter in hostium [f] venit potestatem, & ab iis crudelissimè est trucidatus, & etiam post mortem ludibrio habitus; quum in ejus [g] os mortui aurum liquefactum Parthi infunderent, avaritiam Crasso exprobrantes, quasi eo liquore mortuum vellent satiare, quem vivus sitiverat; alter, quum [h] ad Ægypti Regem, cujus tutelam gerebat, confugisset, perfidiosissimè est obtruncatus; quis non ingemit casibus tantorum virorum? & tamen multi, qui cum Crasso, Pompejoque militarunt, eandem fortunam subierunt, & aut in hostium venerunt potestatem, aut miserabili morte occiderunt; nemo tamen eorum tantâ miseratione, quantâ Crassus, aut Pompejus, dignus videtur; quia uterque ex altissimo gradu dignitatis est devolutus. Commemoratio igitur prioris excellentissimæ fortunæ, qua Polyxena utitur, 7 pertinet ad misericordiam commovendam; eodem quoque spectat, & mentio pulchritudinis, qua Polyxena dicitur præstitisse; sic enim describitur ab [i] Euripide præbens collum, pectusque pulcherrimum gladio sacerdotis

Κἀπεὶ τόδ' εἰσήκουσε δεσποτῶν ἔπος,
Λαβοῦσα πέπλους ἐξ ἄκρας ἐπωμίδος
Ἔρρηξε λαγόνας ἐς μέσον παρ' ὀμφαλὸν,
Μαστούς τ' ἔδειξε, στέρνα θ' ὡς ἀγάλματος
Κάλλιστα, καὶ καθεῖσα πρὸς γαῖαν γόνυ
Ἔλεξε πάντων τλημονέστατον λόγον
Ἰδοὺ τόδ', εἰ μὲν στέρνον, ὦ νεανία,
Παίειν προθυμῇ, παῖσον: εἰ δ' ὑπ' αὐχένα
Χρῄζεις, πάρεστι λαιμὸς εὐτρεπὴς ὅδε

hoc est:

Hæc illa postquam verba dominorum audiit,
Peplum apprehensum parte, qua humeros contegit,
Adusque lateris candidi medium scidit

Juxta

[a] Virgil. Æneid. libr. 9. [b] Propert. libr. 3. El. 7. [c] Tibull. libr. 1. Eleg. 3. [d] Aristot. libr. 2. Rhetoric. cap. 8. [e] Cedrenus Compend. Histor pag. 212. Edit. Basileæ. [f] Plutarch. in Vitâ Crassi, & Plin. libr. 2. cap 56. & Tit. Livii Epit. libr. 106. [g] Luc. Florus libr. 3. cap. 11. [h] Plutarch. in Vitâ Pompeji. [i] Euripid. in Hecubâ v. 557.

Juxta umbilicum, oſtendit & virgo ſimul
Nudas papillas, pectus & pulcherrimum,
Efficere quale Phidiæ poſſit manus,
Et procidens in genua maximè omnium
Miſeranda verba protulit: nudum en patet,
Ferire ſi vis pectus, o juvenis, feri;
Sin colla mavis, ecce ſacrifico lubens
Do colla cultro; quid moraris vulnera?

8 Hyperidem [a] ferunt, quum Phrynen impietatis ream defenderet, nec ſatis crimen, quo accuſabatur, dilueret argumentis, & quum omnes dicendo locos peragraſſet, quibus vel ira judicum poſſet mitigari, vel miſericordia commoveri, nec ſatis profeciſſet, diloricatâ veſte mulieris pulcherrimæ pectus oſtendit, quæ tantas in hominum pectoribus amoris flammas excitaverat, & Græciam pæne totam ad inſaniam adegerat. Eo ſpectaculo judices deliniti Phrynen, quæ manifeſtò tenebatur, abſolverunt, & plus mulieris tacita pulchritudo valuit, quàm diſertiſſimi Oratoris ex intimo artificio deprompta oratio; tantam vim habet ad flectendos ad miſericordiam animos pulchritudo. Quod & eo tem-
9 pore maximè perſpici potuit, quum Romani Imperatorem immaniſſimum trucidaſſent, & unà cum patre filium occidiſſent, cujus forma omnium ejus ætatis pulchritudines dicitur longè præſtitiſſe, & præfixa haſtis duorum Imperatorum capita milites Romam attuliſſent; Maximini [b] Junioris caput propter inſignem ſpeciem, quæ in extincto, & tabo fluente adhuc elucebat, adeo populum Romanum miſericordiâ commovit, ut quantum gaudium ex crudeliſſimi patris cæde perceperat, tantâ triſtitiâ ex interitu pulcherrimi filii afficeretur. Nihil ergo potentius formâ, quæ non minùs valuit ad miſericordiam ſpecioſiſſimi adoleſcentis, quàm ad odium horribilis Tyranni efferata crudelitas. Quo probè conſtituto quis non fateatur Euripidem nihil intactum reliquiſſe, quo miſericordia erga Polyxenam poſſet commoveri; nam & egregiam ejus indolem deſcribit, & in contemnendâ morte miram animi conſtantiam; & exaggerat commoda, quibus caruerat, & enumerat bona, quibus privata fuerat iniquitate fortunæ; & ponit ob oculos pulchritudinem eximiam, & ſingularem; quibus rebus ad miſericordiam maximè animi adducuntur, ut & [c] Ariſtoteles docet, & experientiâ compertum eſt.

Finis Tomi Primi.

[a] Plutarch. in Vit. X Orator. in Hyperide. [b] Jul. Capitolinus in Maximino Juniore. [c] Ariſtotel. Rhetoric. libr. 2. cap. 8.

APPROBATIONES

DOm. Abbas Antonius Maria Salvini complaceat attente perlegere, uti solet, præsentes Dissertationes q. D. *Benedicti de Averanis Florentini*, *habitas in Pisana Academia*, *in quibus Græcæ*, *Latinæque Eloquentiæ Principes explicantur*, *& Illustrantur*. Ad effectum recognoscendi, an in illis reperiatur aliquod S.S. Fidei orthodoxæ adversum, & bonis moribus absonum, & referat.

Dat. hac die 2. Novembris 1711.

Nicolaus de Castellanis Vic. Gen. Flor.

Illustrissime, ac Reverendissime Domine.

PRæclarum, atque insigne opus *Benedicti Averani* τοῦ μακαρίτου, doctissimas hasce, & veteris sapientiæ, eruditionis, & elegantiæ plenas Dissertationes in florentissimo Lyceo habitas quum accurate, diligenterque perlegerim, nihil in iis reperi, quod vel Christianæ religionis sanctitatem, vel bonos mores læderet; verùm omnia summa cum animi mei jucunditate percepi Romanam majestatem, & Atticum thymum redolere. Quare in publicam lùcem edita multo usui studiosis bonarum artium, & eruditis viris voluptati, & admirationi fore non vanus vates auguror, & censeo. Ex ædibus meis Idibus Aprilis A. S. CIƆ. IƆCC. XII.

Illustrissime Dominationis Vestræ

Obsequentiss. Famulus
Antonius Maria Salvinius.

Attenta supradicta relatione Imprimatur.

Nicolaus de Castellanis Vic. Gen. Flor.

Adm.

ADm. Rev. Pat. Magister Julius Antonius Maria Roboredo Ordinis Servorum Beatæ Mariæ Virginis Theologus Publicus in Universitate Florentina videat præsnetem Librum, cujus titulus est: *Benedicti Averanii Florentini Dissertationes habitæ in Pisana Academia, in quibus Græcæ, Latinæque Eloquentiæ Principes explicantur, & illustrantur, &c.* & referat pro Sancto Officio.

Dat. ex Ædibus Sanctæ Inquisitionis Florent. die 8. Maii.

Fr. Bernardinus Frachia de Valentia Ordin. Min. Conv. S. Franc. Vic. Gener. S. Offic. Florent.

Reverendissime Pater.

IN Dissertationibus Excellentissimi Viri *Benedicti Averani*, quas diligenter perlegi, nihil reperitur, quod Catholicæ Fidei puritatem offendat, aut bonis moribus adversetur. Hoc opus multorum Annorum studio conceptum, Elegantia summa elaboratum, varia, & perjucunda eruditione refertum, dignum est, quod in lucem prodeat, atque immortalitati consecretur.

Dat. Flor. in Conventu Divæ Annunc. Idibus Nov. Ann. 1712.

Pat. Vestræ Reverendissimæ

Obsequentissimus Famulus
Fr. Julius Antonius Maria Roboredo Ord. Serv. B. M. V. in Univers. Flor. Sac. Scr. & Controv. Lector &c.

Attenta suprascripta relatione

Imprimatur.
Fr. Bernardinus Frachia de Valentia Ordin. Min. Conv. S. Franc. Vicar. Gener. S. Offic. Florent.

Philippus Bonarota Senat. & Audit. Regiæ Celsitudinis.